Class 265.51 Book Am139
General Theological Seminary Library
CHELSEA SQUARE, NEW YORK

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/desponsalibusetm0000alde

DE SPONSALIBUS & MATRIMONIO

Typographia dicta " Les Presses Gruuthuuse „ Brugis (Belgii).

Theologia Brugensis.

AL. DE SMET, S. T. D.

TRACTATUS THEOLOGICO-CANONICUS

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

Sacramentum hoc magnum est.
Ad. Eph., V. 32.

EDITIO QUARTA
(Inde a Codice altera).

CAR. BEYAERT, Editor Pontificius, BRUGIS
1927

APPROBATIO PRIORIS EDITIONIS.

Tractatum canonicum et theologicum de Sponsalibus et Matrimonio, auctore ALOYSIO DE SMET, S. T. D. in Seminario nostro professore, solida doctrina refertum atque ingenti labore multaque solertia compositum, libenter approbamus et Clero vehementer commendamus.

Brugis, 24 Augusti 1909.

† G. J. EPISC. BRUGEN.

DENUO IMPRIMATUR.

Brugis, 26 Augusti 1910.

265.51
Jam 39
114292

† G. J. EPISC. BRUGEN.

TERTIO IMPRIMATUR.

Brugis, 24 Dec. 1919.

† G. J. EPISC. BRUGEN.

QUARTO IMPRIMATUR.

Brugis, 27 Decembris, 1926.

† G. J. EPISC. BRUGEN.

PRAEFATIO

Haec quarta editio (post Codicem altera) ex integro fuit recognita et ad trutinam revocata, in subsidium vocatis nonnullis declarationibus S. Sedis, necnon controversiis quae, inde a Codice promulgato, circa varia doctrinae puncta agitata sunt sive in periodicis sive in egregiis tractatibus recens in lucem editis.

Rursus autem opportunum duximus eumdem ferme ordinem adhibere hucusque adoptatum: tum pro servanda conformitate cum praecedentibus editionibus, tum etiam quia electa materiae distributio melius aptari videtur tractatui de matrimonio, qualem ipsum intendimus, integram scil. doctrinam complectenti, non modò canonicam, sed et dogmaticam ac moralem; melius quoque quadrat cum methodo quae solet in seminariis usurpari. Caeterum, in gratiam illorum qui ordini Codicis inhaerere velint, textum canonum huc spectantium, ad calcem tractatus, adnectendum curavimus, remissione facta ad numeros marginales sub quibus de singulis canonibus agitur in textu.

AUCTOR.

Brugis, 24 Decembris 1926.

INDEX RERUM ANALYTICUS

PROLEGOMENA.

Praefatio V
Addenda et corrigenda XV
De fontibus XVII
Index bibliographicus XXIII

LIBER PRIMUS

DE SPONSALIBUS

CAPUT I

De natura sponsalium.

Art. 1s. De notione, divisione et convenientia sponsalium . . 3
Art. 2s. De elemento constitutivo sponsalium seu de consensu . 5
Art. 3s. De subjecto sponsalium 12
Rrt. 4s. De adjunctis sponsalium 13

CAPUT II

De effectibus sponsalium. . . . 17

CAPUT III

De impedimentis sponsalium. . . . 22

CAPUT IV

De sponsalium dissolutione. . . . 24

CAPUT V

De sponsalium regimine 28

APPENDIX

De proclamationibus antenuptialibus.

1. De legis existentia, subjecto ac gravitate 30
2. De loco, frequentia, tempore et forma observandis . . 32
3. Notiones domicilii et quasi-domicilii 33
3. Causae deobligantes 44
5. Obligatio revelandi impedimenta 47
Scholion. Statuta legis civilis circa proclamationes et oppositiones. 51

LIBER SECUNDUS

DE MATRIMONIO

PARS PRIMA

DE MATRIMONIO UNIVERSIM SPECTATO

Sectio prima

De contractu matrimoniali seu de matrimonio in fieri.

CAPUT I

De contractu matrimoniali ut est in officium naturae.

Disputatio prima

De natura contractus matrimonialis.

Art. 1s. De notione et origine contractus matrimonialis. . . 58
Art. 2s. De fine matrimonii 66
Art. 3s. De honestate matrimonii 68

Disputatio secunda

De elemento constitutivo contractus matrimonialis seu de Consensu.

Art. 1s. De consensu matrimoniali in genere. 75
Art. 2s. De defectibus consensus (remissive) . . . . .
Art. 3s. De formalitatibus consensus matrimonialis
§ I. Formalitates observandae
I. Pro valore 86
II. Pro liceitate 101
III. Casus excepti. 106
§ II. Quaenam matrimonia illis sint obnoxia
I. Principia 113
II. Applicationes et normae. 116
Art. 4s. De consensu conditionato. 125
Scholion. Variae species matrimonii 132

CAPUT II

De contractu matrimoniali ut est sacramentum.

Disputatio prima

De existentia sacramenti matrimonii.

Contractum matrimonialem inter baptizatos esse Sacramentum novae Legis, probatur dogmatice et historicè. . . 140

Disputatio secunda

De nexu inter contractum et sacramentum.

Sacramentum esse ipsum contractum inter christianos probatur, ac errores oppositi refutantur 148

Disputatio tertia

De natura sacramenti matrimonii, ejus ministro, subjecto, effectu ac caeremoniis.

Art. 1ª. De natura sacramenti 153
Art. 2ª. De ministro sacramenti 155
Art. 3ª. De effectibus sacramenti 157
Art. 4ª. De subjecto sacramenti 159
Scholion. De modo agendi parochi quoad assistentiam matrimonio indigni 162
Art. 5ª. De caeremoniis sacramenti matrimonii
1. Ritus hodierni 164
2. Ritus antiqui 169

Sectio secunda

De vinculo conjugali seu de matrimonio in facto esse

CAPUT I

De natura vinculi conjugalis.

Art. 1ª. De debito conjugali
§ I. De legitimitate usus matrimonii. 178
§ II. De jure et obligatione ad usum matrimonii
1° Existentia juris et obligationis 187
2° Principia quae moderantur exercitium juris utendi matrimonio 189
Scholion I. De usu matrimonii dubie validi 203
II. De onanismo 205
Art. 2ª. De cohabitatione
§ I. De jure et obligatione ad cohabitationem. . . . 220
§ II. De separatione a toro et cohabitatione
Separatio a tecto 222
Separatio a toro 231
Art. 3ª. De mutuo amore et adjutorio 232
Art. 4ª. De cura et educatione prolium 234

CAPUT II

De effectibus vinculi conjugalis.

1. Distinctio familiae 240
2. Participatio uxoris in statu viri 240
3. Peculiaris propinquitas 241
4 .Legitimitas prolium 241

CAPUT III

De proprietatibus vinculi conjugalis.

Art. 1ª. De unitate vinculi conjugalis 253
Art. 2ª. De indissolubilitate vinculi conjugalis
§ I. De indissolubilitatis lege coram jure naturae. . . 264
§ II. De indissolubilitatis lege coram jure positivo divino. . 272
§ III. De derogationibus in lege indissolubilitatis
1° De dissolutione vinculi per libellum repudii . . . 274

2° De dissolutione vinculi per potestatem Romani Pontificis 275
3° De dissolutione vinculi per professionem religiosam 286
4° De dissolutione vinculi conjugalis in casu apostoli .
a/ fundamentum scripturisticum 291
b/ objectum privilegii 292
c/ conditiones 294
§ IV. De absoluta indissolubilitate matrimonii rati et consummati
Doctrina Ecclesiae 308
Doctrina SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum 313
Documenta difficiliora 314
Scholion I. Disciplina ecclesiae schismaticae et protestanticae. 321
Scholion II. De bonis matrimonii 322
Parergon. De divortio civili
§ I. Notitia historica 323
§ II. Dispositiones codicis civilis Belgici 333
§ III. Crisis legis divortii civilis et separationis corporum . 337
§ IV. Corollaria moralia 340
Scholion. Quomodo tractandi divortio separati 353

Sectio Tertia

De Regimine Matrimonii

I. De regimine matrimonii fidelium
Jura Ecclesiae 356
Jus et officium Principis civilis 368
Scholion I. Subjectum activum potestatis Ecclesiae . . 370
Scholion II. Subjectum passivum potestatis Ecclesiae . . 372
II. De regimine matrimonii infidelium 374
III. De regimine matrimonii inter fidelem et infidelem . . 378
Scholion I. De subjectione infidelium regimini matrimonii Ecclesiae 380
Scholion II. Circa jus Status civilis subditos sterilizandi . 382
Scholion III. Doctrina protestantica circa regimen matrimonii 385
Parergon I. Fata Ecclesiae circa regimen matrimonii . . 387
Parergon II. De matrimonio civili
Notio 390
Praeparatio 391
Introductio 393
Legislatio nostra circa matrimonium civile . . . 396
Crisis legislationis civilis cum conclusione practica . . 398

PARS SECUNDA

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

Sectio Prima

De impedimentis matrimonii in genere.

§ 1. Notio et species impedimenti 406
§ 2. De potestate statuendi impedimenta 412
§ 3. Scholia canonica et moralia 413

Sectio Secunda

De impedimentis matrimonii in specie.

Prooemium. Catalogus impedimentorum :
Canonicorum 421
Juris civilis Belgici 423

CAPUT I

De impedimentis impedientibus.

Quaestio praevia. De interdicto Ecclesiae 423
Art. 1ˢ. De impedimento voti 429
Art. 2ˢ. De impedimento cognationis legalis 431
Art. 3ˢ. De impedimento mixtae religionis :
1. Notio matrimonii mixti 437
2. Valor et illiceitas 438
3. Dispensationis necessitas, cautelae, causae . . . 440
4. Officium parochi et confessarii 445
Appendix. De dissensu parentum 453

CAPUT II

De impedimentis dirimentibus.

Disputatio Prima

De impedimentis dirimentibus improprie dictis, ex defectu consensus.

Art. 1ˢ. De defectu discretionis et amentia 459
Art. 2ˢ. De ignorantia et errore
§ 1. De ignorantia 460
§ 2. De errore 461
Art. 3ˢ. De fictione et simulatione 467
Art. 4ˢ. De vi et metu 468

Disputatio Secunda

De impedimentis dirimentibus propriè dictis.

Art. 1ˢ. De impedimento aetatis 475
Art. 2ˢ. De impedimento impotentiae 478
Art. 3ˢ. De impedimento ligaminis 496
Art. 4ˢ. De impedimento voti et ordinis 499
Art. 5ˢ. De impedimento disparitatis cultus 512
Art. 6ˢ. De impedimento consanguinitatis 520
Art. 7ˢ. De impedimento affinitatis 536
Art. 8ˢ. De impedimento publicae honestatis 546
Art. 9ˢ. De impedimento cognationis spiritualis 552
Art. 10ˢ. De impedimento cognationis legalis (remissive) . . 560
Art. 11ˢ. De impedimento raptus 560
Art. 12ˢ. De impedimento criminis 566

APPENDIX I

De officio parochi et confessarii.

Punctum I. Examen nupturientium :
a parocho 579
a confessario 587

Punctum II. Instructio sponsorum et conjugum:
a parocho 588
a confessario 593
Punctum III. Inscriptio in registro 597

APPENDIX II

De processu matrimoniali 600

PARS TERTIA

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

Disputatio praevia. De remedio adhibendo in casu detecti impedimenti :
ante matrimonium contrahendum 612
post matrimonium contractum 615

CAPUT I

De notione dispensationis matrimonialis.

Notio et divisio 621

CAPUT II

De auctore dispensationis matrimonialis.

Art. 1ˢ. De Romano Pontifice et SS. Congregationibus . . . 633
Art. 2ˢ. De Episcopo seu Ordinario 638
§ I. De objecto potestatis Ordinarii :
ordinariae 641
delegatae 649
§ II. De natura potestatis Ordinarii 655
§ III. De subjecto activo et passivo potestatis Ordinarii . 656
§ IV. Principia potestatis interpretationem ac exercitium moderantia 660
Art. 3ˢ. De sacerdote
§ I. De objecto potestatis sacerdotis 671
§ II. De natura potestatis sacerdotalis 676
§ III. De subjecto passivo potestatis 677
§ IV. Principia potestatis interpretationem et exercitium moderantia 678

CAPUT III

De causis dispensationis matrimonialis.

Art. 1ˢ. De causis dispensationis in genere 681
Art. 2ˢ. De causis dispensationis in specie 683

CAPUT IV

De dispensatione matrimoniali petenda.

Art. 1ˢ. Quaenam et cujusnam fori dispensatio sit petenda. . 692
Art. 2ˢ. Quó instituendus sit recursus 695
Art. 3ˢ. A quonam instituendus sit recursus. 698

Art. 4ˢ. De ipso recursu instituendo:
Inserenda in supplica 701
Confectio supplicae 711
Scholion. De expensis et taxationibus 713

CAPUT V

De dispensationis concessione et executione.

Disputatio Prima. De concessione et executione dispensationis in ordine ad matrimonium contrahendum 716
Art. 1ˢ. De dispensationibus apostolicis
§ 1. De concessione dispensationis 716
§ 2. De executione dispensationis in forma commissoria
Punctum I. Executor dispensationis 720
Punctum II. Modus eam exequendi:
pro foro externo:
praevia ad fulminationem 724
fulminatio 734
pro foro interno sacramentali
praevia ad fulminationem 739
fulminatio 741
pro foro interno extrasacramentali 743
Art. 2ˢ. De dispensationibus episcopalibus
§ 1. De concessione dispensationis episcopalis . . . 745
§ 2. De executione dispensationis episcopalis in forma commissoria 750
Art. 3ˢ. De dispensationibus sacerdotalibus 751
Disputatio secunda. De concessione et executione dispensationis in ordine ad matrimonium contractum convalidandum:
Art. 1ˢ. De convalidando matrimonio per simplicem dispensationem 756
Art. 2ˢ. De convalidando matrimonio per sanationem in radice. 760

CAPUT VI

De vitiis dispensationis eorumque sanatione.

§ I. Vitia:
ex parte actus concessionis. 760
ex parte executionis 770
§ II. Sanatio vitiorum:
ex parte actus concessionis 770
ex parte executionis 773

ALLEGATA

I. Formulae supplicarum pro dispensatione necnon aliae formulae variae 774
II. Canones Codicis de matrimonio 786
III. Tenor indultorum pro variis Ordinariis 810
Index alphabeticus 815

ADDENDA ET CORRIGENDA

P. 12 Num. 15, sub 2°, pone: absentia circumstantiae matrimonium reddentis invalidum vel illicitum.

P. 24 l. penultima, lege: non vero, loco: necnon.

P. 34 Praeter domicilium *juris* seu *legale*, de quo in can. 93, proponitur a quibusdam alia species domicilii legalis, puta apud incarceratos, milites: horum domicilium legale vocant *proprium*, dum illud, de quo can. 93, dicunt *mutuatum*. Cf. *Jus Pontificium*, 1926, p. 47 s. Ab hac autem distinctione abstinemus.

P. 38 s. statuta juris particularis, de quibus in nota 1 (p. 38) et in nota 6 (p. 39), pro abrogatis habeantur.

P. 84 l. 24 s. deleantur: ad tomum scil. alterum.

P. 90 nota 1. In dioecesi Brugensi, deinceps possessionis captio a parocho fit in ipsa sollemni introductione seu installatione.

P. 96 nota 4. Jam non est locus dispositioni juris particularis Brugensis, de qua in nota 4; deinceps, ubi parochus ad alium locum nominatur, aut officium dimittit, ab Ordinario designatur *vicarius oeconomus*, cui committitur munus paroeciam vacantem regendi, ad normam can. 472, n. 1.

P. 100 l. 6, lege: 1090, loco: 1099.

P. 103 l. 7, lege: puncto, loco: paragrapho.

P. 105 adde: in dioecesi Brugensi decanos accipere facultatem « concedendi licentiam assistendi matrimonio *vagorum*, si nihil obstet, ad normam can. 1032 ».

P. 120 nota 1, l. 10, lege: 368 s., loco: 3681.

P. 164 nota 6, lege: 1088, loco: 1888.

P. 166 post nota 3, adde: nota 4. « Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum censensu, ac rite celebratis singulis matrimoniis, dictoque pro singulis a parocho: *ego conjungo vos in matrimonium* etc., benedictiones anulorum et reliquae benedictiones plurali numero semel fiunt ». *Rit. Rom.*, tit. VII, cap II, n. 5.

P. 167 in fine notae 5ae, adde: *In dioecesi Brugensi*, delegantur *decani* ad permittendam « ex justa causa sollemnem nuptiarum benedictionem temporibus vetitis, ad normam can. 1108, § 3 ».

P. 198 l. 2, deleantur verba: 81, coll. — nota 4, delegatio, de qua ibi, jam conceditur ad dispensandum simpliciter, ad normam dictorum infrà, sub n. 798.

P. 227 l. 2, lege: 132, § 3, loco: 132, § 1.

P. 229 l. 27, » : repererit, » : reperit.

P. 242 l. 6, lege: nempe, loco: semper.

P. 273 l. 28, » : nititur, » : initur.

P. 284 Posset fieri difficultas contra solutionem, in causa Helenensi, de qua in nota (3), quatenus posset contingere utramque partem esse non baptizatam, adeo ut Ecclesiae deficiat jurisdictio ad illud matrimonium dissolvendum; et sic, in simili casu, quem referunt *Ned. kath. Stemmen*, 1926, p. 310 ss., postulat S. Sedes, antequam

vinculum dissolvat, ut una pars (infidelis) praevie susceperit Baptismum.

P. 287 nota 4, lege: 569, loco: 579.

P. 298 nota 9, » : 1816, » : 1810.

P. 305 nota 4, ad propositam sententiam accedit VROMANT, o. c., n. 86; contradicit vero HILLING, *Eherecht*, p. 142; anceps autem haeret *l'Ami du clergé*, 1926, p. 423 s., ubi citantur duo responsa C. S. O., nobis faventia.

P. 307 l. penultima, lege: mediatè, loco: mediante.

P. 426 in nota, l. 3, lege: supplebat, loco: supplet

P. 441 attende cautelam et cautionem de catholicè educanda prole spectare etiam prolem ante matrimonii mixti celebrationem *jam natam*. Cf. *l'Ami du clergé*, 1926, p. 557 s. — Favent tenor can. 1061, § 1, n. 2; item decreta C. S. O., 18 Martii 1891 et 23 Aug. 1877, apud *Fontes*, IV, p. 459 et 474 s.

P. 445 l. 8, lege: 504, loco: 503.

P. 471 in fine notae (1), addatur: ac nuperrimè Causam *Southwarcen.* (Van der Bilt-de Malborough), 29 Julii 1926, apud A. A. S., XVIII, p. 501 ss.

P. 480 ss., nota 7: doctrina ibi proposita circa copulam, quod nempe non sit apta generationi, semine deposito ad os vaginae, quantumvis foecundatio inde sequi possit vel et reipsa sequatur, doctrina, inquam, illa confirmatur auctoritate S. Rotae, in causa XXVII, apud *Decisiones Rotales*, IX (1917), p. 276 ss. — *Ibidem*, in Causa IV, p. 32, enuntiatur solam impotentiam ponendi copulam de se aptam generationi constituere impedimentum, ad illam autem copulam sufficere « verethro perforare vaginam mulieris et in eadem semen effundere, abstractione facta ab aliis organis ad foecundationem necessariis ».

P. 558 nota (3), lege: 438bis, loco: 431.

P. 583 nota 2, descripta ibi dispositio juris dioecesani Brugensis pro suppressa habeatur, sola vigente dispositione Concilii prov. Mechl. IV, de quo p. 584.

P. 668 l. 2, lege: n. 119, loco: n. 118.

P. 673 nota (4), auctoribus sententiae propositae faventibus adde: VLAMING, o. c., n. 415 et MULDER, apud *Ned. kath. Stemmen*, 1926, p. 357 ss.

P. 674 anomaliam, de qua in textu, urget MULDER, l. c., p. 353 ss.

P. 675 l. 21, post verbum: confessarii, insere: canonicus poenitentiarius (1).

(1) Hinc inde (inter alia, p. 710, 722 et 730) voci: Officialis substituatur vox: Ordinarius vel: Vicarius Generalis.

DE FONTIBUS.

§ 1. Codex juris canonici.

Jus canonicum in re matrimoniali, pro Ecclesia Latina, continetur tanquam in collectione *authentica* eaque *unica* in **Codice juris canonici,** a Benedicto XV promulgato (1).

Opus illud grande Codicis redigendi, in quo « universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur, amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis » (2), auctore et auspice Pio X, per decursum anni 1904 coeptum. ad felicem finem est adductum anno 1917. sub pontificatu Benedicti XV: qui. in Constitutione *Providentissima,* die 27 Maii 1917. Codicem sollemniter promulgavit, decernens ac jubens illum, sic ut est digestus, vim legis habere pro universa Ecclesia, inde a die Pentecostes anni sequentis, i. e. a die 19 Maii 1918 (3).

Idem Pontifex Benedictus XV, *Motu proprio* diei 15 Sept. 1917 (A. A. S. IX, p. 443 s.), instituit Commissionem, « cui *uni* jus erit Codicis canones *authentice* interpretandi »; titulum autem habet *Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos.*

Dividitur Codex in quinque *libros,* qui libri, excepto primo, in *partes* distribuuntur, partes autem in *titulos* subdividuntur; tituli autem sub se habent *capita,* capita vero constituuntur *canonibus,* qui per totum Codicem una continua serie protrahuntur, numero 2414.

Liber primus tradit *normas generales* (can. 1-86); secundus inscribitur *de personis,* et successive tractat de clericis, religiosis et laicis; liber tertius inscribitur *de rebus* ac in prima parte agit de sacramentis, et quidem, titulo VII, *de matrimonio;* liber quartus tractat *de processibus,* et in parte prima (de judiciis) inseritur titulis XX *de causis matrimonialibus;* tandem liber quintus inscribitur *de delictis et poenis.*

Prae caeteris nostram materiam spectat titulus VII partis primae libri secundi, in quo titulo, 12 successivis capitibus, a can. 1012 ad can. 1143, tractatur 1/ de matrimonio praemittendis; 2/ de impedimentis in genere; 3/ de impedimentis impedientibus; 4/ de impedimentis dirimentibus; 5/ de consensu matrimoniali; 6/ de forma celebrationis matrimonii; 7/ de matrimonio conscientiae; 8/ de tempore et loco celebrationis matrimonii; 9/ de matrimonii effectibus; 10/ de separatione conjugum; 11/ de matrimonii convalidatione; 12/ de secundis nuptiis.

---

(1) De historia Codicis, ejus exteriori ordine ac vi juridica cf. De Meester, *Juris canonici compendium,* Brugis, I (1921), p. 49 ss., coll. *Collat Brug.,* XX, p. 35 ss. Cf. etiam Stutz, *Der Geist des Codex juris canonici (Kirchenrechtliche Abhandlungen),* Stuttgart, 1918; Scharnagl, *Das neue kirchliche Gesetzbuch,* Regensburg, 1918.

(2) Constitutio Pii X, *Arduum sane,* 19 Martii 1904.

(3) Editio typica authentica Codicis vulgata fuit in A. A. S., IX, (1917).

Specialem etiam attentionem merentur, praeter generales canones, a 1° scil. usque ad 7^m^, libri primi titulus IV *de rescriptis,* ac titulus VI *de dispensationibus;* priores etiam canones (88-97) libri secundi de personis, necnon ejusdem libri secundi titulus V *de potestate ordinaria et delegata* (can. 196-210); ac tandem citatus titulus XX partis primae libri quarti (can. 1960-1992).

Probe autem notetur quod, si, juxta dicta, Codex sit Collectio authentica (quatenus scil. omnes canones in illa contenti, sic ut digesti sunt, vim legis habeant), eaque unica (ad exclusionem scil. omnium aliarum collectionum, quae ipso facto abrogatae sunt), inde non sequitur jus hucusque vigens, sive commune sive particulare, ac collectiones jus illud anterius exhibentes, jam non esse attendenda.

Primò namque nonnulla ex veteri jure retinentur in usu; secundò, jus antea vigens in multis est adhibendum pro interpretatione doctrinali novi Codicis. Et quidem

1° Quod spectat dispositiones e veteri jure retentas:

a/ *Privilegia ac indulta,* a S. Seede concessa et non revocata, « integra manent, nisi hujus Codicis canonibus expresse revocentur ». Can. 4.

b/ *Consuetudines,* sive universales sive particulares, contra Codicis statuta vigentes, si sunt centenariae vel immemorabiles (1), et canonibus expresse non reprobantur, « tolerari possunt, si Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis existiment eas prudenter submoveri non posse » (2). Can. 5.

c/ *Leges disciplinares,* quales sunt leges matrimoniales, vim suam servant si in Codice saltem *implicitè* memorantur, i. e. si in aliqua canonis dispositione supponuntur vel ad illas remittitur, quales sunt normae generales vel particulares in Dicasteriis Romanis servandae (c. 243, § 1); item normae servandae in stylo Curiae (c. 42, § 1). Ita Can. 6. n. 6.

2° Quod spectat doctrinalem interpretationem Codicis:

Praemisso, in capite can. 6, principio generali, quod « Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet »:

a/ « Canones qui jus vetus ex integro referunt, ex veteris juris auctoritate... sunt aestimandi ». Can. 6, n. 2.

b/ « Canones qui ex parte tantùm cum veteri jure congruunt, qua congruunt, ex jure antiquo aestimandi sunt ». Can. 6, n. 3.

c/ « In dubio num aliquod canonum praescriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum ». Can. 6, n. 4.

Quibus attentis, liquet fontes anteriores juris adhuc esse scrutandos tum ut compleatur jus in Codice conditum, tum praesertim ut inserviant tanquam instrumentum interpretationis doctrinalis pro Codice interpretando. Ut autem facilius prae manibus habeantur fontes ex quibus cano-

(1) Dicimus: centenariae *vel* immemorabiles, licet tenor canonis habeat: centenariae *et* immemorabiles; hanc enim formulam suminus conformiter ad alios canones eamdem materiam spectantes, signanter cann. 27 et 30.

(2 Agitur de consuetudinibus non modò contra jus antea vigens et a Codice confirmatum, sed et de consuetudinibus vigentibus contra jus de novo inductum: loquitur enim can. 5, absque ulla restrictione, de consuetudinibus vigentibus « contra horum statuta canonum ». Contra *Collat. Brug.,* 1920, p. 46.

nes Codicis hausti sunt, opportunum censuit Card. Gasparri Collectionem edere in qua reperiantur dicti fontes ordine digesti, ita ut praecedant concilia, et successive sequentur acta Pontificum et decisiones SS. Congregationum, Tribunalium (1), et Officiorum Curiae Romanae (2).

§ 2. Fontes veteris juris.

Praeter varia statuta legis naturalis ac legis positivae divinae, in SS. Litteris contenta, *fontes veteris juris matrimonialis* prae caeteris constituunt: *primò*, quoad *jus commune*, decreta Conciliorum oecumenicorum ac SS. Pontificum, necnon decisiones RR. Congregationum; *secundò*, quoad *jus particulare*, decreta conciliorum particularium, ac variae ordinationes dioecesanae: quae etiam utiliter attenduntur non modò qua normae praeceptivae pro locis quae ipsis directè subsunt, sed etiam qua normae directivae ad enodanda dubia coram jure communi nondum soluta.

I. Jus commune.

A. Decreta Conciliorum et SS. Pontificum.

Pleraque decreta conciliaria et pontificia exhibent variae collectiones (3), quales sunt.

1° Acta Conciliorum:

Harduinus, *Acta Conciliorum et epistolae decretales ac constitutiones SS. Pontificum*, Parisiis, 1715 (pertingit ad annum 1672), 12 vol. in fol (4).

Theiner, *Acta genuina Concilii Tridentini*, Zagrabiae, 1874, 2 vol. in 4° (5).

Collectio Lacensis, *Acta et decreta sacrorum Conciliorum recentiorum*, Friburgi Br., 1870-1890 (usque ad Conc. Vaticanum) — 7 vol. in fol.

---

(1) Cura ipsius Tribunalis S. Rotae, hujus *Decisiones* seu *Sententiae* ex ordine eduntur quae, inde ab anno 1909 inclusive, prolatae sunt. Nonum volumen prodiit anno 1925, exhibens decisiones anni 1917.

(2) Uti Card. Gasparri monet in praefatione, « in hac Collectione ex industria praetermissi sunt fontes deprompti e veteri Corpore Juris canonici, ex Concilio Tridentino et ex quatuor libris liturgicis (Pontificali Romano, Missali Romano, Caeremoniali Episcoporum, Rituali Romano), quippe quos unumquemque juris studiosum habere decet ». — Primum volumen prodiit anno 1923; secundum, anno 1924; tertium, anno 1925; quartum, anno 1926: exhibet hoc quartum volumen decreta C. S. Officii et Acta S. C. Episc. et Regularium.

(3) *Canones Apostolorum*, qui constant pluribus regulis ex variis fontibus decerptis et primitivae Ecclesiae usu consecratis, non ubique reperiuntur in majoribus collectionibus; eas refert et explicat Palmieri, *Tractatus de matrimonio christiano*, ad calcem.

(4) Praeter editionem Harduini, citari posset etiam editio Labbei et Gossartii: *Sacrosancta Concilia ad Regiam editionem exacta*, Lutetiae Parisiorum, 1671-1672, 18 vol. in folio: ac editio Mansi: *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio*, Florentiae et Venetiis, 1759-1798, 31 vol. in fol., quae editio continuatur Parisiis et jam complectitur 47 vol. Cf. et Héfélé, *Histoire des Conciles*, ed. Goschler et Delarc, Paris 1869; cujus historiae novam editionem parat Domn. Leciercq, edito primo volumine anno 1907, apud Letouzey et Ané, Parisiis.

(5) Nova et amplissima paratur editio Actorum Conc. Tridentini ac jam edi coepit sub titulo: *Concilium Tridentinum — Diariorum, actorum, epistularum, tractatuum nova Collectio*, Friburgii Br., 1901. Hucusque prodierunt; pars 1ª et 2ª Diariorum; pars 1ª, 2ª et 8ª Actorum; pars 1ª Epistolarum: quae partes respective constituunt tomos 1m, 2m, 4m, 5m, 8m et 10m. Totum opus complectetur 12 tomos.

2° **Bullaria:**

Bullarum, privilegiorum ac diplomatum Rom. Pontificum amplissima Collectio, opera *C. Cocquelines,* Romae, 1733 ss. — Pertingit a Leone Magno ad Benedictum XIV exclusive (1740), 28 vol. in fol (1).

Bullarium Benedicti XIV, Mechliniae, 1826, 13 vol. in 12°.

Bullarii Romani Continuatio (a Clemente XIII ad Gregorium XVI inclusive, opera *Barbéri* et *Spetia* (1-5 vol.) necnon *R. Segreti* (6^{m} vol. et seq.), Romae, 1835-1859 — 20 vol. in fol.

Acta Gregorii XVI (Romae, 1904); *Pii IX* Romae, 1848-1865, 3 vol.; *Allocutiones, epistulae, constitutiones aliaque acta praecipua Leonis XIII* (1878-1900), Brugis, 7 vol. in 8°; *Acta* Pii X (editio officialis, juxta rescriptum 26 Dec. 1913).

Inter acta et constitutiones RR. Pontificum notatu digniora sunt, in re matrimoniali: Constitutiones *Pii V, Sanctissimum,* 20 Aug. 1566; *Ad Romanum Pontificem,* et *Cum illius,* 28 Nov. 1566; *Ad Romanum,* 1 Juli 1568; Constit. *Sixti V, Cum frequenter,* 22 Juni 1587; Constit. *Bened. XIV, Dei miseratione,* 3 Nov. 1741; *Matrimonia,* 4 Nov. 1741; Constit. *Pii VI, Auctorem fidei,* 28 Aug. 1794; *Pii IX Syllabus;* Constit. *Leonis XIII, Arcanum,* 10 Febr. 1880.

3° **Corpus Juris,** quod complectitur:

a/ *Decretum Gratiani* (2) seu Concordiam discordantium canonum (3), in quo decreto de matrimonio agitur in 2ª Parte, *Causa* XXVII —XXXVI.

b/ *Decretales Gregorii* (4), in quinque libros divisas, quorum liber quartus afficit matrimonium.

c/ *Librum sextum Decretalium* Bonifacii VIII. ubi, in libro quarto, triplici titulo tractatur de matrimonio.

d/ *Constitutiones Clementinas,* quarum librum quartum complet unus canon unius tituli (5).

NOTA 1. Utilitati etiam esse possunt *Compilationes antiquae,* quae numero quinque successive praecesserunt collectionem Decretalium Gregorii IX.

2. Usi sumus critica editione *Æm. Friedberg,* tum pro Compilationibus antiquis (6), tum pro Corpore Juris (7).

---

(1) Inde a vol. 6° titulum sumpsit; *Bullarium Romanum.* Bullarii a Cocquelines editi prodiit nova editio, opera *Thomasetti,* cum continuatione protracta a Benedicto XIV usque ad Leonem XIII (1885).

(2) Hanc amplissimam canonum et decretorum collectionem praecesserant plures compilationes minoris momenti, inter quas eminent *Buchardi Wormatensis Decretorum libri* XX, et *Panormia Ivonis Carnutensis* (ll. 6 et 7 spectant conjugium). Est collectio *privata.* Cf. *Dict. de théologie,* V° Gratien - t. VI, (Villien et de Ghellinck); DE MEESTER, o. c., I, p. 32 ss., coll. p. 18 ss., ubi de collectionibus Decreto Gratiani anterioribus.

(3) Non modò est collectio canonum et decretorum Ponitficum, sed simul constituit tractatum canonicum, maxime in *Dictis.*

(4) Praesertim referunt canones et decreta lata inde a Gratiano, necnon illa quae apud Gratianum deficiunt. — Est collectio authentica, ita ut leges et dispositiones in lla contentae eo ipso vim legis habuerint in forma, juxta quam insertae sunt in collectione, non vero juxta formam originariam. Idem dicendum de libro sexto Decretalium ac de Clementinis.

(5) *Extravagantes* nihil habent circa matrimonium: liber quartus vacat.

(6) *Quinque Compilationes antiquae, necnon Collectio canonum Lipsiensis,* Lipsiae, 1882, 1 vol. in 4°.

(7) *Corpus Juris Canonici,* Lipsiae, 1879-1881, 2 vol. in 4°.

3. Citatur *Decretum Gratiani:* c. 1, C. XXX, 3 = capite 1, Causa XXX, quaestione 3ia. Citantur *Compilationes:* Comp. I (prima), c. (capite) 3, IV (libro), 3 (titulo); *Decretales Gregorii IX:* c. 2, X, IV, 3 = capite 2, libro quarto, titulo tertio, ita ut X designet Decretales Gregorii (1); *Liber sextus Decretalium:* c. 2, in VI°, IV, 3; *Constitutiones Clementinae:* c. un., in Clem., IV, 1.

4. Pleraque canones et decreta, quod substantiam attinet, reperiri possunt apud DENZINGER, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum,* ed. 10a (Bannwart), Friburgi Br., 1911; cf. etiam SCHNEIDER, *Fontes juris ecclesiastici novissimi,* Ratisbonae 1895.

Nota. Textus e SS. Patribus et scriptoribus ecclesiasticis passim desumuntur ex MIGNE, *Patrologiae Cursus completus,* cujus una series (162 vol.) exhibet scripta Graecorum, altera (221 vol.) scripta Latinorum. Pro citandis Patribus apostolicis recurrimus ad editionem alteram FUNK, *Opera Patrum apostolicorum,* 2 vol., Tubinguae, 1887 (3ia editio prodiit in 1901). Juvat etiam notare editum esse a ROUET DE JOURNEL *Enchiridion Patristicum,* Friburgi Br., 1911, et a KIRSCH *Enchiridion fontium historiae Ecclesiae antiquae,* 2a ed., Friburgi Br., 1914.

B. **Decreta RR. Congregationum.**

Inter haec praeprimis attendendae sunt decisiones S. C. Concilii, C. S. Officii et S. C. de Prop. Fide, ac etiam recenter institutae S. Congr. de Sacramentis. Reperiuntur partim in variis Collectionibus, quales praecipuae sunt *Thesaurus resolutionum S. Congr. Concilii* (inde ab anno 1718), Romae, 1739-1903, (162 vol.); PALLOTINI, *Collectio omnium conclusionum et resolutionum quae in causis propositis apud S. Congr. Concilii prodierunt ab a.* 1564 *ad a.* 1860, Romae, 1867-1893, (17 vol.); *Collectanea S. Congr. de Propaganda Fide,* Romae, 1893 (2); partim apud periodica, uti *Acta S. Sedis, Analecta Juris Pontificii, Canoniste Contemporain, Il Monitore ecclesiastico, Analecta ecclesiastica,* et alia inferius citanda. Inde a 1° Jan. 1909, acta S. Sedis et varia documenta Romana consignantur in Commentario Officiali, cui titulus *Acta Apostolicae Sedis.*

NOTA. Praeter acta Conciliorum et SS. Pontificum ac decreta RR. Congregationum, utiliter etiam attenduntur, pro jure communi, *Rituale Romanum* necnon *Catechismus Concilii Tridentini.*

Ulterius circa fontes juris matrimonialis consulantur: GALANTE, *Fontes juris canonici selecti,* Œniponte, 1906; TARDIF, *Histoire des sources du droit canon,* Paris, 1889; LAURIN, *Introductio in corpus juris canonici cum appendice brevem introductionem in corpus juris civilis continente,* Friburgi Br., 1889; VERING, *Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrecht,* Freiburg in B., 1893, p. 37-389; VIOLLET, *Histoire du droit civil français,* 2 éd., Paris, 1893, Livre 1er: Les sources; WERNZ, *Jus Decretalium,* I, Romae, 1898; SÄGMÜLLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* Freiburg i. B., ed. 2a, 1909; DE MEESTER, *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium,* Tom. I, Brugis, 1921.

---

(1) Ly X est contractio vocis *Extra,* quo nomine antiquitus designabantur Decretales Gregorii, utpote versantes extra Decretum Gratiani.

(2) Altera prodiit editio, duobus voluminibus et ordine chronologico confecta, Romae 1907; utimur tamen passim editione priori, utpote magis vulgata et usui melius accomodata; quodsi exceptionaliter recurrimus ad editionem alteram, hanc notamus: *Collectanea*^{2}.

Conférences ecclésiastiques de Paris sur le Mariage, 5 vol., Paris, 1775.

DAY, *Marriage, divorce and morality,* London, 1912.

DE ANGELIS, *Praelectiones juris canonici,* Romae, 1880, Tom. III[a].

* DE BECKER, *De Sponsalibus et Matrimonio — Praelectiones canonicae,* 2[a] ed., Lovanii, 1903.

DE MEESTER, *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium,* tom. I, 1921; tom. II, 1923, Brugis.

DE LUCA, *Summa Praelectionum in libros Decretalium,* Prati, 1904.

DE SMET, *Praxis matrimonialis ad usum parochi et confessarii,* Brugis, 1920.

DEVINE, *The law of christian marriage according to the teaching and discipline of the catholic Church,* 2[nd] ed., London, 1909.

DURIEUX, *Le Mariage en droit canonique,* Paris, 4[e] éd., 1924.

Encyclopedia Britannica (The), 11[th] ed., Cambridge, V° *Divorce,* vol. VIII (1910), p. 334-346 et V° *Marriage,* t. XVII (1911), p. 753-759.

ENGLMANN, *Katholisches Eherecht* (bearbeitet von L. KINGL), Regensburg, 1901.

Examen du pouvoir législatif de l'Eglise sur le mariage, Paris, 1817.

FAGNANUS, *Jus canonicum, sive commentaria absolutissima in quinque libros decretales,* Coloniae, 1676-1682, 3 vol. — In L. IV[m].

FAHRNER, *Das Eherecht im neuen kirchlichen Gesetzbuch,* Strassburg, 1918.

FARRUGIA, *De matrimonio et causis matrimonialibus,* Taurini-Romae, 1924.

FERRARIS LUCIUS, *Prompta bibliotheca,* Migne, 1852-1858, cum supplemento, Romae, 1899: V° *Matrimonium, Sponsalia.*

* FERRERES, *Los esponsales y el matrimonio,* 5[a] ed., Madrid, 1911.

* FEYE, *De Impedimentis et dispensationibus matrimonii,* Lovanii, 4[a] ed., 1893.

FOURNERET, *Le mariage chrétien,* Paris, 1919.

* GASPARRI, *Tractatus canonicus de Matrimonio,* Parisiis, 3 ed., 1904, 2 vol.

GERBAIS, *Traité du pouvoir de l'Eglise et des Princes sur les empêchements du mariage,* Paris, 1698.

GERLACH, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* Paderborn, 1890.

GENNARI-BOUDINHON, *Consultations de morale, de droit canonique et de liturgie,* 1[re] Partie: *Morale,* 2 vol., Paris, 1907. Consultations, 20, 41, 42, 46, 118, 119, 125, 127, 128, 135. — 2[e] Partie: *Droit canonique,* 2 vol., Paris, 1907. Consultations, 6, 64, 66 et 71. — *Questions de morale, de droit canonique et de liturgie,* Paris, 1912, 6 vol.

GÖLLER, *Das Eherecht im neuen kirchlichen Gesetzbuch,* Freiburg i. B., 1918.

HARING, *Grundzüge des katholischen Kirchenrechtes,* Graz, 1910, 2[e] Aufl., 1924, p. 376-557.

— *Das Eherecht auf grund des Codex Jur. can.,* Lintz, 1918.

HEINER, *Grundriss des katholischen Eherechts,* 6 Aufl., Münster, 1910.
HERGENRÖTHER-HOLLWECK, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts, Freiburg* i. B., 1905.
HILLING, *Das Eherecht des Codex juris canonici,* Freiburg i. B., 1927.
Instructions du Vicariat de Rome sur la célébration des mariages (18 Mars 1908), apud *Canon. contemp.,* 1911, p. 393-611.
Instructio pastoralis Eystettensis, Tit. XII[s]: *De sacr. matr.,* p. 315-439, 5[a] edit., Friburgi Br.
Jurisdiction de l'Eglise sur le contrat de mariage (de la), Paris, 1824.
KNECHT, *Grundriss des Eherechts,* Freiburg i. B., 1918.
KURTSCHEID, *Das neue Kirchenrecht,* Paderborn, 1921.
KUTSCHKER, *Das Eherecht der katholischen Kirche nach seiner Theorie und Praxis,* 5 B., Wien, 1856-1857.
LACEY, *Marriage in Church and State,* London, 1912.
LAURENTIUS, *Institutiones juris ecclesiastici,* 2[a] ed., Friburgi Br., 1908.
— *Conspectus Codicis juris canonici.* — Supplementum ad Instit., Friburgi Br., 1919.
LAURIN, *Introductio in jus matrimoniale,* Vindobonae, 1895.
LEHMKUHL, *Quaestiones praecipuae morales novo juri canonico adaptatae,* Frib. Br., 1918.
* LEITNER, *Lehrbuch des katholischen Eherechts,* Paderborn, 3[a] Aufl., 1920.
— *Handbuch des katholischen Kirchenrechts,* 4[a] Lieferung: *Sakramente,* Regensburg, 1921.
* LINNEBORN, *Grundriss des Eherechts nach dem Codex jur. can.,* Paderborn. 1919.
MAROTO, *Institutiones Juris canonici ad normam novi Codicis,* II, Matriti, 1919.
* MARTIN, *De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli propria,* Lugduni-Parisiis, 1844, 2 vol.
MEYER, *Institutiones juris naturalis,* Pars II[a], Friburgi Br., 1900.
MICHEL, *Questions pratiques sur le mariage dans les missions,* Maison-Carrée, 1903.
Monita ad missionarios Provinciae Nankinensis, Zi-ka-wey, 1899.
MONSABRÉ, *Le mariage,* petite édition, Paris, 1899.
MOSER, *De impedimentis matrimonii,* Mechliniae, 1847.
MUSCETTULA, *Dissertatio theologico-legalis de sponsalibus et matrimoniis quae a filiis-familias contrahuntur parentibus insciis vel juste invitis, Bruxellis,* 1766.
NOLDIN, *De Jure matrimoniali juxta Codicem J. C.,* Lincii, 1919.
* OJETTI, *Synopsis rerum moralium et juris pontificii,* 3[ia] editio, Romae, 1909-1914.
PALMIERI, *Tractatus de matrimonio christiano,* Romae, 1880.
PAUWELS, *Magnum matrimonii sacramentum reductum in casus,* Lovanii, 1759-1760, tom. I et II.

PERRONE, *De matrimonio christiano,* 3 vol., Leodii, 1861.
PIGHI, *De sacramento matrimonii,* Veronae 1919.
POURRAT, *La théologie sacramentaire,* Paris, 1907 (2e édition en 1909.
PRÜMMER, *Brevis conspectus mutationum,* Friburgi Br., 1917.
— *Manuale juris ecclesiastici,* Friburgi Br., 1920.
* REIFFENSTUEL, *Jus canonicum universum — In l. IV, cum appendice de dispensatione super impedimentis matrimonii... de revalidatione matrimonii,* Venetiis, 1726.
RIVE-UMBERG, *Die Ehe im dogmatischer, moralischer und sozialer Beziehung,* Pustet, 1921.
* ROSSET, *De sacramento matrimonii, tractatus dogmaticus, moralis, canonicus, liturgicus et judiciarius,* 6 vol., Parisiis, 1895-1896.
* SÄGMULLER, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* IV Buch, Freiburg i. Br., 1909.
SALMANTICENSES, *Cursus theologiae moralis* — Tract. IX, *De matrimonio,* Lugduni, 1879.
* SANCHEZ, *Disputationum de s. matrimonii sacramento libri tres,* Antverpiae, 1607.
SANTI, *Praelectiones juris canonici juxta ordinem Decretalium,* Ratisbonae, 1886, L. IVs.
SCHAEPMAN, *Codex en huwelijksrecht,* Utrecht, 1918.
SCHÄFER, *Das Eherecht nach dem Codex juris canonici,* Münster W., 8e u. 9e Aufl., 1924.
SCHARNAGL, *Das neue kirchliche Gesetzbuch,* München, 1918.
SCHEICHER-BINDERS, *Praktisches Handbuch des katholischen Eherechts,* Freiburg i. B., 1891.
* SCHERER von, *Handbuch des Kirchenrechts,* Grag, 1898-IV Buch.
SCHMALZGRUEBER, *Jus ecclesiasticum universum* — Liber IVs: *Sponsalia et matrimonium,* Ingolstadii, 1716.
SCHMITT, *Supplementum ad Summam theol. mor. Noldin,* Œniponte, 1918.
* SCHNITZER, *Katholisches Eherecht,* Freiburg i. Br., 1898 (juxta 4m editionem WEBER, *Die Canonische Ehehindernisse*).
SCHULTE, *Handbuch des katholischen Eherechts,* Giessen, 1855.
SICA, *Casus conscientiae resoluti in missione Kiang-Nan,* ed. 3a, Chan-Hai, 1895.
SILBERNAGL, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts,* 2e aufl., Regensburg, 1890 (4e aufl.: 1903).
STAAB, *Ergänzungen zur Moraltheologie von Göpfert,* Paderborn, 1918.
TANQUEREY, *Synopsis theologiae moralis* Tom I: — *De Poenitentia, de matrimonio, de Ordine,* ed. 7a, Romae, 1920.
— *The new canon law in its practical aspects* (extractum ex *Eccles. review,* 1917-1918), Philadelphia, 1918.
* THEOLOGIA MECHLINIENSIS, *Tractatus de sponsalibus et matrimonio,* 6a ed., Mechliniae, 1911.
TOSO, *Ad Codicem J. C. commentaria minora,* L. I: *Normae generales;* L. II: *De Personis,* tom. I et II, Taurini-Romae, 1921-1923.

TRAMPE, *Tractatus de matrimonio* (Berthier), ed 5ª, Graviae, 1911.

* TRIEBS, *Praktisches Handbuch des geltenden kanonischen Eherechts in Vergleichung mit dem deutschen staatlichen Eherecht*, I, Breslau, 1925.

VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de Théologie catholique*, Paris: V° *adultère, célibat, divorce*, etc.

* VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, *Tractatus de matrimonio*, 3ª edit., 1ᵐ vol., Ultrajecti, 1908.

VAN MESSEN, *Codex juris canonici abbreviatus*, Mechliniae, 1918.

VERING, *Lehrbuch des katholischen, orientalischen und protestantischen Kirchenrechts*, Freiburg i. B., 1893.

VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome juris canonici*, Mechliniae-Romae, 1925, II, n. 273-460.

VERMEERSCH, *Theologiae moralis principia, responsa, consilia.* — Tom. III — Tract. VIII: *De matrimonio*, Brugis, 1923.

VICTORIUS AB APPELTERN, *Manuale missionariorum* — Pars 3ª: *De matrimonio*, 2ª ed., Brugis, 1911.

VLAMING, *Praelectiones juris matrimonii ad normam Codicis juris canonici*, Tomus I, Bossum, 1919, et Tomus II, 1921.

VOGT, *Das kirchliche Eherecht*, 3ᵉ Auflage, Cöln, 1910.

WELTZER u. WELTE, *Kirchenlexikon*, V° *Ehe, Ehescheidung, Ehehindernisse, Eheverlöbniss.*

WERNZ, *Jus Decretalium* — T. IV: *Jus matrimoniale Ecclesiae catholicae*, Prati, 1911-1912.

* WERNZ-VIDAL, *Jus canonicum* — Tom. V: *Jus matrimoniale*, Romae, 1925.

C. WILLEMS, *Philosophia moralis*, Treviris, 1908.

ZHISHMAN, *Das Eherecht der Orientalischen Kirche*, Wien, 1864.

ZITELLI, *Apparatus juris ecclesiastici*, 3ª ed., Ratisbonae, 1903.

2. Speciales.

AERTNYS, *Bruidexamen en Bruidsonderricht* — N. K. Stemmen, 1906, p. 67 ss.

ALBERTI, *Commentarium in recens decretum de sponsalibus et matrimonio*, Romae, 1908.

APPELMAN, *Vóór en in het Huwelijk — Onderrichtingen voor verloofden en gehuwden*, Kevelaar, 1907.

ARENDT, *Analysis theologico-canonica Decreti* Ne temere *De sponsalibus et matrimonio*, Romae, 1909; item apud *Analecta ecclesiastica*, 1908 et 1909.

— *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum*, Romae, 1913.

— *Circa controversam validitatem matrimonii feminae excisae — Diatriba pro sanctitate pacti conjugalis*, Romae, 1923.

— *De absoluta inhabilitate sterilium ad matrimonium* — Apud *Jus Pontificium*, 1925, p. 77-100.

ARQUER de, *Novissima disciplina sobra Esponsales y Matrimonio,* 2ª ed., Barcelona, 1910. — *Supplemento,* 1911.

ARRIBAS, *Exposicion documentada y completa del Decreto « Ne temere »,* Madrid, 1911.

BAIER, *Die Naturehe,* Regensburg, 1886.

BALLET, *Dissertatio canonica de potestate Ecclesiae in statuendis matrimonii impedimentis,* Argentorati, 1785.

BALOG, *Die Eheformvorschriften der Dekrete* Tametsi *und* Ne temere *und die Bestrafung der Religiondieners wegen Vollzugs der Trauung vor dem Nachweis der Zivilehe,* Stuttgart, 1910.

BANGEN, *Die Römische Curie,* Münster, 1854.

* BASSIBEY, *Le Mariage devant les tribunaux ecclésiastiques,* Paris, 1899.

— *De la clandestinité dans le mariage,* Paris, 1904.

BESSON, *De la publicité des fiançailles et du mariage dans la nouvelle législation* — N. R. théol., t. XXXIX (1907), p. 608-620; t. XL (1908), p. 20-36, 75-91, 142-170 et p. 276-297, 650-668, 724-737.

BÖCKENHOFF, *Die Unauflöslichkeit der Ehe* (Glaube und Wissen), München, 1908.

— *Das neue Kirchengesetz betr. die Form der Eheschliessung* — Strassb. Diözesanblatt, 1907, p. 550 ss.; 1908, p. 196 ss. und 532 ss.

— *Reformehe und christliche Ehe,* Köln, 1912.

BONOMELLI, *Il Divorzio,* Roma, 1910.

BORNTRAEGER, *Der Geburtenrückgang in Deutschland — Seine Bewertung und Bekämpfung,* Würzburg, 1913.

* BOUDINHON, *Le mariage et les fiançailles,* 8ᵉ éd. (*Ne temere*) Paris, 1912.

— *Le Mariage religieux et les procès en nullité,* Paris, 1900.

BOVENS, *Du Divorce civil,* Bruxelles, 1904.

BRILLAUD, *Traité des empêchements et des dispenses de mariage,* Paris, 1871.

CAILLAUD, *Manuel des dispenses, à l'usage du curé, du confesseur et de l'official,* 5ᵉ éd., Paris, 1882.

CHABANGO, *Le Mariage des infidèles,* Yokohama, 1913.

CHOUPIN, *Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du Saint-Siège,* Paris, 1907.

— *Les fiançailles et le mariage,* 2ᵉ éd., Paris, 1911.

COLLET, *Traité des dispenses,* 3 vol., Louvain, 1760.

CREAGH, *A Commentary on the Decree « Ne temere »,* Baltimore, 1908.

CRONIN, *The new matrimonial legislation,* 1ⁿᵈ ed., London, 1909.

CIGOI, *Die Unauflösbarkeit der christlichen Ehe und die Ehescheidung nach Schrift und Tradition,* Paderborn, 1895.

— *Das Dispenswesen in Ehesachen* (Anzeigeblatt f. d. Erzdiözese Freiburg) — Archiv f. k. Kirchenr., 1912, p. 490-505.

DE BECKER, *Legislatio nova de forma substantiali quoad sponsalia et matrimonium,* Lovanii, 1908.

* De Justis, *De dispensationibus matrimonialibus,* Lucae, 1691.
Delassus, *L'Antériorité des formalités civiles sur le sacrement dans le mariage,* Lille, 1906.
De Meester, *De reformatione Curiae Romanae,* Brugis, 1909.
Denner, *Die Ehescheidung in neuen Testamente — Die Auslegung der neutestamentlichen Schrifttexte ueber die Ehescheidung bei den Vätern, historisch-kritisch dargestellt,* Paderborn und Würzburg, 1910.
Deshayes, *Questions pratiques de droit et de morale sur le mariage* (clandestinité), Paris, 1898.
De Smet, *Commentarius in decretum de sponsalibus et matrimonio,* Brugis, 1908.
— *Over de echtscheiding,* Brugge, 1911.
Desplats, *De la dépopulation par l'infécondité voulue* — Extractum ex opella: *Pour l'honnêté conjugale,* p. 31-67, Louvain 1910.
Detzel, *Kurze systematische Erklärung der Dekrete* Ne temere *und* Provida, Passau, 1908.
Didon, *Indissolubilité et divorce,* 5e éd., Paris, 1880.
Di Pauli, *Kommentar zum Decrete Ne temere,* Gratz u. Wien, 1909.
Domaica, *Decreti* « Ne temere » *de sponsalibus et matrimonio commentarius canonico-moralis,* Victoriae 1908.
Durieux, *Les Dispenses matrimoniales — Étude historique, théorique et pratique,* Le Puy, 1913.
Ehrler, *Glückliches Eheleben — Ehelehre,* Mergentheim, 1911.
Eichmann, *Das katholische Mischeherecht nach dem Codex Juris canonici, Paderborn,* 1921.
Esser, *Zending en polygamie,* Baarn, Hollandia-drukkerij, 1905.
Ferreres, *La Curia Romana segun la noviisima disciplina decretada por Pio X,* Madrid, 1911.
— *De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae,* ed. altera, Madrid, 1913.
Feye, *Dissertatio canonica de matrimoniis mixtis,* Lovanii 1847.
Fischer, *Ehe und Jungfraulichkeit im Neuen Testament,* Münster i. W., 1919.
Fleiner, *Obligatorische Civilehe und katholische Kirche,* Leipzig, 1890.
Formula apostolicae Datariae pro matrimonialibus dispensationibus, Romae, 1901.
Forstmann en Ausems, *Het Neo-Malthusianisme,* Utrecht, 1911.
* Fourneret, *Le domicile matrimonial — Principes juridiques, évolution historique,* Paris, 1906.
Gennari, *Breve commento della nuova legge sugli sponsali e sul matrimonio,* Romae, 1908.
Gibier (Mgr.), *Famille,* Paris, 1908.
Gigot, *Christ's teaching concerning divorce in the New Testament,* New-York, 1912.

* GIOVINE, *De dispensationibus matrimonialibus,* 2 vol., Neapoli, 1863.
GONTHIER, *La publicité des mariages — Commentaire du décret « Ne temere »,* Montreal, 1908.
GRANDCLAUDE, *Règles pratiques touchant la coopération au divorce civil,* Paris, 1887.
GUTMANN, *Glückliches Eheleben — Erziehungslehre,* Mergentheim, 1911.
HAMBURGER, *Het vrije huwelijk* (*Pro,* in *Pro en Contra* uitgave), *Baarn,* 1905.
HARING, *Das neue Ehedekret Ne temere,* Graz, 1907.
HEINER, *Gültigkeit oder Ungültigkeit der Zivilehen, mit besonderer Rücksicht auf Deutschland* — Archiv. f. k. Kirchenr., 1909, p. 471-491.
— *Das neue Verlöbnis-und Eheschliessungsrecht,* Münster, 1908.
HEUSER, *De potestate statuendi impedimenta dirimentia pro fidelium matrimoniis soli Ecclesiae propria,* Lovanii, 1853.
HILLING, *Die Romische Curie,* Paderborn, 1906.
— *Die Reformen des Papstes Pius X auf dem Gebiede der kirchenrechtlichen Gesetzgebung,* Bonn, 1908.
— *Studien zum Eherecht des Codex juris canonici* — Archiv. f. k. Kirchenr., 1922, p. 3-24.
HITZE, *Geburterückgang u. Sozialreform,* Gladbach, 1922.
HIZETTE, *Les Fiançailles et le mariage,* Namur, 1908.
HOLLWECK, *Das Civileherecht des Bürgerlichen Gesetzbuchs, dargestellt im Lichte des canonischen Eherechts,* Mainz, 1900.
IGLESIAS, *Brevis commentarius in Facultates quas S. C. de P. F. dare solet missionariis,* Taurini-Romae, 1924.
Instructiones contra vitium onanismi ab Episcopis Belgii parochis et confessariis propositae — Collationes Brugenses, t. XIV, 1909, p. 453-461.
Instructio pro confessariis de usu et abusu matrimonii (Episcoporum Germaniae) — pro manuscripto, Köln.
JODER, *Formulaire matrimonial,* 3e éd., Paris, 1891.
KAAS, *Kriegsverschollenheit und Wiederverheiratung nach Staatlichem und kirchlichem Recht,* Paderborn, 1919.
KARST, *Commentar zu dem Dekrete über die Form der Verlöbnisse und der Eheschliessung,* Limburg, 1908.
KIEFER, *Nova decreta de sponsalibus et matrimonio,* Eystadii, 1910.
KISELSTEIN, *A propos du divorce civil* — Extrait de la Revue eccl. de Liége, 1924.
KLARMANN, *The Crux of Pastoral Medecine,* New-York, 1912.
KNECHT, *Die neue eherechtliche Dekrete,* Köln, 1908.
KNOCH, *La nouvelle législation canonique concernant les fiançailles et le mariage* — R. eccl. de Liége, t. III, p. 222 ss., 277 ss., 341 ss., et t. IV, p. 12 ss.
— *L'Onanisme conjugal et le tribunal de la Pénitence,* Liége, 1914.
— *L'Éducation de la chasteté,* Liége, 1914.

KORUM, *Hirtenbrief ueber die gemischten Ehen,* vom 16 Januar 1903, Trier.

KRICK, *Der kirchliche Brautunterricht,* 4 aufl. Kösel'sche Buchhandl., Kempten.

LAVIALLE, *Décisions Romaines sur le divorce civil,* Périgueux, 1899.

LE BEC, *Procès en nullité de mariage et en dispense de mariage non consommé,* Bourges, 1914.

* LEGA, *Praelectiones de judiciis ecclesiasticis,* l. II[a], vol. IV[m] (in specie Part. III, tit. VII): *De Processu judiciali in causis matrimonialibus.*

LEINZ, *Der Ehevorschrift des Concils von Trient — Ausdehnung und heutige Geltung,* Freiburg i. G., 1888.

LEITNER, *Die tridentinische Eheschliessungsform nach der Konstitution Pius X* Provida, Regensburg, 1906.

— *Die Verlöbungs-und Eheschliessungsform,* Regensburg, 1908.

LEMOZIN, *La natalité en France et à l'étranger* — Etudes, t. CXXIX (1911), p. 771-749).

MCNICHOLAS, *The new legislation on engagements and marriage,* Philadelphia, 1908.

MELATA, *De potestate qua matrimonium regitur et de jure matrimoniali civili apud praecipuas nationes,* Romae, 1903.

MERCHELBACH, *Quaestiones de castitate et luxuria,* Liége, 1926.

MERCIER. (Card.), *Lettre Pastorale de* 1909: *Les devoirs de la vie conjugale.*

MICHAUD, *La vasectomie double* — N. R. th., 1914, p. 140-150.

MICHAUD, *Le divorce civil* — N. R. th., 1911, p. 111.

MICHEL, *Josephsehe Kaiser Heinrichs* — Theol. Quartalschr., 1916, p. 463 ss.

MONIN, *De Curia Romana,* Lovanii, 1912.

NARDI, *Dissertatio de sanctitate matrimonii vindicata,* 2[a] ed., Romae, 1896.

NOLDIN, *De sexto praecepto et de usu matrimonii,* 10[a] ed., Œniponte, 1921.

— *Decretum de sponsalibus et matrimonio S. C. C. 2 Aug. 1907, cum declaratione,* Œniponte, 1907.

NOVAL, *Commentarium Codicis J. C.* L. IV, *De processibus* — Pars 1[a]: *De Judiciis,* Augustae Taurinorum, 1920.

OESTERLÉ, *Die öffentlichen und geheimen Ehehindernisse* — Theol. Quartalschrift, 1924 p. 30-59.

OESTERLÉ-BRENNINKMEYER, *Dispensatiebevoegdheden van huwelijksbeletselen in dringende gevallen,* Leuven, 1921.

* OJETTI, *In jus ante - Pianum et Pianum ex decreto* Ne temere, Romae, 1908.

— *De Romana Curia,* Romae, 1910.

* OTT, *Die Auslegung der neutestamentlichen Texte Ueber die Ehescheidung, historisch-kritisch dargestellt,* Münster i. W., 1911.

PAQUET, *Le problème moral de la dépopulation* — La Revue apologétique, 1911, p. 257-282.

PEZZANI, *De celebratione sponsalium et matrimonii seu commentarium in decretum « Ne temere »*, ed., 3ª, Romae, 1908.
PIERANTONELLI, *Ordo judiciarius in praxim traductus*, 2 vol., Romae, 1904-1906.
PISANI, *Les nullités de mariage*, Paris, 1905.
PISCETTA, *De luxuria et de usu matrimonii*, Augustae Taurinorum, 1908.
* PLANCHARD, *Les décisions du St-Siège et la loi du divorce* — N. R. th., XVIII, p. 473-501.
— *Dispenses matrimoniales*, Angoulème, 1882.
* POMPEN, *Tractatus de dispensationibus et de revalidatione matrimonii*, Amstelodami, 1897.
* PUTZER, *Commentarium in facultates apostolicas*, 5ª ed., Neo-Eboraci, 1899.
* PYRRHUS CORRADUS, *Praxis dispensationum apostolicarum*, Coloniae, 1717.
RENZ, *Die katholischen Moralsätze bezüglich der Rationalisierung der Geburten*, Breslau, 1913.
* RESEMANS, *De competitia civili in vinculum conjugale infidelium*, Romae, 1887.
RETT, *Die Gewalt der Regularbeichtväter ueber Gelübde* — Zeitschr. f. k. Theologie, 1910, p. 641-668.
RIEDER, *Der Brautunterricht*, Herder 1925.
RIES, *Die mischehe eine ernste Pastorationsfrage*, Freiburg i. B., 1921.
RIST, *Brautunterricht*, Dülmen, Laumann.
ROSSI, *De consensu matrimoniali*, Romae, 1911.
— *De impedimento impotentiae*, Romae, 1910.
— *De matrimonii celebratione juxta Codicem juris canonici*, Romae, 1924.
ROUSSEAU, *Renseignements pratiques à l'usage du curé et du confesseur sur la législation canonique du mariage* Paris, 1905.
SAGNORI, *Exemplar actorum forensium, quibus inquirendum est de matrimonii nullitate ex capite impotentiae ac de matrimonii rati et non consummati diremptione*, ed. 2ª, Romae, 1902.
SALSMANS, *Kerk en Staat in zake huwelijk en echtscheiding*, Antwerpen, 1909.
SCHAEPMAN, *Het burgerlijk huwelijk der Roomsch-Katholijken in Nederland*, Utrecht, 1900.
— *Het aangaan van het huwelijk*, Utrecht, 1908.
SCHAUB, *Die neuesten Bestimmungen auf dem Gebiet des katholischen Eherechts*, Regensburg, 1911.
SEHLING *Die neuesten päpstlichen Erlasse auf dem Gebiete des Rechtes, insbesondere des Eherechts* — Neue kirchliche Zeitschrift, 1908, p. 384-404 und 436-453.
SEITER, *Die Absolutions- und Dispensvolmachten der Seelsorger und Beichtväter nach dem Codex J. C.*, Knechtsteden, 1923.
SLATER, *The new marriage law* — The Month, 1908, p. 337 ss. et 633 ss.

STUTZ *Zum neuesten Stand der katholischen Mischehenrechts im Deutschen Reiche,* Stuttgart, 1908.

THÉPHANY, *Traité des dispenses matrimoniales,* Paris, 1889.

TRENTA, *La nuova disciplina sulla celebrazione degli sponsali e del matrimonio,* 3ia ed., Ascoli Piceno 1909.

VAN DE BURGT, *Tractatus de dispensationibus matrimonialibus,* 4a ed., Sylvae-Ducis, 1865.

VAN DEN ACKER, *Decreti « Ne temere » de sponsalibus et matrimonio interpretatio,* Buscoduci, 1909.

VAN HASSEL, *Zedenontaarding,* Nymegen, 1914.

VERKOUTEREN, *Het vrije huwelijk* (*Contra,* in *Pro en Contra* uitgave,, Baarn, 1905.

* VERMEERSCH, *De forma sponsalium ac matrimonii,* 5a ed., Brugis 1912.

— *Un grave péril social,* Tournai, 1909.

— *La peur de l'enfant dans les classes dirigeantes,* Louvain, 1909.

— *Le problème de la natalité en Belgique,* Bruxelles, 1910.

— *De Casu Apostoli,* Brugis, 1911.

— *De Castitate et vitiis contrariis,* Brugis, 1921.

— *Theol. mor. principia, responsa, consilia.* Tom. IV: *De castitate et vitiis oppositis cum parte morali de sponsalibus et matrimonio,* Brugis, 1923.

VIGLINO. *Un curioso equivoco sull'impotenza al matrimonio in diritto canonico,* Roma, 1923.

VILLIEN, *Le célibat ecclésiastique au point de vue dogmatique, moral et historique* — Revue prat. d'Apologétique, t. XI, 1911, p. 801-830.

VROMANT, *Facultates apostolicae quas S. C. de P. F. delegare solet Ordinariis missionum* (museum Lessianum), Louvain, 1926.

WAFFELAERT (Mgr.), *Étude de Théologie morale sur l'obligation en conscience des lois civiles,* Tournai, 1884 (Lois du mariage, p. 82-156.

— *Question du divorce* — N. R. th., XVII, p. 231-254 et XVIII, 502-506.

WOESS, *Der Dispens vom Hindernisse der bestehenden Ehe,* Innsbruck, 1920.

WORDSWORTH, *The law of the Church, as to the marriage of a man with his deceased wife's sister,* London, 1908.

* WOUTERS, *Commentarius in decretum « Ne temere »,* 3a ed., Amstelodami, 1910.

— *De forma promissionis et celebrationis matrimonii,* Bossum, 1919.

* ZITELLI, *De dispensationibus matrimonialibus,* Romae, 1887.

B. Tractatus historici ac juridico-civiles.

1. Generales.

P. Abram, *L'Évolution du mariage,* Paris, 1908.
Allègre, *Le Code civil commenté,* 7e éd., 2 vol., Paris, 1899.
Apologie du mariage chrétien, Strasburg, 1788.
Avigdor, *Examen critique des tendances dans le mariage et vers l'union libre,* Paris, 1909.
Aubry et Rau, *Cours de droit civil français,* 4e édition, Paris, 1873.
Bebel, *La Femme dans le passé, le présent et l'avenir* (Trad. H. Ravé), Paris, 1891.
Bishop, *New commentaries on marriage, divorce and separation,* 2 vol., Chicago, 1891.
Chardon, *Histoire des sacrements* — Tome VIe: *Histoire du sacrement de mariage,* Paris, 1745.
Crétinon, *L'organisation de la famille dans le nouveau code Allemand* — Réforme sociale (1910), t. 42, p. 154-181.
Cuq, *Le mariage à Babylone, d'après les lois de Hammourabi* — Revue Biblique, 1905, p. 350-371.
Daniel, *Le mariage chrétien et le Code Napoléon,* Paris, 1870.
Daremberg et Saglio, *Dictionnaire des antiquités Grecques et Romaines,* Paris, 1877-1912.
* Demolombe, *Cours de Code civil,* édition Belge, Tome II: *Du mariage et de la séparation de corps,* Bruxelles, 1854.
De Roskovany, *Supplementa ad Collectiones monumentorum et litteraturae de matrimonio,* etc. — Tom. I: *De matrimonio in Ecclesia catholica potestati ecclesiasticae subjecto,* Nitriae, 1887.
Dessaules, *Les erreurs de l'Église en droit naturel et canonique sur le mariage et le divorce,* Paris, 1894.
Detrez, *Mariage et contract — Étude historique sur la nature sociale du droit,* Paris, 1907.
Du Cange, *Glossarium ad scriptores mediae et infimae latinitatis,* Parisiis, 1733-1737. — *Supplementum,* Parisiis, 1766, v° *Bathinodium,* v° *Forismaritagium,* v° *Marcheta,* v° *Maritagium,* v° *Nuptiaticum.*
* Esmein, *Le Mariage en droit canonique,* 2 vol., Paris, 1891.
Fonssegrive, *Mariage et union libre,* Paris, 1904.
* Freisen, *Geschichte des canonischen Eherechts bis zum Verfall der Glossenlitteratur,* 2e Aufl., Paderborn, 1893.
* Friedberg, *Das Recht des Eheschliessung in seiner geschichtlichen Entwicklung,* Leipzig, 1865.
Geary, *The law of marriage and family relations,* London and Edinburgh, 1892.
Gibert, *Tradition ou histoire de l'Église sur le sacrement de Mariage,* Paris, 1725, 3 vol.
— *Consultations canoniques sur le sacrement de mariage,* Paris, 1727, 2 vol.

GIRAUD-TEULON, *Les origines du mariage et de la famille,* Paris, 1884.

* HOWARD, *A History of matrimonial institutions,* Chicago and London, 1904.

JOLY, *La Crise du mariage* — Le Correspondant, 1902, Janvier, p. 127 ss.

KNOLL, *Der Begriff der Ehe nach heutigen Recht,* Karlsruhe, 1913.

LAURENT, *Principes de droit civil,* Bruxelles, 1876-1878, 31 vol.

— *Avant-Projet de révision du Code civil,* Bruxelles 1882, 7 vol.

* LEFEBVRE, *Leçons d'introduction générale à l'histoire du droit matrimonial français,* Paris, 1900.

— *Cours de doctorat sur l'histoire du droit matrimonial français: Le droit des gens mariés,* Paris, 1908.

* LEHR, *Le mariage, le divorce et la séparation de corps dans les principaux pays civilisés,* Paris, 1899.

LE RIDANT, *Examen de deux questions importantes sur le mariage,* 1573 (anonymus).

LEROY, *La Religion des primitifs,* Paris, 1909.

LOCRÉ, *La législation civile, commerciale et criminelle de la France, ou commentaire et complément des Codes Français,* 16 vol., Paris, 1827-1829.

* LOENING, *Geschichte des deutschen Kirchenrechts,* Strassburg, 1878, 2 B.

LOSLEVER, *Amour libre ou fidélité,* Louvain, 1911.

LUCKOCK, *The history of marriage, Jewish and Christian, in relation to divorce and certain forbidden degrees,* London, 1895.

* MOY, *Das Eherecht der Christen in der morgenländischen und abendländischen Kirche bis Zeit Karls des Grosses,* Regensburg, 1833.

NAQUET, *Vers l'union libre,* Paris, 1908.

NYSTRÖM, *Das Geschletsleben und seine Gesetze,* 8e Aufl., Berlin, 1907.

PHILIPPE (ELIE), *Étude historique sur les origines et le développement du droit matrimonial dans l'Église* — Canoniste Contemp., 1892-1895 et 1902.

* PLANIOL, *Traité élémentaire de droit civil,* 5e éd., Paris, 1908-1909, 3 vol. (Tome 1er, p. 228-520).

POTHIER, *Œuvres* — Tome I: *Du traité du mariage,* éd. Dupin, Paris, 1825.

ROGUIN, *Traité de droit civil comparé:* 1° *Le mariage,* Paris, 1904; 2° *Le régime matrimonial,* Paris, 1905.

ROLAND ET WOUTERS, *Guide pratique de l'officier de l'état civil en Belgique,* 4e éd., Gand, 1902.

SCHEIL, *La loi de Hammourabi,* 2e éd., Paris, 1904.

SCHMITZ H., *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche,* Mainz, 1883.

SOHM, *Das Recht der Eheschliessung aus dem deutschen und canonischen Recht geschichtlich entwickelt,* Weimar, 1875.

STOCQUART, *Aperçu de l'évolution juridique du mariage — France,* Paris, 1905.

* THIRY VICTOR, *Cours de Code civil, annoté au point de vue de la doctrine et de la jurisprudence Belges et Françaises, par Georges Thiry,* Liége, 1892-1893.

TROPLONG, *De l'influence du christianisme sur le droit civil des Romains,* Louvain, 1844.

VAN HEMEL, *De formis civilibus matrimonio christiano praemittendis earumque effectibus et impedimentis,* Mechliniae, 1863.

VIOLLET, *Histoire du droit civil français,* 2e éd., Paris, 1893.

WASSERSCHLEBEN, *Die Bussordnungen der Abendländischen Kirche,* Halle, 1851.

* WATKINS, *Holy matrimony,* London, 1895.

WESTERMARCK, *Origine du mariage dans l'espèce humaine,* Paris, 1895.

P. WILLEMS, *Le droit public Romain,* 6e éd., Louvain, 1888.

2. Speciales.

BASDEVANT, *Des rapports de l'Église et de l'État dans la législation du mariage,* Paris, 1900.

BERNARD, *Étude historique, juridique et critique sur le consentement des ascendants au mariage,* Paris, 1899.

BESSE, *La récente évolution du divorce en France* — Revue pratique d'Apologétique, 1910, tom. VI, p. 321-348.

BLAU, *Die judische Ehescheidung — Eine historische Untersuchung,* Strassburg, 1911.

BOENICKE, *Die Ehe zur linken Hand,* Berlin, 1915.

BONIFACE, *Le mariage des Protestants depuis la Réforme jusqu'à 1789 — Étude historique et juridique,* Paris, 1901.

BOUSCHOLTE, *Huwelijken van Nederlanders in het buitenland en van buitenlanders in Nederland,* Alphen, 1910.

BRAUDHUBER VON EITSCHFELD, *Ueber dispensation und dispensationsrecht,* Leipzig, 1888.

BRYS, *De dispensatione in jure canonico praesertim apud Decretistas et Decretalistas usque ad medium saeculum quartum,* Brugis, 1925.

BUREAU, *La crise morale des temps nouveaux,* 4e éd., Paris.
— *L'indiscipline des mœurs,* Paris, 1920.

* CARON, *De l'alliance ou affinité — Etude d'histoire et de droit comparé,* Paris, 1901.

CARTERON, *Du mariage putatif et des effets de la nullité en général en matière de mariage,* Paris, 1907.

CASTAN, *Des seconds mariages,* Paris, 1908.

CHÉNON, *Recherches historiques sur quelques rites nuptiaux,* Paris, 1912.

CLAEYS-BOÜÜAERT, *De la reconnaissance et de l'action alimentaire des enfants naturels* — Collationes Gandavenses, 1910, p. 269-283.

COLIN, *Des fiançailles et des promesses de mariage,* Paris, 1881.
COMBIER, *Essai sur le divorce et la séparation de corps,* Paris, 1881.
CORBET, *Des oppositions au mariage,* Paris, 1906.
COULON, *Le divorce et la séparation de corps,* tom. I, Paris, 1890. — *Le divorce par consentement mutuel, sa nécessité, sa moralité,* Paris, 1902.
COURRÉGÉ, *Les enfants dans le divorce et la séparation de corps,* Paris-Toulouse, 1910.
CRÉMIEU, *Des preuves de la filiation naturelle non reconnue,* Paris, 1907.
CRUPPI, *Le divorce pendant la Révolution* (1792-1804), Paris, 1909.
DE BIE, *Le niveau de la moralité contemporaine,* Bruxelles, 1913.
DE FORAS, *Le droit du seigneur au Moyen-Age,* Chambéry, 1886.
DESFORGES, *Étude historique sur la formation du mariage en Droit Romain et en Droit Français,* Paris, 1902.
DEVOS, *De gehuwde vrouw en hare behandeling door de wet,* Antwerpen, 1904.
DIECHOFF, *Die kirkliche Trauung, ihre Geschichte im Zusammenhang des Eheschliessungsrechts und ihre Verhältnisse zur Civilehe,* Rostock, 1878.
DUCHESNE, *Origines du culte chrétien,* 3e éd., Paris, 1902.
DUJON, *De l'empêchement au mariage qui résulte des ordres sacrés dans l'histoire du Droit,* Paris, 1902.
DUMAS, *Histoire de l'indissolubilité du mariage en Droit Français,* Paris, 1902.
EBELING, *Ehescheidung, Eheschliessung und kirchliche Trauung,* Gütersloh, 1904.
ENGERT, *Ehe-und Familienrecht der Hebräer,* München, 1905.
ESCARD, *Des fiançailles et de la necessité de les faire intervenir dans la loi du mariage* — Réforme sociale (1901), t. 42, p. 888-898.
EWART, *Legal aspect of Ne temere decree.*
* FAHRNER, *Geschichte der Ehescheidung in kanonischen Recht,* 1e Theil, Freiburg i. B., 1903.
FALK, *Die Ehe am Ausgange des Mittelalters — Eine kirchen- und kultur-historische-Studie,* Freiburg, i. B., 1908.
FAUREY, *Le droit ecclésiastique matrimonial des Calvinistes français,* Paris, 1910.
FRANZ, *Die kirchlichen Benediktionen im Mittelalter,* Freiburg i. B., 1909.
FREISEN, *Das Eheschliessungsrecht in Spanien, Grossbritannien und Irland und Schandinavien... in geschichtlicher Entwicklung mit Abdruck vieler Urkunden dargestelt,* Paderborn, 1918-1919. — Band I: *Das Eheschliessungsrecht Spaniens in westgotischer, mozarabischer und neuer Zeit.* Band II: *Das Eheschliessungsrecht Grossbritanniens und Irlands nach den angelsächsischen Gesetzen, den angelsächsischen Bussbüchern, den mittelalterlichen englischen Ritualbüchern, dem*

Book of Common Prayer, den Zivilehegesetzen u. dem heutigen katholischen Ritus.

FRIEDBERG, *Verlobung und Trauung*, Leipzig, 1876.

FUNK, *Cölibat und Priesterehe im christlichen Alterthum* — Kirchengeschichtliche Abhandelungen und Untersuchungen, Paderborn, 1897, I, p. 122-155.

GALICHET, *L'Église Anglicane et l'État*, Paris, 1909.

GAUGUSCH, *Das Ehehinderniss der höheren Weihe*, Wien, 1902.

GEFFCKEN, *Zur Geschichte der Ehescheidung vor Gratian*, Leipzig, 1894.

* GENESTAL, *Histoire de la legitimation des enfants naturels en droit canonique*, Paris, 1905.

GERRARD, *Marriage and Parenthood*, New-York, 1911.

— *The Church and eugenics* (Catholic studies in Social Reform), London, 1912.

GILBERT, *Le Mariage des prêtres*, Paris, 1903.

GILLMANN, *Das ehemals zwisschen der soboles ex secundis nuptiis und den Blutsverwandten des verstorbenen Eheteiles bestehende Ehehinderniss*, Mainz, 1909, (extractum ex Archiv f. k. Kirchenr., 1909, p. 447-470.

— *Das Ehehinderniss gegenseitigen geistlichen Verwantschaft der Pathen* — Archiv f. k. Kirchenr., 1906, p. 688-714.

— *Das Ehehinderniss der geistlichen Verwandschaft aus der Busse*, Mainz, 1910, (extractum ex Archiv f. k. Kirchenr., 1910, p. 236-261, et 1911, p. 178 s.).

— *Zur Geschichte der kanonischen Ehescheidung* — Der Katholik, 1904, t. XXIX, p. 191-211.

— *Zum Ehehinderniss der geistlichen Verwandschaft im mittelalter. abendl. Kirchenrecht* — Beilage I zum: *Spender u. äusseres Zeichen der Bischofsweihe nach Huggucio*, Würzburg, 1922.

— *Zum Problem vom Privilegium Paulinum*, apud *Arch. f. k. Kirchenr.*, 1922, p. 27-32 et 1924, p. 242-261.

GLASSON, *Le mariage civil et le divorce*, Paris, 1880.

GORE, *The question of divorce*, New-York, 1911.

GUÉRIN DE LITTEAU, *De la condition juridique des enfants incestueux et adultérins*, Paris, 1913.

HANAUER, *Coutumes matrimoniales au Moyen-Age* — Mémoires de l'Académie de Stanislas, 5e Série, t. X (1892), Nancy, 1893, p. 253-312.

HERWEGEN, *Germanische Rechtssymbolik in der römischen Liturgie*, Heidelberg, 1913.

HIRSCHBERG, *Das Ehehinderniss der Blutverwandschaft*, Greisswald, 1918.

HUSSAREK VON HEINLEIN, *Die bedingte Eheschliessung*, Wien, 1892.

HUYTTENS, *Discussions du Congrès National de Belgique*, Bruxelles, 1844, 5 vol.

JACQUART, *Essais de statistique morale — Le divorce et la séparation de corps*, Bruxelles, 1909.

KISSELSTEIN, *L'attitude du clergé français dans la longue lutte de l'Eglise et de l'Etat au sujet du mariage* — Annales de l'Université de Louvain, Louvain, 1910, p. 501-516.

H. KOCH, *Die Ehe Kaiser Heinrichs II mit Kunigunde,* Köln, 1908. — *Kaiser Heinrichs kinderlose Ehe mit Kunigunde, Zugleich ein Beiträge zur Geschichte der weiblichen Impotenz im kanonischen Eherecht — Deutsche Zeitschrift für Kirchenrecht,* XXII (1912), p. 222-273.

KOGLER, *Beiträge zur Geschichte der Rezeption und der Symbolik der legitimatio per subsequens matrimonium,* Weimar, 1904.

KÖSTLER, *Die väterliche Ehebewilligung — Eine kirchenrechtliche Untersuchung auf rechtsvergleichender Grundlage* (Kirchenrechtliche Abhandlungen herausgegeben von Dr Stutz), Stuttgart, Enke, 1908.

LAFOURCADE, *Étude historique des fiançailles,* Bordeaux, 1902.

LAURENT G., *La répudiation et le divorce par consentement mutuel,* Paris, 1904.

LECLERCQ H., *La législation conciliaire relative au célibat ecclésiastique* — Appendix VI ad tom. II editionis HÉFÉLÉ-LECLERCQ, *Histoire des Conciles,* p. 1321-1348 (1).

LECLERQ P., *Loi du 6 Avril 1908 sur la recherche de la paternité et de la maternité de l'enfant naturel,* Bruxelles, 1908.

LEDRU, *Comment se forme le mariage en Droit Romain,* Paris, 1874.

LEGG, *Ecclesiological Essays,* London, 1905 — *Notes of the marriage service in the book of common prayer,* p. 181-226.

* LEMAIRE, *Le mariage civil,* Paris, 1910.

LICHTENBERGER, *Divorce — A Study in social causation,* New-York, 1909.

LINDNER, *Die gesetzliche Verwandschaft als Ehehinderniss im abendländischen Kirchenrecht des Mittelalters,* Paderborn, 1920 (2).

LOTTHÉ, *Le droit des gens mariés dans les coutumes de Flandre,* Paris, 1909.

Manuale et processionale ad usum insignis ecclesiae Eboracensis (3). Appendix I: *Manuale ad usum ecclesiae Sarum* (4); Appendix II: *Manual offices from the Hereford missal and breviary* (5) (Publications of the Surtees Society), 1875.

MARGUÉRITE P. et V., *L'Elargissement du divorce,* 2e édit., Paris, 1902.

* MARTÈNE, *De antiquis Ecclesiae ritibus,* Rotomagi, 1700.

MARTIN O., *La crise du mariage dans la législation intermédiaire* (1789-1804), Paris, 1901.

(1) Eadem dissertatio invenire est in *Dictionnaire d'Archéologie chrétienne,* V° *Célibat* (1910).

(2) Cf. GILLMANN, *Spender der Bischofsweihe,* Beilage I, ubi in pluribus complet et emendat opellam Lindner.

(3) Citatur: *York manual.*

(4) Citatur: *Sacrum manual.*

(5) Citatur: *Hereford manual.*

MITTERER, *Geschichte des Ehehindernisses der Entführung im kanonischen Recht... nach Gratian,* Paderborn, 1924.

Monumenta ritualia Ecclesiae Anglicanae — The occasionnal offices of the Church of England according to the old use of Salisbury... (by William Maskell), 2nd ed., Oxford, 1882 (1).

MOREL, *Étude historique sur le mariage putatif,* Paris, 1913.

MORIZOT-THIBAULT, *La femme et le divorce* — Réforme sociale (1901), t. 42, p. 195-216.

MOULARD, *St Jean Chrysostome. Le défenseur du mariage et l'Apôtre de la virginité,* Paris, Gabalda, 1923.

NEUMANN-ETTENREICH, *Das Osterreichische Eherecht,* Wien, 1913.

OPET, *Brauttradition und Consensgespräch in mittelalterlichen Trauungritualen,* Berlin, 1910.

ORESCU, *Le mariage quant aux conditions intrinsèques et aux formalités extrinsèques en droit international privé,* Paris, 1908.

ORTOLAN, *Disparité de culte* — Dictionnaire de Théologie, fasc. XXX, col. 1416-1428.

PAOLI, *Étude sur les origines et la nature du mariage civil, mis en regard de la doctrine catholique,* Paris, 1890.

PASQUIER, *Traité des causes de divorce et de séparation de corps,* Bruxelles (sine data).

PEJSKA, *Das Rüchversprechen beim Ehehindernisse des Verbrechens* — Zeitschr. f. k. Theologie, 1902, p. 131-152.

PELLET, *La condition de la mère dans l'histoire du Droit Français,* Paris, 1907.

PETERS, *Die Ehe nach der Lehre des hl. Augustinus,* Paderborn, 1918.

PEYTEL, *L'union libre devant la loi,* Paris, 1905.

POHL, *Zur Geschichte der Mischehenrechts in Preussen,* Berlin, 1920.

* PROBST, *Sacramente und Sacramentalien in den drei ersten christlichen Jahrhunderten,* Tübingen, 1872.

— *Die ältesten römischen Sacramentarien und Ordines,* Münster, 1892.

PUTON, *Essai sur le mariage d'après les usages des anciens Germains,* Nancy, 1902.

QUNQUET DE MONJOUR, *Histoire de l'indissolubilité du mariage en France,* Paris, 1901.

RAYMOND, *De la légitimation des enfants incestueux ou adultérins depuis la loi du 7 novembre 1907,* Paris, 1908.

Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche: V° *Ehe. Eherecht,* vol. V, p. 182-227; V° *Scheidungsrecht,* vol. XXI, p. 858-895; V° *Familie und Ehe bei den Hebräern,* vol. V, p. 738-750.

Régime des cultes en France et à l'étranger — Recueil de travaux publiés par la société de législation comparée, I, Paris, 1910.

(1) Citatur: *Salisbury manual.*

RIBEROLLES, *Du divorce par consentement mutuel et de la répudiation en Droit Français*, Paris, 1904.

ROCHE, *Essai sur les origines romaines et germaniques du contrat des fianaçailles*, Grenoble, 1899.

ROEDENBECK, *Die Ehe in besonderer Beziehung auf Ehescheidung und Eheschliessung Geshiedener*, Gotha, 1882.

ROSAMBERT, *La veuve en droit canonique jusqu'au XIV^e siècle*, Paris, 1923.

SÄGMÜLLER, *Die Ehe Heinrichs II des heiligen mit Kunigunde* — Theologische Quartalschrift, 1905, p. 78 ss., et 1911, p. 90-126.

* SCHARNAGL, *Das feierliche Gelübde als Ehehinderniss in seine geschichtliche Entwicklung dargestellt*, Freiburg, i. B., 1908.

SCHMIDT, *Jus primae noctis — Eine geschichtliche Untersuchung*, Freiburg i. B., 1881.

SCHMITT-FALCKENBERG, *Eine Studie ueber das Verlöbniss in England*, Marburg, 1911.

SCHRÖRS, *Hinkmar Erzbischof von Reims*, Freiburg i. B., 1884.

SCHULZE, *Eherecht und Ehegesetzgebung in den Vereinigten Staaten Nord-Amerikas* — Th. Pr. Quartalschr., p. 748-773.

— *Kirchlich-katholischen Eherecht und Eheverhältniss in den Vereinigten Staaten Nord-Amerika* — Ibidem, 1910, p. 790-826.

SDRALEK, *Hinkmars von Reims kanonistisches Gutachten über die Ehescheidung des Königs Lothar II*, Freiburg, i. B., 1881.

* SEHLING, *Die Wirkungen der Geschlechtsgemeinschaft auf die Ehe*, Leipzig, 1885.

— *Die Unterscheidung der Verlöbnisse im kanonischen Recht*, Leipzig, 1887.

SILBERNAGL, *Verfassung und gegenwärtiger Bestand sämtlicher Kirchen des Orients* (2^e Auflage von Schnitzer), Regensburg, 1904.

SINGER, *De la publicité du mariage*, Lille, 1907.

SOHM, *Trauung und Verlobung*, Weimar, 1876.

* STEIGLER, *Dispensation, Dispensationswesen, und Dispensationsrecht, im Kirchenrecht geschichtlich dargestelt*, Mainz, 1907.

TERLINDEN, *Le nouveau Code civil Suisse*, in *Pasicrisie Belge*, 1912, Août et 30 Sept., p. 1-42.

THANER, *Die Persönlickheit in der Eheschliessung*, Gratz, 1900.

TRAVERS, *La convention de La Haye relative au divorce et à la séparation de corps*, Paris, 1909.

— *La convention de La Haye relative au mariage*, Paris, 1912, 2 vol.

VACANDARD, *Etude de critique et d'histoire religieuse. — Les origines du célibat ecclésiastique*, Paris, 1905.

VANTROYS, *Etude historique et juridique sur le consentement des parents au mariage de leurs enfants*, Paris, 1889.

VEUILLOT, *Le Droit du seigneur au moyen âge*, Paris, 1878.

VILLIEN, *Divorce* — Dictionnaire de Théologie, fasc. XXX, col. 1455-1478.

— *L'Empêchement de mariage — Sa notion juridique d'après l'histoire* — Canon. contemp., 1903, p. 420 ss.
— *Les réformes du droit canonique et les postulata du Concile du Vatican* — Can. contemp., 1906, *passim.*
— *La discipline des sacrements — Mariage* — Rev. du clergé français, t. LXXVII, p. 264-286.

VON KESSLER, *Der Eheprozes Ottos und Irmingards von Hammerstein,* Berlin, 1923.

VON HÖRMANN, *Quasiaffinität — Rechtshistorische Untersuchungen über Affinitätswirkungen des Verlöbnisses nach weltlichen und kirklichem Rechte,* Innsbruck, 1897-1906.

WELSCHINGER, *Le divorce de Napoléon,* Paris, 1899.

WILKINS, *The history of divorce and re-marriage,* London, 1910.

ZARZYCHI, *Le divorce et la séparation de corps comparés dans leurs causes,* Paris, 1903.

C. TRACTATUS PHYSIOLOGICI.

* ANTONELLI, *Medicina pastoralis in usum confessariorum et curiarum ecclesiasticarum,* 2 vol., Romae. Pustet, 1905 (2ª ed., 1907 et 3ª ed., tribus voluminibus, 1909).
— *De conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium,* Pustet, 1900.
— *Pro conceptu impotentiae et sterilitatis relate ad matrimonium,* Pustet, 1901.
— *De mulieris excisae impotentia ad matrimonium,* Pustet, 1913.

BAUR, *Glückliches Eheleben — Gesundheitslehre,* Mergentheim, 1911.

BROUARDEL, *Le mariage, nullité, divorce,* Paris, 1900.

CANGIAMILLA, *Sacra embryologia,* Ypris.

CAPELLMANN, *Medicina pastoralis,* ed. 7ª, Aquisgrani, 1890.

COPPENS, *Morale et médecine,* Paris.

DAELS, *Voor moeder en zuigeling,* Leuven-Leiden, 1918.
— *Het bakersboek,* Leuven-Leiden, 1918.

DAMEN, *Kindersterfte, Neo-Mathusianisme, huwelijk* — De Katholiek, 1904, II, p. 6 ss., 290 ss.

Die Ehe, ed., 5ª, Donauwörth, 1904, Auer.

* ESCHBACH, *Disputationes physiologico-theologicae,* 2ª ed., Romae, 1911.
— *Casus de foeminae impotentia,* Romae, 1899.

FOREL, *La Question sexuelle,* Paris, 1906.

FRANCOTTE, *De quelques points de morale sexuelle dans ses relations avec la médecine* — Annales de la Société scientifique, 1906-1907, supplément, Louvain, 1907.

GEMELLI, *Non moechaberis — Disquisitiones medicae in usum confessariorum,* Romae, 1710.

GREIDANUS, *Geneeskundig onderzoek vóór het huwelijk eene zedelijke verplichting,* Baarn, 1904.

— *De leer van Malthus een leugen,* Baarn, 1904.

KOUWER, *Prof. Treub en het Nieuw-Malthusianisme,* Kempen, 1904.

MARX, *Pastoralmedezin,* Paderborn, 1894.

MAYER, *Des Rapports conjugaux considérés sous le triple point de vue de la population, de la santé et de morale publique,* Paris, 1882.

NUYENS, *Malthusleer en hare misdadige toepassingen,* Antwerpen, 1914.

NYHOFF, *De noodzakelijkheid van geneeskundig onderzoek vóór het huwelijk,* Amsterdam, 1908.

PAYEN, *Déontologie médicale d'après le droit naturel,* Paris, 1922.

PINKHOF, *Neo-Malthusianisme* (*Contra* in *Pro en Contra* uitgave), Baarn, Hollandia-drukkerij, 1905.

RIBBING, *L'Hygiène sexuelle, ses conséquences morales,* Paris, 1907.

SALSMANS, *Geneeskundige plichtenleer,* Leuven-Brugge, 1919.

SENATOR UND KAMINER, *Krankheiten und Ehe,* Munich.

STÖHR-KANNAMÜLLER, *Handbuch der Pastoralmedizin,* Freiburg i. B., 1909.

SURBLED, *La morale dans ses rapports avec la médecine et l'hygiène* 4 vol., 10e éd., Paris, 1905.

— *Autour du mariage* (*questions controversées*), Paris, 2e ed.

TOPAI, *De necessitate uteri in generatione et in matrimonio,* 2e ed., Romae, 1903.

TREUB, *Verspreide opstellen,* Haarlem, 1904: *Het vraagstuk der geslachtelijke onthouding; Het Neo-Malthusianismus.*

Ueber dem gezetzlichen Austausch von Gesundheitszeugnissen vor der Eheschliessung und rassenhygienische Ehevervote, München 1917.

VAN DE VELDE, *Het volkomen huwelijk. — Een studie omtrent zijn physiologie en zijn techniek,* Leiden, 1926.

VAN HASSEL, *Zedenontaarding,* Nijmegen, 1914.

WIELAND K., *Das sechste Gebot und die Ehe — Ein offenes Wort an Eheleute, Eltern, Erzieher, Aertze und Geistliche,* Augsburg, 1912.

WILHELM, *Das Eheleben,* Regensburg, 1909.

— *Beseitigung der Zeugungsfähigkeit und Körperverletzung, de lege lata und de lege ferenda,* Halle, 1911.

— *Die künstliche Zeugung beim Menschen und ihre Beziehungen zum Recht,* Halle, 1911.

II. **Periodica.**

Acta Apostolicae Sedis — Commentarium officiale, Romae.
Acta Sanctae Sedis, Romae.
American College bulletin, Louvain.
Ami (l') du clergé, Langres.
Archiv für katholisches Kirchenrecht, Mainz.
Canoniste contemporain, Paris. *Le Canoniste,* inde a Jan. 1924 (interruptio durante anno 1923).
Civilta cattolica, Roma.
Collationes Brugenses, Brugis.
Collationes dioecesis Tornacensis, Tornaci.
Collationes Gandavenses, Gandavi.
Collationes Namurcenses, Namurci.
Periodica de re canonica et morali, (olim: *De Religiosis — Supplementa et monumenta*), Brugis.
De Katholiek, Leyden-Utrecht. Inde a 1 Oct. 1924 = *Studia catholica.*
Der Katholik, Mainz.
Ephemerides theologicae Lovanienses, Lovanii-Brugis.
Ecclesiastical Review, Philadelphia.
Études — Revue catholique d'intérêt général, Paris.
Gregorianum, Romae.
Il Monitore ecclesiastico, Roma.
Irish ecclesiastical Record (the), Dublin.
Jus Pontificium, Romae.
La Réforme sociale, Paris.
Les Questions ecclésiastiques, Lille.
Nederlandsche katholieke Stemmen, Zwolle.
Nouvelle Revue theologique, Tournai.
Pasicrisie Belge, Bruxelles.
Pastor bonus, Trier.
Pastor Bonus, Antwerpen(Bijblad aan *Ons geloof*).
Razon y Fe, Madrid.
Recherches de science religieuse, Paris.
Revue apologétique, Bruxelles.
Revue Augustinienne, Louvain.
Revue Bénédictine, Maredsous.
Revue catholique de Droit, Louvain.
Revue catholique des Institutions et du Droit, Lyon.
Revue d'Histoire ecclésiastique, Louvain.
Revue des Sciences ecclésiastiques et la science catholique, Paris-Arras.
Revue du clergé français, Paris.
Revue ecclésiastique de Liége, Liége.
Revue ecclésiastique de Metz, Metz.

Revue pratique d'Apologétique, Paris.
Revue théologique française, Laval.
Schweizerische Kirchen-Zeitung, Luzern.
Scuola Cattolica (*La*), Milano.
Stimmen aus Maria-Laach, Freiburg, i. B.
Strassburger Diözesanblatt, Strassburg (nunc: *Bulletin ecclés. de Strassbourg*).
Studiën, Amsterdam.
The Month, London.
Theologie und Glaube, Paderborn.
Theologisch-praktische Quartalschrift, Lintz.
Theologische Quartalschrift, Tübingen.
Vie diocésaine, Malines.
Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbrück.

LIBER PRIMUS

DE SPONSALIBUS

LIBER PRIMUS

DE SPONSALIBUS

Divisio Libri.

Caput *primum* erit de *natura* sponsalium, in quo capite successive agetur de notione, divisione, convenientia sponsalium, elementis constitutivis, subjecto ac variis adjunctis contractui sponsalitio accedentibus. Caput *secundum* erit de *effectibus* sponsalium, *tertium* de *impedimentis, quartum* de eorum *dissolutione,* et *quintum* de sponsalium *regimine.* Subjungetur *appendix* de *proclamationibus antenuptialibus.* 1. *Libri divisio.*

CAPUT I

DE NATURA SPONSALIUM.

ARTICULUS 1^us^. **De Notione, Divisione et Convenientia Sponsalium.**

Notio. Sponsalia (1) de futuro (2), seu, uti nunc sine addito passim vocantur, sponsalia apte definiuntur: *promissio mutua matrimonii,* seu *contractus inter virum et mulierem initus de contrahendo matrimonio.* 2. *Sponsalium notio;*

(1) Sponsalia dicta sunt a *spondendo.* « Qui modus loquendi juris Romani fundabatur in praxi apud antiquos Romanos recepta. Etenim qui puellam quamdam ducere volebat in uxorem, is patrem puellae vel eum, in cujus potestate constituta fuerat, interpellare solebat sollemni formula: *spondesne?,* dum ille respondebat: *spondeo.* Hinc quae spondebatur, *sponsa;* cui spondebatur, *sponsus;* ... dies quo spondebatur, *sponsalis ;* totus vero actus, sive contractus promissorius, *sponsalia* appellabantur ». WERNZ-VIDAL o. c., n. 77. Cf. etiam LAFOURCADE, o. c., p. 46; SEHLING, *Die Unterscheidung,* p. 20-21, qui notat: « Später blieben die Ausdrücke: sponsa, sponsalia, bestehen, trotzdem an Stelle der sponsio die freie Consenserklärung trat ». Nomen *sponsalia* sensu minus proprio adhibetur etiam pro muneribus a sponsis mutuo oblatis.

Ante sponsalia, futura sponsa vocabatur successive *sperata* et *pacta: sperata,* « lorsque son futur mari commence à lui faire la cour »; *pacta,* « quand le jeune homme a été agréé par la famille de la fiancée ». LAFOURCADE, o. c., p. 76.

(2) Determinatio « *de futuro* » primum apparet apud Guilielmum de Campellis († 1121), et brevi est usu consecrata, inde a Petro Lombardo. Est autem inducta ad distinguendum contractum sponsalitium ab ipso contractu matrimoniali: in terminologia namque tunc vigente mulier matrimonio juncta sed nondum cognita passim vocabatur sponsa, in oppositione ad uxorem carnaliter cognitam quae dicebatur nupta, et sic matrimonium non consummatum veniebat etiam nomine sponsalium; quod natum erat confusionem ingerere: ad quam vitandam Auctores praelaudati contractum matrimonialem appellarunt *sponsalia de praesenti,* contractum vero sponsalitium matrimonio praevium dicebant *sponsalia de futuro.*

Nimirum sponsalia sunt *contractus,* i. e. conventio mutua inter virum et mulierem, mutuò data et mutuò acceptata fidei obligatione circa futurum matrimonium ineundum.

Non sufficit proinde merum propositum, neque promissio ex unius parte, licet ab altera parte fuerit acceptata; requiritur promissio et repromissio, ita ut contractus sit stricte bilateralis, seu perfectè synallagmaticus (1), utramque partem ex justitia obligans ad futurum matrimonium.

Si una tantum pars promittat, altera parte acceptante quidem sed non repromittente (2), potest exsurgere obligatio (3), eaque, positis ponendis, etiam justitiae (4); nullatenus autem datur obligatio sponsalitia, ac tali promissioni denegandi sunt effectus proprii sponsalium (5).

Objectum contractus est futurum matrimonium, opportuno scil. tempore ineundum, tempore nempe expressè determinato ex voluntate partium, vel tempore computando juxta adjuncta et consuetudines locales (6).

Pro natura objecti circa quod versatur contractus, debet iniri *inter virum* et *mulierem,* et quidem inter *determinatum* virum et *determinatam* mulierem (7).

---

(1) Contractus est perfecte synallagmaticus « quand les parties se soumettent, par le fait même de la convention, à des engagements réciproques, qui forment ou qui sont censés former, pour chacune d'elles, l'équivalent de la prestation à laquelle elle a droit ». III. ac Rev^{mus} WAFFELAERT, *De Justitia,* Brugis, 1885, t. I, n. 340, juxta *Aubry et Rau.*

(2) Per se acceptatio promissionis matrimonii ab altero factae non importat repromissionem; a. v. optime fieri potest ut aliquis acceptet promissionem sibi factam matrimonii ineundi, quin ipse sese obliget erga alteram partem; non rarò tamen acceptatio, attentis circumstantiis in quibus fit, vim habebit repromissionis. Cf. SCHMALZGRUEBER, *In l. IV Decret.,* tit. I, n. 44-46.

(3) Nimirum, *abstractè loquendo,* ex hujusmodi promissione, quam non sequitur repromissio, potest exsurgere obligatio matrimonium ineundi, si id exigat persona cui promissio est facta; atvero re *in concreto* inspecta, plerumque non erit attendenda dicta obligatio: ordinarie nuptias spondens non intendit obligationem contrahere ad matrimonium contrahendum, nisi in quantum altera pars in eamdem obligationem consentiat repromittendo.

(4) Promissio *regulariter* inducit solam obligationem *fidelitatis,* de se levem; potest tamen, ex intentione promittentis (de qua saepe ex adjunctis erit judicandum), induci obligatio justitiae, quae erit gravis. Cf. III. WAFFELAERT, o. c., I, n. 534; *Collat. Brug.,* t. II, p. 130 ss.; CAPPELLO, o. c., n. 114.

(5) Uti patet, loquimur hic de promissione et de contractu sponsalitio ac de obligatione consequente, attenta sola natura rei, independenter a dispositionibus juris positivi, de quibus sub n. 7 ss.

(6) Circa spatium temporis inter sponsalia et matrimonium interponendum, in jure Romano, cf. SEHLING, *Unterscheidung,* p. 21-22; ROCHE, o. c., p. 8 s.; LAFOURCADE, o. c., p. 74; quod spectat mores Germanorum, *ibidem,* p. 40.

(7) Hinc, ut appositè notat WERNZ-VIDAL, o. c., n. 86, « promissio etiam cum repromissione accepta ducendi unam ex tribus sororibus, quam ipse vir sibi elegerit, obligationem sponsalitiam non inducit, quamvis alius quidem contractus promissorius oriatur...; similiter sponsalia inita non dicuntur, si quis promittit *aliam* se non ducturum in uxorem *praeter* talem puellam, nisi ex circumstantiis appareat, quod pars promittens, non obstante illo modo negativo et conditionato loquendi, habuerit *positivam et absolutam* intentionem non ducendi aliam, sed *hanc puellam* ». Caeterum, sub nova disciplina Decreti *Ne Temere,* et Codicis, de qua sub n. 8, vix huic animadversioni est locus, cum sponsalia, dicto Decreto et Codici obnoxia, jam non intelligantur celebranda nisi inter duas rite determinatas personas.

Species. Sponsalia sunt 1° vel *absoluta* vel *conditionata;* 2° *firmata* vel *nuda* seu *simplicia,* prouti contractui accedant necne arrhae, juramenta vel aliae stipulationes, uti poenae contra resilientes (1). *3. variae species ;*

Convenientia. Quamvis neque ex natura rei, neque ex praescriptione Ecclesiae, ulla adsit obligatio sponsalia matrimonio praemittendi, id tamen convenientius esse videtur: ita nempe infaustae occurritur praecipitantiae, certior redditur et securior sors nupturientium, et melius locus datur detegendi impedimenta vel animi respectivam discordantiam (2). *4. convenientia.*

Caeterum jam apud Hebraeos (3), apud Romanos (4), apud Germanos (5), et apud christianos primitivae Ecclesiae (6), fuerunt in usu (7). Contrà in pluribus legislationibus civilibus modernis, speciatim in legislatione Codicis Napoleonis, non agnoscitur existentia sponsalium (8), ac promissiones matrimoniales coram jurisprudentia habentur uti nullae nullitate " d'ordre public ", utpote libertati matrimonii contrariae (art. 1133); cf. LAFOURCADE, o. c., p. 199 ss.; *Revue cath. de droit,* 1912, p. 64 ss.; arrêts de la Cour de Gand, 4 Nov. 1915 et 3 Mai 1917 (*Pasicr.,* 1915-1916, II, p. 189 et 1917, II, p. 234 ss.); ESCARD, l. c., p. 888 ss. (9).

ARTICULUS 2^s^. **De Elemento constitutivo sponsalium seu de Consensu.**

I. De necessitate consensus ejusque qualitatibus.

5. Consensus necessitas et qualitates :

Contractum sponsalitium constituit ac efficit *consensus* utriusque partis in futurum matrimonium, isque solus et insupplebiliter. — Debet autem consensus mutuò praestari per actum voluntatis inter personas jure habiles elicitum et legitime manifestatum.

Explicatio.

1° Elementum constitutivum est partium *consensus;* sufficit au-

(1) Cum jam non valeant nisi sponsalia in forma Ecclesiae inita, non est amplius locus divisioni olim admissae inter sponsalia *sollemnia* et *clandestina,* prouti celebrantur necne in forma ab auctoritate publica ad hoc constituta; et ita clandestina erant sponsalia non modò privatim et secretò inter sponsos inita, sed etiam publicè contracta, absque formalitatibus auctoritative statutis.

(2) Cf. ROUSSEAU, apud *Revue des sciences ecclésiastiques et la science catholique,* II, p. 176 s. Cf. etiam CHÊNON, o. c., p. 14; *Instructions du Vicariat de Rome,* l. c., ubi monentur parochi ut sponsalia celebranda curent. Olim, in pluribus locis, urgebatur obligatio sponsalia praemittendi matrimonio. Et ita *Pastorale Mechliniense,* Antverpiae, 1649, p. 208, haec habet: « Matrimonii sacramentum, justas ob causas ex Ecclesiae consuetudine, praecedere debent sponsalia ».

(3) Sponsalia quibus a parentibus puella spondebatur danda viro, dicebantur *Thenain* vel *Schidduchin.* Cf. FREISEN, o. c., p. 92 s.

(4) I. 2, Dig. XXIII, 1.

(5) Cf. PUTON, o. c., p. 65 s.

(6) WERNZ-VIDAL o. c., n. 79. Imo in quibusdam locis obligatio fuit facta sponsalia ineundi. Cf. COLIN, o. c., p. 130.

(7) Exponit ESCARD, o. c., p. 888 ss., varios modos sponsalia celebrandi apud nonnullas gentes hodiedum vigentes, ibidemque votum emittit ut in legislationem reintroducantur sponsalia.

(8) Ita etiam in Italia, Hollandia, Lusitania et Hispania; aliter in Anglia et Germania. Cf. infrà, n. 25; cf. etiam GIRAUD, *Des promesses de mariage,* Paris, 1888, ubi suggerit opportunitatem reintroducendi in lege regimen sponsalium.

(9) Potest tamen ex sponsalibus per accidens oriri, ob contractus resiliationem, obligatio reparandi damna, de qua infrà, n. 25.

tem consensus, secluso quovis alio elemento, ac etiam requiritur, ita ut ejus defectui suppleri nequeat. Non refert autem quod consensus a partibus praestetur per se vel per procuratorem aut interpretem.

debet esse internus ; 2° Consensus, cum procedat a voluntate, debet esse *internus,* exclusa scil. fictione: quae fictio reddit consensum in foro interno invalidum, dum, in foro externo, statur valori, donec fictio rite probetur.

deliberatus et liber ; 3° Debet, attenta gravitate materiae, esse consensus *plenè deliberatus et liber:*

deliberatus, supposito scil. maturo judicio et excluso errore: hac scil. ratione quod sponsalia irritet error substantialis, non vero, per se, error accidentalis: hic tamen error illa reddit rescindibilia. Cf. infrà, n. 29 et 33.

liber: quam libertatem destruit vis irresistibilis, non autem, per se et solo attento jure naturae, metus gravis: hic tamen metus gravis sponsalia reddit rescindibilia. Cf. infrà, n. 29 et 33.

mutuus ; 4° Debet esse consensus *mutuus,* emissus scil. ab utraque parte, et quidem ita ut utriusque consensus simul consistat; sufficit autem simultaneitas moralis, ad normam dicendorum infrà, sub n. 101.

elicitus a personis jure habilibus ; 5° Debet elici a personis *jure habilibus,* secluso scil. impedimento dirimente juris naturalis et positivi, juris inquam positivi emanantis ab auctoritate cui obnoxia existunt sponsalia (infrà, n. 37).

ac legitime manifestatus. 6° Debet esse *legitimè manifestatus.* Et sane manifestari debet, cum secus non posset esse mutuus; manifestari autem debet modo a jure naturali, a jure divino, aut a jure humano competente, pro validitate determinato, juxta statim exponenda sub II.

6. Consensus formalitates: II. **Formalitates** consensus.

De formalitatibus in sponsalibus observandis valent modò notata circa legitimam consensus manifestationem: attendendae scil. sunt non modò dispositiones juris naturae et divini, sed et dispositiones juris positivi, si dentur, ab Ecclesia vel respectivè a Principe civili statutae. Jamvero

coram jure naturae; A. **Ex natura rei,** nulla formalitas vel sollemnitas exigitur, et, quomodocumque consensus exprimitur, valet, si aliunde rite praestetur juxta modò dicta. Non refert igitur quonam signo consensus manifestetur. Ita ipsum silentium, in determinatis adjunctis, potest sufficere ut praesumatur consensus de eoque sufficienter constet (1).

---

(1) In hunc sensum decernit cap. unic., in VI°, IV, 2: « Porro ex sponsalibus, quae parentes pro filiis puberibus vel impuberibus plerumque contrahunt, ipsi filii,

Pariter *copula* facile posset importare consensum sponsalitium; ac olim uti consensum involvens *in foro externo praesumebatur* copula, non quidem qualiscumque et seorsim sumpta, sed copula determinatis in adjunctis peracta, copula scilicet succedens futuri matrimonii promissioni unilaterali aut propositioni, factae a viro mulieri honestae ac virgini: censebatur namque, uti ratiocinatur SANTI, o. c., l. IV, Tit. I, n. 27, corporis sui copiam non fecisse, nisi animo matrimonii ineundi, per quod honori suo consultum fieri confidit (1).

B. **Ex jure positivo:**

7. *coram jure positivo Ecclesiae :*

Pro sponsalibus *fidelium* (2), nulla usque ad haec ultima tempora erat ab Ecclesia jure communi praescripta formalitas vel sollemnitas pro valore observanda, adeo ut coram ea plene valerent sponsalia quantumvis clandestinè celebrata (3).

ante Pascha anni 1908;

Equidem non deerant sub hac disciplina incommoda, eaque gravia (4), ac olim jam iteratis vicibus conati sunt varii Episcopi juris immutationem a S. Sede obtinere, sed diu repulsam passae sunt preces oblatae, ac severè reprobata fuerunt statuta dioecesana quae

---

si expresse consenserint vel tacitè, ut si praesentes fuerint nec contradixerint, obligantur et ex eis oritur justitia publicae honestatis. Et est idem, si filii, tempore sponsalium absentes et etiam ignorantes, eadem sponsalia, post scientes, ratificaverunt tacitè vel expressè: aliàs ex sponsalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipsi filii obligantur, nec publicae honestatis justitia inde surgit ». Cf. SANTI, ad h. l., n. 14 et 24; *Anal. eccles.* 1901, p. 45 s.; SICA, o. c., p. 321 ss.; coll. dissertatione apud *Archiv. f. k. Kirchenr.*, LXXII, p. 369-400.

(1) Circa hanc praesumptionem attende: a/ dici « *in foro externo* », quippe in quo solo haec praesumptio valebat: in foro nempe interno sponsalium valor pendebat ab intentione mulieris copulam admittentis, utrum necne intenderit per hoc nuptias futuras repromittere; imo, in ipso foro externo, praefata praesumptio non erat juris ac de jure, adeoque cedebat veritati, quotiescumque de contraria intentione constare poterat.

b/ ad dictam fori externi praesumptionem utrumque elementum de quo suprà stricte exigi, honestatem scilicet mulieris ac praeviam matrimonii promissionem, claram et certam, a parte viri: ad quam promissionem probandam non sufficiebant signa amatoria a viro praestita. Inde est, uti advertit SANTI, l. c., quod « in omnibus ferme controversiis in S. Congregatione Concilii nostra aetate propositis, causae de valore sponsalium naufragium fecerint, licet copula carnalis interfuerit, et eam praecesserint amatoria verba et familiaris frequens conversatio ».

(2) Sponsalia *infidelium*, in nostris regionibus, subsunt solis dispositionibus juris naturalis, cum ex una parte legi canonicae non sint obnoxia, cumque Princeps civilis, uti notavimus, nihil circa illa statuerit.

(3) Olim, in variis ritualibus, praescribebantur, ad licitam sponsalium celebrationem, quaedam sollemnitates observandae. Nimirum celebrari debebant coram parocho, in ecclesia vel alio loco honesto. Cf. *Pastorale Mechlin.* anni 1649, p. 208 ss. Formula, ibidem inserta, consensus sponsalitii, haec est: « Ik N... in de tegenwoordigheid van deze getuigen, belove mijn trouwe te geven u, N..., die ik hier houde met der hand, ende u te nemen voor mijn wettige huisvrouwe, ist dat het onze Moeder de H. Kerke gedoogt ». Parochus autem haec dicit: « Et ego tanquam minister Ecclesiae Dei, cujus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto et approbo, Vos serio admonens et requirens, ut intra quadraginta dies procedatis ad matrimonium jam promissum in facie Ecclesiae inter vos contrahendum. Et ne antea sub eodem tecto simul habitetis, aut carnale commercium mutuò habeatis ».

(4) « Docuit enim experientia satis quae secum pericula ferant ejusmodi sponsalia: primum quidem incitamenta peccandi, causamque cur inexpertae puellae decipiantur; postea dissidia ac lites inextricabiles ». Cf. Decretum *Ne temere, Collat. Brug.*, t. XIII, p. 53, s.

sollemnitatis formam pro sponsalium valore praescribere praesumpserant (1).

Prima derogatio fuit concessa pro Hispania, quatenus, die 31 Januarii 1880, declaraverit S. Sedes sponsalia ibidem contracta non esse valida, si *absque publica scriptura* (coram notario) celebrantur, quin publicae scripturae defectui suppleri queat per « instrumentum in curia (episcopali) conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento »: quae moderatio est inducta attenta consuetudine in Hispania vigente, et dictam formalitatem exigente, inde a Pragmatica Sanctione, anno 1803, promulgata (2).

Recentius, die nempe 1 Januarii 1900, Leo XIII, precibus annuens Patrum Concilii Americae Latinae, oblatis anno 1899 (3), disciplinam, pro Hispania valentem, extendit ad Americam Latinam.

8. inde a Decreto Ne temere ac novo Codice:

Tandem nuperrimè inducta est nova oeconomia, favore celebris Decreti *Ne temere,* die 2 Aug. 1907 a S. C. C. editi (4), atque vim habentis inde *a festo Paschatis 19 Aprilis anni 1908.* Hujus autem Decreti *Ne temere* dispositiones confirmavit ac in nonnullis accuratius determinavit novus *Codex,* sequentem statuendo canonem 1017:

§ 1. « *Matrimonii promissio, sive unilateralis sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus testibus* ».

§ 2. « *Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur*

---

(1) FEYE, *De Imp.*, n. 558; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 80; DE BECKER, *De Matr.*, p. 2-3; GASPARRI, o. c., t. I, n. 24 et 25; *N. R. th.*, t. XXV, p. 92 et ss., et signanter *Can. Contemp.*, 1898, p. 489 ss. et 1905, p. 579, ubi refertur *Causa* 17 Junii 1905, in qua S. C. C. respondet: *Dilata.* Rejecta autem fuit in Concilio Tridentino propositio decernens « eos omnes, qui in posterum sine testium saltem trium praesentia matrimonium vel *sponsalia* contrahere attentaverint ad sic contrahendum inhabiles fore, et contractus hujusmodi ab eis fieri attentatos irritos esse et nullos ». THEINER, o. c., II, p. 339.

(2) Cf. GASPARRI, o. c., n. 26 et *N. R. th.*, t. XXIV, p. 134 ss. quo altero loco refertur decretum S. C. C. diei 11 Aprilis 1891, quatenus declaratio anni 1880, non obstante codicis civilis Hispanici mutatione, adhuc viguerit. Cf. BOUDINHON, *Le Mariage*, n. 25 s., ubi memorantur petitiones jam in hunc finem oblatae, tempore Philippi II.

(3) Cf. *Postulata Patrum Concilii plenarii Americae Latinae,* ad V: « Ut Sanctitas Vestra ad omnes regiones Americae Latinae extendere dignetur declarationem S. C. Concilii pro Hispania editam die 31 Januarii 1880... id est: *sponsalia quae contrahuntur in regionibus nostris absque publica scriptura invalida esse, et publicam scripturam supplere non posse informationem matrimonialem, neque instrumentum in curia dioecesana vel alibi conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento, ex quo inferri possit promissio serio facta contrahendi matrimonium* ». Ad hoc respondit *S. C. negotiis eccles. extraord. praeposita:* « ad V, pro gratia in perpetuum ». Cf. *Acta S. Sedis*, XXVII, p. 553 ss.; *Acta et Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae*, n. 592, cum nota.

(4) Circa Decreti generalem oeconomiam, cf. infrà, ubi de formalitatibus matrimonii.

qui, cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, *scripturam subsignet* » (1).

Quod statutum brevi commentario illustratum huc redit:

9. exigentibus, ad valorem sponsalium et promissionis unilateralis,

1° Statuitur formalitas mox describenda *pro valore* sponsalium observanda, et quidem pro valore in ipso etiam *foro conscientiae* (2).

2° Statutum spectat non tantum promissionem bilateralem seu sponsalitiam, sed, in tenore canonis, expressis verbis extenditur ad promissionem *unilateralem,* ita ut nec haec, nisi in debita forma emittatur, ullam obligationem inducat, sive in foro conscientiae sive in foro externo. Can. 1017, § 1 (3).

10. scripturam debitè subsignatam.

3° Statuta formalitas est in hoc quod de contractu fidem faciat *scriptura quae sit subsignata tum a partibus, tum vel a parocho seu Ordinario loci* (4), *vel a duobus testibus,* ea tamen lege ut partibus vel alterutri parti scribere nescientibus vel hic et nunc non valentibus alius testis substitui queat, qui ipsarum seu ipsius loco (5) scripturam subsignet, mentione facta in instrumento incapacitatis scribendi (6): quae mentio ad valorem exigitur.

---

(1) Tenor Decreti *Ne temere* sic habebat: « *Ea tantùm sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus, et vel a parocho, aut a loci Ordinario, vel saltem a duobus testibus. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus suprà, scripturam subsignet* ».

(2) Sub regimine Decreti *Ne temere* disputabatur utrum sponsalia, omissa praescripta sollemnitate, omni valore et effectu privarentur *etiam in foro conscientiae,* ita ut quasi inexistentia essent, nec ullam in neutro foro obligationem per se inducerent; utrum vero essent tantummodò invalida *coram solo foro externo* Ecclesiae et quoad effectus canonicos qua tales, quatenus tamquam sponsalia non agnoscerentur quidem ab Ecclesia, illis vero relinqueretur efficacia ipsis in foro interno et coram jure naturali competens. Porro licet haec altera sententia conformior videbatur Decreti tenori, a plerisque tamen Auctoribus praeferenda ducebatur prior sententia et a S. Sede confirmanda praedicebatur: qua stante controversia, obligatio, theoretice saltem dubia, poterat haberi uti practice nulla. Ita R. P. VERMEERSCH, *Ne temere,* n. 23; CARD. GENNARI o. c., p. 19 s. OJETTI, *In Jus pianum,* n. 49; DE BECKER, *Legislatio Nova,* p. 20; BESSON, apud *N. R. th.,* 1907, p. 613 ss.; CHOUPIN, o. c., 8 ss.; HIZETTE, o. c., p. 18; ALBERTI, o. c., p. 8; DOMAICA, o. c., p. 31; *Ned. Kath. Stemmen,* 1907, p. 330; ARENDT, o. c., p. 165 ss.; WOUTERS, o. c., p. 28 s.; STANDAERT, *Collat. Gandav.,* 1909, p. 304 s., et 1913, p. 214 s.; VAN DEN ACKER, o. c., p. 1 ss.; TANQUEREY, o. c., p. 14*; ARRIBAS, o. c., p. 30 s.; TRENTA, o. c., p. 20 s.; PEZZANI, o. c., p. 45 ss.; BARETT, o. c., p. 20 s.; CREAGH, o. c., p. 25; ARQUER, o. c., n. 10 et 28; DEVINE, o. c., p. 284; CRONIN, o. c., p. 299 ss.; VOGT, o. c., p. 19; BOUDINHON, o. c., n. 36; PRUMMER, apud *Th. Pr. Quartalschr.,* 1914, p. 141 ss.; KNECHT o. c., p. 73 ss., ubi in nota citatur responsum, huc spectans, S. C. C., 26 Febr. 1908.

(3) Dispositiones Decreti *Ne temere* spectabant sponsalia dumtaxat, nec adeo videbantur applicanda dicta promissioni matrimonii *non sponsalitiae,* puta unilaterali, seu quae procedit ab una tantum parte, altera parte acceptante quidem sed non repromittente: talis promissio unilateralis servabat nativam suam efficaciam, de qua sub n. 2. In hunc sensum scripserunt VERMEERSCH, o. c., n. 28; CARD. GENNARI, l. c.; OJETTI, o. c., n. 50; ALBERTI, l. c.; CHOUPIN, o. c., n. 6; HIZETTE, l. c.; ARENDT, l. c.; WOUTERS, o. c., 30 s.; VAN DEN ACKER, l. c.; STANDAERT, l. c. Contrarium vero opinabatur DE BECKER, l. c.

(4) Quinam veniant nomine *Ordinarii* et *parochi* exponetur infrà, ubi de formalitatibus consensus matrimonialis, n. 107.

(5) Si una tantùm pars scribere nesciat, huic parti substituto alio teste, videtur legi esse factum satis, quin altera pars subsignet; suadendum tamen ut haec etiam signaturam apponat.

(6) Notetur non referre quod aliena manu reliqua instrumenti scribantur, aut etiam

Haec porro scriptura est a partibus, earumve locum tenente, subsignanda *unico contextu* cum parocho seu Ordinario vel duobus testibus; nec adeo sufficit ut scriptura, ab una parte praesente simul cum parocho vel duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem absentem, quae vicissim cum parocho vel testibus subscribat (1): a. v. partes subsignantes debent esse *mutuo praesentes*, simul praesentibus testibus, adeo ut hi testari valeant utriusque sponsi consensum scriptura datum (2).

Postulatur etiam, ad sponsalium validitatem, ut in scriptura apponatur *data*, seu mentio diei, mensis et anni (3), adeo ut error, etiam involuntarius, in data, irritet contractum aut ad minus valde dubium reddat; ad valorem non requiritur indicatio *loci* (4).

Ordinarius vel parochus qui subsignare debet, tanquam testis qualificatus (5), est Ordinarius vel parochus *loci*, infra cujus limites contractus celebratur, quin referat ad valorem, vel etiam ad strictam liceitatem, utrum sit Ordinarius seu parochus proprius necne (6): non possunt autem pro hoc munere sibi alium substituere (7), nequidem delegatum ad universalitatem causarum matrimonialium (8).

---

typis imprimantur. *Signatura* autem est apponenda *propria manu*, nec valeret ope sigilli apposita, licet sub specie signaturae, nec valeret signatura facta ope machinae ad scribendum.

(1) Decr. S. C. C. 27 Julii 1908, ad 1m. — Meritò autem invocantur Decr. *Ne temere*, et decreta subsequentia illud determinantia, applicando can. 6, n. 2 et n. 4.

(2) Nihil tamen obstat quominus alterutra pars absens sibi substituat *procuratorem*, qui ejus loco, debite praesens, signaturam apponat, mentione facta accepti mandati. Nihil enim hîc obstat applicationi regulae juris (reg. 68, in VI°): « potest quis per alium quod potest facere per seipsum ». Cf. infrà, n. 124, dicenda de matrimonio per procuratorem.

(3) Idem decr., ad 2m, iterum attenta interpretationis regula canonis 6. Hanc sententiam nuperrime propugnavit HILLING, apud *Archiv f. k. K.*, 1925, p. 98 ss., ubi citantur plures Auctores eidem sententiae faventes, quibus accessit, in altera editione, VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, II, n. 281. Ibidem citantur Auctores aliter sentientes.

(4) Haec loci indicatio apparet esse opportuna; imo HILLING, l. c., p. 100, illam censet obligatoriam. — Pauci Auctores, uti LEITNER, o. c., p. 339; TRIEBS, o. c., p. 97,et KNECHT, o. c., p. 39, locum ad validitatem exigunt indicari, sed id non fundatur in jure.

(5) Ubi parochus munus implet testis communis, simul cum secundo teste subsignando, indifferens est quod sit parochus loci vel non.

(6) Decr. S. C. C. 28 Martii 1908, ad 7m; cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 470 s., ubi monetur *suadendum* esse sponsis accessum ad parochum *proprium*, et quidem parochum sponsae, qui simul sit parochus loci.

(7) Idem decr., ad 6m. Haec caeterum dispositio conformis est naturae muneris in hac re a parocho exercendi; non exercet scil. jurisdictionem, sed officio fungitur testis qualificati, quod officium delegari non potest absque speciali facultate expresse facta; quae facultas datur parocho pro assistentia ad matrimonium, non autem hic. Nec in hoc habetur inconveniens, cum parochi defectui suppleri possit adhibendo duos testes quoslibet; si parochus impeditus fuerit, vicarius vel coadjutor secundum testem communem assumat, qui simul cum ipso documentum sponsalitium subscribat. *Collat. Gandav.*, 1925, p. 76.

(8) Cf. *Il monitore*, 1912, p. 502 ss. — Practicas dispositiones circa modum celebrandi sponsalia indicat SCHÄFER, o. c., p. 37, ad tramites Instructionis episcoporum Borussiae.

11. Decreti et Codicis extensio determinatur.

4° Disciplina descripta extenditur ad omnia sponsalia, inter baptizatos celebranda (1), solis exceptis sponsalibus inter Orientales initis (can. 1); dum a disciplina Decreti *Ne temere* excipiebantur etiam schismatici et haeretici inter se sponsalia contrahentes (2).

5° Non habet dicta disciplina Codicis *vim retroactivam*, nec adeo spectat nisi sola sponsalia *exinde celebranda,* inde scil. a 19 maii 1918. Ita resp. Pont. Commissionis ad Cod. interpret., 3-4 Junii 1918, ad 6^{m} (A. A. S., X, p. 345) (3).

12. Conclusio.

Conclusio. Sponsalia (et idem valere vidimus de promissione unilaterali), extra descriptam formam celebrata, habenda sunt tanquam inexistentia, adeoque nullum producunt effectum nequidem in foro conscientiae (4). Sponsalia vero ad normam Codicis inita valent et obligationem inducunt in conscientia; non tamen ex capite sponsalium actionem concedit Ecclesia ad petendam matrimonii celebrationem, vel ad impediendum matrimonium, ne cum tertia persona celebretur; sola datur actio « ad reparationem damnorum, si quae debeatur ». Can. 1017, § 3. Cf. infrà, n. 24 s. et n. 26 (5).

Nota. Nullus determinatur *ritus sacer* pro sponsalium celebratione; quodsi alicubi viget consuetudo hujusmodi ritum adhibendi, servari potest; non posset autem, inconsulta S. Sede, novus ritus sacer introduci (6).

13. Vix adhuc locus sponsalibus praesumptis.

Corollarium. Pro sponsalibus novae disciplinae obnoxiis jam non est attendendum statutum juris, caeteroquin parùm practicum, circa sponsalia *praesumpta.* Unde negligi potest, pro dictis sponsalibus, a/ dispositio § 1, cap. unic., in VI°, IV, 2 (7) et c. 14, X, IV, 2, juxta quam matrimonium, ab *impuberibus,* non proximis pubertati et in quibus aetatem malitia non supplebat, per verba de praesenti invalidè initum, importabat sponsalia de futuro, et ex hoc capite publicam inducebat honestatem intra primum gradum, modò nuptiale foedus non fuerit ex defectu consensus (8) nec

(1) Etiam extenditur ad sponsalia celebranda in Hispania et America Latina, abrogata forma ex speciali Juris dispositione pro illis locis statuta. Cf. decr. S. C. de Sacr. 12 Martii 1910, ad 7^{m}.

(2) Dispositiones canonis 1099 afficiunt sola matrimonia, non sponsalia. — Aliter censent plures interpretes, a descripta disciplina etiamnum excipientes acatholicos inter se contrahentes: ita HILLING, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1918, p. 305 s.; KNECHT, o. c., p. 43 s.

(3) Sponsalia proinde contracta ante 19 Maii 1918 obnoxia erant disciplinae Decreti *Ne temere;* haec autem disciplina etiam carebat vi retroactiva, adeoque sponsalia diei 19 Aprilis 1908 anteriora dijudicanda sunt juxta oeconomiam antiquam, sub qua valebant sponsalia clandestina.

(4) Attende tamen dispositionem can. 1075, n. 1, circa impedimentum criminis, oriendum ex mutua promissione matrimonii non scripta, conjuncta cum adulterio. Cf. infrà, n. 659. Cf. etiam dicenda infrà, n. 26, sub 3.

(5) Circa practicam utilitatem sponsalium scripto, ac in specie coram parocho, contrahendorum, cf. SCHÄFER, o. c., p. 45 s., coll. *Schweizer. Kirchenzeitung,* 1918, p. 94 s.

(6) Cf. WERNZ-VIDAL o. c., n. 90. — Etiam non habetur praescriptio circa aedificium in quo celebranda sint sponsalia; opportunè autem celebrentur in sacristia vel in aula pastorali.

(7) « Si pubes vel impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, et in quibus aetatem malitia non supplebat, per verba contraxerint de praesenti: *sponsalia (enim) illa, quae juris interpretatione tantùm fuerunt sponsalia de futuro,...* per adventum pubertatis in matrimonium non transeunt de praesenti...; per dictum tamen contractum, qui valuit ut potuit, non sicuti agebatur, publicae honestatis justitia est inducta ».

(8) Cap. unic., in VI°, IV, 1.

ex capite clandestinitatis (1) irritum. Idem dicendum b/ de dispositione cap. unic., in VI°, IV, 2, de qua suprà, sub n. 6, circa sponsalia a parentibus contracta; ac pariter judicandum est c/ in causa sponsalium quae olim praesumebantur exsurgere ex copula succedente matrimonii promissioni unilaterali a viro factae respectu mulieris honestae. Cf. *ibidem*.

14. Jus antiquum.

Scholion. In *Jure Romano* variae sollemnitates observabantur, sed non uti essentiales. Nimirum celebrari solebant in *Forum*, coram testibus qui sponsores dicebantur (horum defectui postea supplevit usus tabularum sponsalium); tradebatur annulus cum arrhis et etiam osculum. LAFOURCADE, o. c., p. 68 s. et 85; CHÉNON, o. c., p. 2 ss. et p. 15 ss.

In *Jure Germanico* antiquo etiam usitatae erant quaedam formalitates, quas describit COLIN, o. c., p. 85 ss.

Quod spectat *usus populares* medii aevi, cf. COLIN, o. c., p. 134 s. Notat etiam LAFOURCADE, o. c., p. 184, a Ludovico XIII, rege Galliae, praescriptum fuisse, in celebratione sponsalium, usum *scripturae*, non ad sollemnitatem, sed ad probationem. Quod attinet praxes, hodiedum vigentes, in locis ubi sponsalia existunt, cf. ESCARD, l. c.

ARTICULUS 3°. De Subjecto.

15. Subjectum sponsalium.

Ad sponsalia validè ineunda requiritur:

1° *usus rationis*, cum sufficienti *discretione* ut obligatio matrimonii ineundi suscipienda saltem confuse cognoscatur: secus enim nequit consensus dari in futurum matrimonium;

2° *habilitas* ad matrimonium quondam ineundum.

Primum requisitum deest apud amentes et furiosos, nisi contrahant in intervallo lucido, non autem per se apud surdos vel mutos, imo, attenta instructionis methodo hodierna, nec semper apud surdo-mutos, etiamsi simul caecos. Cf. cc. 23-25, X, IV, 1.

Ad illud, ex una parte, non sufficit septennium: illo quidem completo, supponitur usus rationis, sed non rarò adhuc desideratur necessaria discretio; ex alia parte, adesse potest rationis usus ac etiam sufficiens discretio, ante plenum septennium: censetur quidem puer non esse sui compos, adeoque deesse praesumitur rationis usus (can. 88, § 3), sed praesumptio est juris tantum, adeoque cedit veritati.

Secundum requisitum supponit absentiam impedimenti dirimentis sponsalium, de quo sub n. 29 s.

16. Quid olim de non septennibus.

Nota. 1. Ante novi Codicis disciplinam requirebatur, uti meritò docetur, *aetas septennalis*. Possunt quidem, uti modò notavimus, pueri nondum septennes, in quibus malitia supplet aetatem, sufficienti ratione esse praediti ut coram jure naturae apti existant ad sponsalia contrahenda; sed

(1) Cf. declarationem S. C. C., 4 Dec. 1597, relatam apud FEYE, o. c., n. 282 et WERNZ, o. c., IV, n. 161, nota (113), et n. 326.

hucusque censebantur *jure ecclesiastico* inhabilitari ex praesumptione *juris et de jure* deficientis rationis: quod, contra SANTI, o. c., 1, IV, tit. II, n. 4, eruendum volumus ex cc.. 4, 5, 13, X, IV, 2 et cap. unic. in VI°, IV, 2 (1), coll. *dicto* Gratiani ad cap. unic., C. XXX, 2.

17. Quid de sponsalibus impuberum.

2. *Impuberes* non sunt, ratione impubertatis, ad sponsalia inepti, neque coram jure naturae, cum agatur de promissione *futuri* matrimonii, neque coram jure canonico (2); hujusmodi etiam sponsalia jam non sunt rescindibilia, quemadmodum erant sub disciplina anteriori (3).

ARTICULUS 4^s^. **De Adjunctis Sponsalium.**

A. **Juramentum.**

18. Quid operetur in sponsalia juramentum;

Juramentum sponsalibus validis accedens, obligationi justitiae nuptias celebrandi addit obligationem *religionis:* quae obligatio urget quousque manent sponsalia et cessat cum eis; sponsalia autem aliunde invalida, puta absque forma sollemni celebrata, non convalidat juramentum (4), imo nec valet, ut videtur, ipsum juramentum, hujusmodi sponsalibus accedens (5).

B. **Conditio.**

19. conditio apposita :

Remissa ad n. 151 ss. notionum expositione, et latiori principiorum evolutione, haec sufficiant:

1° Sponsalia inita sub conditione *resolutoria* existunt valida, et inducunt proprios suos effectus, cessant autem existere statim ac apposita conditio verificatur. *resolutoria,*

2° Inita sub conditione *suspensiva* de futuro: a/ *repugnante substantiae contractus,* sive sponsalitii sive matrimonialis, irritantur sponsalia, si serio fuit adjecta; b/ *non repugnante substantiae contractus,* si *possibilis* sit et *licita,* suspenduntur sponsalia, donec verificetur conditio, et, ea purificatâ, incipiunt existere; idem dicendum videtur de conditione *turpi* seriò adjecta (6); quod autem spectat *suspensiva.*

---

(1) « Si infantes ad invicem vel unus major septennio et alter minor sponsalia contraxerint,... sponsalia hujusmodi quae ab initio nulla erant... publicae honestatis justitiam non inducunt ». Cf. etiam in Jure Romano, L. 14 Dig., XXIII, I: cujus legis dispositionem refert Ivo Carnutensis, *Panormia,* VI, c. 13 (*Migne,* t. 161, col. 1246). Cf. ROCHE, o. c., p. 11 s.

(2) In eumdem sensum cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 83; HILLING, apud *Archiv f. k. K.,* 1925, p. 296; CAPPELLO, o. c., n. 85, contrariam sententiam tuetur; item TRIEBS, o. c., p. 91.

(3) Cf. infrà, n. 34. Quod autem impuberes ante novum Codicem non erant ad sponsalia contrahenda inhabiles, id liquet ex titulo 2° libri IV Decret., necnon ex VI Decr., l. IV, 2.

(4) Cf. LAFOURCADE, o. c., p. 166; DIGNANT, *De Virtute Religionis,* n. 256 s. Circa opinionem quae adscribitur Ivoni Carnutensi, quasi sponsalibus *juratis* tribuerit vim matrimonii, cf. ESMEIN, o. c., I, p. 104 ss.

(5) Cf. VAN DEN ACKER, o. c., p. 13 s. et, in contrarium sensum, WOUTERS, o. c., p. 31 ss.

(6) VLAMING, o. c., n. 104, tenet sponsalia sub conditione turpi irritari et nullam obligationem nubendi inducere, purificata conditione. In eumdem sensum LINNEBORN, o. c., p. 53.

conditionem *impossibilem:* reddit sponsalia nulla, cum seriò adjecta (ad impossibilitatem non attendente) sponte sua irritet consensum, jocosè autem addita supponat consensum non seriò emissum (1).

Ubi suspenditur contractus, suspenditur obligatio matrimonium ineundi cum persona desponsata (2); prohibitio autem nuptias celebrandi cum tertia persona manet, cum exspectanda sit conditionis verificatio, solo excepto casu quo conditio opposita fuerit turpis (3).

Quod spectat peculiarem conditionem obtinendi dispensationem super impedimento matrimonii, cf. infrà, n. 30.

20. Copula superveniens : coram jure antiquo, inducebat matrimonium praesumptum,

C. **Copula.**

Ante Concilium Tridentinum, copula, sponsalibus rite contractis succedens, matrimonium inducebat *coram foro externo,* praesumptione *juris et de jure,* praesumptione nempe quae non admittebat probationem in contrarium (4). Aliis verbis, copula inter sponsos admissa censebatur, *in foro externo* (5), peracta animo conjugali, adeoque involvebat, coram Ecclesia, consensum matrimonialem ac contractum constituebat, idque ita ut huic praesumptioni frustrà opponeretur affectum materialem prorsus defuisse, ac copulam intercessisse fornicariam, vel et violenter coactam (6).

---

(1) Dispositio can. 1092, n. 1, quatenus conditio impossibilis aut turpis pro non adjecta habeatur, videtur solum attingere matrimonium.

(2) Olim, sub disciplina anteriori ad Codicem, suspendebatur etiam impedimentum publicae honestatis, ita ut matrimonium, a sponso cum sorore sponsae ante conditionis verificationem initum, validum fuerit.

(3) Quando dubia est natura conditionis adjectae vel ejus vis suspensiva aut irritativa, favendum est potius libertati, dum contrà respectu matrimonii standum est pro valore actus.

(4) Cf. decretum Alexandri III, IV Decr., l. c. 13, *Veniens,* et prae caeteris decretum Gregorii IX, eodem titulo, c. 30: « Is qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta, si in facie Ecclesiae ducat aliam et cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet praesumptum primum matrimonium videatur, contra praesumptionem tamen hujusmodi *non est probatio admittenda.* Ex quo sequitur quod nec verum nec aliquod censetur matrimonium quod de facto est postmodum subsecutum ». Idem testatur Leo XIII, in Constitutione *Consensus mutuus,* de qua mox, docens quod laudati SS. Pontifices « in hac juris praesumptione tantum roboris inesse voluerunt, ut firmum ipsa statueret sanciretque jus nec probationem contrariam ullam admitteret », nisi directam utique et omninò evidentem. Circa notionem praesumptionis et varias ejusdem species, cf. can. 1825.

(5) In foro *interno* haec praesumptio cedebat veritati, et in conscientia validum erat habendum aut invalidum matrimonium illud praesumptum, prout necne sponsi maritali cum affectu carnaliter fuerint permixti. Quae sanè oppositio inter utrumque forum nata erat conflictum parere, ac talem inducere conditionem in qua vir esset, sub poena excommunicationis, cogendus assumere uti uxorem mulierem non suam, relicta altera quam vinculo in conscientia valido sibi copulaverit.

(6) Censet ESMEIN, o. c., t. I, p. 142 ss., illam disciplinam, vi cujus sponsalia, subsecutà copulà, ipso jure transibant in matrimonium, fuisse introductam sub influxu *Copulatheoriae,* quae olim non paucis Doctoribus placuit, quatenus, juxta tritam formulam, *conjugium desponsatione initiatur et commixtione perficitur;* per copulam nempe qua talem et seorsim spectatam, abstractione facta ab animo quo fuit peracta, accedebat desponsationi (matrimonio initiato) elementum matrimonium perficiens; et ita intelligeretur matrimonii valori non obfuisse animi conjugalis defectum. Cf. etiam WATKINS, o. c., p. 133 s.

Atvero, seposita quaestione intricata, postea latius agitanda, de copulatheoria, quousque in jure fuerit recepta, aptior et magis obvia videtur disciplinae interpretatio in textu proposita: matrimonium scilicet in casu censebatur constitui non copula

Inde a Concilio Tridentino, invalidante matrimonia clandestina et ad valorem exigente consensus praestationem coram parocho et duobus testibus, matrimonia dicta praesumptione praesumpta (1) eo ipso sunt abrogata (2) *pro omnibus locis in quibus caput Tametsi vigebat,* servato antiquo jure Decretalium in locis dicto decreto non subjectis.

21. non jam coram disciplina praesenti.

Mansit igitur, usque ad haec tempora, in suo vigore praesumptio juris et de jure, inducens matrimonium praesumptum ex copula sponsorum, pro omnibus et solis regionibus in quibus nuptiae absque forma Tridentina valide iniebantur (3). Nuper autem, *die 15 Februarii 1892,* Leo XIII, Constitutione *Consensus mutuus* (4), priscum illud jus abolevit et pro

---

(desponsationem sequenti) qua tali, sed copula, in quantum praesumebatur exhibere affectum et consensum conjugalem.

LAFOURCADE, o. c., p. 170 ss., supponit dictam praesumptionem esse indictam ad occurrendum fraudi illorum qui, clandestino matrimonio conjuncti et maritaliter viventes, conjugale consortium vellent abrumpere, contendentes sese praestitisse consensum non matrimonialem sed mere sponsalitium.

Caeterum hujusmodi praesumptiones non erant inauditae vel in ipso *Jure Romano,* cujus dispositiones non paucas suas fecit Ecclesia. Ita SEHLING, *Unterscheidung,* p. 14-16, ostendit quomodo, in Jure Romano, ex deductione mulieris in domum mariti consensus matrimonialis et ipsum matrimonium praesumebatur; imo, apud ESMEIN, o. c., t. I, p. 103, citatur *Novella* 74, juxta quam sponsalia per copulam transibant in matrimonium. Cf. etiam LAFOURCADE, o. c., p. 75 et 96.

Notari etiam juvat similem disciplinam adhuc existere in jure civili *Sueciae* et *Scotiae,* quemadmodum id refert LAFOURCADE, o. c., p. 220 et p. 227: « Lorsque les fiançailles ont été suivies de cohabition, la *copula carnalis* produit des effets analogues à ceux qu'elle engendrait dans l'ancienne théorie des *matrimonia praesumpta.* Elle forme un mariage imparfait, irrégulier, qui ne peut être rompu que s'il existe une cause légitime de divorce. Le mariage doit être célébré; si le fiancé s'y refuse, sa fiancée est declarée son épouse légitime et jouit sur les biens de son mari de tous les droits que lui assure la loi ». Cf. TRAVERS, o. c., n. 18; NYSTRÖM, o. c., p. 245 s.; *De la Juridiction,* p. 190 s.

(1) Circa notionem matrimonii *praesumpti,* cf. infrà, n. 158.

(2) Quod Conc. Trident. matrimonia praesumpta, in casu nostro, abrogaverit pro locis in quibus viget decretum Tametsi, id aperte docet Leo XIII, in laudata Constitutione: « Deinde vero matrimonia clandestina... quum Concilium Tridentinum irrita infectaque esse jussisset, jus illud priscum, ut erat necesse, valere desiit ubicumque promulgata est vel moribus usuque recepta Tridentina lex ».

Et sane copula per se sumpta, quantumvis sponsalibus succedens, non exhibet necessario nec manifestat affectum ac consensum matrimonialem, cum alio plane animo peragi possit, sed meram ejus praesumptionem inducit, ac proinde, etiam si illi praesentes fuerint parochus et duo testes, non importat consensum in forma Tridentina praestitum.

Quare respuenda est fantastica hypothesis *Sanchezii,* quasi copula sponsalibus in facie Ecclesiae celebratis succedens, et coram parocho et testibus peracta, etiam sub disciplina Tridentina, validum constituerit matrimonium praesumptum: « Quando, tam sponsalia de futuro quam copula sunt coram eodem parocho et testibus, dicendum est jus antiquum manere illaesum, atque ita transire in matrimonium verum quidem, si animo conjugali, praesumptum vero, quando fornicaria haberetur copula, adeo ut probata copula et sponsalibus praesumeret Ecclesia matrimonium cogeretque ad illud, sicut ante Tridentinum cogebat ». O. c., III, Disp. 40, n. 7. Cf. etiam ESMEIN, o. c., t. II, p. 210 s.

Quoad reliquas species matrimonii praesumpti, utrum a Conc. Tridentino fuerint abrogata pro locis subjectis, cf. infrà, n. 158, ubi de matrimoniis praesumptis.

(3) Hoc etiam confirmat Leo XIII, in memorata Constitutione, inquiens: « quibus autem illa (lex Tridentina) locis non viget, in iis semper Apostolicae Sedis judicium fuit, canones (Decretalium)... ratos atque firmos permansisse ».

(4) *Collectanea S. C. de P. F.,* n. 1279. Circa hujus Constitutionis interpretationem, haec ulterius attendenda monet WERNZ, o. c., n. 104, nota (114), collato n. 29, nota (12): 1/ cavendum est ne novum jus a Leone XIII constitutum etiam extendatur ad *alias* praesumptiones juris, (sive simplices sive) juris et de jure, in causis matrimonialibus; 2/ « quamvis Constit. *Consensus mutuus* expressam formalemque clausulam de vi retroactiva non habeat, tamen omnibus causis *post* 15 Febr. 1892 in foro ecclesiastico *introductis*... videtur applicanda, etiamsi sponsalia cum subsequenti copula locum habuerint *ante* 15 Febr. 1892. Nam R. Pontifex quascumque juris sanctiones contrarias adeo funditus pro abrogatis et obsoletis vult habere, « *ac si numquam prodiissent* ».

abolito ac abrogato, ac si nunquam prodiisset, haberi voluit, mandans ut « deinceps illis *in locis, in quibus conjugia clandestina pro validis habeantur*, a quibusvis judicibus ecclesiasticis, in quorum foro causas ejusmodi matrimoniales agitari et judicari contigerit, copula carnalis sponsalibus superveniens non amplius ex juris praesumptione (juris et de jure) conjugalis contractus censeatur, nec pro legitimo matrimonio agnoscatur seu declaretur » (1).

Sub praesenti igitur *disciplina* nullibi jam, per copulam sponsalibus supervenientem, inducitur matrimonium *praesumptione juris et de jure*, sive matrimonium obnoxium sit decreto clandestinitatis *Ne temere* aut Codici sive ab eis exemptum: hoc tantummodo intercedit discrimen, quod connubium Decreto *Ne temere* et novo Codici subjectum non possit per copulam contrahi, conjugium vero exemptum possit per copulam convalescere, sed per solam copulam animo conjugali peractam.

D. **Poena, arrhae, munera.**

22. *Quandonam sint restituenda munera sponsalitia,*

Contingit poenam stipulari contra sponsalia resilientem; contingit quoque mutuò dari arrhas, res nempe mobiles vel immobiles in sponsalium signum et pignus fidei datae explendae; passim etiam munera traduntur, praesertim ex parte sponsi, in signum amoris et benevolentiae. Porro

1° *Munera*, si minoris sunt momenti pro statu fortunae, censentur absolute tradita, et non sunt restituenda quacumque in hypothesi, licet plerumque, solutis sponsalibus, restituuntur; si pretiosiora sunt, censentur data sub conditione implicita matrimonii ineundi, et, eo inito, servantur, eo autem repudiato, reddenda sunt mutuò, nisi quod interdum retineri possent, titulo compensationis, ab eo contra quem injuste resiliuntur sponsalia.

arrhae.

2° *Arrhae* seu pignora (2), inito matrimonio, possunt repeti; rescissis autem sponsalibus, restitui debent ab injuste resiliente et servari possunt ab altera parte; et, si juste resiliatur contractus, utrimque reddendae sunt arrhae (3). Neque ex natura rei neque ex jure positivo prohibentur nec unquam fuerunt prohibitae.

23. *Poena stasfuta quousque obliget.*

3° Circa **poenam** forte stipulatam contra resilientem jam dicendum videtur: valet vel non valet stipulatio prout statuitur contra partem

(1) Ad hoc motus fuit S. Pontifex, tum variis incommodis oriri natis ex conflictu inter utrumque forum, tum ex eo quod, uti refertur in ipsa Constitutione, « plures Episcopi ex iis regionibus, in quibus matrimonia clandestina contra fas quidem inita, sed tamen valida judicantur, haud ita pridem rogati quid populus ea de re sentire videretur, plane retulerunt canonicam de conjugiis praesumptis disciplinam passim exolevisse desuetudine atque oblivione deletam, propterea vix aut ne vix quidem contingere ut copula inter sponsos affectu maritali et non fornicario habeatur: eamque non matrimonii legitimi usum sed fornicationis peccatum communi hominum opinione existimari: imo vix persuaderi populo posse, sponsalia de futuro per conjunctionem carnalem in matrimonium transire ».

(2) Inter arrhas primum locum tenebat *annulus sponsalitius*, seu pronubus: unde annuli traditio dicebatur *subarrhatio;* ita c. 3, C. XXX, 5: « Postqaum arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit ». Alia tamen praeter annulum pro arrhis tradi solebant, ut liquet ex MARTÈNE, o. c., l. II, p. 2, p. 640 s., ubi refert rituale statutum: « Sacerdos benedicit annulum cum arrhis »; coll. p. 616. Cf. etiam LAFOURCADE, o. c., p. 89 s.; CHÉNON, o. c., p. 6 ss.; GLASSON, o. c., p. 159.

(3) Illa restitutionis obligatio non afficiebat annulum, qui, sub hoc respectu, habebatur pro munere sponsalitio. Cf. CHÉNON, o. c., p. 7.

injuste vel contra partem juste resilientem; ita namque est ex rei natura, et nulla dispositio in Codice aliter statuit (1).

Olim, sub oeconomia ante Codicem vigente, locus erat controversiae pro casu poenae statutae contra partem injustè resilientem; praeferenda autem videbatur sententia docens hujusmodi stipulationem *a jure* invalidari.

Revera sententiae obligationem neganti non obscurè favebat c. 29, X, IV, 1: in hoc nempe canone decernit Gregorius IX poenam in sponsalia resilientem statutam non posse exigi; agitur quidem de sponsalibus ex defectu aetatis invalidis, sed, in ratione adducta, attingit S. Pont. quamcumque poenae appositionem: « cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae interpositionem sit meritò improbanda ».

Insuper Jus Romanum (L. 19, Dig. XLV, 1), cui plerumque conformebatur jus canonicum, ubi de contrario non constat, rejicit omnem poenae stipulationem privatim factam. Nec valet paritas cum arrhis, quae permittuntur, cum pro ipsis minus timendum sit a nociva exorbitantia, idque vel ex eo quod in praesenti dantur, dum poenae pro futuro statuuntur (2); caeterum in positivis non valet illatio a pari.

Quibus argumentis, si non demonstrabatur, saltem valde probabilis reddebatur sententia negans obligationis existentiam respectu hujusmodi poenae: qua stante probabilitate, non poterat injustè resiliens cogi ad poenam solvendam, licet altera pars, favore dubii, potuerit ejusdem solutionem requirere et retinere (3).

Caput II

DE EFFECTIBUS SPONSALIUM.

I. Coram jure naturali et conscientia:

24. Effectus sponsalium: obligatio triplex,

A. Contrahitur ex sponsalibus validis *triplex obligatio:*

1ª obligatio gravis justitiae *contrahendi matrimonium* cum persona desponsata *congruo tempore:* tempore scilicet ab ipsis contrahentibus statuto, vel, si nullus terminus fuerit praefinitus, tempore ab usu et consuetudine determinato (4).

Est obligatio *justitiae,* cum sponsalia constituant contractum bilateralem, per consensum mutuum in effectum juris stricti; est *gravis,* siquidem agitur de gravi materia.

---

(1) Censemus scil., sub disciplina Codicis, non esse habendam rationem dispositionum juris positivi, antea vigentis. Cf. in sensum contrarium, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 92, in nostrum vero sensum, CAPPELLO, o. c., n. 103, ubi tamen additur quod in praxi, attenta alterius sententiae probabilitate, obligatio poenae solvendae non esset urgenda contra partem injustè resilientem.

(2) Cf., pro sententia negante, SANTI, l. c., n. 28 et s.; WERNZ, o. c., IV, n. 99. sub VI; et, pro altera sententia, SCHMALZGRUEBER, *in l. IV Decr.,* tit. I, n. 138-148, et GASPARRI, o. c., I, n. 59-61.

(3) Opponi posset pro arrhis, quatenus potuerit stipulari quod, una parte pignoris hic et nunc tradita, postea duplicaretur illa pars vel quadruplicaretur. Cf. tamen WERNZ, o. c., IV, n. 108; LAFOURCADE, o. c., p. 87-88 et 94; ROCHE, o. c., p.21-24.

(4) *Collat. Brug.,* t. XI, p. 693; suprà n. 2, in nota. Cf. MARTÈNE, o. c., l. I, P. 2, p. 632, 639 et 643, unde apparet olim saepe intercessisse inter sponsalia et matrimonium 40 dierum spatium. Cf. etiam LAFOURCADE, o. c., p. 191 s.

2ª obligatio, prima nitens, servandi *fidelitatem sponsalitiam,* mutuam nempe agendi amorosam conversationem, juxta adjuncta et mores receptos, exclusa omni procationi cum tertia persona intuitu matrimonii, etiam specietenus, instituenda.

3ª obligatio, prima etiam nitens, ut sponsi seipsos *non reddant ad matrimonium ineptos,* puta ex impotentia, vel notabiliter deteriores, defectum voluntarie contrahendo quo notabiliter vilescant in ordine ad nuptias promissas ineundas.

Ratio est quia, in ipso consensu circa matrimonium postea ineundum, implicite continetur conventio mutua de non impedienda executione promissionis per obstaculum voluntarie opponendum. Aliis verbis, in sponsalibus conceditur non quidem jus in re, sed *jus ad rem* in corpus mutuum, jus nempe ad jus in re, seu jus in futurum usum corporis: quod importat jus ad hoc ut corpus illud non reddatur usui conjugali ineptum vel notabiliter minus aptum.

et prohibitio nubendi tertiae personae;

B. Inducitur, consequenter ad primam obligationem, *prohibitio juris naturalis* matrimonium ineundi cum tertia persona, quousque firma consistunt sponsalia. Exinde etiam sequitur irritatio sponsalium cum tertia persona, stantibus prioribus sponsalibus, aut suspensis sponsalibus conditionatis, ineundorum (1).

Nota 1° Non desunt Auctores qui doceant obligationem matrimonium ineundi cum persona validè desponsata, seclusa solubilitatis causa, esse *alternativam* dumtaxat, quatenus pro objecto habeat nubere vel indemnitatem dare pro damno forte illato (2). Etiamsi dicatur obligatio absoluta — quod videtur probabilius (3) — practicè tamen non est urgenda contra sponsum reluctantem, sed nitendum ut res amicè componatur aut a S. Sede solvatur ad modum, sub n. 39, proponendum.

2° Ex promissione *unilaterali,* in forma canonica facta, oriri possunt, pro parte promittente, eaedem obligationes, hac salva differentia quod obligatio sit regulariter ex sola *fidelitate* et de se levis. Cf. suprà, n. 2, in nota.

II. **Coram Ecclesia et in foro externo:**

25. ablato impedimento dirimente publicae honestatis;

Sublato impedimento dirimente publicae honestatis ex capite sponsalium, sublato etiam impedimento canonico impediente spon-

(1) Cf. infrà, n. 30.

(2) DE BECKER apud *Ephem. theol. Lovan.,* 1925, p. 272 s.; CERATO, o. c., p. 15 s.; WERNZ-VIDAL, n. 56, nota 102, coll. nota 101.

(3) Tenor can. 1017, § 3, videtur hoc non obscure innuere: supponit scil. adesse obligationem fori interni, cum dicat promissionem matrimonii (debita in forma factam) esse validam, cumque in eodem textu loquatur de causa excusante ab illa implenda; sed negat illam obligationem esse urgendam in foro externo.

salium, sola agnoscitur, coram foro ecclesiastico, *actio « ad reparationem damnorum,* si qua debeatur ». Can. 1017, § 3.

Explicatio.

1° Uti ex infrà dicendis liquebit, impedimentum dirimens publicae honestatis, quod ante Codicem oriebatur ex sponsalibus (1), jam non oritur, juxta can. 1078, nisi ex matrimonio invalido aut publico concubinatu.

necnon canonico impedimento impediente sponsalium.

2° Quod spectat *impedimentum impediens sponsalium:* manet utique, juxta modò dicta, impedimentum *juris naturalis,* prohibens in conscientia nuptias ineundas cum tertia persona, idque consequenter ad obligationem juris naturalis matrimonium ineundi cum sponsa; sed, cum Ecclesia illam prohibitionem *non urgeat in foro externo,* ac, in favorem libertatis matrimonii, deneget omnem actionem (i. e. jus prosequendi judicialiter) ad petendam matrimonii celebrationem cum persona desponsata (can. 1017, § 3), adeoque ad impediendum matrimonium cum tertia persona, censetur abrogatum impedimentum *canonicum,* seu *juris ecclesiastici.*

3° Quodsi Ecclesia actionem non dat ad petendam matrimonii celebrationem, actionem concedit *ad reparationem damnorum:* quae actio non conceditur ratione ipsius inexecutionis sponsalium, cum eorum executio in foro externo non urgeatur; sed tantum ratione damnificationis occasione sponsalium horumque disruptionis reïpsa illatae, puta ex capite expensarum intuitu futuri matrimonii factarum, supposita utique injusta contractus sponsalitii disruptione (2).

---

(1) Impedimentum dirimens publicae honesatis manebat etiam post dissoluta sponsalia; non tamen oriebatur, inde a concilio Tridentino, nisi ex sponsalibus validis et absolutis. — Juxta cap. unic. in VI°, IV, 1, sponsalia absoluta, etiam invalida ex alia ratione quam ex defectu consensus, inducebant publicam honestatem, idque, juxta computum Innocentii III (8, X, IV, 14), usque ad 4^{m} gradum; Concilium autem Tridentinum jam non admiserat impedimentum publicae honestatis, nisi ex solis sponsalibus validis illudque reduxerat ad primum gradum. Cf. sess. XXIV, cap. 3, *De Reformatione matrimonii.*

(2) Similis oeconomia viget in jure nostro civili, nisi quod a codice nostro civili, secus ac in jure canonico, ipsa sponsalia censentur nulla, idque nulla « d'ordre public », utpote nociva libertati, juxta notata sub. n. 4. Nimirum, coram nostro jure Belgico, pariter locus est actioni in damni reparationem, et quidem non ratione solius inexecutionis promissionis, sed quatenus « l'abandon par le fiancé de la future conjointe (ou vice-versa) peut donner lieu à une action en dommages-intérêts, s'il est accompagné de circonstances qui révèlent une faute délictuelle ou quasi-délictuelle, dans le chef de la partie qui n'exécute pas sa promesse et qui occasionne par son fait et sa faute un préjudice matériel (puta ob expensas ab altera parte factas intuitu matrimonii) ou moral (p. ex. en portant atteinte à son honneur et à sa considération)... Cette responsabilité existe... du moment que la rupture est faite capricieusement, sans motifs légitimes, ou avec légerté ». Ita tribunal civile Brugense, 20 Nov. 1912 (*Pasicrisie,* 1913, III, p. 167 ss.); cf. decis. Tribunalis Tornacensis, 21 Julii 1913, apud *Pasicrisie* 1914, III, p. 9 ss.; arrêts de la Cour de Gand, 4 Nov. 1915 et 3 Mai 1917 (*Pasicr.,* 1915-1916, II, p. 189 et 1917, II, p. 234 ss.). Circa oeconomiam juris civilis, cf. *Rev. cath. de droit,* 1912, p. 67 ss.; PLANIOL, o. c., n. 788 s.; LAFOURCADE, o. c., p. 199-215, coll. p. 231 ss., qui Auctor, p. 216 ss., refert varias, in hac re, legisla-

Circa hanc actionem reparationis damnorum *Pontif. Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos*, 2-3 Junii 1918, ad 1[m] et 2[m], decrevit eam « non suspendere matrimonii celebrationem », actionem autem illam esse *mixti fori,* i. e. pertinere ad forum ecclesiasticum et ad forum civile. A. A. S., X, p. 345, coll. can. 1553, § 2, 1554 et 1933, § 3 (1). Cf. infrà, n. 425.

26. Notanda.

Nota. 1. Dispositio, quatenus ex sponsalibus jam non oriatur publicae honestatis impedimentum, nec canonicum impedimentum sponsalium, applicatur non modò sponsalibus sub disciplina novi Codicis ineundis, sed etiam sponsalibus antea contractis. Et ita juvenis qui ante Pentecosten 1918 valida contraxit sponsalia, validè iniret nunc matrimonium cum sorore sponsae, nec etiam in foro externo foret ab hoc matrimonio prohibendus. Ex alia parte sponte intelligitur quod matrimonium, ante dictum diem cum praefata sponsae sorore sine dispensatione celebratum, invalidum esset ac maneret. Cf. Pont. Com. Cod., 2-3 Junii 1918, ad 6[m], apud A. A. S., X, p. 346 (2).

2. Egimus hic unicè de obligatione matrimonii ineundi, exsurgente ex *sponsalibus*, et quidem *qua talibus,* abstractione facta a variis adjunctis quae sponsalibus accedere possunt. Utrum autem et quaenam obligatio respectu matrimonii sequi possit ratione copulae habitae sive cum sive absque praegnantia: haec potius pertinent ad tractatum *de Justitia,* ubi de restitutione laesae castitatis et pudicitiae (3).

---

tiones, in specie jus anglicum, in quo sponsalibus agnoscitur obligatio propria contractus, licet sponsi non possint cogi ad matrimonium, et jus novum in Germania introductum inde ab anno 1900. Cf. etiam SCHERER, o. c., par. 110, p. 140 ss.; GLASSON, o. c., p. 270 s.; *Rev. eccl. de Metz,* 1900, p. 25 s.; CRÉTINON, l. c., p. 160 s.

(1) Actio, cum spectet reparationem damnorum, pertinet ad forum civile; cum autem fundetur in sponsalibus, quae ad matrimonium ordinantur, pertinet etiam ad Ecclesiam. Integrum est proinde parti laesae judicem adire sive ecclesiasticum, sive civilem; attento autem can. 1553, § 2, locus est praeventioni, adeoque competens est judex qui alium judicem praevenerit in causa suscipienda, nec adeo potest pars laesa alium judicem adire, priore relicto, ac locus esse potest poenis, de quibus in can. 1554.

(2) Immeritò contradicit *Revue des sciences relig.* (Strassburg), 1922 p. 505. Ex eo scil. quod dispositiones Codicis non habent vim retroactivam, sequitur quidem validitatem sponsalium, ante Codicem contractorum, etiam nunc esse dijudicandam juxta disciplinam Codici anteriorem; non vero sequitur impedimentum publicae honestatis, quod ex eis oriebatur tunc, etiam nunc, sub praesenti disciplina, esse attendendum: matrimonium hic et nunc contrahendum obnoxium est solis impedimentis nunc vigentibus, adeoque non est obnoxium publicae honestati ex sponsalibus.

(3) Huc summatim redit doctrina ibidem proposita: Sola *copula,* ubi non importat, ut supponitur, sponsalia (n. 6), non inducit obligationem nubendi, nequidem ubi est violenter peracta: sufficit in hoc casu ut stuprator damna illata alio modo reparet, putà dotando, juxta adagium: duc vel dota.

Si copulam sequitur *impraegnatio* seu prolis generatio, oriri potest obligatio *pietatis* matrimonii ineundi erga prolem, ad hanc legitimandam. Si copula fuit concessa *propter* fictam promissionem matrimonii ab altera parte: regulariter habetur obligatio pro promittente, non quidem vi promissionis, sed vi injuriae illatae, ad matrimonium ineundum, cum aliter non possit reparare injuriam. Cf. *Collat. Brug.,* t. II, p. 615 ss.

Quod autem spectat obligationis *extinctionem:* attende primo, obligationem pietatis

3. Ubi dictum est (n. 12) promissionem sponsalitiam non scriptam nullum inducere effectum, nequidem in foro interno, id intellige *per se* et ratione ipsius promissionis. *Per accidens* namque et aliunde potest exsurgere obligatio, occasione illius promissionis factae: obligatio nempe sive ad matrimonium ineundum, ex capite copulae aut occasionis proximae peccandi, juxta modò dicta sub 2, sive ad damna reparanda, quatenus v. gr. alterutra pars, dicta promissione illusa, varias expensas fecerit intuitu matrimonii; haec autem obligatio reparandi damna non urget nisi in solo foro interno, cum actio in reparationem damnorum in foro externo non detur nisi post sponsalia ritè inita.

Caeterum, seposita omni obligatione ad nubendum vel ad damni reparationem, incongruum esset et aequitati contrarium a promissione matrimonii, quantumvis non formata, absque serio rationis motivo recedere.

27. Sponsi, cum tertia persona fornicantes, injustitiae reatum contrahunt.

Corollarium. Ex dictis solvi potest quaestio multùm disputata, utrum necne *sponsi, fornicando cum tertia persona, speciali injustitiae malitiae in confessione declarandae sint abnoxii erga alteram partem;* in quo dubio solvendo, alii gravis injustitiae reum proclamant tam sponsum quam sponsam fornicantem, alii solam sponsam, dum alii tandem utramque partem a gravi injustitia, saltem probabiliter, excusandam putant.

Jamvero praeferendam ducimus primam sententiam, quatenus *utrique parti fornicanti gravis injustitiae reatus sit agnoscendus* (1), in supposito quod agatur de honestis familiis (2).

Et requidemvera per sponsalitiam fidem suscepta est non tantum obligatio matrimonium ineundi, sed et obligatio, in priori implicitè contenta, non reddendi corpus ad usum conjugalem ineptum aut deterius: per fornicationem autem non parùm corrupti censentur sponsi ac polluti respectu matrimonii ineundi, et ita graviter violatur praestita fides sponsalitia (3).

---

facilius cessare quam obligationem justitiae; secundo, generatim cessare obligationem justitiae ex causis extinguentibus obligationem sponsalitiam, juxta dicenda sub cap. 4°; tertio, obligationem, ubi manet, vix unquam esse in conscientia urgendam contra partem invitam et repugnantem, sed potius esse recurrendum ad compositionem et amicam litis solutionem, uti de sponsalibus dicetur sub. n. 39.

Nihil diximus de casu copulae cum merè accedente promissione matrimonii, nec de casu copulae concessae propter seriam promissionem matrimonii: si namque, ex natura rei, in utroque casu oriretur obligatio justitiae ad nubendum, haec obligatio videtur irritari per dispositionem can. 1017, § 1.

(1) Sumitur fornicatio seorsim et in se spectata, abstractione facta ab amorosa frequentatione quae forsan praecesserit quasi intuitu matrimonii: secus ex hoc etiam capite injuriosè frangeretur fides sponsalitia, juxta modo dicta.

(2) Profecto si talis sunt conditionis sponsi ut se invicem pollutos sciant, ac parùm curent de mutua honestate, non multùm foedari sibi invicem videbuntur ex nova fornicatione, ac nullam vel levem habebunt injuriam, non tantum si sponsus fornicetur, sed etiam si sponsa.

(3) Quod per fornicationem violetur sponsalitia fides, hoc confirmat c. 25, X, II, tit. 24, ubi Innocentius III haec decernit: « si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem opponere praecedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in uxorem; quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi: *si* videlicet *illa* (sponsa) *contra regulam desponsationis non venerit* ». Cf. c. 22, X, IV, 1; cf. etiam LAFOURCADE, o. c., p. 41 et 72, ubi exponit stipulationes antiqui juris Germanici contra sponsas infideles; item L. 13 § 3, Dig., XLVIII, 5, ubi sponsa

Gravior quidem apparet injuria *sponso* illata per sponsam fornicantem quam quae infertur sponsae per fornicationem sponsi, absoluta tamen gravitas injuriae in neutro casu videtur deneganda, saltem ubi agitur de honestis familiis: quae gravitas injuriae vel ex eo apparet quod passim vehementer offenditur sponsa honesta, hujusmodi defectum in sponso detegens, quodque ordinariè sponsalia redduntur solubilia ad nutum partis innocentis (1).

Ex quibus omnibus attentis, meritò eruendum videtur solam sententiam severiorem esse *intrinsece* probabilem, adeo ut, re objectivè spectata, sponsi, cum tertia persona fornicantes, teneantur in confessione aperire sponsalium circumstantiam, utque confessarius de ea, pro opportunitate, interrogandum habeat. Quodsi *alicui intrinseca improbabilitas sententiae contrariae non sit perspecta,* potest, *nitendo ejusdem probabilitate extrinseca,* benigniorem sententiam amplecti ac in praxim deducere.

Caeterum interrogatio circa sponsalia, ubi ad normam praedictorum esset facienda, vix oneri erit confessario, cum saepe saepius, ex aliis interrogationibus, ad integritatem procurandam vel directionem dandam aliunde faciendis, illa circumstantia sponte sit manifestanda.

CAPUT III

DE IMPEDIMENTIS SPONSALIUM.

28. *Impedimenta quae sponsalia reddunt illicita,*

Praenota. Attentis dictis, sub capite praecedente, circa effectus sponsalium, minoris momenti quam olim jam videntur quae spectant impedimenta sponsalium, necnon causas illorum dissolutionis, de quibus sub capite IV.

I. Impedimentum *impediens* (illicita scil. reddens sponsalia) constituit *ignorantia* aut *rationabilis dissensus parentum,* supposita sponsi *minorennitate,* quoad sponsalia ineunda (2).

---

rea declaratur adulterii, quia nec matrimonium *nec spem matrimonii* violare permittitur.

(1) Huic sententiae severiori non pauci favent Auctores, tum antiquiores, quos referunt et sequuntur SALMANTICENSES, *Cursus theologiae moralis,* tr. IX, Cap. 1, P. 1, n. 11, tum recentiores, inter quos BANGEN, *Instr. pract.,* I, p. 13, ROSSET, o. c., t. II, n. 957-964, et BALLERINI-PALMIERI, *Opus theologicum morale,* Prati, 1889-1893, t. VI, n. 148-163, qui duo ultimi intrinsecam probabilitatem contrariis sententiis inhaesitanter denegant; item STANDAERT, apud *Collat. Gandav.,* 1925, p. 77; eamdem sententiam tuetur BENED. XIV, *Instit.* 46, n. 19; plerique vero theologi moderni, uti LEHMKUHL, o. c., t. II, n. 664, BUCCERONI, *Instit. theol. morales,* Romae, 1893, t. II, 948; GENICOT-SALSMANS, *Theol. Mor. Instit.,* t. II, n. 444; NOLDIN, *De sexto Praecepto,* 1900, n. 19; MARC, *Instit. mor.,* t. I, n. 775; AERTNYS, *Theol. mor.,* 1890, t. II, n. 429; GASPARRI, o. c., n. 66, rem dubiam proclamantes, adeoque poenitentem eximentes ab obligatione dictam circumstantiam declarandi, plerique, inquam, spreta rationum discussione, unicè nituntur auctoritate extrinseca, signanter S. Alphonsi, cujus vel verba merè referunt vel auctoritatem invocant.

(2) Cf. can. 1034. — Jus antiquum Ecclesiae describit Ivo Carnutensis, in *Panormia,* I, VI, c. 12, apud *Migne,* vol. 161, col. 1246. Cf. pro Jure Romano, cc. 11-13, Dig., XXIII, 1, n. 248 ss. Cf. infrà, n. 518, coll. LAFOURCADE, o. c., p. 58 ss., circa consensum parentum in ordine ad matrimonium; cf. etiam *Rev. eccl. de Liège,* III, p. 100 ss., ubi egregie discribitur officium filiifamilias erga parentes quoad ineunda sponsalia. Cf. etiam Causam *Milevitan.,* 23 Dec. 1910, apud *A. A. S.,* III, p. 76 s.

29. *vel irritant.*

II. Impedimentum *dirimens* (sponsalia scil. reddens invalida) constituit, praeterquam defectus sufficientis discretionis (de quo suprà, n. 15), necnon praesentia erroris (1) aut vis illatae (2): *quodvis impedimentum matrimonii,* sive dirimens sive impediens, *de se perpetuum et a contrahentium voluntate independens.*

Ratio est quia nemo potest validè promittere rem impossibilem vel illicitam.

Supponitur impedimentum *de se perpetuum* et *a contrahentium voluntate independens;* quia impedimenta quae sunt *temporanea,* ita ut tractu temporis sponte recedant, vel quae, si de se perpetua, *possunt ipsa sponsorum voluntate auferri,* non obstant valori sponsalium, modò, uti supponitur, conditio tacitè sit adjecta de ineundo matrimonio *post* ablatum impedimentum. Ita impubertas, votum castitatis ad tempus, mixta religio et disparitas cultus, si acatholicus vel infidelis converti velit.

30. *Notanda.*

Nota. 1. Attenta ratione invocata, ad constituendum impedimentum dirimens sponsalium, non requiritur praesentia impedimenti matrimonialis proprie dicti; sufficit quodcumque matrimonium reddit illicitum. Et ita qua irrita haberi possent sponsalia quae ineantur inter personas conditione ita dispares, ut nuptiae celebrari nequeant absque gravi familiae dedecore; item invalida essent sponsalia contrahenda cum tertia persona, stantibus sponsalibus validis: licet enim sponsalia non constituant proprie dictum impedimentum, reddunt tamen matrimonium cum tertia persona in foro interno illicitum; invalidè autem promittitur, uti diximus, res illicita (suprà, n. 24); idem valet de casu rationabilis dissensus parentum, non contra ipsa sponsalia, de quo sub n. 28, sed contra matrimonium filii minorennis. Cf. infrà, n. 518, coll. VLAMING, o. c., n. 90 (3).

---

(1) Ad tramites can. 104, *error* reddit sponsalia nulla, « si versetur circa id quod constituit substantiam actus vel recidat in conditionem sine qua non ». Cf. infrà, n. 526, 527 et 529, sub a). — Quodsi error non sit hujusmodi, relinquit sponsalia valida, sed « error locum dare potest actioni rescissoriae, ad normam juris ». Cf. suprà, n. 5.

(2) Sponsalia inita sub influxu vis extrinsecae, cui resisti nequeat, sive moralis sit sive physica, pro invalidis sunt habenda (can. 103, § 1); contracta « ex *metu* gravi et injuste incusso vel ex *dolo,* valent, nisi aliud jure caveatur, sed possunt, ad normam can. 1684-1689..., rescindi ad petitionem partis laesae ». Can. 103, § 2. Cf. suprà, n. 5.

(3) *Ante Codicem,* juxta sententiam probabilem, *a jure* irritabantur sponsalia contracta sub conditione obtinendi dispensationem. De qua juris dispositione constare videbatur ex variis decisionibus Romanis, quae referuntur apud *N. R. th.,* IV, p. 582 ss.; accedit auctoritas plurium Auctorum, inter quos FEYE, *De Imp.,* n. 394; BALLERINI-PALMIERI, o. c., VI, p. 96 ss.; SANTI, *in tit. V,* n. 30 ss.; WERNZ, o. c., IV, n. 95 s.; DE BECKER, *De matr.,* p. 8 s.; HIZETTE, apud *Collat. Namurc.,* t. XIII (1913), p. 98 s.; *N. R. th.,* l. c., p. 571 ss., et AA. ibidem adducti. Contrarium censet GASPARRI, o. c., n. 50 ss., cum DD. apud FEYE, l. c., citatis; item HILLING, apud *Archiv. f. k. K.,* 1925, p. 296. — Dicitur: *ante Codicem;* quia jam non videtur attendenda illa dispositio juris positivi, irritans sponsalia sic conditionatè inita; censetur proinde dijudicandus illorum valor juxta rei naturam, ad normam dictorum in textu.

2. Sponsalia possent, non obstante praesentia impedimenti matrimonii, contrahi validè, sed *suspensive:* si nempe impedimentum est dispensabile et ineuntur sponsalia *sub conditione* impetrandi dispensationem; unde, verificata conditione, sponté convalescunt hujusmodi sponsalia, absque consensus renovatione, nec possent, conditione pendente, alia sponsalia cum tertia persona valide contrahi (1).

Caput IV

DE SPONSALIUM DISSOLUTIONE.

31. Differentia inter sponsalia soluta et solubilia.

Monitum. Sponsalia validè inita non sunt indissolubilia, sed solvi possunt variis ex causis (2), idque duplici ratione: vel 1° ita ut ipso facto *soluta* evadant in actu secundo; vel 2° ita ut reddantur soluta quasi in actu primo, i. e. *solubilia* seu *rescindibilia,* ad nutum unius partis.

In primo casu cessant existere; in altero autem pergunt subsistere donec alterutra pars, resilire valens, contractui renuntiaverit, obligatio vero conscientiae ad nuptias ineundas, et prohibitio alteri nubendi, jam non urget partem resiliendi facultatem habentem.

Jamvero

A. **Dissolvuntur** sponsalia

32. Causae dissolutionis :

1° *Per utriusque partis renuntiationem;* quod valet de sponsalibus universim et sine exceptione; etiam de sponsalibus juramento firmatis: ad normam enim can. 1318, §, 1, « jusjurandum promissorium sequitur naturam et conditiones actus cui adjicitur ».

1° *renuntiatio utriusque sponsi;*

Renuntiatio illa fieri potest sive explicitè, seu expressis verbis, sive implicitè, posito scil. aliquo facto quod utriusque partis renuntiationi aequivaleat: quale factum reperitur in sponsalibus ab utroque attentatis aut procatione utrimque cum tertia persona instituta, vel etiam in voluntaria matrimonii procrastinatione ex utriusque sponsi parte protracta ultra terminum mutuo consensu determinatum aut moribus loci circumscriptum.

2° *Per superveniens impedimentum matrimonii,* perpetuum et dispensationi non obnoxium, sive dirimens sit sive impediens dumtaxat.

2° *superveniens impedimentum matrimonii ;*

Idem valet in casu impedimenti perpetui dispensabilis vel temporanei, quod utriusque culpa sit contractum (cf. 1°); necnon in casu impedimenti perpetui dispensabilis, neutrius culpa exorti (3).

(1) Eo ipso namque, uti notavimus sub. n. 19, prohibetur matrimonium cum tertiâ persona, cum exspectanda sit conditionis (non turpis) verificatio.

(2) In Ecclesia Graeca sponsalia inducunt vinculum valde firmius, licet non indissolubile, quam in Ecclesia Latina. Cf. VERING, o. c., p. 856 s.

(3) Quodsi agatur de impedimento temporaneo, neutrius culpa contracto, obligatio sponsalitia pro utraque parte suspenditur tantùm.

3° *Per matrimonium ab utraque vel ab alterutra parte initum.*

3° *matrimonium superveniens ;*

Profectò, si matrimonium ab utraque parte initur, etiam invalidè, aequivalenter renuntiatur ex utriusque parte sponsalibus, et reincidimus in 1^m^. Quodsi ab *una* tantùm parte initur matrimonium, illudque validum, non tantùm extinguitur obligatio sponsalitia penes partem derelictam, sed et, probabiliter saltem, adeoque practicè certò, dissolvuntur sponsalia, adeo ut, dissoluto matrimonio, pars nupta non sit adigenda ad exequendam priorem fidem sponsalitiam (1). Caeterùm etiamsi dicatur sponsalia solubilia dumtaxat reddi, ad nutum partis derelictae, quae proinde stricte posset in foro interno urgere sponsalia, dissoluto matrimonio, vix unquam jus illud practicè urgebit.

4° *Per susceptionem status perfectioris.*

4° *susceptio status perfectioris ;*

In hac status perfectioris susceptione habetur, positis ponendis, causa dissolutionis, independenter a matrimonii impedimento quod inducat (2). Id obtinet, si status ille suscipitur *in perpetuum*, suscepto scil. subdiaconatus ordine vel emisso voto castitatis perpetuo in religione, aut etiam, uti videtur, in saeculo, ac imo, probabilius saltem, emisso voto temporaneo in professione religiosa; vota enim temporanea ordinantur ad sui renovationem successivam, adeo ut professus votorum temporalium aequivalenter suscipiat statum perfectiorem definitivum.

Idem non auderemus, cum nonnullis Auctoribus, dicere de solo ingressu in religionem, de incoepto novitiatu, de ingressu in seminarium, de susceptione ordinum minorum: hi enim actus censentur indolem habere facti provisorii, non autem importare videntur definitivum statum perfectioris vitae. Unde, salvo meliori, pars vitae perfectiori, in hisce casibus, valedicens deberet fidem explere, alia parte id urgente, licet, ob favorem vitae perfectiori praestandum, non deberet vitae incoeptae renuntiare ad nubendum vel dispensationem impetrare (3).

5° *Per dispensationem Pontificiam.*

5° *dispensatio pontificia.*

Nimirum S. Pontifex potest a contrahentibus auferre obligationem mutuam quam coram jure naturali et conscientia ad invicem contraxerunt per promissionem sponsalitiam.

Similis potestas summo Pontifici agnoscitur respectu voti, quod dissolvere valet quantumvis ex ipso jure naturali et coram conscientia obligat. Caeterum dissolvere potest matrimonium ratum non consummatum, quod sanè firmius vinculum est sponsalitio vinculo (4).

Reservatur haec dispensandi potestas *soli* S. Pontifici (5).

---

(1) Ita CAPPELLO, o. c., n. 123; DE BECKER, o. c., p. 15; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 106. — Aliter VLAMING, o. c., n. 126.

(2) Id contingere videtur ob favorem quem noscitur Ecclesia praestare vitae perfectiori prae vita conjugali, uti liquet etiam ex privilegio concesso professioni sollemni respectu matrimonii non consummati.

(3) Cf., in varium sensum, DE BECKER, o. c., p. 14 s.; VLAMING, o. c., n. 124; GASPARRI, o. c., n. 92 ss.; CAPPELLO, o. c., n. 188 ss.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 105.

(4) Circa naturam actus pontificii, in dissolvendo vinculo matrimoniali vel sponsalitio, cf, infrà, n. 329, coll. n. 297 s.

(5) Olim S. Pontifex, relaxando obligationem et inde resultantem prohibitionem, solebat injungere aequam compensationem, in gratiam partis derelictae solvendam. Ita 31 Jan. 1863, S. C. Conc. respondendum censuit in Causa Titii et Caiae: « Solutis per Titium, titulo dotis, ducatis 600 favore Caiae, necnon emissa ab eodem obliga-

33. Causae dissolubilitatis ;

B. **Solubilia redduntur** sponsalia, ita ut obligatio ex sponsalibus cesset apud unam partem, in cujus arbitrio est dissolvere sponsalia:

1° Si *altera pars* sponsalibus *renuntiaverit,* sive explicitè, sive implicitè: puta votum emittendo virginitatis, non nubendi, suscipiendi ordines aut amplectendi statum religiosum, sponsalia attentando, fornicando aut procationem instituendo cum tertia persona, vel matrimonium voluntariè differendo ultra terminum de quo modo.

2° Si alterutra pars contraxerit per errorem aut sub influxu metus, ad normam dictorum suprà, n. 29.

34. signanter mutatio superveniens vel defectus innotescens.

3° Si penes alteram partem *mutatio* supervenerit, vel *innotuerit,* post contracta sponsalia, *defectus notabilis* (1).

Circa quam tertiam dissolubilitatis causam haec attende:

Quod ob *mutationem* notabilem in una parte *rescindi* possint sponsalia ab altera parte, ex eo est quod sponsi meritò censentur promisisse matrimonium ineundum cum persona *moraliter eadem* cum qua sponsalia sunt inita.

Quod autem gravis *defectus innotescens,* etiam non occultatus fraudulenter, *dissolubilitatem* sponsalium importet, hoc est ex natura provisoria contractus sponsalitii et ex favore praestando matrimonii libertati ac stabilitati: unde potissimum applicatur haec dissolubilitatis causa defectui ex quo infaustus praevidetur matrimonii exitus vel suspecta redditur conjugalis fidelitas.

Quibus attentis, dissolubilis evadet contractus sponsalitius, si succedit vel innotescit penes unam partem: haeresis, crimen, infamia, defloratio, infirmitas gravis, deformitas, sterilitas ex operatione chirurgica, ineptitudo ad onera matrimonii, pauperies, et alia ejusmodi (2). Possent etiam sponsalia, saltem in foro interno, reddi solubilia, si ex frequentatione mutua variis indiciis appareat, quin specialis defectus detegatur, dissociatio animorum, ita ut meritò timeatur infaustus matrimonii exitus.

Tactus impudici in tertiam personam non constituunt quidem per se defectum notabilem, sed facilè possunt, saltem si frequentiores fuerint et

---

tione de reficiendis omnibus damnis, comprehensa educatione prolis, impedimentum esse removendum ». *Acta S. Sedis,* I, p. 242. Item die 10 Sept. 1887, ad quaestionem: an sit locus remotioni impedimenti *Nihil transeat,* in casu, respondit S. C. C.: « Affirmative, praevia dispositione, facto verbo cum SS^mo; monito viro ut, pro posse, aequam compensationem, arbitrio Archiepiscopi (Ostunensis) determinandam, tribuat sponsae ac proli ab ea susceptae ». LEITNER, *Lehrbuch,* p. 347. Ulterius autem, circa hanc Pontificiam dispensationem, cf., praeter Auctores modò citatos, SCHMALZGRUEBER, o. c., n. 214; GIOVINE, o. c., I, consult. III, par. 61; FEYE, *De Imped.,* n. 556 et seq.; SCHERER, o. c., par. 110; GASPARRI, o. c., I, n. 106-108; WERNZ, o. c., IV, n. 118; *Annal. eccl.,* 1899, p. 406 et 408.

(1) Sub anteriori disciplina, nunc abrogata, *impubertas* constituebat causam dissolubilitatis. Nimirum sponsalia inter impuberes, vel inter puberem et impuberem inita, valida quidem erant, sed *solubilia* ad nutum partis pubertatem adipiscentis (c. 7, X, IV, 2): quae pars, pubes effecta, poterat sponsalibus renuntiare infra triduum inde a cognito privilegio, excepto, juxta quosdam, casu quo sponsalia fuerint jurata. Ante pubertatem adeptam a sponsalibus recedere non licebat. Ita in jure providebatur, attenta impuberum imperfecta discretione. Cf. suprà, n. 17.

(2) Cf. GENICOT-SALSMANS, *Casus consc.,* casus 929 et 930.

liberiores, fundare prudens dubium circa futuram hujusmodi sponsi fidelitatem, ac proinde ex hoc capite solubilia reddere sponsalia ad arbitrium alterius partis (1).

Quod autem spectat *fornicationem,* post sponsalia cum tertia persona commissam, triplici titulo constituit dissolubilitatis causam: tum quatenus inducit mutationem quae in utroque sponso uti gravis attenditur, saltem inter honestas familias, tum quatenus suspicionem *gravem* ingerit infidelitatis conjugalis, tum quia importat renuntiationem implicitam contractui, propter inobservantiam obligationis in contractu sponsalitio contentae de conservanda corporis integritate.

Nota. Dicta circa dissolutionem sponsalium spectant solum *forum internum:* in foro externo non amplius admittitur actio de justa causa dissolutionis sponsalium (2).

Scholion. Circa *obligationem sponsorum* seu *nupturientium* (3) sibi mutuo *revelandi occultos defectus,* haec statui possunt:

35. Sponsi tenentur sibi mutuo manifestare defectus occultos graviter probrosos vel damnosos,

1° Quod spectat defectus alteri parti *non graviter nocivos aut probrosos,* qui nempe nuptias reddunt minus gratas dumtaxat, quin compartem graviter damnificent: ad eorum revelationem non tenentur sponsi ex justitia; nemo namque debet proprios defectus manifestare ad meram vitandam displicentiam alterius, inde grave nocumentum non passuri.

Hujusmodi defectus esset fornicatio, absque praegnantia, olim peracta; virium debilitas vel infirmitas non contagiosa.

2° Quod spectat defectus alteri parti *graviter damnosos vel probrosos: abstracte loquendo,* ex justitia tenentur nupturientes vel a nuptiis abstinere vel propalare illos defectus occultos. « Sicut enim in aliis contractibus non licet tradere rem occulto defectu laborantem, ex quo alteri damnum imminet, ita non licet cum occulto defectu pernicioso sponsalia aut matrimonium contrahere » (4).

Talis defectus est praegnantia sponsae ex alio viro, nisi agatur de personis omnem honestatis sensum exutis; item infirmitas contagiosa, puta syphilis vel etiam phtysis; pariter absentia uteri vel ovariorum, sive congenita sive operatione chirurgica provocata (5).

36. rationetamen habita morum vigentium.

Dicitur: abstracte loquendo; quia re *in concreto* spectata, ratio est habenda *morum vigentium et communis aestimationis,* adeo ut non sint cogendi sponsi ad propalandum illa quae ex communi usu et aestimatione non censentur manifestanda, licet fortè sint defectus alteri parti damnosi; quod in specie valet de statu fortunae: passim nempe receptum est in hoc

(1) Si una pars inexpectato modo ditior evadit vel altioris conditionis, vel si ei proponuntur sponsalia praestantiora, non desunt Auctores qui probabilem habent sententiam, juxta quam illa pars posset, licet id non conveniat, resilire contractum, eo quod respective minuitur conditio alterius partis; hoc autem aegre admittendum videtur, nisi in peculiaribus forsan adjunctis, signanter si, ex mutata conditione sponsi, sponsa minus apta praevidetur ad munera obeunda quae ipsi, pro nova conditione futuri mariti, incumbent postea.

(2) Pont. Commissio Codicis, 2-3 Junii 1918, ad 1m.

(3) Haec quaestio non praesupponit sponsalia validè inita, sed spectat quoscumque nupturientes.

(4) THEOL. MECHL., o. c., n. 8; *Collat. Brug.,* t. XV, p. 20. Profecto supponitur agi de defectibus talibus qui servent aptitudinem ad matrimonium ejusque essentialia officia; secus, uti patet, matrimonium esset absolutè interdictum.

(5) Cf. GENICOT-SALSMANS, *Casus consc.,* casus 929 et 930.

sponsi vel sponsae declarationi non esse fidendum, et ideo tam accuratè inquiritur circa fortunae statum (1).

Attende: a/ ubi non sunt revelandi defectus, possunt etiam occultari, seclusa positiva futurae compartis deceptione.

b/ Praestat valdè ut defectus, si qui sint, mutuò cognoscantur, et in specie non occultetur status fortunae, ne postea inde discordiae exsurgant et rixae; imo ex hoc capite potest adesse obligatio *charitatis,* modò ex revelatione non immineat grave malum revelanti, ut si puella inde sit graviter infamanda vel mansura innupta (2).

CAPUT V

DE SPONSALIUM REGIMINE.

I. **Subjectum** *cui competit regimen.*

37. *Regimen sponsalium inter christianos initorum competit soli Ecclesiae.*

Cum sponsalia sint praeambulum et praeparatio matrimonii, iisdem competit regimen in ipsa, quibus competit regimen matrimonii. Quod regimen postea ostendetur, pro christianis matrimoniis, soli competere Ecclesiae, relicta Principi civili potestate regendi matrimonia ac sponsalia infidelium necnon facultate statuendi circa illa quae non essentialiter connectuntur cum matrimonio christiano, et vel indolis mere civilis sunt, vel mixti fori sunt, uti est actio in reparationem damnorum, de qua sub. n. 25. Cf. infra, n. 425 (3).

Ecclesiae potestas *legislativa* exercetur in sponsalia a *S. Pontifice,* ab eoque *solo,* ita ut Episcopis non sit facultas formalitates constituendi pro contrahendis sponsalibus, quemadmodum eas suprà vidimus a Romano Pontifice constitutas; *Episcopi* autem exercent potestatem *judiciariam,* tanquam judices fori externi. Quod vero spectat *parochum,* non est judex fori externi, sed agit munus quasi instructoris, extra formam judicialem et salva relatione ad Episcopum; potest tamen, quando explorata res est, nec ad forum contentiosum deducta, causam declarare solutam, salva utique in omnibus dependentia a judicio Episcopi (4).

---

(1) Supponitur tamen proportio aliqua servari, seposita nimis exorbitanti differentia inter realem et apparentem statum fortunae.

(2) In Hollandia praeparatur lex, cogens nupturientes ad examen subeundum medicale, cujus relatio sponsis esset mutuo communicanda. Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 21; NYHOFF, o. c., p. 54 s.; VLAMING, o. c., II, p. 391 s. et infrà, n. 699, coll. n. 68.

(3) Sponsalia inter infideles, sicut et matrimonium, regitur a Principe civili (cf. infrà, n. 433 ss.); sed, cum in legislationibus civilibus nostris passim non agnoscantur sponsalia (suprà, n. 4), sola hîc intendimus sponsalia canonica.

(4) Circa jurisdictionem exercendam in causa sponsalium, ac respectiva officia Episcopi et parochi, latè disserit BANGEN, *Instr.*, I, p. 58-62, 65, et 71-77; quam quaestionem strictius solvit GIOVINE, o. c., I, consult. XI, par. 187.

II. **Objectum** circa quod versatur regimen.

38. *Determinatur objectum regiminis.*

Regimen fori externi in sponsalia, sub praesenti disciplina, reducitur ad hoc ut exerceatur potestas legislativa, formalitates constituendo pro valore sponsalium observandas, quemadmodum eas suprà constitutas vidimus, utque exerceatur potestas judiciaria, quod spectat actionem in reparationem damnorum.

Quaestiones circa obligationes ex sponsalibus exsurgentes respectu matrimonii, et circa causas ab illis excusantes, spectant forum internum conscientiae, adeoque tractandae sunt a confessario.

Sola igitur causa in foro externo tractanda, est utrum necne admittenda sit actio in reparanda damna, exclusa omni actione ad petendam vel impediendam matrimonii celebrationem. Non est etiam, ex capite sponsalium, differenda proclamatio bannorum.

Quodsi actio in foro ecclesiastico inducatur in ordine ad damnorum reparationem, agenda est coram tribunali Episcopi, judicis fori externi. Pro cujus causae solutione, attendenda sunt notata suprà, sub n. 25: signanter haec duo ad actionem admittendam praerequiri, damna scil. reipsa esse consecuta ex inobservatione sponsalium, et a sponsalibus sine justa causa esse recessum.

Scholion. *De modo agendi confessarii in causa sponsalium.*

39. *Munus confessarii.*

Si a *confessario* dijudicanda venit quaestio de obligationibus poenitenti incumbentibus ex capite sponsalium vel promissionis matrimonialis: **1°** inquirendum est de valore sponsalium, utrum necne servatae fuerint formalitates pro valore requisitae et suprà descriptae; 2° pro casu quo valida fuerint, utrum contractus non fuerit solutus, vel ad nutum poenitentis solubilis.

Quodsi, omnibus perpensis, reperiatur poenitentem ex una parte esse obnoxium obligationi matrimonium ineundi cum persona desponsata, et, ex alia parte, huic matrimonio reluctari, hortandus quidem est, sed non est urgendus ut fidem suam expleat et nuptias ineat; studeatur potius ut ab altera parte obtineatur renuntiatio, oblata etiam, si opus sit, aequa quadam compensatione; conatibus autem frustrà adhibitis ad litem amice componendam, non remaneret nisi ut a S. Sede obtineatur obligationis relaxatio. Cf. suprà, n. 24.

APPENDIX

DE PROCLAMATIONIBUS ANTENUPTIALIBUS

39 bis. Monitum circa ordinem rerum servandum.

Monitum praevium. Absoluto tractatu de sponsalibus, logicus ordo postulare videretur ut, cum Codice, hîc agamus de iis quae matrimonii celebrationi praemitti debeant, signanter de officio parochi in examinandis nupturientibus circa statum liberum, instructionem nupturientium in doctrina christiana, necnon in complenda, si opus sit, hac instructione; in descriptione autem examinis illius circa statum liberum, successive esset agendum de testimonio baptismi exquirendo, de investigatione privata a parocho peragenda, et de proclamationibus instituendis: quae tria conducunt ad detegendum statum liberum, uti notabitur sub n. 676.

Atvero tractatio illa de officio parochi (ac etiam confessarii) pro parte remittitur ad n. 675 ss., post absolutum tractatum de impedimentis matrimonii, quorum notitia praesupponitur inquisitioni a parocho (et a confessario) faciendae circa statum liberum; hic sola proponitur expositio juris circa *proclamationes antenuptiales.*

Successive autem agetur 1° de legis bannorum existentia ejusque subjecto ac gravitate; 2° de loco, frequentia, tempore et forma in bannorum proclamatione observandis; 3° de causis a lege deobligantibus, ac 4° de obligatione revelandi impedimenta matrimonii.

I. De legis existentia, subjecto ac gravitate.

A. Existentia.

40. Lex circa proclamationes

Hanc legem nitidè enuntiat can. 1022: « Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum ». — In quo canone abstrahitur a frequentia, a loco et tempore quibus peragenda sit denuntiatio: haec statuuntur canone 1024, de quo infrà.

Jam in jure anteriori vigebat illa lex universalis, pro Ecclesia *Latina.* Nimirum, omissa obligatione banna (1) proclamandi, quae olim in variis

(1) *Bannum* significat 1/ jurisdictionem et territorium jurisdictionis (bannum Imperii); 2/edictum procedens ab habente jurisdictionem (de Dei et nostro banno bannimus ut nemo ...); 3/ edicti proclamationem; 4/ poenam pro edicti transgressione, speciatim bonorum spoliationem, expulsionem. Cf. *Kirchenlexikon,* v° *Bannum.* In documento anni 1268, sub n. 60 referendo, occurrit vox « edictum » loco « bannum ».

locis urgebat vi statuti particularis vel vi usus recepti (1), lex *universalis* hac de re est statuta:

1° *In Concilio Lateranensi* IV (1215), c. 3, X, IV, 3: « Specialem quorumdam locorum consuetudinem (2) ad alia generaliter prorogando statuimus ut, quum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publicè proponantur ».

2° *In Concilio Tridentino,* Sess. XXIV, cap. I, *De Reformatione matrimonii:* « Sacris Lateranensis Concilii... vestigiis inhaerendo, praecipit ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in ecclesia, inter missarum solemnia, publicè denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum ».

Disciplina inducta a *Conc. Tridentino* vigebat in paroeciis in quibus caput *Tametsi,* quoad hanc saltem dispositionem, fuit rite promulgatum: alia loca obnoxia manebant, salvis praescriptionibus juris particularis, disciplinae *Lateranensi.*

Finis legis est ut banna conferant ad publicitatem matrimonii, et speciatim ut detegi queant impedimenta, si quae sint, matrimonium impedientia vel dirimentia; juvat etiam bannorum proclamatio ut fideles peculiariter orent pro nupturis.

Nota. Lex fundata est in praesumptione periculi universalis, non in praesumptione facti; adeoque non cessat obligare si, in casu particulari, inutilis esse apparet, juxta dicenda infrà, n. 61.

B. **Subjectum.**

41. *prae caeteris urget nupturientium parochum proprium,*

Obligatio curandi ut publicationes matrimonio praemittantur afficit nupturientes, sed potissimum urget *proprium contrahentium parochum,* cui onus incumbit banna proclamandi. Nimirum can. 1023, § 1, expresse disponit quod « publicationes fieri debent *a parocho proprio* » (3).

Porro nihil impedit quominus parochus ad hoc alium deleget, sed non convenit ut, extra necessitatis casum, banna proclamentur a laico vel clerico ad verbum Dei praedicandum nondum idoneo.

Quisnam autem veniat nomine parochi *proprii,* mox determinabitur.

C. **Gravitas.**

42. *idque sub gravi.*

Bannorum proclamatio non urgetur *pro valore matrimonii,* sed pro

(1) FREISEN, o. c., p. 138; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 121; GASPARRI, o. c., n. 149; 27, X, IV, in decreto Innocentii III, anni 1212.

(2) Alludit Innoc. III ad consuetudinem Ecclesiae Gallicanae, quam memorat 27, X, IV, 1. Juxta *Ordines,* quos refert MARTÈNE, o. c., 1, I, p. 2ª, p. 627, 630, 637 et 640, *trina* jam antiquitus solebat fieri bannorum proclamatio, diebus dominicis vel festivis, imo, ipso nuptiarum die, mentione facta triplicis peractae denuntiationis, *quarta* addebatur, uti aiebant, ex abundantia. V. infrà, n. 56.

(3) Exceptionaliter continget a parocho non proprio banna esse proclamanda, in casibus nempe de quibus n. 49.

liceitate tantùm. Attento autem fine legis, *gravis* est obligatio (1); quod caeteroquin eruitur ex severa *sanctione* olim adnexa (2).

II. De Loco, frequentia, tempore et forma proclamationum.

A. Locus.

43. Banna publicanda

Quod spectat locum, in quo faciendae sunt proclamationes, determinanda est primò *parochia,* et secundò *aedificium,* in quibus procedendum est ad bannorum denuntiationes. Jamvero, quod attinet

1° Parochiam:

1° in utriusque sponsi parochia parochi proprii;

a/ *Norma est* ut banna proclamentur in *parochia parochi proprii* utriusque sponsi. — Id sequitur ex canone 1023, § 1, ubi statuitur quod « matrimoniorum publicationes fieri debent a *parocho proprio* »: utique in parochia sua.

44. quaenam sit parochia proprii parochi.

Porro *parochia parochi proprii* est, ad tramites can. 94, parochia ubi sponsi habent *paroeciale domicilium* aut *quasi-domicilium* vel ubi *actu commorantur,* si vagi sunt vel non habent nisi dioecesanum domicilium aut dioecesanum quasi-domicilium. Can. 94 (3).

Banna autem proclamanda sunt in parochia propria *utriusque sponsi;* imo, si alteruter duo possidet domicilia vel duo quasi-domicilia, vel domicilium et quasi-domicilium, in diversis illis locis instituendae sunt proclamationes.

Observa normam non attendere parochiam originis nec parochiam derelicti domicilii aut quasi-domicilii (4).

---

(1) Gravis dicitur obligatio, hoc sensu quod grave esset legem ex integro aut ex majori parte violare, non autem quod grave sit eam in minori parte violare, omittendo v. gr. unam proclamationem: saltem probabile est hujusmodi omissionem esse levem.

(2) Nimirum a/ « si parochialis *sacerdos* tales conjunctiones (interdictas ob neglecta banna) prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis praesumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus si culpae qualitas postulaverit ». 3, X, IV, 3. Quae poena erat ferendae sententiae.

b/ *nupturientes,* vi ejusdem decreti Lateranensis, si spretis proclamationibus contrahant, sunt puniendi, et, si nulliter contraxerint, ob impedimenti dirimentis praesentiam quantumvis ignoratam, illegitimae constituentur eorum proles (infrà, n. 283). Juxta Conc. autem Tridentinum, sess. XXIV, c. 5, *De Reform. matr.,* hujusmodi pseudo-conjuges sunt separandi et spe dispensationis consequendae carebunt, i. e. cam difficilius consequentur.

c/ *testibus,* « qui ejusmodi matrimoniis assistunt, nulla poena neque a Conc. Lateranensi, neque a Tridentino reperitur imposita; at nihilominus pleraeque dioecesanae synodi etiam in illos duxerunt animadvertendum poena excommunicationis latae sententiae ». Bened. XIV, *De Syn. dioec.,* t. XII, c. 6, n. 2.

(3) Tanquam parochus proprius per se non habetur parochus mensilis commorationis (quamvis coram ipso licite celebrari possit matrimonium, de quo infrà, sub n. 125), adeoque ipsi per se non incumbit proclamare banna. Per accidens vero continget ipsum esse parochum proprium, quatenus ille qui in parochia a mense commoratur nullibi habet domicilium nec quasi-domicilium ac proinde vagus reputatur, vel non habet nisi domicilium aut quasi-domicilium dioecesanum.

(4) Exceptionaliter attenditur domicilium aut quasi-domicilium derelictum, uti notatur sub n. 49.

*
* *

NOTIONES DOMICILII, QUASI-DOMICILII, VAGI:

45.
notio domicilii:

1. *Domicilium* vel est domicilium *facti* vel domicilium *juris;* et utrumque vel est *paroeciale* vel *dioecesanum.*

facti;

Domicilium facti, seu *voluntarium,* juxta can. 92, § 1, est illud quod a persona sui juris *acquiritur* per factum commorationis, conjunctae cum animo ibi perpetuò manendi, si nihil avocet (1), vel protractae ad decennium completum (2).

Si locus descriptae commorationis est parochia vel quasi-parochia (i. e., juxta can. 216, § 3, pars Vicariatus apostolici aut Praefecturae apostolicae, cui peculiaris rector fuit assignatus) (3), domicilium facti est *paroeciale* (4); si locus non est parochia aut quasi-parochia, sed dioecesis aut Vicariatus aut Praefectura, domicilium facti est *dioecesanum* (5).

---

(1) A primo momento, quo hae duae conditiones simul obtinent, acquiritur domicilium.

Nota quod *commoratio* seu *actualis habitatio* intelligitur ad modum incolarum loci, sive in domo propria, sive in conducta, sive in diversorio, sive hospitii causa. Cf. *Collat. Brug.,* XXI, p. 151, ubi observatur domicilium non constitui eo quod aliquis ad quemdam locum transferat sedem negotiorum suorum (ses affaires); requiritur habitatio.

Quod spectat *animum perpetuò manendi:* variis indiciis de illo constare potest, si non facta fuit expressa declaratio. Huic autem animo non obstat « quominus translatio habitationis in alium locum sit probabilis, imo in votis habeatur, v. gr. apud officialem publicum ». *Vie diocesaine,* 1924, p. 115. Notetur etiam quod animum perpetuò manendi non excludit intentio singulis annis a loco habitationis discedendi per aliquod tempus, rusticationis aut negotii tractandi gratia.

(2) Habetur ergo duplex distinctus modus acquirendi domicilium facti: 1. commoratio cum animo perpetuò manendi, et 2. commoratio per decennium protracta. Cf. WERNZ-VIDAL, *Jus canonicum,* Tom. II, *De Personis,* n. 11. Hucusque unicus dabatur modus domicilii acquirendi: commoratio cum animo perpetuò manendi; hujus autem animi praesumptionem (juris dumtaxat) inducebat decennalis habitatio. Patet domicilium per decennalem commorationem induci tantùm inde a completo decennio; domicilium vero priori modo induci a primo momento commorationis concurrentis cum animo perpetuò manendi. — Intelligitur autem decennium *moraliter continuum:* cui continuitati non nocet quod quis, peregrinationis, rusticationis aut negotii causa, per aliquod tempus discedit, ad modum aliorum incolarum loci. Cf. *Collat. Brug.,* XXI, p. 152; *Collat. Namurc.,* XVI, p. 144. Et ideo non placet sententia illorum qui putant dies intermissos esse supplendos usque dum completur ex integro decennium.

(3) Erigitur *quasi-parochia* decreto Vicarii vel Praefecti quo clare describantur territorii limites, vel, ubi id practice fieri nequit, quo declaretur quae christianitates ad singulas quasi-parochias pertineant. Ita Instr. S. O. de P. F., 25 Julii 1920 (A. A. S., XII, p. 331), ad 4m.

(4) De habitante *in confinio duarum parochiarum,* cf. FEYE, *de Imp.,* n. 229, sub 5°; *R. th. fr.,* VI, p. 612; DESHAYES, *Questions pratiques sur le mariage,* p. 11-14; BASSIBEY, *De la Cland.,* n. 68; *Collat. Brug.,* t. V., p. 688 s. et II. cc. Sufficiat notasse hujusmodi personam pertinere ad parochiam in qua domus quam inhabitat habet portam principalem, salva dispositione Episcopi in contrarium. Quodsi porta principalis transponatur ita ut iam sit in altera parochia, manet domicilium in priori parochia, nisi reconstruatur ipsa domus ejusve mutetur ordinatio integra.

(5) Ita domicilium dioecesanum haberet aliquis qui in nulla parochia stabilem sedem habet, si vagando intra fines dioeceseos perpetuò manere intendat aut per decennium de facto moratus sit; vel si in determinato habitaverit loco Praefecturae aut Vicariatus, in quibus nondum erectae sunt quasi-parochiae. Ante Codicem solum admittebatur domicilium paroeciale.

Potest aliquis habere *duo* domicilia *voluntaria:* quando nempe in duobus locis habitat cum animo manendi, ita ut utraque commoratio per partes anni moraliter aequales dividatur (1).

46. juris; *Domicilium juris,* seu *legale,* quod etiam *necessarium* vocatur, habetur a personis alieni juris, ab uxore scil. a viro legitimè (toro et cohabitatione) non separata, ab amente, vel a minore seu aetatem 21 annorum nondum plenè adepto: habent nimirum necessariò domicilium facti illius personae cujus sunt juris, uxor nempe domicilium mariti, « amens, domicilium curatoris, minor, domicilium illius cujus potestati subjicitur », puta patris, matris aut tutoris (can. 93, § 1).

Domicilium hujusmodi acquiritur ipsa dispositione legis, illud adnectente determinato statui juridico personae alieni juris, idque independenter ab actuali habitatione aut ab intentione perpetuò manendi.

Prouti autem domicilium facti illius cujus sunt juris est domicilium *paroeciale* vel *dioecesanum* tantùm, consequuntur illae personae alieni juris domicilium juris paroeciale vel dioecesanum. Multiplicatur autem domicilium legale, multiplicato domicilio voluntario personae cujus sunt juris.

Conservatur domicilium *facti* usque ad momentum quo a loco discedítur cum animo non redeundi (can. 95). Non sufficit scil., ad amittendum domicilium, solus discessus, nec sola intentio definitivè recedendi; utrumque elementum simul requiritur (2). Habentes autem domicilium *juris,* illud qua tale *conservant* quousque non sunt sui juris effecti, quousque scil. uxor non est a viro legitime separata (3), amens non est ab amentia sanatus, minor non est factus major; quousque sunt alieni juris, eousque necessariò servant domicilium personae cujus sunt juris, illudque, si mutetur, sequuntur (4).

---

(1) Id non obtinet in casu quo aliquis in diversis locis duas occupat domos, unam pro negotiis commercii, alteram pro rebus familiae: solum tunc retineri domicilium, in quo pernoctatur, declaravit S. Rota, in Causa *Parisien.,* 24 Martii 1911 (A. A. S., III, p. 324 ss.).

(2) Cf. Causam *Grationopolitan.,* 17 Julii 1912 (A. A. S., IV, p. 675 ss.), et 8 Aprilis 1913 (A. A. S., V, 340 ss.), coll. *Canon. Cont.,* 1913, p. 536 ss. Verum notetur recessionem a loco domicilii in ordine ad matrimonii celebrationem non importare domicilii amissionem, cum illa recessio non censeatur nisi provisoria et quasi conditionata. Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 356 s. et XII, p. 156 s.; FOURNERET, o. c., p. 146 s., coll. Causa *Parisien.,* 5 Maii 1914, apud A. A. S., VI, p. 397 ss., et Causa *Ravennaten.,* 15 Mai 1911, apud A. A. S., III, p. 395 ss. Cf. etiam *Ned. k. Stemmen,* 1925, p. 20 s.

(3) Legitima separatio intelligitur illa quae facta est ad normam juris, juxta canones 1129-1131, coll. dicendis infrà, n. 252 ss. Et sic nota uxorem hic non censeri legitimè separatam, quando est a viro malitiosè deserta, « nisi a judice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam, aut ad tempus indefinitum ». *Commissio pont. pro interpretatione Codicis,* 14 Julii 1922, A. A. S., XIV, p. 526, coll. infrà, n. 263.

(4) Quousque manent alieni juris, non valent acquirere domicilium proprium facti. Ita in specie uxor legitimè non separata.

Postquam vero facti sunt sui juris, servant suum domicilium juris tanquam domicilium voluntarium, donec ab illo discesserint cum animo non redeundi, vel, pro casu quo in domicilio juris non habitabant, donec suum discessum reddiderint definitivum, domicilio juris valedicendo (1).

47. *notio quasi-domicilii ;*

2. *Quasi-domicilium* vel est paroeciale vel dioecesanum; non datur autem nisi quasi-domicilium facti seu voluntarium. Nimirum non videtur esse locus quasi-domicilio *juris* seu *legali,* nec adeo personae alieni juris participant in quasi-domicilio personae cujus sunt juris. De hoc enim quasi-domicilio legali silet Codex; nec urget ratio illud inducendi, cum quasi-domicilium proprium acquirere valeant personae alieni juris (2).

Porro quasi-domicilium voluntarium *acquiritur* per commorationem in aliquo loco, quae « vel conjuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad majorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reipsa protracta ad majorem anni partem ». Can. 92, § 2.

Nimirum obtinetur quasi-domicilium non secus ac domicilium, *duplici modo:* a/ per factum habitationis conjunctum cum animo permanendi per majorem anni partem (3), idque obtinetur a primo momento quo utrumque elementum verificatur; b/ per factum commorationis ultra sex menses (4), quo casu patet non acquiri quasi-domicilium nisi inde a completo termino.

Prouti locus est parochia aut quasi-parochia, vel est dioecesis aut vicariatus aut praefectura, quasi-domicilium erit *paroeciale* vel *dioecesanum.*

Uti jam notatum est, acquiri potest quasi-domicilium, secus ac domicilium facti, a persona alieni juris, usum rationis habente, ab

---

(1) Circa domicilium juris cf. Causam *Ravennaten.,* die 15 Maii 1911, coram S. Rota solutam, apud A. A. S., III, p. 483 ss., speciatim p. 485-490 et p. 495, collatis *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 704 ss., et rursus actam die 29 Dec. 1911, apud A. A. S., IV, p. 327 ss.; item Causam *Parisien.,* 22 Apr. 1913, apud A. A. S., V, p. 439. Cf. ulterius Causam *Parisien.,* 27 Jan. 1912, apud A. A. S., IV, p. 327 ss., ac *Parisien.,* 4 Martii 1916 (A. A. S., VIII, p. 367 ss., coll. *Can. contemp.,* 1916, p. 457 ss.), necnon dissertationem nostram apud *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 348-357, coll. t. XII, p. 157 s., ubi doctrina proposita per partes vindicatur et explicatur, indicando quid importat renuntiationem domicilii juris. Cf., praeter auctores ibidem citatos plurimos, *R. th. fr.,* 1903, p. 724 ss.; BASSIBEY, *Cland.,* n. 75; *Canon. Cont.,* 1902, p. 483, cum *causa* soluta coram S. C. C., 27 Dec. 1901; *Ned. Kath. Stemmen,* 1906, p. 82; *Th. Pr. Quartalschr.* (Lintz), 1901, 129 s.; *Pastor Bonus,* 1907, p. 204 ss., et 392 ss.; *Anal. eccl.,* 1907, p. 238; FOURNERET, o. c., p. 191 ss.

(2) Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I², n. 185; attenta tamen restrictione ibidem adducta; *Vie diocésaine,* 1924, p. 118. Contrarium censet WERNZ-VIDAL, o. c., II, n. 12.

(3) De intentione constare debet vel expressa declaratione vel ex adjunctis et motivis commorationis, puta ratione studiorum, famulatus et ita porro. Sufficit intentio tanto tempore manendi, *si nihil avocet.*

Cf. hic DE MEESTER, o. c., I, n. 318, ubi notat animum illum ex habitatione unius mensis *praesumi,* praesumptione utique juris dumtaxat. *Ibidem* variis applicationibus illustrat notionem quasi-domicilii.

(4) Supponitur habitatio per sex menses *moraliter continua,* ita ut non interrumpatur longa discessione, puta per plures hebdomadas. Cf. *Collat. Brug.,* XXI, p. 159, collatis notatis ad n. 45, circa continuitatem decennii.

uxore scil. a viro legitime non separata, et a minore infantia egresso, i. e. septennium adepto (1). Can. 93, § 2, coll. can. 88, § 3.

Amittitur quasi-domicilium per recessum cum animo non redeundi (can. 95); sicuti autem acquiri potest a persona alieni juris, sic ab ea potest amitti.

Hoc attento quod ad amittendum quasi-domicilium requiratur recessio *cum animo non redeundi,* potest obtineri *duplex quasi-domicilium* simultaneum, hac scil. ratione, quod nempe quis a loco quasi-domicilii recedat cum animo brevi redeundi, puta ad sanitatem curandam in hospitali, quodque ex improviso ibi retineatur per sex continuos menses: quo semestri transacto, acquireret in hospitali quasi-domicilium, quin amiserit, ob retentum redeundi animum, prius quasi-domicilium; sic scil. convenirent duo quasi-domicilia utriusque speciei (quod spectat modum acquirendi) (2). — Nihil etiam impedit quominus eadem persona simul habeat quasi-domicilium et domicilium, sive proprium sive legale.

Qui habet quasi-domicilium in aliquo loco, in hoc dicitur *advena,* dum domicilium habens vocatur *incola; peregrinus* dicitur, « si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet ». Can. 91 (3).

48. notio vagi ;

3. *Vagi* sunt qui nullibi domicilium habent, sive facti sive juris, nec quasi-domicilium: neque paroeciale, quia in nulla parochia aut quasi-parochia domicilium vel quasi-domicilium habent ; neque dioecesanum, quia non tantum in nulla parochia aut quasi-parochia domicilium vel quasi-domicilium habent, sed nec in ulla dioecesi aut vicariatu aut praefectura. Can. 91 (4).

Attento canone 1097, § 1, 3°, distinguere juvat vagos qui alicubi commorationis sedem habent, licet nullibi domicilium habeant vel quasi-domicilium, a vagis actu itinerantibus qui nullibi commorationis sedem habent; alii etiam sunt habitualiter vagi, alii momentanee vagi. Cf. infrà, n. 125 et n. 129 (5).

---

(1) Videtur deneganda infanti facultas acquirendi quasi-domicilium etiam per nudum actum commorationis per sex menses. Cf. *Collat. Namurc.,* XVI, p. 148; *Vie diocésaine,* 1924, p. 118; DE MEESTER, o. c., I, n. 318.

(2) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., II, n. 14, in hanc partem inclinantem. Magis autem asseveranter loquuntur VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I², n. 185, coll. n. 184, ubi refutant sententiam juxta quam quis posset duo acquirere quasi-domicilia, solo attento modo priore acquirendi, per factum scil. commorationis cum animo manendi per majorem anni partem.

(3) Oeconomiam anteriorem *quasi-domicilii* fusius expositam videsis apud *Collat. Brug.,* t. V, p. 306 ss.; X, p. 613 ss., collatis documentis et Auctoribus ibidem invocatis, necnon *Anal. eccl.,* 1902, p. 153, in *Causa Parisien.,* 26 apr. 1902; 1903, p. 287; 1905, p. 193 et 339 ss.; et Causa *Parisien.,* 5 Maii 1914, A. A. S., VI, p. 388 ss.; *Canon. Cont.,* 1905, p. 502 ss.; *Rev. eccl. de Metz,* 1905, p. 532; *Collat. Brug.,* XXI, p. 154 ss.

(4) Juxta can. 91, uti vagi sunt habendi domicilio et quasi-domicilio destituti, licet mensilem habeant commorationem, quemadmodum jam notavimus sub n. 44.

(5) Ad habendam commorationis sedem requiritur habitatio in aliquo loco cum quadam mora, vel saltem intentio per aliquod tempus morandi, puta si quis, carens

Imo, attento canone 1023, § 1, collato canone 1097, § 1, 2° et 3°, videtur quod hîc prae oculis habentur soli vagi commorationis sedem habentes, cum hi soli, ad exclusionem actu itinerantium, censeantur habere parochum proprium (can. 94, § 2), cumque reliquis vagis actu itinerantibus aegre applicaretur norma injungens banna proclamari in commorationis loco; possunt caeteroquin actu itinerantes ubicumque licitè celebrare matrimonium, adeoque videntur a fortiori posse a quocumque parocho proclamari.

* * *

Quibus praemissis (sub n. 45-48) notionibus, intelligitur ambitus *normae,* sub n. 43 et 44 descriptae, matrimonium scil. esse proclamandum in parochia (vel parochiis) parochi *proprii* utriusque sponsi. In specie attende banna proclamari debere etiam in domicilio legali, in parochia proinde ubi domicilium paternum conservaverit alteruter sponsus: quod praesertim practicum est pro minorennibus et pro majorennibus studiosis et famulis; in memoriam etiam revoca hîc *de norma* non attendi, in jure communi, domicilium aut quasi-domicilium *derelictum.* Cf. suprà, n. 44.

49. et etiam, 2° exceptionaliter, extra parochiam propriam.

b/ *Exceptionaliter et subsidiariè* contingit fieri debere proclamationes *in alia parochia,* praeter parochiam parochi proprii. Nimirum

α/ Juxta can. 1023, § 2, « si pars alio in loco *per sex menses* commorata sit *post adeptam pubertatem* (post aetatem 14 respective et 12 annorum), parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes *inibi* faciendas exigat, vel alias probationes seu conjecturas super status libertate colligendas praescribat »; de quibus probationibus et conjecturis cf. infrà, n. 686, attentis ibidem observandis circa jus particulare vigens in Belgio, ad normam decreti 206 concilii provinc. Mechlin. IV.

β/ « Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2 (modò descriptam), removeatur », praescriptis scil., inter alia, *in illo brevioris commorationis loco,* bannorum proclamationibus. *Ibidem,* § 3,

---

domicilio et quasi-domicilio, ad parochiam quamdam tendit cum animo ibidem manendi per aliquot dies, donec parata sit domus, in alia parochia situm habens. Contrà actu itinerans censetur, et parochum proprium non consequitur, vagus qui merè transit per aliquam parochiam, vel ibidem per breve tempus sistitur prandendi aut pernoctandi causa, cum intentione illicò post iter prosequendi. Cf., circa distinctionem utriusque speciei vagorum, GASPARRI, o. c., n. 917.

Momentanée vagi sunt illi qui — sive actu itinerantes sint sive non — regulariter domicilium habent vel quasi-domicilium, sed accidentaliter ac transitoriè illo privantur; *habitualiter* vero vagi sunt illi qui, uti foranei aut navigatores fluviales, solent ab uno loco ad alium transire, domicilio et quasi-domicilio habitualiter destituti, idque rursus, sive hic et nunc actu itinerantur sive non. Cf. infrà, n. 125 et 129.

coll. dicendis infrà, n. 686, cum notandis circa modum agendi Ordinarii.

Circa quas dispositiones novas (1) nota 1/ alium *locum* ex contextu sumi pro alia *parochia* vel quasi-parochia; 2/ Ordinarium, in singulis casibus descriptis consulendum, esse Ordinarium *proprium* sponsorum, et, si plures sint, illum in cujus dioecesi matrimonium celebratur, vel, si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quemlibet Ordinarium proprium (ad normam can. 1028, coll. infrà, n. 63).

Quod attinet

2° Aedificium:

50. Publicatio fit in ecclesia parochiali.

Proclamationes debent fieri in *ecclesia,* uti explicitè jubet novus Codex, can. 1024, et jam volebant Conc. Trident. necnon Conc. Lateranense. Ecclesia autem intelligitur *parochialis* vel *quasi-parochialis,* cum faciendae sint denuntiationes a sponsorum *parocho:* cui ecclesiae parochiali assimilari potest, in hac re, ecclesia filialis quae habeat territorium a territorio ecclesiae matricis sejunctum, adeo ut unius ecclesiae territorii incolae in alterius territorio ignoti sint (2).

Quamvis autem regulariter proclamatio sit facienda in ecclesia parochiali vel quasi-parochiali, nihil impedit quominus interdum banna proclamentur in alia ecclesia vel etiam in sanctuario (oratorio publico), ubi, occasione alicujus festi extraordinarii, missarum sollemnia cum frequenti populi concursu celebrari contingit: attento namque fine legis et attenta determinatione addita (*inter missarum sollemnia* aut inter alia divina officia ad quae *populus frequens* accedat), magis videtur referre frequentia populi quam ipse locus (3). Quam interpretationem confirmat tenor canonis 1025.

51. Quid speciale notandum si sponsi sint diversae parochiae.

Nota 1. Si sponsi ad *diversam parochiam* pertinent, unus parochus non potest, juxta statuta dioecesana Brugensia, proclamationes instituere nisi

(1) In *anteriori jure communi* non existebat, circa banna proclamanda extra proprii parochi parochiam, ordinatio praeceptiva, sed dispositio directiva tantùm: « Publicationes faciendae sunt in loco domicilii vel quasi-domicilii. Expedit etiam ut fiant in loco originis, si contrahentes ibidem morati fuerint post adeptam aetatem ad matrimonium contrahendum idoneam; atque insuper in locis ubi saltem per decem menses commorati fuerint, nisi jam a pluribus annis domicilium fixerint in loco ubi matrimonium contrahendum est ». *Instr.* C. S. O., 22 Aug. 1890, apud *Collectanea,* n. 1376, ad 2/.

In jure *particulari Brugensi* providebatur quod « proclamationes bannorum tam sponsi quam sponsae, qui in aliis parochiis habitaverant, etiam ibi *semel* fieri debe(ba)nt, *nisi eas a sex mensibus deseruerint* ».

(2) Id obtinuit in citata *Causa Coloniensi,* ubi solutio S. C. C. fuit: « Attentis peculiaribus circumstantiis in casu occurrentibus, publicationes matrimoniorum in ecclesiis filialibus posse sufficere ». *R. th. fr.,* 1901, p. 125, ubi refertur egregium *Votum* consultoris.

(3) Quodsi, in casu extraordinario, contingat missarum sollemnia celebrari extra ecclesiam vel oratorium, puta in foro publico, non auderemus dicere, attenta invocata ratione, proclamationes inibi fieri non posse. Cf. etiam, in hunc sensum, CAPPELLO, o. c., n. 165.

ex alterius parochi testimonio didicerit nihil obstare (1). Nimirum parochus sponsi, post praevium examen, monebit parochum sponsae de statu libero sui parochiani, in quantum provisorie id testari valeat (2): quo nuntio accepto, parochus sponsae, postquam hanc ritè examinaverit, et nulli impedimento obnoxiam reperierit, invitat parochum sponsi ad proclamandos nupturientes (3), et ex sua parte ad publicationes procedit.

Quodsi sponsi sunt proclamandi in aliis parochiis praeter illas in quibus facto habitant et a parocho examinantur, puta in parochia recens deserta (n. 49), parochi sponsae est ad banna proclamanda invitare respectivos parochos. Cf. infrà, n. 65.

Si autem contingat sponso vel sponsae *plures* esse parochos proprios, quatenus alteruter habeat duo domicilia vel duo quasi-domicilia, vel domicilium et quasi-domicilium (n. 47), descriptum munus videtur incumbere, nisi aliter statuat jus particulare, parocho proprio in cujus parochia sponsus vel sponsa actu moratur. Cf. infrà, n. 679, circa investigationem faciendam, in casu, a parocho. Cf. etiam n. 125.

2. Si sponsi mutant domicilium aut quasi-domicilium post factam primam vel alteram proclamationem, parochus derelictae parochiae pergat in reliquis bannis proclamandis, neglecta omni proclamatione in novo domicilio vel quasi-domicilio.

B. Frequentia.

52. Quoties sit proclamatio facienda ;

1° In parochia proprii parochi sponsorum banna proclamanda sunt *ter*, sic explicitè jubente, post Concilium Tridentinum, canone 1024 (4).

2° In aliis locis, standum est instructionibus Ordinarii consulti vel ordinationibus, si quae sint, juris particularis (5).

53. quandonam et quoties iteranda.

3° Quod spectat *iterandas* publicationes: Juxta can. 1030, § 2, « Si infra *sex menses* matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliter loci Ordinario videatur » (6).

C. Tempus.

54. Proclamatio facienda diebus festivis de praecepto,

Ad tramites can. 1024: « Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto... inter missarum sollem-

(1) Cf. *Liber manualis*, p. 189, ubi additur: « Quod quidem parochi testimonium, si sit ex aliena dioecesi, ab ipsius Ordinario recognitum sit oportet, nisi aliunde sit notum ».

(2) Ad hoc sufficit schedulam mittere in hanc vel similem formam: « R^e D^ae Pastor, — Tutò denuntiari potest, quantum ad me spectat, matrimonium N. N. parochiani mei cum N. N. una ex tuis ». — Juxa decr. Congr. Prosyn. Brug., anni 1924, n. 5, debet parochus sponsi, una cum monito de proclamando matrimonio, *testimonium Baptismi* transmittere ad parochum sponsae. Cf. infrà, n. 678.

(3) En formulam: « R^e D^ae Pastor. — Digneris matrimonium N. N. parochiani tui cum N. N. parochiana mea, ad tramites juris, publicè proclamare et rescribenda rescribere ».

(4) Uti constat ex documento anni 1268, sub n. 60 referendo, saeculo XIII, jam solebat, apud nos, fieri *trina* proclamatio.

(5) Modò notavimus, in dioecesi Brugensi, jure anteriori, proclamandos fuisse *semel* sponsos in parochia infra sex menses derelicta.

(6) Juxta anteriores editiones *Rit. Roman.*, iteranda erant banna post *duos* menses. Hucusque, juxta *Statuta dioec. Brugensis:* « ubi proclamationes antenuptiales antiquiores fuerint *tribus mensibus* », novae proclamationes *semel* fieri debebant; si antiquiores *anno* fuerint, *ter* fieri debebant.

nia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat ».

Circa quem canonem observa:

1° Dies festivi de praecepto, juxta novum catalogum canone 1247 descriptum, sunt, praeter dies dominicos: festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Domini, Immaculatae Conceptionis, Assumptionis, S. Joseph (19 Martii), SS. Petri et Pauli et Omnium Sanctorum.

In illis diebus festivis bannorum proclamationes permittere posset Ordinarius etiam, ut videtur, ubi *abrogati* sunt, modò frequens adsit populi concursus; minus tamen conforme censetur canoni 1024 (1).

Quod autem spectat dies, qui olim erant coram jure communi festa de praecepto, nunc autem e catalogo festorum sunt suppressi, puta feriam 2[m] post Pascha et post Pentecosten, non jam possent illis diebus fieri proclamationes, nisi forte in aliquo loco, jure particulari, essent festa de praecepto (2).

continuis,

2° Dicitur: *continui,* seu sibi succedentes, quin scilicet interponatur alius dies festivus. Nec obstat quominus duo dies *immediatè* sibi succedant, puta si festum Nativitatis Domini occurat feria II vel sabbato; imo, si possibile esset tres dies festivos sibi immediatè succedere, non essent, si stricto juri inhaerere velimus, interrumpendae proclamationes; fini tamen intento minus conforme videretur in hoc litteram legis observare.

55. inter missarum sollemnia.

Tandem 3° peragendae sunt proclamationes *inter missarum sollemnia,* seu inter missam parochialem aut conventualem; possunt tamen, id expresse permittente tenore canonis (aut inter alia divina officia...), fieri etiam extra hoc tempus, supposita populi frequentia, v. gr. tempore vesperarum vel concionis (3).

D. **Forma.**

56. Determinatur forma.

Vulgari sermone et intelligibili voce nuntiandum est instans matrimonium, expressis nomine et pronomine utriusque nupturientis, indicata parochia originis ac habitationis, necnon conditione coelibatus aut viduitatis, addito, si alterutra pars est vidua, nomine prioris

---

(1) In Congr. Prosyn. Brug., anno 1921, sub n. VI, sic statuitur: « In dioecesi nostra jam non fiant proclamationes antenuptiales diebus festis *abrogatis* quibuscumque »; unde jam non poterant, in dioecesi Brugensi, banna proclamari, praeterquam in dominicis, nisi in solis festis Nativitatis, Ascensionis, Assumptionis ac Omnium Sanctorum: eamdem, ac in dioecesi Brugensi, disciplinam, pro toto Belgio, induxit Concilium Mechliniense quartum, can. 207.

(2) Disputari scil. posset utrum proclamationes fieri liceant in festis *jure particulari* de praecepto; quod affirmat SCHÄFER, o. c., p. 59, ubi notat hujusmodi festa esse de praecepto in Borussia, nempe: feriam II[m] Paschatis et Pentecostes, necnon festum S. Stephani.

(3) Ita jam antea usus vigebat in dioecesi *Brugensi,* juxta tenorem *Pastoralis Brugensis,* p. 122: « antequam matrimonium contrahatur... sub summo sacro, vel concione, aut alioqui frequenti populi conventu, publice denuntietur ».

conjugis. Inseratur etiam mentio dispensationis obtentae super impedimento natura publico matrimonii, vel super una alterave publicatione, nec omittatur dicere utrum primum sit bannum, vel secundum vel tertium. Tandem moneantur fideles de obligatione revelandi impedimenta. Praetermitti autem debent omnia quae possent esse probrosa nupturientibus, puta illegitima natalia; omittatur etiam, ad normam can. 1026, mentio religionis partis non catholicae, si Ordinarius proclamationes matrimonii mixti vel disparis cultus permiserit (1). Cf. infrà, n. 58.

57. Notanda circa affixiones proclamationibus substituendas;

Nota. 1° Juxta can. 1025, « potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, *affixionem* nominum contrahentium per spatium *saltem octo dierum,* ita tamen ut, hoc spatio, *duo dies festi* (vel dominici) de praecepto comprehendantur » (2). Illam affixionem bannorum proclamationi substituere non potest parochus propria sua auctoritate (3).

---

(1) Formulam proponit *Rit. Rom.*, Tit. VII, cap. I, n. 8, utique non praeceptivam. En autem *specimen proclamationis* juxta formam veteris Ritualis *Lemovicensis:* « N. N. fils de N. de tel lieu, et N. N. fille de tel, demeurant en tel lieu et paroisse, se veulent prendre et assembler par loyal mariage, s'il y a aucun n'y aucune qui scache entr'eux lignage, affinité, n'y empêchement, par quoy le mariage ne doive se faire, s'il le dit sur-peine d'excommuniement avant qu'on procède plus avant. C'est pour le premier banc, ou pour le second, ou pour le tiers ».

Postea, ipso nuptiarum die, ante matrimonii celebrationem, pro quarta proclamatione ad abundantiam, ita dicebatur: « Nous avons proclamé en l'église de céans trois bancs solennellement par trois jours solennels, pour le mariage que N... ici présens, entendant à contracter et faire ensemble à l'honneur de Dieu et de la Vierge Marie, auquel nul n'a-contredit. De rechef nous proclamons *le quatrième banc d'abondance,* en faisant commandement s'il y a aucun qui scache nul empêchement légitime... s'il le dit sur peine d'excommunication, ou autrement nous dénonçons excommuniez tous ceux qui malicieusement nous voudront caicher feaux troublement et empêchemens ». MARTÈNE, o. c., l. I, P. 2ª, p. 640. Juxta *Pastorale Brugense,* p. 125, ab astantibus inquirere debebat parochus, postquam sponsos de libertate accessus ad matrimonium interrogaverat, « an nullum noverint impedimentum, ob quod ad contrahendum matrimonium sponsi admitti non possent ». Et tunc, « nemine impedimentum denuntiante », prosequebatur. Cf. etiam *Salisbury Manual,* p. 53 ss., *York Manual,* p. 24, et *Sarum Manual,* p. 18, ubi additur monitio facienda ad ipsos sponsos, circa secretum, quo forsan ligarentur, impedimentum non occultandum.

(2) Concessio in hunc sensum jam facta fuerat, anno 1908, Archiepiscopo *Parisiensi,* « vi cujus deinceps liceat, in parochiis suae dioeceseos, quae continent *decem millia parochianorum* vel amplius, praefatae legi Tridentinae (de bannis) satisfacere, *affigendo in loco ecclesiae conspicuo, per tres dies festivas continuas, scriptas schedulas futura matrimonia exhibentes,* quae schedulae per totam diem, a prima missa matutina usque ad ultimum officium liturgicum vespertinum, affixae remaneant ». *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 471 s. Juxta *Instr. du Vic. de Rome,* l. c., p. 600, providebatur ut, praeviis publicationibus craliter factis, « l'acte de publication... demeurera affiché pendant l'intervalle, entre les publications successives, et pendant deux jours consécutifs, dans l'intérieur de l'église, près de la porte, ou à un autre endroit où il sera facilement visible ».

(3) *In dioecesi Brugensi,* latum est, anno 1923, decretum Congr. prosynod. sequens: « Opportunum ducimus ut parochi *majorum* paroeciarum, ubi bene multae solent occurrere publicationes matrimoniorum, his, ad normam can. 208 Concilii Mechlin. IV, *partim* substituant publicam ad valvas ecclesiae affixionem nominum contrahentium ».

En autem tenor invocati canonis 208 *Concilii Mechliniensis:* « Publicationibus *partim* substitui potest publica ad valvas ecclesiae paraecialis affixio nominum contrahentium, ad hanc scil. normam: 1. nomina singulorum contrahentium, semel saltem,

58. circa matrimonia mixta proclamanda;

2° Regulariter prohibetur banna proclamari in ordine ad matrimonia *mixtae religionis* vel *disparis cultus;* sed loci Ordinarius potest, remoto scandalo, illas publicationes permittere, « dummodò apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis acatholicae ». Can. 1026, coll. dicendis infra, n. 510 et n. 591.

59. circa banna differenda vel interrumpenda;

3° Quod spectat proclamationes *differendas* vel *interrumpendas:*

a/ *Dubio* exorto circa impedimentum, ideo non sunt differendae proclamationes nondum incoeptae nec interrumpendae sunt denuntiationes jam inchoatae. Can. 1031, § 1, num. 2.

b/ Detecto impedimento *certo:* si est *occultum,* non sunt differenda nec interrumpenda banna; si est impedimentum *publicum* et innotescit ante incoepta banna, differantur donec impedimentum fuerit in foro externo ablatum: quod valet etiamsi notum sit parocho dispensatum esse pro foro interno; si innotescit impedimentum inchoatis sed nondum expletis publicationibus, parochus eas prosequatur, re delata ad Ordinarium. Can. 1031, § 2, n. 1 et 2 (1).

60. circa honoraria;

4° « Receptum esse solet ut parochus pro hisce publicationibus faciendis a nupturientibus habeat moderatum emolumentum » (2); qua in re parochi sese conforment usui existenti ac statutis localibus. Usus autem est, in dioecesi Brugensi, ut, ad normam olim inductam, quando banna proclamantur in parochia ubi neuter desponsatorum habitat, non exigatur, ratione proclamationis et testimonii desuper expediti, ultra francum cum dimidio; a pauperibus vero nihil prorsus exigatur (3).

60 bis. circa admissionem ad matrimonium.

5° Proclamationibus peractis, *non illicò potest ad matrimonii celebrationem procedi.* Nimirum:

a/ Oportet ut parochus cui competit matrimonio assistere non detegerit impedimentum, nec dubium nec certum, vel illud removendum curaverit. Can. 1031, § 3, et 1097, § 1, n. 1.

In dubio circa existentiam impedimenti, parochus rem accuratius investiget, ad normam can. 1031, § 1, n. 1, collatis infrà dicendis sub n. 686; quodsi dubium perseveret, « matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario ». Can. 1031, § 1, num. 3.

Detecto impedimento *certo:* si est occultum, res deferatur, tacito nomine, ad Ordinarium vel ad S. Poenitentiariam, nisi parochus

---

die dominica vel festi de praecepto e suggestu proclamanda sunt; 2. loco duarum aliarum publicationum fieri potest affixio ad valvas ecclesiae paraecialis per spatium octo saltem dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies dominici vel festi de praecepto comprehendantur, etsi publicatio praescripta una ex his diebus dominicis vel festis fiat. Affixio autem fiat loco prorsus conspicuo ».

(1) Supponitur, sub b/, agi de impedimento *dispensabili:* secus, si nempe certò obstat impedimentum indispensabile, declaretur partibus a matrimonio esse abstinendum. Cf. CHELODI, o. c., n. 31.

(2) GASPARRI, o. c., n. 159.

(3) *Statuta dioec. Brug.,* p. 143 s. Cf. *Collat. Brug.,* II, p. 597, ubi notatur: « Favore hujus dispositionis nupturientes pauperes facilius consentient ut, etiam in parochia ubi actualiter non habitant, eorum matrimonium denuntietur ».

noverit dispensationem in foro interno obtentam; si est publicum, et detegitur post primum vel alterum bannum, res ad Ordinarium deferatur (1).

b/ Oportet ut dictus parochus praevie receperit scriptam attestationem de bannis in alia parochia forte proclamatis, et de non detecto impedimento aut de ejus remotione (can. 1029) (2). Debet insuper accepisse reliqua documenta pro opportunitate requisita et infrà, n. 687bis enumeranda. Can. 1030, § 1.

c/ Postquam nihil jam obstat matrimonii celebrationi et peractae sunt omnes proclamationes, differenda est matrimonii celebratio, nisi rationabilis causa aliud postulet, usquedum « *tres dies* decurrerint ab ultima publicatione », Can. 1030, § 1. Matrimonium proinde, attenta norma supputandi tempus (can. 34, § 3, 3°), non potest celebrari nisi incoepto quarto die post diem ultimae proclamationis (3); sed, ut ocius celebretur, non requiritur causa gravis, sed rationabilis sufficit (4).

Quae dispositio, quam tenor can. 1030, § 1, solis proclamationibus applicat, meritò videtur, ob evidentem analogiam, extendenda ad casum quo Ordinarius proclamationibus substituerit affixionem.

---

(1) Can. 1031, § 2, n. 1 et n. 2. — Supponitur, in utraque hypothesi, agi de impedimento dispensabili aut saltem non certò indispensabili. Caeterum haec quaestio de modo agendi parochi in casu detecti impedimenti (certi vel dubii) ante matrimonium, reassumetur et latius exponetur infrà, n. 714 ss., coll. n. 471.

(2) Ita v. gr.: « N. N. parochianus meus et N. N. parochiana tua in ecclesia mea ter (vel semel aut bis cum dispensatione in 2° et 3° aut in 3° banno) proclamati sunt, et nullum innotuit impedimentum. Quare ad eorum matrimonium. quantum ad me attinet, tuto procedi potest ». In *Bulletin de la Commission royale d'Histoire*, t. 82 (1913), p. 48, refertur, juxta Archivium abbatiae S. Petri, Gandae, extracta epistola, anno 1268 conscripta a parocho S. Jacobi, Gandae, ad parochum de Assenede, ut hunc certiorem faceret de bannis sponsi ter proclamatis. En tenorem: Viro venerabili et discreto presbytero de Assenede, G. presbyter S^{i} Jacobi Gandensis, salutem in Domino. Discretioni vestrae significo quod Johannes, dictus Backere, parochianus meus, legitima sit persona ad contrahendum matrimonium cum Margareta dicta de Assenede, et quod edicta (banna) sua jam in ecclesia nostra, ter, more debito solemniter sunt denuntiata, nemine reclamante. In cujus rei testimonium praesentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Datum anno Domini MCC LXVIII ».

Quodsi testimonium bannorum alibi proclamatorum tempestive non fuerit acceptum a parocho, matrimonium celebraturo: « parochus adeat, si fieri possit, Ordinarium; sin autem, ipsi fas erit epikeiam facere et, testimonio diutius non exspectato, matrimonio assistere, dummodò tamen de statu libero contrahentium moralem certitudinem habeat ». Ita CAPPELLO, o. c., n. 180.

(3) Ita, si ultima proclamatio est facta die dominico, non posset matrimonium iniri nisi feria V^{a}.

(4) Hucusque, ex jure particulari Brugensi, de norma interponenda erat *unus dies*, exceptione facta *pro operariis et pauperibus* quorum matrimonia, si banna ter proclamata fuerunt, celebrari poterant feriis secundis, non servata die intermedio. Habebant autem *Decani* facultatem « *dispensandi* cum divitibus in die intermedio... quando necesse est aut expedit, dummodò dispensatio secundi et tertii banni non fuerit concessa ». — Hunc usum diei intermedii jam habebant *Ordines* antiqui, apud MARTÈNE, o. c., l. I, p. 2^{a}, p. 637 et 640.

III. Causae deobligantes.

61.

Non excusat inutilitas,

A. A descriptis proclamationibus faciendis *non excusatur* parochus:

1° ex *inutilitate* denuntiationis, sive quia ignoti sunt nupturientes in loco ubi, vi juris dispositionis, essent proclamandi, sive quia nulla est suspicio impedimenti. Ratio est quia uti suprà, n. 40, notavimus, lex est fundata in praesumptione non facti sed periculi universalis;

nec peracta proclamatio civilis ;

neque 2° ex eo quod publicationes peractae sint in *foro civili.* Ita expresse monet C. S. O., in decreto 12 Jan. 1881 (1); caeteroquin, ex ipso tenore Codicis necnon decreti Conc. Lateran. et Trident., liquet legi non fieri satis nisi per bannorum proclamationem *in ecclesia* factam; ulterius in foro civili multa non attenduntur impedimenta juris canonici.

62.

contrà excusant

B. Inter causas a lege deobligantes, a jure vel a consuetudine *admittitur:*

1° urgens necessitas ;

1° *Casus urgentis necessitatis* matrimonii celebrandi, ita ut desit tempus ad proclamationes procedendi ac ad Episcopum recurrendi; quo casu parochus potest, omissis bannis, matrimonio assistere, saltem ex epikeia (2).

2° matrimonium mixtum et disparis cultus ;

2° Celebratio matrimonii *mixtae religionis* vel *disparis cultus,* in quibus, ad normam can. 1026, regulariter omittendae sunt publicationes. Cf. suprà, n. 58, coll. infrà, n. 510 et n. 591.

3° matrimonium conscientiae et casus secretae convalidationis matrimonii publicè initi ;

3° Celebratio matrimonii conscientiae (can. 1104), necnon secreta convalidatio matrimonii in facie Ecclesiae invalidè contracti ob praesentiam impedimenti occulti.

4° qualitas principis ;

4° Quando agitur de nuptiis *summorum principum* (3).

63.

5° dispensatio,

5° *Dispensatio:*

a/ *Auctor* dispensationis est, sic providente canone 1028, § 1, necnon Conc. Tridentino, l. c., *proprius Ordinarius,* qui potest dispensare sive per se sive per delegatum (est enim potestas ordinaria), potestque dispensare etiam super bannis *in aliena dioecesi* proclamandis (4).

---

(1) *Collectanea* S. C. de P. F., n. 1224.

(2) Id facilè continget in urgenti mortis articulo: quo casu recurri etiam posset ad can. 1044, in cujus facultate generali contineri censetur potestas dispensandi in bannis, in favorem parochi ac sacerdotis matrimonio assistentis ad normam can. 1098, n. 2. — Etiam contingere potest extra periculum mortis. Cf. Cappello, o. c., n. 162, coll. Wernz-Vidal, o. c., n. 123.

(3) Gasparri, o, c.. n. 154; Wernz-Vidal, o. c., n. 123; Bassibey, *De la Cland.*, n. 204. — Hoc privilegium censetur, ad normam canonis 4, manere integrum, cum nullo Codicis canone expressè revocetur.

(4) Seponitur casus can. 1044, de quo modò suprà, ubi parochus aut sacerdos dispensare possunt in bannis.

In dioecesi autem *Brugensi* ad hoc delegantur *Decani:* qui gaudent facultate « dispensandi, ob rationes canonicas, consuetis inhaerendo formulis, cum incolis sui districtus, in *uno* et in *duplici* banno antenuptiali ».

quae est petenda a parocho sponsae,

Petenda est dispensatio, si ei locus est, *a parocho sponsae,* qui, parochum sponsi invitando ad banna proclamanda, monebit de dispensatione obtenta, ut ejusdem rationem habeat in proclamatione.

danda ab Episcopo proprio vel, in dioecesi Brugensi, a decano,

« Si *plures* sint Ordinarii proprii, ille jus habet dispensandi, in cujus dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest ». Can. 1028, § 2 (1).

Si pertineant ad *diversum decanatum,* sufficit, in dioecesi Brugensi, dispensatio solius Decani sponsae.

64. proportionata de causa,

b/ *Causa* ulterius ad dispensandum requiritur legitima: quam causae necessitatem urget Bened. XIV (2), monens Episcopos « facultatem in hujusmodi dispensationibus effraenatam immoderatamque sibi nullatenus inesse, sed facultatem ad prudentiae rationem legitimarumque causarum emergentes occasiones dirigendam ». Etiam can. 1028, § 1, supponit praesentiam causae legitimae, provocando ad prudens Ordinarii judicium. Caeterum principium generale est inferiorem in lege superioris dispensare non posse, ne validè quidem, absque causa proportionata.

Quod spectat causae *gravitatem,* profectò gravior ratio requiritur pro remittendis tribus bannis quam pro remittendo uno vel altero; sed, etiam ad dispensandum super una vel duplici proclamatione, non est nimia facilitate utendum (3), ita ut solus nupturientium lubitus sit pro causa (4), quantumvis aliunde moraliter constat de impedimenti absentia: est enim lex, eaque fundata in praesumptione periculi universalis.

sive totaliter,

Porro sequentes enumerantur *causae dispensandi,* et quidem ut

(1) Ita cum sponsa domicilium habente in dioecesi Brugensi ac quasi-domicilium in dioecesi Gandavensi: si matrimonium init in dioecesi Brugensi, ab Ordinario Brugensi est dispensandum in bannis; si in dioecesi Gandavensi, ab Ordinario Gandavensi; et, si exceptionaliter contingat matrimonium celebrari in dioecesi Tornacensi, dispensari potest tum ab Ordinario Brugensi, tum ab Ordinario Gandavensi.

(2) Constit. 18 Maii 1743, *Nimiam Licentiam,* § 13.

(3) Non absque severitate nimiae indulgentiae abusum impugnat Bened. XIV, l. c., § 15. Hanc causae canonicae necessitatem urget etiam Episcopus Passaviensis, in recenti statuto relato apud *Archiv. f. k. Kirchenr.,* 1909, p. 739 s. Item Episcopus Brugensis, in Congreg. Prosyn. anni 1910, apud *Collat. Brug.,* t. XV, p. 327.

(4) Plerumque alium praetextum non habent nupturientes ad sollicitandam dispensationem, quam ut in hoc sequatur ex mera vanitate exemplum divitum et nobilium, quibus solent banna ex parte remitti. Sufficit autem sponsos altioris conditionis ad hoc adducere ut sinant matrimonium suum, ad normam juris, ter proclamari: eo ipso, quemadmodum laudanda experientia jam constat, brevi recedet abnormis ille usus absque legitima causa dispensationem sollicitandi. Cf., in hunc sensum, decr. Congr. Prosyn. Brug., anni 1910, n. 10.

dispensetur: α/ *ex toto:* urgens casus matrimonium celebrandi, puta ob instantem necessitatem ad exteras regiones discedendi; supponitur autem praesto esse tempus adeundi Episcopum. Item quando, licet hoc rarius accidet, meritò timetur ne nuptiae, si publicentur, malitiosè impediantur (1); ratio etiam esse potest, ut suprà notavimus (n. 61), quando publicationes ex rigore juris faciendae prorsus inutiles evaserint, puta ex eo quod planè ignoti existunt sponsi (2).

sive partialiter. β/ ad dispensationem *ex parte:* imprimis sufficit quaecumque legitima causa anticipandi matrimonii celebrationem, qualis est timor scandali ex provecta praegnantia sponsae, periculum incontinentiae, fundata suspicio ne parentes retractent consensum, instantia temporis clausi et alia hujusmodi. Causa etiam foret dispensandi in uno alterove banno, ut nupturientes, putà valde disparis aetatis aut conditionis, ludibrio minus exponantur; pariter si timeatur ne multùm graventur desponsati ex dispensationis recusatione, ac aliunde moraliter certò constet nullum obesse impedimentum. Tandem passim admittitur ut causa gratiosa nobilitas nupturientium, quippe quorum cognationes sunt magis notae.

65. *Norma practica;* **Scholion practicum.** Ex descriptis juris dispositionibus liquet quaenam sint partes parochi, circa bannorum proclamationes, in utraque hypothesi quod ad ipsum uterque sponsus accesserit examinandus, vel alteruter tantùm:

a/ *casu quo ab utroque sponso idem adeatur parochus;* **1°** Si *uterque* nupturiens eumdem adivit parochum (3), hujus parochi est a/ ad bannorum proclamationem ex parte sua procedere; b/ alios parochos, si qui sint, quibus incumbit banna proclamare, monere de proclamatione facienda; c/ dispensationem super bannis, si locus sit, ab auctoritate ecclesiastica petere et obtinere.

66. b/ *casu quo diversus adeatur.* **2°** Si sponsi ad *diversum* parochum pertinent, vel saltem diversum parochum adierunt examinandi:

a/ Parochus *sponsi* (seu parochus qui sponsum interrogavit), debet, postquam examen instituerit et instructionem peregerit, monere parochum sponsae de examine instituto et de non detecto impedimento, schedulam mittendo suprà descriptam, addita mentione, si locus sit, duplicis, ex parte sponsi, domicilii vel anterioris commorationis in alia parochia (n. 49 et 51); non potest autem ad bannorum proclamationes procedere antequam rescriptum acceperit a parocho sponsae, eum invitante ad banna denuntianda. Ipsius non est reli-

(1) *Conc. Trid.*, cap. 1, *De Reform. matr.*

(2) Matrimonium conscientiae sponte sua excludit proclamationes, nec adeo dispensatione hic est opus. Cf. can. 1104.

(3) Cf. suprà, n. 43 s., et n. 51, a quonam parocho sint faciendae proclamationes, infrà vero, n. 679, coram quonam parocho subeundum sit sponsorum examen.

quos parochos monere nec dispensationem in bannis procurare. Proclamatione autem instituta, parochum sponsae moneat de proclamationum exitu: vel eum certiorabit nullum esse detectum impedimentum, vel, si impedimentum innotuit in foro externo, de hujus existentia monebit, postulando ut matrimonii celebratio differatur donec dispensatio fuerit obtenta, sive a parocho sponsae sive ab ipso parocho sponsi, juxta normas infrà proponendas.

b/ Parochus *sponsae,* qui nempe hanc examinavit, pro officio habet ut, examine instituto et accepta certioratione ex parte parochi sponsi de non detecto in examine impedimento, denuntiet matrimonium et ad nuptiales denuntiationes invitet parochum sponsi, usurpata formula de qua suprà, n. 51, necnon alios parochos, si qui sint, quibus onus incumbit banna proclamandi; ad ipsum etiam pertinet dispensationem super bannis, si locus sit, impetrare. Ad matrimonium non procedat nisi post receptum documentum libertatis a parocho sponsi.

Attende proclamationes *incoeptas* nunquam esse interrumpendas non obstante existentia certa vel dubia impedimenti, nisi Ordinarius consultus id jusserit; illas autem *nondum inchoatas* esse differendas in casu detecti impedimenti certi et publici. Cf. dicta sub n. 59.

Nota. In descriptis suprà variis officiis parochi circa banna proclamanda, supponitur utraque pars esse *catholica.* Quodsi alterutra pars est acatholica vel infidelis, quodque, ad normam dictorum sub n. 58, ab Ordinario permittuntur banna proclamari, non attenditur nisi solus parochus partis catholicae (sive sit sponsus sive sponsa), cui parocho competit proclamationes instituere et alios parochos, si qui sint, monere. Cf. infrà, n. 125.

IV. Obligatio revelandi impedimenta.

67. *Adest obligatio gravis revelandi impedimenta,*

Praenota in hac quaestione nos considerare imprimis impedimenta *natura occulta,* siquidem impedimenta natura publica facilè revelari solent, cum nullam adnexam habeant infamiam et sponte sua innotescere queant.

A. Datur *obligatio,* eaque *gravis,* revelandi impedimenta matrimonii, sive impedientia sive dirimentia, sive certò, sive saltem probabiliter existentia.

Obligationem urget non tantum jus *ecclesiasticum* (1), sed etiam ipsum jus *naturale* ac *divinum.* Et sane ipso jure naturali ac divino

(1) Can. 1027. Cf. etiam *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, cap. 1, *De Reformatione matrimonii;* c. 6, X, IV, 18; c. 7, X, IV, 11; c. 3, X, IV, 3; circa quod ultimum caput cf. Rosset, o. c., n. 1143; De Angelis, o. c., tit. III, n. 5; Santi, o. c., Tit. III, n. 16; *Anal. eccles.,* 1901, p. 189-190.

tenemur impedire quominus matrimonium contrahatur invalidè vel illicitè, tum ex reverentia erga sacramentum, tum ex charitate erga proximum, cui, praeter mortale peccatum, gravissima mala impendent ex conjugio illicitè ac potissimum invalidè inito, tum etiam ratione boni publici in cujus tutelam inducta sunt impedimenta matrimonii.

Quam obligationem *gravem* esse liquet, attenta gravitate materiae (1). Revelatio autem est facienda *quamprimum* commodè fieri potest, idque regulariter *parocho* vel loci Ordinario; nihil tamen obstat quominus praevie moneantur fraterne ipsi nupturientes ut dispensationem petant vel a nubendo abstineant; quodsi alterutrum fecerint, ulterior denuntiatio evasit inutilis.

B. Deficit asserta obligatio, ab illa *excusante gravi proportionata causa.* Nimirum

68.

nisi sub sigillo accepta fuerit notitia,

1° non debet nec potest impedimentum unquam propalare sacerdos qui illud novit *ex sola confessione,* siquidem lex sigilli sacramentalis adeo stringit ut illud revelari nunquam liceat, nec ulli altiori legi ullatenus cedat.

Quodsi simul aliunde novit idem impedimentum, potest confessarius, salvo sigillo, illa altera scientia uti: caute tamen et prudenter, ne sigilli violatio vel in suspicionem veniat.

aut sub secreto professionali ;

2° Tanquam causa passim excusans habetur secretum non merè promissum vel naturale, nec etiam secretum simpliciter commissum (2), sed secretum *commissum professionale:* secretum scil. quod est alicui commissum non qualitercumque, puta ratione amicitiae vel propinquitatis, sed *ratione officii sui,* puta parocho, medico, advocato, notario, obstetrici, quodque ex hoc capite vocatur etiam secretum *officii;* hujusmodi nimirum arcani conscius generatim non deberet nec posset illo uti cum gravamine *ipsius consilium exquirentis,* revelando impedimentum ex cujus revelatione infamiam vel aliud detrimentum caperet ille a quo notitiam confidenter accepit (3). Cf. can. 1755, § 2, num. 1.

Ratio est quia res est de *bono publico,* quod exigit ut tutò et confidenter accedere possint homines ad hujusmodi personas ex officio praepositas ad hoc ut aliis ope et consilio praesto sint; valde

(1) Vidimus olim illam obligationem fuisse injunctam sub poena excommunicationis.

(2) Non excusat secretum naturale nec secretum *promissum,* esto sub fide juramenti, nec etiam secretum simpliciter *commissum,* quod nempe consilii petendi causa fuit concreditum alicui, ad hoc ex officio non constituto: quippe quibus non applicatur invocanda ratio boni publici. Caeterùm si ratio secreti naturalis sufficeret, nullum impedimentum infamans posset manifestari. Cf. *Instr. pastor. Eystetten.,* n. 514.

(3) Idem valet de revelatione defectus corporalis, alteri parti nocivi (nullum licet impedimentum generantis), in consultatione medicali detecti; passim medicus non debet nec potest vitium clientis sui revelare.

autem minueretur fiducia ac promptitudo in consiliis exquirendis si sciretur notitiam ita concreditam dicto modo posse adhiberi ac manifestari (1).

Diximus: *generatim,* quia nolumus normam illam severius urgere in omni omnino casu, etiam in casu quo agitur de praecavendo ab altera parte nocumento enormiter gravi, puta in casu morbi venerei valdè contagiosi; non desunt scil. Auctores qui censeant tunc a medico *posse* secretum discreto modo revelari sponsae vel hujus parentibus; imo putant dictum medicum hujusmodi revelationem *debere* facere quando ex lege civili a secreto professionali liberatur (2).

69. vel nisi grave damnum, signanter proprium, excuset.

3° Excusat a revelatione facienda *grave damnum proprium,* ex illa incurrendum, sive in bonis fortunae, sive in fama et honore. Non censetur tamen *quodcumque* damnum grave sufficere ut excuset a *quovis* impedimento prodendo, sed eo gravius postulatur quo graviora damna ex silentio praevidentur sequenda; quocirca attendenda est distinctio non tantum inter impedimenta impedientia et dirimentia, sed etiam inter dirimentia ad invicem; et sic aegrius excusabitur qui novit instanti matrimonio obesse impedimentum juris naturae quam ille qui novit obstare impedimentum juris dumtaxat ecclesiastici, ille qui detegit sponsos esse illegitime consanguineos in 1° gradu quam ille qui eos reperit conjunctos in 2° gradu, et ita porro.

Qua servata proportione potest, ratione proprii detrimenti, eximi aliquis ab obligatione quodcumque impedimentum, etiam gravissimum, manifestandi, quantumvis probrosum praevideatur ineundum conjugium. Et ita si contingat, quemadmodum jam non semel, in ipsis nostris regionibus, accidisse novimus (3), matrimonium prae-

(1) Incommodum ex minuenda fiducia populi non vitatur, uti censet ROSSET, o. c., n. 1149, oppositam sententiam propugnans, revelando « impedimentum ad aurem parochi vel Ordinarii, ita ut nupturiens penitus ignoret a quonam facta sit revelatio »; sufficit namque, ad fiduciam labefactandam, ut populus sciat parochum, medicum... cui secretum est commissum illo *posse* descripta ratione uti.

Caeteroquin nobis favent plerique Auctores moderni, inter quos: FEYE, *De Imp.*, n. 369; GASPARRI, o. c., II, n. 117; DE BECKER, *De Matr.*, p. 253 s.; LEITNER, *Lehrb.*, p. 399; WERNZ, o. c., IV, n. 143; THEOL. MECHL., o. c., n. 21, qu. 4; LEHMKUHL, o. c., II, n. 677; FERRERES, *Theol. mor.*, II, n. 949; quibus accedit *Conferentia Romana,* apud *Anal. eccles.*, 1901, p. 191. Contrà BALLERINI-PALM., o. c., VI, n. 905, cui consentit Rosset.

(2) In Germania sic disponit lex civilis; contrà in lege Belgica (Cod. Poen., art. 458) prohibetur medicus secretum pandere. Cf. de hac quaestione SALSMANS, *Geneeskundige Plichtenleer,* n. 105; *Vie diocésaine,* 1923, p. 141 ss., coll. infrà, n. 235.

Observa quod facilius posset aliquis uti scientia sibi sic concredita *a tertiâ persona,* quin cedat secreti laesio in gravamen ipsius illius tertiae personae secretum concredentis. Cf. infrà, n. 699, circa opportunitatem praxeos ut nupturientes ab invicem exigant testimonium medicale.

(3) Ita in X, uxor, vivente marito, adulterinam susceperat filiam ex viro pariter uxorato ac filium habente, qui filius postea ardenti amore prosequebatur ac ducere volebat filiam illam adulterinam; sola autem mater sciebat nupturientes esse fratrem et sororem, non poterat verò sine sui opprobrio ac scandalo gravissimo impedimentum prodere.

parari nefandum inter fratrem et sororem naturalem, vel etiam inter patrem et propriam filiam, non esset cogenda mulier, hujus turpis secreti conscia, ad illud parocho vel etiam nupturientibus revelandum cum maxima sui ignominia, etiamsi unicum medium foret ejusmodi foeditatem impediendi (1).

Dicitur damnum *proprium,* quia ordinarie non posset aliquis a revelatione abstinere propter detrimentum, licet grave, ipsis sponsis vel tertio inferendum, puta ratione infamiae ab ipsis apud parochum incurrendae, nisi forsan in ignominiam cederet ipsius impedimentum manifestantis (2): secus enim vix non frustranea redderetur lex de denuntiandis impedimentis, saltem quod spectat impedimenta infamantia (3).

70. Ad quid teneatur ille qui a revelatione excusatur.

Nota 1. Quicumque a revelatione facienda excusantur, sive ratione damni subeundi, sive ratione secreti servandi, tenentur, in quantum possunt et quousque manet aliqua spes fructus, monere ipsum sponsum impedimento obnoxium, eumque, omni quo pares sunt zelo, a reprobando matrimonio avertere (4), vel ad dispensationem petendam adducere.

Posset etiam *confessarius,* impedimentum occultum in confessione detegens, curare, quando opportunum judicat a monitione poenitentis hic et nunc abstinere, ut, in gratiam illius poenitentis (5), ipso inscio, dispensatio vel matrimonii convalidatio petatur sub fictis nominibus (6). Utitur quidem scientia sacramentali, ast non

---

Alibi mulier in confessione exponit filiam suam attentasse matrimonium et matrimonialiter vivere cum viro, ex cujus adulterino commercio dictam filiam ipsa susceperat; rursus ipsa sola conscia erat hujus abominandi incestus inter patrem et propriam filiam ac a confessario sciscitabatur quid sibi incumberet agendum. Analogum casum exhibent *Anal. eccles.,* 1901, p. 189 et seq. Circa hoc etiam cf. casum solutum apud *Theol. Prakt. Quartalschr.,* 1908, p. 97 ss.; item casus solutos apud PAUWELS, o. c., II, p. 251 ss.

(1) A denuntiando impedimento affinitatis illicitae excusari censebatur, sub anteriori disciplina, soror sponsae, cum qua sorore sponsus copulam habuerat, ne deberet propriam culpam revelare. Cf. *Instr. pastor. Eystetten.,* n. 514.

(2) Non deberet etiam revelare impedimentum persona quae novit illud impedimentum ex communicatione facta a tertia persona, si in probationem impedimenti invocandum esset testimonium illius tertiae personae, eaque exinde esset infamanda. Cf. exemplum apud PAUWELS, o. c., II, p. 248 ss.

(3) *Exceptionaliter* posset fieri quod tantum damnum immineat *tertiae* persona vel pluribus, ut exinde excusari possit aliquis a revelatione facienda. Ita v. gr. in priori exemplo allato sub nota, si extranea persona esset facti conscia, non facile diceretur eam teneri ad impediendum matrimonium, si aliter impediri nequeat, impedimentum revelando ipsis nupturientibus cum tanto dedecore pro parentibus et familia.

(4) Ita v. gr. medicus qui sub secreto professionali novit nupturientem esse impotentem.

(5) Supponitur detegi impedimentum in confessione personae cum qua dispensandum. Et ita confessarius, detegens in confessione Titiae, se accusantis de copula habita cum Caio, hunc ligari impedimento affinitatis cum sponsa Caia sorore Titiae, non potuisset, sub anteriori disciplina, dispensationem sollicitare pro Caio, absque Titiae ad hoc licentia.

(6) Apud *Gregorianum,* 1921, p. 124 s., notat Cappello propositam methodum non procedere, cum, immonitis partibus, non possit convalidari matrimonium. Ast imprimis partium monitio non requiritur ad sanationem in radice (can. 1138, § 3); secundò monitio poenitentis non excluditur, sed hic et nunc omittitur, ac nihil

omnem usum reprobat lex sigilli, sed illum dumtaxat qui, si cognosceretur licitus, vexaret poenitentes eosque a confessione averteret: quod in casu non obtinet (1).

71. Notanda circa oppositiones judiciarias.

2. In praecedentibus agitur de *privata* denuntiatione impedimenti, non de *judiciaria oppositione* contra matrimonium ineundum: qua nempe oppositione, coram judice qua tali peracta, provocetur processus judiciarius ac judicium contradictorium, ad dirimendam quaestionem utrum oppositio sustineatur necne. Dum denuntiatio privata seu notificatio existentis impedimenti Ordinario (aut promotori justitiae), mediante parocho aut immediate, fieri potest a quocumque, oppositionis judiciariae competentia restringitur ad arctos limites, juxta dicenda infrà, n. 703.

3. *De officio parochi,* in casu detecti aut denuntiati impedimenti dubii vel certi: a/ quod spectat bannorum proclamationes differendas vel interrumpendas, actum est suprà, n. 59; b/ quod spectat matrimonii celebrationem, actum est sub n. 60bis, et agetur infrà, n. 487 s., 686 et 714 ss. (2).

Scholion. Statuta legis civilis.

1° Circa publicationes antenuptiales.

72. Statuta legis civilis :

En praescriptiones codicis civilis *Belgici,* juxta legem diei 26 Dec. 1891, attenta moderatione inducta per legem 7 Januarii 1908 (3); qua utraque lege respective moderantur art. 63-65 et 166-169, necnon art. 66, 69, 71 et 75:

1° *circa publicationes ;*

« ART. 1. Avant la célébration du mariage, l'officier de l'état civil fait *une* publication, *un jour de dimanche, à la porte de la maison commune* (4). Cette publication énonce les prénoms, noms, profession, domicile et résidence des futurs époux, leur qualité de majeur ou de mineur, et les prénoms, noms, profession, domicile et résidence de leurs pères et mères. Elle énonce en outre le jour, lieu et heure où elle a été faite ainsi que la

---

impedit quominus, obtenta dispensatione, tunc moneatur poenitens: dicitur tantum dispensationem vel convalidationem, ipso inscio, *peti* seu impetrari.

(1) Vide in contrarium sensum A. KNOCH, apud *Rev. eccl. de Liége,* III, p. 114 ss.

(2) Recole oppositionem contra matrimonii celebrationem, sive privatam, sive a fortiori judiciariam, non admitti ex capite sponsalium; sola admittitur actio in damni reparationem (suprà, n. 25 et 28). — Quod spectat casum *puellae seductae:* quando « se opponit nuptiis viri, cui paternitatem prolis nascendae vel natae imputat, parochus rem componere conetur, et, si operam suam frustrà impenderit, actricem remittat ad judicem civilem, qui, ex lege 6 Aprilis 1908, reum cogere valet ut indemnitatem matri solvat, necnon pensionem annuam pro sustentatione prolis usque ad aetatem 18 annorum, dummodò actio judicialis instituta fuerit intra tres annos a prolis nativitate (cf. infrà, n. 277). Interim reus, de gravi obligatione patris erga prolem debitè monitus, conscientiae suae relinqui et ad nuptias admitti debet ». *Ita statuta dioeces. Gandavensia* anni 1924, n. 185. Cf. etiam suprà, n. 26, in nota.

(3) Tenorem cum interpretatione referunt *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 386 ss.

(4) D'après l'ancienne rédaction de l'art. 63, la publication devait se faire *de vive voix;* car l'article distinguait entre les publications elles-mêmes et l'acte qui devait en être dressé. — En pratique c'était peu observé et la nouvelle rédaction ne l'impose plus. Cf. THIRY, o. c., 257; TRAVERS, o. c., n. 642.

commune où le mariage sera célébré (1). Elle est transcrite sur un seul registre, côté et paraphé comme il est dit en l'article 41 du code civil, et déposé, à la fin de chaque année, au greffe du tribunal de l'arrondissement (art. code civ. 63).

ART. 2. *L'acte de publication reste affiché à la porte de la maison commune.* Le mariage ne peut être célébré *avant le dixième jour,* depuis et non compris celui de la publication (art. 64).

ART. 3. Si le mariage n'a pas été célébré dans l'année, à compter de l'expiration du délai de la publication, il ne peut plus être célébré qu'après une nouvelle publication faite dans la forme ci-dessus (art. 65).

ART. 4. La publication ordonnée par l'article 1^er^ de la présente loi sera faite *dans le lieu du domicile ou de la résidence de chacun des époux* (art. 165).

ART. 5. Si le domicile actuel n'a pas été d'une durée continue de six mois, la publication sera faite en outre au lieu du domicile précédent, quelle qu'en ait été la durée.

Si la résidence actuelle n'a pas été d'une durée continue de six mois, la publication sera faite au domicile, quelle qu'en soit la durée.

A défaut de domicile connu dans les cas prévus par les deux paragraphes qui précèdent, la publication sera faite dans la commune où le futur époux a résidé pendant six mois.

A défaut d'une résidence continue de six mois, elle sera faite au lieu de la naissance (art. 166).

ART. 6. Les publications qui devront être faites ailleurs qu'au lieu de la célébration du mariage, le seront à partir du premier dimanche qui suivra la réception de la réquisition écrite de l'officier de l'état civil appelé à procéder à cette célébration. L'officier de l'état civil requis ne pourra exiger la production d'autres pièces.

Dès le lendemain, il délivrera un certificat constatant la date à laquelle cette publication aura été faite (2).

Toutefois, si le mariage doit être célébré en pays étranger ou dans une commune autre que celle indiquée à l'acte de publication, le certificat sera délivré à l'expiration du délai de publication, et il constatera, outre la date de la publication, qu'il n'existe point d'opposition (art. 167) (3).

ART. 7. *Le procureur du roi* près le tribunal de première instance dans l'arrondissement duquel les impétrants se proposent de célébrer leur

---

(1) Haec ultima verba inserenda curavit lex 7 Jan. 1908: huc autem spectat haec additio ut illi qui cupiunt oppositionem facere instanti matrimonio sciant coram quonam officiali civili illam inducant; vi nempe novi art. 66, per eamdem legem 1908 mutati, oppositiones ad matrimonia in Belgio celebranda jam non possunt fieri nisi coram « l'officier de l'état civil de la commune, où, d'après l'acte de publication, le mariage sera célébré ».

(2) Haec nova dispositio legis 1908 intelligitur pro matrimoniis *in Belgio celebrandis:* pro quibus vidimus exinceps oppositiones non fieri nisi coram solo officiali civili qui matrimonii celebrationi praeerit; nempe nihil jam obstat quominus ab alio officiali qui proclamationes fecerit, illico testimonium tradatur peractae publicationis, nec amplius expectare debet donec dies dilationis pro faciendis oppositionibus expiraverint.

(3) Haec altera dispositio spectat potissimum nuptias *extra Belgium celebrandas,* pro quibus servatur disciplina anterior circa oppositiones. Cf. *Collat. Brug.,* XIII, 302.

mariage *peut dispenser*, pour des causes graves, *de la publication et de tout délai* (1).

La même faculté est accordée aux chefs de mission et consuls de carrière de Belgique, ainsi qu'aux agents non rétribués du corps consulaire belge jusqu'au grade de vice-consul inclusivement, pour autant qu'ils ne résident pas au siège d'une légation ou d'un consulat de carrière, sauf à ceux-ci à rendre immédiatement compte à la légation ou au consulat de carrière dont ils relèvent, des causes de la dispense ou du refus de l'accorder » (art. 168).

2° Circa oppositiones.

72.
2° circa oppositiones.

Codex civilis non agnoscit jus *legaliter obsistendi* matrimonii celebrationi, nisi quibusdam personis determinatis, nimirum: a/ *ascendentibus*, patri scil. vel, hujus defectu, matri, et, horum utriusque defectu, avo vel respective aviae, imo et proavo et proaviae; quibus jus competit obsistendi absolutè et absque causae invocatione, idque etiam postquam nupturientes aetatem expleverint 25 annorum (2); b/ cognatis *collateralibus*, nempe, casu quo deficiunt ascendentes, fratri aut sorori, avunculo aut materterae, consobrinis germanis, ea tamen lege ut horum jus restringatur ad casus determinatos nec exerceri queat nisi ob causas determinatas: quando scil. non fuit obtentus consensus consilii familiae, vel quando oppositio nititur amentia alterutrius conjugum (3); c/ *tutori*, iisdem casibus ac sub b/, praevie obtenta licentia consilii familiae (4); d/ *conjugi* alterutrius nupturientis, qui conjux obsistere potest matrimonio partis cui matrimonialiter fuit junctus (5); e/ tandem, juxta jurisprudentiam, jus obsistendi aliquod competit *ministerio publico*, in quantum interest ordinis publici (6).

Quando oppositio in debita forma (par exploit d'huissier) est facta a persona cui lex oppositionis jus agnoscit, officialis civilis non potest ad matrimonium procedere, vi art. 68, donec intervenerit sic dicta *main-levée*, sive voluntaria et in forma legali peracta, quando pars opponens sponte cedit, sive judiciaria, quando oppositio per sententiam judicis removetur (7).

Nota. Reliquis personis non agnoscit lex jus legaliter obsistendi, et, etiamsi oppositionem inducant, non debet officialis civilis ex hoc capite matrimonium differre, nec applicatur art. 68: per haec nempe voluit

(1) Circa hanc dispositionem legis anni 1891, cf. infrà dicenda, ubi de matrimonio in extremis, necnon *Collat. Brug.*, t. VII, p. 134 ss., coll. t. I, p. 105 s. Similis dispositio est inducta in Gallia, anno 1907. Sub nomine *causae gravis*, intelligitur non tantum gravis infirmitas, sed etiam necessitas indilate abeundi, necnon partus imminens. Cf. DEMOLOMBE, o. c., II, n. 184.

(2) A. 173, coll. a. 176 et 179. Ostendit tamen CORBET, o. c., p. 64 ss., oppositionem a parentibus factam a tribunali remotum iri, si non afferantur motiva in lege fundata, puta impedimenta lege civili sancita. Cf. infrà, 521.

(3) A. 174.

(4) A. 175.

(5) A. 172. Porro, juxta decis. Supremi Trib. Galliae, 14 Apr. 1902, (*Pas.* 1903 IV, 118), « l'époux divorcé est sans qualité pour former opposition au mariage de son ex-conjoint avec le complice de l'adultère dont la constatation judiciaire a déterminé le divorce ».

(6) PLANIOL, o. c., I, n. 808; ROLAND ET WOUTERS, o. c., n. 657.

(7) Tribunal tenetur pronuntiare *la main-levée*, statim ac liquet oppositionem non niti existentia impedimenti dirimentis vel prohibentis.

legislator praecavere abusus olim vigentes ex multiplicitate omnis generis oppositionum. Attamen imprudenter agerent officiales civiles si rationem non haberent hujusmodi oppositionis quantumvis a lege non agnitae, statim ac seria videtur et invocatur existentia impedimenti; secus sese exponunt poenis statutis contra officialem mala fide procedentem ad matrimonium cui obstat impedimentum. Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 801 et 824; ROLAND ET WOUTERS, o. c., n. 643-659; cf. etiam CORBET, o. c., ubi nota, p. 15 s., accuratè proponi differentiam inter oppositionem legalem et non legalem.

LIBER SECUNDUS

DE MATRIMONIO

LIBER SECUNDUS

DE MATRIMONIO

PARS PRIMA

DE MATRIMONIO UNIVERSIM SPECTATO

74. Divisio partis primae.

Matrimonium spectari potest *primò* uti est *in fieri,* seu ut *contractus* transiens, et *secundò* uti est *in facto esse,* seu ut *vinculum conjugale,* per contractum inter conjuges inductum. Contractus autem, uti infrà ostendetur, est, inter christianos, sacramentum, adeoque sub duplici respectu considerari potest: a/ qua est merus contractus, abstractione facta a ratione sacramenti, qualis reipsa est inter infideles, seu, juxta vulgatum dictum, uti est in officium naturae, et b/ qua sacramentali dignitate est adauctus.

In prima sectione agetur de matrimonio in fieri seu de *contractu matrimoniali,* tum uti est in officium naturae, tum uti est sacramentum; in secunda sectione, de matrimonio in facto esse seu de *vinculo conjugali;* quibus accedet tertia sectio de *regimine matrimonii,* tum quoad contractum tum quoad vinculum.

Sectio Prima

DE CONTRACTU MATRIMONIALI

Caput I

DE CONTRACTU MATRIMONIALI UT EST IN OFFICIUM NATURAE.

Disputatia Prima

DE NATURA CONTRACTUS MATRIMONIALIS.

Articulus 1^us^. De notione et origine contractus matrimonialis.

I. Notio.

75. Notio matrimonii;

Matrimonium (1), quatenus est contractus in se spectatus, seu abstractione facta a ratione sacramenti, *definiri potest: contractus*

(1) Vox *matrimonium* derivatur a matris-munium, i. e. officium, quia, uti dicit TANCREDUS, *Summa de Matrimonio* (ed. Wunderlich, Göttingen, 1841), p. 11, « dat mulieribus esse matres »; vocatur matrimonium potius quam patrimonium, quia, juxta Gregorium IX, c. 2, X, III, 33, infans magis materno indiget solatio quam paterno, matrique ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus est.

Dicitur etiam *connubium* aut *nuptiae*, a nubendo seu velando, quia sponsae marito tradendae olim velo caput velabant in signum pudoris et subjectionis (cf. GLASSON, o. c., 169); nuptiae ulterius significant festivitates et sollemnitates actas occasione matrimonii; imo nubere non raro ponitur, et olim potissimum ponebatur, pro ipsa matrimonii consummatione, et ita nupta, in oppositione ad desponsatam, intelligitur uxor cognita prae uxore non cognita (c. 29, 31, 40, C. XXVII, qu. 2 et c. 1, C. XXXIII, 1); connubium autem, in jure Romano, plerumque significabat habilitatem justas nuptias ineundi. SEHLING, *Die Unterscheidung*, p. 38; LAURIN, *Intr. in jus matr.*, p. 26; LEITNER, *Lehrb.*, p. 2 s. Tandem dicitur *conjugium* ratione effectus, quatenus nempe vir et mulier sub uno jugo conjunguntur.

Flandricum verbum « echt » et germanicum « ehe » proveniunt ab antiqua forma êwa: wet, band. Unde *e*-gade = wettige gade; een natuurlijk kind *echten* = wettigen. Verbum gemanicum « Vermählen » et vetus flandricum « mellen », unde nunc adhuc in usu est gemaal, derivantur a verbo mal, maal, mallum, quod significabat gerechtsplaats, ubi etiam matrimonia celebrabantur. Loco mellen dicebatur etiam meddelen; unde meddelghelt olim dicebatur pecunia solvenda pro benedictione nuptiali. A mellen dicebatur meldring, gemeld kind, enfant légitime. Cf. GAILLARD, *De keure van Hazebroek*, Gent., 1895, blz. 242 vv.

Trauung, trouw dicitur a caeremonia germanica, in hoc consistente quod, in matrimonii celebratione, sponsa a patre vel a mundualdo tradebatur seu commendabatur (toevertrouwd) sponso; postea in usum venit ut sponsi invicem mutuò traderentur. Cf. infrà, n. 148.

Quod spectat vocem «*huwelijk*»; hujus originem sic interpretatur (juxta VAN HELTEN, *Tijdschrift voor ned. taal en letterkkunde*, Leyden, XIII, p. 214 ss.) VLAMING, o. c., I, n. 86, in nota: « Ons '*huwelijk*' is af te leiden van het oudhoogduitsche *hîleih*

quo vir et mulier sibi mutuò tradunt et acceptant jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad generationem. Can. 1081.

Explicatio.

1° Dicitur *contractus,* seu conventio bilateralis, qua duae (vel plures) personae in unum conveniunt effectum juridicum.

2° quo *vir et mulier...,* quia est contractus sui juris, quod non constituitur nisi voluntate duorum, et quidem non qualiumcumque, sed quod unicè iniri potest inter personas diversi sexus, inter marem et feminam, et quidem unum et unam.

3° sibi mutuo tradunt et acceptant... Nimirum hisce indicatur conventionis *objectum,* quod est mutua traditio et acceptatio juris in corpus; quod jus in corpus determinatur addendo: in ordine ad..., quatenus non agatur de dominio in mutuum corpus in ordine ad laborem vel aliud quid praestandum, sed in ordine ad actus de se aptos ad generationem.

4° Traditur et acceptatur descriptum jus in corpus: *perpetuum et exclusivum,* ita ut nulli alii, praeterquam viro respectu mulieris et mulieri respectu viri, competat aut unquam cedi queat, utraque parte superstite. Cf. infrà, ubi de unitate et indissolubilitate matrimonii.

76. Notanda.

Nota 1. Contractus matrimonialis sic descriptus dicitur matrimonium *in fieri;* inducit autem inter conjuges, uti modò notatum est sub n. 74, matrimonium *in facto esse,* vinculum scil. conjugale, seu societatem conjugalem, intimum nempe nexum moralem, variis obligationibus mutuis et juribus constantem in ordine ad generationem et educationem prolis: de quibus obligationibus et juribus agetur infrà, n. 206 ss.

2. Circa elevationem contractus matrimonialis ad dignitatem sacramenti, pro baptizatis, vide infrà, n. 162 ss.; quomodo autem et qualis consensus contractum matrimonialem constituat et efficiat, dicetur infrà, n. 94 ss.

3. In *Jure Romano* nuptiae definiuntur « conjunctio maris et feminae et consortium omnis vitae, divini et humani juris communi-

---

(middelhoogd. *hileïch*), hetgeen eene samenstelling is van *hî* (samentrekking van hiwo-a = maritus en uxor) en *leïh* of *leïhî* = carmen, gezang, gejuich. *Hiwa-leïch* is dus in eerste beteekenis: gezang, gejuich ter eere van het bruidspaar; en werd later metonymice (pars pro toto) voor de geheele bruidsplechtigheid genomen ».

Mariage derivatur a *maritagium* = licentia nubendi, mulcta solvenda pro obtinenda licentia nubendi, vel etiam dos constituta in favorem sponsae, et etiam ipsum matrimonium. *Conjux* = simul junctus, sub eodem jugo vivens.

catio » (1), vel: « viri et mulieris conjunctio individuam vitae consuetudinem continens » (2).

II. **Origo.**

Contractus matrimonialis, cum societate conjugali quam inducit (3), originem suam mutuatur *ab ipsa natura* et *jure naturali;* eam etiam habet *a positiva institutione divina.*

Explicatur.

77. *Matrimonium originem ducit a natura ;*

1° Quod matrimonium fundetur *in ipso jure naturae,* liquet. Ipsa nimirum natura postulat *conjunctionem* quamdam stabilem maris et feminae *in ordine ad speciei propagationem.*

Natura enim postulat ut genus humanum per generationem propagetur, adeoque ut proles procreetur, et etiam, attenta sobolis natae imbecillitate, physice et moraliter educetur. Jamvero ad opus informationis per se (4) requiritur intimum, individuum ac stabile consortium viri et mulieris (5): hoc autem consortium obtineri vult natura modo consentaneo naturae intellectuali, libero scil. consensu mutuo.

---

(1) L. I *Dig.,* XXIII, 2.

(2) § 1 *Inst.* I, 9. — Cf. FREISEN, o. c., p. 23 s., ubi referuntur citationes ex Decretistis et Decretalistis, individuam consuetudinem interpretantibus de copula.

(3) In hac quaestione de origine, spectatur matrimonium sub utroque respectu, pro matrimonio scil. in fieri et in facto esse; exceduntur proinde aliquatenus limites hujus articuli, ac etiam totius sectionis, de contractu matrimoniali inscriptae.

(4) Potest contingere *per accidens,* ratione specialium adjunctorum, quod finis ille obtineatur extra illud stabile consortium; sed attendenda sunt ea quae sunt per se.

(5) « Manifestum est quod in specie humana, femina minime sufficeret sola ad prolis educationem, cum necessitas humanae vitae multa requirat quae per unum solum parari non possunt... Rursus considerandum est quod in specie humana, proles non indiget sola nutritione quantum ad corpus, ut in animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam; nam alia animalia naturaliter habent suas prudentias quibus sibi providere possint; homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet: unde necesse est ut filii a parentibus quasi jam expertis instruantur, nec hujus instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus, et praecipuè cum ad annos discretionis pervenerint. Ad hanc etiam instructionem longum tempus requiritur, et tunc etiam propter impetus passionum, quibus corrumpitur aestimatio prudentiae, indiget non solum instructione sed etiam repressione. Ad hoc autem mulier sola non sufficit, sed magis in hoc requiritur opus maris, in quo est et ratio perfectior ad instruendum, et virtus potentior ad castigandum. Oportet igitur in specie humana non parvum tempus insistere promotioni prolis, sicut in avibus, sed per magnum spatium vitae. Unde cum necessarium sit marem feminae commanere in omnibus animalibus, quousque opus patris necessarium est proli, naturale est homini quod non ad modicum tempus, sed diuturnam societatem habeat vir ad determinatam mulierem. Hanc autem societatem matrimonium vocamus ». S. THOMAS, *C. Gent.,* l. III, c. 122, coll. 2^a-2^{ae}, qu. 154, art. 2. Cf. MONSABRÉ, o. c., p. 65 ss.; CATHREIN, *Moralphilosophie,* II, Freiburg i. B., 1899, p. 390 s.; item MARTIN, o. c., I, n. 4, ubi notat: « Proles, cum sit una patris et matris caro, debet ab utroque in unum conjuncto ut caro propria diligi ac foveri, proindeque non solum ad primam vitam gignenda est, sed ad vitae conservationem, incrementum et perfectionem est quasi continuata generatione producenda ac informanda, nec tantùm ut caro, sed ut caro mente rationali animata, et ad sublimiorem hominis conditionem evecta ».

Hanc matrimonii stabilitatem, praeterquam ex educationis prolis fine, etiam aliunde deducit CATHREIN, *Philosophia moralis,* Friburgi Br., 1915, n. 514, ex parte nimirum dignae et securae generationis speciei: quatenus scil. vagum consortium ad conditionem belluinam redigeret hominem ratione praeditum. « Ut enim — sic arguit — procreandi libido adeo vehemens intra ordinem rationis contineatur, opus est aliqua regula objectiva, stabili, clara, secundum quam usus venereorum determinetur ».

Hoc autem unioni maris et feminae *essentiale* esse ut ordinetur et quasi in primarium finem tendat in propagationem speciei, et non in privatum partium bonum et felicitatem, uti volunt neoterici matrimonii reformatores, ostendetur infrà, sub articulo 2°, ubi de fine.

78. et a jure positivo.

2° Quod matrimonium etiam fuerit *positive institutum a Deo,* eruitur *ex S. Scriptura:*

Nimirum consociatio et stabilis, intima ac individua in unum principium conjunctio, juxta divinam ordinationem, describitur in verbis Evangelii *S. Matthaei,* XIX, 4, 5: « adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una ». Hujus autem consociationis et unitatis objectum docetur esse *generatio prolis;* ratio namque intimae illius unionis est diversitas sexuum, uti innuit locus citatus S. Matthaei: « Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? *propter hoc* dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una »; diversitas autem sexuum ordinatur ad multiplicationem speciei, juxta *Gen.,* I, 27, 28: « Masculum et feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, et ait: crescite et multiplicamini et replete terram ». Ulterius quod haec unio constituenda sit per *contractum,* innuitur in ipsis verbis relatis, cum adhaesio illa non intelligatur nisi voluntaria et mutua: quae voluntaria caeteroquin adhaesio sola convenit naturae humanae.

79. Nota.

Matrimonium, utpote originem ducens a natura et jure naturali, est contractus *naturalis.* Attamen non est contractus merè profanus, sed sponte sua *sacer et religiosus,* idque etiam seclusa dignitate sacramenti et sola attenta natura contractus in se spectati. Est nempe contractus religiosus et sacer, non quidem essentialiter et intrinsecè, sed ob variam rationem extrinsecam, ratione scilicet originis divinae ac significationis rei sacrae, quae est unio Christi cum Ecclesia, necnon ratione finis ad quem ordinatur (1).

*
* *

80. Exponitur et refutatur

Hanc doctrinam de *origine* descriptae formae matrimonii impugnant non pauci **evolutionistae**, contendentes eamdem conjugii formam primitus

(1) LEO XIII, *Arcanum,* docet matrimonium esse « sua vi, sua natura, sua sponte sacrum »; addens ab Innocentio III et Honorio III meritò affirmatum esse « apud fideles et infideles existere sacramentum (latiori sensu) conjugii ». Illam autem indolem sacram potissimum repetit, seposita sacramenti dignitate, ex origine et significatione: « Cum matrimonium habeat Deum auctorem, fueritque vel a principio quaedam Incarnationis Verbi Dei adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed natura insitum ». Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 2-13, ubi refert testimonia jurisperitorum etiam incredulorum. Cf. infrà, n. 87 ss., coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 35, nota 69.

theoria evolutionistarum, quasi successive viguerit olim

non exstitisse, formam scil. intimae ac stabilis consociationis libero utriusque consensu initae, sed ad eam per varia successivè stadia devenisse genus humanum. Nimirum, uti volunt isti, antiquitus viguerit, universim et tanquam stadium legale, *promiscuitas*, dein successit matrimonium *per raptum*, quod excepit matrimonium *per emptionem;* quaerunt autem varia indicia et vestigia in historia pristinarum gentium ac in moribus populorum hodiernorum, illorum notatim qui a cultura magis remoti existunt.

Illud systema, partim reprobando, fusè exponit WESTERMARCK, in notissimo opere suprà citato, necnon HOWARD, o. c., I, p. 39-223 (1). Et ita, quoad

A. **Promiscuitatem,**

1° *promiscuitas ;*

1° ostendit Westermarck (p. 53-55) quomodo in nonnullis regionibus incultis viguerit ac etiamnum vigeat mulierum ac virorum promiscuitas; meritò autem notat laudatus Auctor non pauca ex allatis factis esse falsa vel incerta, ac, etiam admissa illorum veritate, exinde non posse deduci solidum argumentum in favorem hujusmodi stadii in antiquitate universim vulgati. Merito namque respondetur statum illum constituere degradationem ab altiori statu primitivo: « Même si quelques-uns des récits sont exacts, et s'il y a eu promiscuité dans le commerce entre les sexes, chez quelques peuples, ce serait une erreur d'en inférer que ces cas entièrement exceptionnels représentent une étape de développement humain, que l'humanité, comme tout, a dû traverser. En outre, rien ne nous autoriserait à considérer cette promiscuité comme une survivance de la vie primitive de l'homme, ou même comme une marque d'un état très-grossier de société. Ce n'est nullement chez les peuples les plus inférieurs que les rapports sexuels s'approchent le plus de la promiscuité ». P. 60.

2° Afferuntur l. c., p. 71, nonnulla specimina morum qui apud plures gentes hinc inde exstiterunt, in quibus adversarii vident pristinae illius formae vestigia: quae quidem argumenta vi probandi destituuntur. Ita, quod spectat

a/ *jus primae noctis* ac *mutuam uxorum commodationem,* in specie erga hospitio receptos, in quantum barbaros hujusmodi mores exstitisse admittendum sit (2), nihil probat eos esse stadii promiscuitatis reliquias; potius

---

(1) Cf. etiam BEBEL, o. c., in 1ª parte operis: *La Femme dans le Passé,* p. 13 ss.; NYSTRÖM, o. c., p. 184 ss.; PEYTEL, o. c., p. 13-31; SCHMITT-FALCKENBERG,, o. c., p. 56 ss.; GIRAUD-TEULON, o. c., chap. 1r et 2e, aliique plures ab Howard citati: qui Auctores omnes, licet vario modo evolutionis stadia concipiant, favent systemati primitivae promiscuitatis. Cf., ex alia parte, inter hujus systematis adversarios, LEITNER, *Lehrb.,* p. 26-46; VIOLLET, *Histoire du droit,* p. 484 ss.; FONSSEGRIVE, o. c., p. 7-43; AVIGDOR, o. c., L. I, ch. 13; BÖCKENHOFF, *Reformehe,* p. 25-37.

(2) Ita *jus primae noctis,* in sensu quo illud, etiam inter christianos medii aevi, exstitisse urgent Ecclesiae hostes, uti BEBEL, o. c., p. 40; NYSTRÖM, o. c., p. 216; GIRAUD-TEULON, o. c., p. 32 ss., et alii, quasi quacumque uxore a vassali ducta abuti potuerit prima nuptiarum nocte princeps, vel imo, quibusdam in locis, neonuptis abuti posset sacerdos; jus illud nefandum, saltem pro nostris regionibus, penitus respuunt plures iique egregii Auctores, uti videre est apud SCHMIDT, o. c., signanter p. 365-379.

Nimirum 1° apud *ethnicos:* a/ virginis pudicitia censebatur divinitati consecrata (et sic flores virginitatis divinitati in sacrificium offerebantur), ac ideo jus pudicitiam per copulam violandi erat a sacerdote vel a principe, quasi a Dei legato, impetrandum, putà ope pretii solvendi, et vocabatur jus primae noctis. b/ Apud quosdam uxor, post primam noctem, recipiebat aliquod donum in pretium amissae virginitatis (ad instar *Morgengabe* apud Germanos), quod pretium dici poterat jus primae noctis.

2° Apud *christianos:* a/ significabat licentiam, ex dispensatione obtentam, matri-

tribuendi sunt rustico hospitalitatis conceptui ac barbarae herorum tyrannidi.

b/ regimen olim nonnihil vigens *cognationis ex matre*, seu *matriarcatus*, uti aiunt, ita ut proles nomen assumpserint matris ac in solius matris haereditatem successerint (1): ad hoc potissimum provocant adversarii tanquam ad indubium promiscuitatis vestigium, quasi dictum matriarcatus regimen supponat incertam fuisse paternitatem, idque ex eo quod mulieres cuicumque viro prostarent.

Atvero, praeterquam quod invocatum regimen nequaquam fuerit generale (2), ob alias sanè rationes potuit induci quam ob incertitudinem patris, puta ob arctius quo matri uniuntur proles vinculum, et speciatim ob polygamiam quae non parum fuit in usu; hac supposita polygamia, cognatio ex matre erat obvium medium discernendi proles ex eodem patre ac diversa matre natas: constituebat unaquaeque ejusdem viri uxor distinctam quasi familiam, eo vel magis quod passim sub diverso tecto habitabant. Caeteroquin, etiamsi incertitudo paternitatis fuisset in causa, inde nondum argueretur ad promiscuitatem, cum dicta incertitudo oriri possit vel ex sola suspicione infidelitatis penes uxorem (3).

81.
2° matrimonium per raptum ;

B. Circa **matrimonium per raptum** (4), vix apud unam alteramve barbaram gentem quaedam vestigia existunt huic formae matrimonii ineundi

---

monium a prima nocte consummandi, quin observaretur triduum quod, tempore medii aevi, erat, ad exemplum Tobiae, in continentia transeundum, pro qua licentia impetranda mulcta aliqua erat solvenda *sacerdoti*, quae mulcta etiam nomen habebat juris primae noctis. Et ita refertur decretum Parlementi Parisiensis, 19 Martii 1409, jubens ut haec mulcta abrogaretur in dioecesi Ambianensi (Amiens), licet exinceps adhuc diu manserit in usu. Cf. DE FORAS, o. c., p. 57 s.; DU CANGE, *Glossarium-Suppl*, v° *Marcheta*. Tenorem illius edicti refert VEUILLOT, o. c., p. 146 s., coll. p. 164 s.

b/ Item solebat a Principe exigi aliquod tributum (*nuptiaticum*) a servo vel vassali, occasione hujus matrimonii: quod etiam erat quoddam jus primae noctis, jus scil. copulae, qua censebatur, medio aevo, matrimonium perfici. Vocabatur etiam jus principis, droit du seigneur Cf. VEUILLOT, o. c., p. 203 ss.

c/ Videtur etiam, sub hac denominatione « jus primae noctis », olim extitisse symbolicam quamdam caeremoniam, occasione matrimonii a vassalibus contracti.

Nimirum hac occasione videtur in usu fuisse symbolicam occupationem tori conjugalis nomine principis, similem illi quae locum habebat quondam in celebratione matrimonii principum per procuratorem, qui procurator tori conjugalis occupationem simulabat pro principe, juxta dicenda infrà, sub n. 98. Unde etiam illae locutiones: droit de jambage, droit de cuissage.

Hac porro symbolica tori occupatione significabatur mulierem, in uxorem a vassali assumptam, jam participare in illa subjectione principi, ac intima cum illo conjunctione, quae subjectio et adhaesio vassalis principi adeo intima erat vel censebatur medio aevo, ut unioni conjugali aequipararetur, utque vassalis vocaretur *Ehefrau* principis. Cf. SOHM, *Das Recht*, p. 61 s.

Facile autem intelligitur quomodo hujusmodi symbolica tori occupatio locum dederit abusibus; et non intendimus negare existentiam abusuum hujusmodi; hoc tantum negamus, jus scil. primae noctis, ad mentem adversariorum, fuisse institutum jure admissum et usu quasi legaliter probatum inter paganos universim et christianos medii aevi. Cf., in eumdem sensum, *Belgique judiciaire*, 1854 col. 1021-1024.

(1) Descriptionem hujusmodi regiminis cf. apud LEROY, *Religion des Primitifs*, p. 103 s.; PEYTEL, o. c., p. 24-30; GIRAUD-TEULON, o. c., passim.

(2) Cf. WESTERMARCK, o. c., p. 97-103; HOWARD, o. c., I, p. 110-117.

(3) Curiosam etiam praxim invocant, cui nomen *la couvade*, quae consistit in hoc quod, muliere parturiente, vir partus dolores simulet, ac post partum sese gerat ac si parturierit. Cf. PEYTEL, o. c., p. 24; VIOLLET, o. c., p. 384 s.; GIRAUD-TEULON, o. c., p. 138 ss.; HOWARD, o. c., I, p. 112.

(4) Juxta evolutionistas, statui promiscuitatis successit matrimonium per raptum et emptionem, hac scil. ratione: nonnulli viri cupientes sibi in proprium habere mulierem, peregrinam seu extraneam rapiebant vel pretio soluto emebant, cum reliquae mulieres ad coetum (clan) pertinentes cuicumque promiscue prostabant.

faventia, quatenus, ut refert WESTERMARCK, o. c., p. 369: « quand la noce est arrangée, et les cadeaux payés, le marié saisit la mariée et l'enlève, suivi de ses parents qui font semblant d'essayer de la délivrer » (1).

Sed ipse citatus Auctor, licet censeat, et quidem non immerito, hanc olim matrimonii formam hinc inde fuisse in usu, fatetur, p. 372 s., exinde non posse concludi ad ejusdem existentiam, quasi fuerit stadium legale per quod universim transierit conjugium; paucae enim sunt nationes apud quas symbolica illa captura usurpatur, et aliunde potest esse exortum symbolum quam ex reali captura olim adhibita: quatenus v. gr. fuerit adhibitum ad inculcandam separationem quam inducit matrimonium a propria familia, quae est deserenda a sponsa ut adhaereat viro. Cf. etiam HOWARD, o. c., I, p. 175-179, coll. p. 119 s.

82.

3° matrimonium per emptionem.

C. Quoad **matrimonium per emptionem:**

Fatendum est in antiquis populorum moribus plerumque adfuisse usus quosdam et loquendi modos, qui prima fronte non obscurè videntur derivare ab emptionis forma, quatenus sponsus sponsam ab hujus parentibus emptam in suâm acceperit.

Et revera, notum est apud *Romanos* exstitisse matrimonium quod dicebatur *per coemptionem* (2); apud *Hebraeos* narratur Jacob per septem annos serviisse ut Rachelem sibi in uxorem compararet (cf. BLAU, o. c., p. 10 ss.); apud plerosque *Germanos* occurrunt locutiones, quales: pretium nuptiale (witemon vel meta), vel etiam pretium emptionis, emere uxorem; sponsus aliquid solvebat parentibus sponsae virginis, vel, si sponsa vidua, membris familiae defuncti mariti (3).

Imo aegre negandum videtur apud nonnullas gentes matrimonium olim exstitisse sub forma realis emptionis; sed rursus immerito exinde concluderes ad existentiam hujusmodi regiminis universim et legaliter obtinentis, juxta thesim evolutionisticam. Non est etiam exaggeranda vis probativa contenta in allatis usibus et locutionibus: ut enim constet de vera emptione olim usurpata, oportet in hisce locutionibus et usibus agatur de emptione *ipsius uxoris* eaque *proprie dicta*, adeo ut locus non fuerit matrimonio per consensum utriusque nupturientis ineundo.

Porro de hoc plerumque non constat. Et quidem

1° non constat utrum pretium solvi solitum vel emptionis symbolum affecerit ipsam puellam, an vero *mundium* vel dominium quod, in jure Germanico vel in jure Romano, maritus censebatur suscipere e manibus sponsae parentum; imo hoc alterum videtur asserendum, saltem pro matrimonio Romanorum, ubi matrimonium per coemptionem simplici nupturientium consensu contrahebatur, dum emptionis symbolum solam spectabat dominii transmissionem a patre familias sponsae inter manus mariti vel illius cujus juris erat (4).

---

(1) Cf. apud LEROY, *Les Pygmées*, p. 226, descriptionem raptus simulati in celebratione nuptiarum; item apud HOWARD, o. c., I, p. 164-175.

(2) In Jure Romano existebat matrimonium *in manu*, antiquitus unicè usurpatum, et matrimonium *sine manu;* matrimonium in manu (*Manusehe*), quo nempe sponsa transibat in familiam et sub potestatem mariti (ejusve patris-familias), triplici forma iniebatur, et una ex formis erat coemptio, quatenus in matrimonii celebratione adhibebatur emptionis seu venditionis symbolica repraesentatio coram libripende. Cf. infrà, n. 147.

(3) Cf. WESTERMARCK, o. c., p. 378-397; LEFEBVRE, o. c., p. 356 ss.; SEHLING, *Die Unterscheidung*, p. 1 ss.; VIOLLET, *Histoire...*, p. 402 ss.

(4) Cf. STOCQUART, o. c., p. 50 ss. Idem docet, pro jure Germanico, FRIEDBERG,

2° Locutiones *pretium nuptiale, emptio,* et aliae hujusmodi, non sunt illico intelligendae de emptione *proprie dicta;* potius videntur importare munus oblatum in gratiam consensus a parentibus praestiti, quatenus matrimonio annuerint puellae sub eorum mundio constitutae, ac sponsum in propriam suam familiam acceperint, vel ad summum important compensationem pro jactura quam ex filiae recessu subituri essent parentes. Summa pecuniae hac occasione soluta, eo facilius nomen accepit pretii nuptialis vel etiam pretii emptionis, quod, uti natum erat fieri, inter utramque partem pacta intercedebant ac conventiones pro determinanda quantitate pretii solvendi (1).

In eumdem sensum interpretandae videntur locutiones, quae obviae habentur apud *Francos* de desponsatione *per solidum* et *denarium,* « par le sou et le denier », in quo more apparet vestigium doni nuptialis reducti ad praestationem solidi ac denarii (2). Idem dici posset de eorumdem Francorum usu ad quem jam allusimus, cui nomen *reipus,* quatenus a sponso, viduam sibi desponsante, sollemniter *in mallo* (3) solvendum fuerit, membris familiae defuncti mariti, pretium trium solidorum et unius denarii (4).

Omittimus argumentum nonnunquam in confirmationem adductum *ex ipsa natura mundii,* cui obnoxiae erant mulieres apud Germanos, quatenus, uti nonnulli volunt (5), prorsus sub potestate fuerint mundualdi ad instar rei emendae aut vendendae: falso namque laborat fundamento, cum dictum mundium non involverit nisi tutelam et protectionem a parte mundualdi, uti egregie ostendit LEFEBVRE, o. c., p. 330-338 (6).

Unde apparet generatim non constare de hypothesi matrimonii per emptionem contracti apud varias illas nationes, ad quarum mores antiquos ab adversariis provocatur. Quod etiam notat SCHEIL, o. c., p. 57 s., pro Babyloniensibus, quatenus, in *legibus Hammourabi* (circa 2000 ante Christum), quaedam dispositiones quidem occurrunt, notatim pro pretio solvendo patri sponsae, quae speciem ingerunt emptionis, nullatenus autem matrimonium per emptionem important (7).

Das Recht der Eheschliessung, p. 17 s., quatenus primitus emebatur non sponsa, sed mundium.

(1) « Je conçois bien que le pretium nuptiale, au lieu d'être un simple présent purement gracieux et volontaire, ait pu être débattu d'ordinaire entre les familles comme une condition de mariage, et qu'il ait été tarifé même en certaines coutumes germaniques, à défaut d'une convention formelle. Est-ce que l'on n'a pas vu de tout temps (souvent même encore de nos jours) des pourparlers divers d'intérêt, d'où peut dépendre la conclusion du mariage, et qui viennent s'adjoindre ou se heurter au sentiment qu'éprouvent les fiancés? Est-ce que les Romains n'ont pas débattu sur la dot, et plus tard aussi bien sur la donatio ante nuptias? Qui a jamais parlé, au point de vue du droit, des mariages par achats et ventes, même au sujet de ceux qu'on voit le plus fortement teintés d'intérêt ou gâtés par l'argent? ». LEFEBVRE, o. c., p. 372; qui idem Auctor, p. 376, textum refert ex antiquis *Eddas* desumptum, in quo notio *doni* conjungitur cum notione *emptionis.*

(2) Cf. LEFEBVRE, o. c., p. 384 s. Postea, ad exemplum Francorum, passim apud reliquos Germanos imminutum est pretium nuptiale, et mutatum in *dotem ex marito* in favorem *sponsae;* cui doti accessit munusculum cui nomen *morgengabe,* consistens in dono uxori oblato, post primam nuptiarum noctem, in pretium virginitatis. Cf. LEFEBVRE, o. c., p. 417-428; STOCQUART, o. c., 51 s.; infrà, n. 122, sub 4°, in nota.

(3) Cf. dicta, in nota ad n. 75, circa *mallum.* Cf. etiam CARNOY, *Le Mallum dans la Toponymie Belge,* apud *Mélanges Moeller,* Louvain, 1914, I, p. 286 ss.

(4) CARON, o. c., p. 112 s. Aliter SOHM, *Das Recht der Eheschliessung,* p. 63 s., qui *reipus* habet pro *mulcta* lata contra illicitas nuptias *viduae.*

(5) Cf. VIOLLET, *Histoire...,* p. 287 ss., et 493 ss.

(6) Cf. PELLET, o. c., p. 62 ss.; BERNARD, o. c., p. 48 ss.

(7) Cf. CUQ, o. c.; CRUVEILHIER, *Le Code d'Hammourabi,* apud *Rev. du cl. fr.,* t. LXIX, p. 292 s.

Conclusio. *Conclusio* igitur est ex historia nullatenus infirmari doctrinam christianam de origine matrimonii; ac potius dicendum est varias sexualium unionum formas, quae olim exstiterunt vel adhuc vigent, a supra descripta vera conjugii forma alienas, esse habendas uti primitivae formae adulterationes et deformationes (1).

ARTICULUS 2^s^. De Fine Matrimonii.

83.

Finis operis primarius matrimonii est generatio et educatio prolis ;

Finis operis *primarius* matrimonii (2), seu finis ad quem ex intentione naturae et Creatoris primariè ordinatur, est *propagatio speciei humanae,* seu « procreatio atque educatio prolis ». Can. 1013, § 1.

Finis non est sola procreatio prolis, licet haec primò intendatur, sed et ejusdem educatio, cum nihil juvaret procreare prolem, si non simul educetur, siquidem propriae educationis existit incapax. Cf. suprà, n. 78.

Etiam tanquam fines operis haberi possunt, sed *secundarii* dumtaxat, « mutuum adjutorium (ac solatium conjugum) et remedium concupiscentiae » (3). *Ibidem* (4).

mutuum solatium et sedatio concupiscentiae sunt fines secundarii tantum.

Porro insistitur in hoc quod hi fines non sint nisi fines *secundarii,* i. e. essentialiter subordinati ad finem primarium generationis et educationis prolium, adeo ut ad illos fines ordinari nequeat matrimonium, nisi salva ordinatione ad finem propagandae speciei.

Nimirum ad hoc tantùm adnectitur conjugii usui *delectatio* concupiscentiae sedativa, ut securius et certius obtineatur finis *generationis;* ad hoc etiam, Deo sic disponente ac natura, *solatium et mutuum adjutorium* inveniunt conjuges in intima ad invicem conversatione, ut efficacius procuretur prolium *educatio:* quatenus exinde jucundior evadat cohabitatio ad informandam prolem necessaria, ac promptiores existant conjuges in sufferendis oneribus vitae communis, necnon alacriores in consorti opera ad prolis informationem impendenda (5).

---

(1) Cf. HOWARD, o. c., I, p. 222 s., coll. p. 93-110; LICHTENBERGER, o. c., p. 29 s.; LEROY, *Rel. des prim.*, p. 385 s.

(2) Ubi quaestio agitur de fine matrimonii, stricte loquendo facienda foret distinctio inter matrimonium in fieri et matrimonium in facto esse. Finis operis matrimonii in fieri est propriè ipsum vinculum conjugale seu matrimonium in facto esse, cum ad hoc immediatè, intrinsecè et essentialiter referatur et terminetur contractus; at eo ipso quod contractus totus quantus tendit et refertur in ipsum matrimonium in facto esse, potest etiam hujus finis operis adscribi matrimonio in fieri, nec opus est distinguere inter finem matrimonii in fieri et finem matrimonii in facto esse. Cf. MARTIN, a. c., I, p. 50 s.

(3) A nonnullis Auctoribus medii aevi, adscribitur matrimonio finis propagationis speciei secundum institutionem in paradiso, finis vero sedandae concupiscentiae, secundum institutionem extra paradisum. Cf. FREISEN, o. c., p. 24 s., coll. p. 848.

(4) Cf. Conc. Mechlin. quartum, decr. 78.

(5) « Finis matrimonii primarius... non potest esse alius quam proles generanda et informanda; adeoque alii fines non possunt esse nisi consequentes, atque veluti media necessaria quibus matrimonium vel simpliciter vel expeditius et perfectius finem suum primarium assequatur ». MARTIN, o. c., I, p. 64.

Thesis posita et ex ipso tenore can. 1013 desumpta, propagationem scil. speciei humanae finem esse *primarium,* cui reliquos fines subordinari oportet, *suadetur* ex sensu communi, matrimonium habente uti institutum propagationis speciei humanae, necnon ex ipsa diversitate sexuum inter contrahentes requisita; *probatur* autem ex eo quod impotentes, seu inepti per se ad generationis actum, inhabiles declarantur ab Ecclesia ad matrimonium ineundum, juxta Constitutionem Sixti V, *Cum frequenter,* 22 Junii 1587. Et sane, si, praeter generationem humanam, alius est finis proprius matrimonii, aequo gradu et independenter, non intelligitur cur impotentes, si in eorum matrimonio salvari possit ordinatio ad hunc alterum finem, puta solatium mutuum vel concupiscentiae remedium, non intelligitur, inquam, cur non possent matrimonium inire (1): sufficeret enim salvari ordinationem ad alterutrum proprium finem operis.

Ex hac doctrina **sequitur:**

84. Unde 1° *matrimonium iniri nequit a personis generationi per se ineptis;*

1° Matrimonium non posse iniri a personis incapacibus ad ponendum actum de se aptum generationi. Excluduntur proinde personae quae ad hoc sunt per se et perpetuò ineptae, quales sunt eunuchi et spadones (2): servanda est enim in omni opere ordinabilitas *per se* (3) ad finem proprium operis.

85. 2° *inordinatum est contrahere, fine generationis excluso positivè,*

2° *Finem operantis,* seu intentionem contrahentium, conformandum esse fini generandae et educandae prolis, saltem *negative.* Nimirum

a/ non potest, *in ipso contractu matrimoniali,* a contrahente *positive excludi* generatio et educatio prolis: intentio nempe generationis exclusiva *positivam inordinationem* inducit, opus detorquendo a fine ipsi a Creatore indito, eaque intentio sic *in pactum deducta* matrimonium *irritat* (4). Cf. infrà, n. 152 et seq., ubi de conditione suspensiva repugnante substantiae contractus.

---

(1) Matrimonium ejusque usus potest etiam spadonibus procurare solatium et voluptatem, in concupiscentiae remedium. Cf. TOPAI, o. c., p. 68 s., coll. FERRERES, apud *Eccles. Review,* t. XLVI (1912), p. 216 s., et in ejus opella *De Vasectomia,* n. 172 ss., ubi de potentia eunuchorum ad coeundem, collato tamen Dre O'MALLEY, *ibidem,* p. 222 s. et 334 s., necnon in t. XLIV, p. 695 et t. XLV, p. 719.

(2) De personis ad generationem ineptis latius agetur infrà, ubi de impedimento *impotentiae.* Cf. etiam dicenda sub n. 208 et 208bis.

(3) Non refert ineptitudo *per accidens,* quia natura respicit ea quae sunt per se, non ea quae sunt per accidens, juxta S. THOMAM. *C. Gentiles,* l. III, c. 122.

(4) Quodsi voluntas generationem excludens non ingreditur ipsum contractum, sed ipsi *accedit,* non irritatur matrimonium; imo, licet passim audiat inordinationem, potest hujusmodi intentio, si directe fertur in abstinentiam a matrimonii usu et consequenter dumtaxat ac indirectè in excludendam generationem, potest, inquam, esse licita, ac etiam perfectionem sapere, si procedat ex altiori motivo castitatis.

b/ ad *operis perfectionem* requiritur ut intentio operantis *positivè conformetur* operis fini generandae prolis, eumque proinde positive et explicite intendant contrahentes (1).

86. non autem contrahere illo fine excluso negative, licet deficiat a perfectione.

c/ *ad meram honestatem* sufficit *conformitas negativa,* seu satis est ut generatio non excludatur positivè, licet positivè non intendatur, sed ob alium finem honestum matrimonium contrahatur: eo ipso nempe vitatur inordinatio positiva; imo ex eo quod non excludatur generatio, implicita intentione ab operante dirigitur opus in finem generationis tanquam in finem proprium (2). Ex quibus eruitur a peccato etiam veniali excusari nupturientes matrimonium ineuntes unicè, sensu praecisivo, ob mutuum solatium, ad inopiam sublevandam, ad concupiscentiam sedandam vel ad voluptatem capescendam. Cf. infrà, n. 209 s., ubi idem principium applicatur usui matrimonii.

ARTICULUS 3^s^. **De Honestate Matrimonii.**

PROPOSITIO. *Matrimonium est in se honestum, virginitati tamen postponendum.*

Probatur.

87. Matrimonium in se vario titulo est honestum et sacrum:

Ad 1^m^. Matrimonium *in se spectatum,* abstractione facta a ratione sacramenti, non tantùm honestum est, sed vera dignitate commendabile.

ratione finis,

Quae honestas simul ac dignitas eruitur *ex ipso fine* ob quem institutum est, cum spectet « non modò ad propagandum genus humanum, sed ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei; ut nimirum populus ad veri Dei et Salvatoris nostri Christi cultum et religionem procrearetur atque educaretur » (3).

ratione divinae institutionis,

Confirmatur ex ipsa *divina institutione* positiva, de qua suprà, et quae narratur Gen., I, 27, et II, 18 et 23, collato Matth., XIX, 6, et Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. unico.

Insuper Christus Dominus « nuptias in Cana Galilaeae praesentia sua nobilitavit, primoque ex prodigiis a se editis fecit memorabiles; quibus causis vel ex eo die in hominum conjugia nova cujusdam sanctitudinis initia videntur esse profecta » (4).

---

(1) Ita Tobias junior (*Tob.*, VIII, 9): « Et nunc. Domine, tu scis quia non luxuriae causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in saecula saeculorum ».

Perfectio autem illa quam reperiri posse modò notavimus in contrahentibus matrimonium cum intentione, contractui accidente, abstinendi ab usu conjugii ac proinde non generandi, non est perfectio *in ratione matrimonii,* de qua in textu.

(2) Cf. SALMANTICENSES, o. c., tr. IX, cap. III, P. III, n. 24.

(3) Cf. Encycl. Leonis XIII *Arcanum.*

(4) *Ibidem.*

88. ratione mysterii unionis Christi cum Ecclesia.

Deducitur *etiam* honestas ac peculiaris dignitas conjugii ex eo quod, juxta rescriptum S. Leonis ad Rusticum Narbonensem Episcopum (458-459), « societas nuptiarum ita *ab initio* constituta sit ut, praeter sexuum commixtionem, haberet in se *Christi et Ecclesiae sacramentum,* i. e. signum » (1).

Nimirum matrimonium, etiam in se consideratum, ab ipsis primordiis institutionis suae ordinatur ad significandam *conjunctionem Christi cum Ecclesia,* et quidem

a/ quatenus Evae formatio ex latere dormientis Adae, figura fuit et symbolum Ecclesiae e latere Christi, secundi Adami, in cruce dormientis;

b/ quatenus homo uxori adhaeret ut efficiatur cum ipsa unum principium prolis generandae et informandae: pariter scilicet Christus Ecclesiam sibi copulat quasi in adjutorium ad homines ad vitam divinam generandos, cura et actione continua ac communi nutriendos, instituendos atque omnimodè informandos;

c/ quatenus in conjugali unione auctoritas est penes virum: ita etiam Christus caput est Ecclesiae, ipse Salvator corporis ejus;

d/ quatenus, sicut vir debet uxorem diligere, ita Christus dilexit diligitque Ecclesiam, et seipsum tradidit pro illa;

e/ quatenus, quemadmodum conjuges, in concubitu, una caro efficiuntur, ita et Christus per Incarnationem conjunctus est sponsae Ecclesiae in unitatem et conformitatem naturae (2).

Ex quibus jam mira innotescit dignitas matrimonii in se sumpti, seu uti est *in officium naturae.* Quodsi spectatur *qua sacramentum* novae Legis, elucet speciale exinde meritum ac peculiaris dignitas: inchoatam nempe sanctitudinem, quae conjugio inest, ad culmen evexit Salvator, quum illud ad dignitatem sacramenti elevavit, simul efficiendo ut « conjuges, coelesti gratia quam merita Ejus peperererunt septi ac muniti, sanctitatem in ipso conjugio adipiscerentur, atque in eo, ad exemplar mystici connubii sui cum Ecclesia mire conformato, et amorem qui est naturae consentaneus perficiendo, et viri ac mulieris individuam suapte natura societatem divinae charitatis vinculo validius conjungendo ». Encyclica *Arcanum.*

89. Id confirmat testimonium S. Scripturae et SS. Patrum.

Matrimonii honestatem ac dignitatem non semel commendatam legimus in SS. Litteris (3), eamque SS. Patres unanimiter vindica-

(1) *Migne,* LIV, col. 1204 s.

(2) Prioribus rationibus significatur Christi unio cum Ecclesia per matrimonium, prouti est non consummatum, unio nempe Christi cum Ecclesia per amorem et communem actionem; accedente copula carnali, significatur speciali ratione unio Christi cum Ecclesia quasi corporalis per Incarnationem. Cf. infrà dicenda, sub n. 98.

(3) Ita 1ª ad Cor., VII, 9, 28, 36, 39; 1ª ad Tim., IV, 1-3; V, 14; ad Eph., V, 22-32; ad Hebr., XIII, 4. Cf. etiam LEITNER, *Lehrb.,* p. 17 s.

runt, in specie contra Jovinianum (1), Eustathianos (2), Priscillianistas (3) necnon contra errores Gnosticorum ac Manichaeorum, consequenter ad suam adulteratam conceptionem dualisticam, nuptias damnantium (4); deinceps semper in honore fuit matrimonium apud Ecclesiam catholicam (5) et populum christianum (6): quod immerito negavit Luther (7), Ecclesiae exprobrans quod matrimonium vilipenderit illudque uti statum peccaminosum damnaverit.

Profectò in ps. *Miserere* (L, 7) dicitur homo in iniquitatibus conceptus, sed id passim intelligunt interpretes catholici de peccato originali, cui

(1) Contra hunc scripsit S. Augustinus et vindicavit honestatem matrimonii, cum tribus suis bonis. Cf. PETERS, o. c., p. 21 ss., ubi, p. 23 s., refert elegantem solutionem difficultatis contra matrimonii honestatem deductae ex libidine, quae sit mala: « Tanquam si quispiam pede vitiato etiam claudicando perveniat, nec propter claudicationis mala est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona est claudicatio: ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus ». (*De nupt. et concup.*, I, 8).

(2) Cf. Synodus *Gangrensis* (circa medium saec. IV), can. 1, apud HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., I², p. 1031 s.

(3) Cf. *Synodus Bragensis* (563), can. 11, apud HÉFELÉ-DELARC, o. c., III, p. 555 ss.

(4) Gnostici putabant materiam a Demiurgo, seu principio mali, creatam in oppositione ad spiritum a Deo creatum. Unde alii directe reprobabant et excludebant matrimonium et carnalem commixtionem, ne caro propagaretur; alii vero docebant carnem ac carnalem concupiscentiam esse damnandam et devinciendam per illimitatam luxuriae fruitionem, usque ad carnis stimuli extinctionem, adeo ut hi conjugium ob determinatum et limitatum venereorum usum excluderent. Cf. CLEM. ALEX., l. III, *Stromat.* (*Migne*, VIII, col 1098 ss.), coll. PROBST, *Sacramente*, p. 428-434.

(5) Honestatem matrimonii etiam vindicandam habuit Ecclesia contra *Albigenses* qui, Manichaeismi principiis imbuti, logicè reprobabant speciei humanae propagationem, adeoque et matrimonium ejusque usum, et quidem matrimonium magis damnabant quam fornicationem et concubinatum, cum in statu matrimoniali, secus ac in fornicaria vita, legali sanctione legitima appareret generatio: de quibus vide GUIRAUD, *Questions d'Histoire et d'Archéologie chrétienne*, Paris, 1906, p. 65-86. Circa varios autem alios errores honestati matrimonii contradicentes, et circa luctam Ecclesiae contra illos, cf. BÖCKENHOFF, *Reformehe*, p. 41-48.

(6) Cf. GRISAR, *Luther*, II, p. 484 ss.; FALK, o. c., p. 12-69, in specie circa conceptum popularem pro tempore medii aevi; provocat alter Auctor ad varia scripta popularia, instituta et facta historica, matrimonii honestati faventia. Inter alia, p. 18 ss., narrat quomodo, in pluribus locis, mos exstiterit mortis damnatos liberari intuitu matrimonii cum puella, ad hoc sponte sese offerente, ineundi.

(7) Cf. GRISAR, o. c., II, p. 482 ss., ubi textus referuntur Lutheri Ecclesiam arguentis quod matrimonium ejusque usum proposuerit uti « Hurenwerk ».

Quod autem spectat ipsius *Lutheri doctrinam* circa *matrimonium: ex una parte*, postquam prioribus annis inde a defectione (signanter ante annum 1520) agnoverat adhuc virginitatis excellentiam prae matrimonio (l. c., p. 203 ss.), deinceps, conformiter ad sua principia de corruptione naturae ex peccato originali, utque legitimaret propriam nuptiarum cupidinem, ac indulgeret passionis aestui, urgebat irresistibilem in matrimonium impulsum et continentiae virginalis impossibilitatem, secluso quasi-miraculo, ac coepit matrimonium extollere ceu donum Dei, uti statum spiritualem, dignitatem mutuantem ex eo quod remedium afferat concupiscentiae, quodque fundamentum constituat societatis et unionem significet Christi cum coetu christiano (l. c., p. 217); *ex alia parte*, ut efficacius denegaret matrimonio indolem veri sacramenti ejusque jurisdictionem subtraheret Ecclesiae et Statui civili agnosceret, matrimonium exhibet (exaggerando pro indole sua vehementi) uti rem mundanam et profanam (l. c., p. 216 ss.).

De caetero, eodem tempore quo theoreticè extollebat matrimonii dignitatem, practice, in suo modo loquendi, illud nonnunquam viliter tractabat, vitam conjugalem lubricè describendo: quod Lutheri venereo aestui, per matrimonium non temperato, tribuendum est potius quam mutationi et versabilitati in ejusdem conceptu circa matrimonii indolem et dignitatem (GRISAR, l. c., p. 218 ss., coll. p. 492 et 506-510).

De hisce etiam cf. FRIEDBERG, *Das Recht*, p. 157 ss.; *Realencykl.*, t. V., p. 192-194; CHRISTIANI, *Luther et Luthéranisme*, Paris, 1908, 7e étude; PASQUIER, *L'Etat religieux et le Mariage d'après Luther*, apud *R. cl. fr.*, t. LXVI (1911), p. 385-417.

omnis homo concipitur obnoxius. Caeterum ipsi qui, uti Baethgen (1), referunt iniquitatem et peccatum ad ipsum actum procreandi, reatum deducunt non ex ipsa copula qua tali, sed qua adulterina, ac proponunt psalmistam quasi conquereretur se natum esse in adulterio (2).

90. Probatur statum conjugalem secundum se esse postponendum statui virginitatis, uti est virtus.

Ad 2m. *Praenotandum,* in comparatione facta, attendi virginitatis *virtutem,* virginitatem scilicet « non abhorrentem a delectatione qua tali, ex vitio insensibilitatis, sed a sola delectatione venerea, propter optimum finem et secundum rectam rationem » (3), puta ut liberius divinae contemplationi vacari possit; adverte secundò comparationem institui non inter virginitatem et matrimonium apud talem personam vel in talibus adjunctis, sed inter *statum* virginitatis et *statum* conjugalem *secundum se,* in sensu scilicet formali, et secundum ea quae utrique statui sunt propria (4).

Quibus prae oculis habitis, non est dubium *matrimonium esse virginitati postponendum,* ac meritò a Concilio Tridentino, Sess. XXIV, errorem reprobari illius qui dixerit « statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel coelibatus; et non esse melius ac beatius permanere in virginitate aut coelibatu quam jungi matrimonio » (5).

91. Argumenta.

Ad quod **probandum,** missis testimoniis luculentissimis, desumptis ex S. Scriptura, prae caeteris ex Matth., XIX, 10 ss., ex 1a epist. ad Cor., vix non per integrum caput 7m, necnon ex scriptis SS. Patrum poene innumeris (6), ad sola provocamus *argumenta rationis theologicae:*

Et quidem **1°** Bonum *animae* praefertur bono *corporis,* uti docet S. Thomas, 2a 2ae, qu. 152, art. 4; virginitas autem ordinatur ad

---

(1) *Handcommentar zum Alten Testament. — Die Psalmen,* 2a ed., 1897, Göttingen, p. 148.

(2) Gregorius M., c. 7, XXXIII, qu. 4, rejicit hanc interpretationem de conceptione adulterina; iniquitatem reperit in usu matrimonii legitimi, hac scil. ratione quod saepe usus ille fit voluptatis causa, quodque solus usus liberorum creandorum gratia sine culpa est habendus. Cf. hîc commentarium ad h. l. *Huguccionis,* apud GILLMANN, *Spender u. äusseres Zeichen der Bisschopsweihe nach Huguccio,* Würburg, 1922, *Beilage II,* p. 36.

(3) ILL. AC REVmus WAFFELAERT, *De Virtutibus cardinalibus,* Tract. I, 1, III, n. 125. Cf. etiam concilium *Gangrense,* can. 9, l. c., p. 1036, ubi etiam anathema dicitur contra illum « qui vit en dehors du mariage ou dans la continence par mépris pour le mariage, et non pas à cause de la beauté et de la sainteté de la virginité ».

(4) « Licet virginitas sit melior quam continentia conjugalis, potest tamen conjugatus melior esse quam virgo, et quidem ex parte ipsius castitatis, si scilicet ille qui est conjugatus habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo. Unde Augustinus instruit virginem... ut dicat: ego non sum melior quam Abraham, sed melior est castitas coelibum quam castitas nuptiarum ». S. THOMAS, 2a 2ae, qu. 152, art. 4, ad 2m; coll. *C. Gentiles,* l. III, c. 138.

(5) Concilium Trid. urget hanc suam thesim speciatim contra Protestantes, qui, conformiter ad posteriorem Lutheri doctrinam, nuptias extulerunt super virginitate, ac statum conjugalem habuerunt uti statum religiosum prae statu virginali. Circa conceptum *Anglicanorum* de matrimonio ejusque relatione ad virginitatem, necnon de opportunitate coelibatus sacerdotalis, cf. HOWARD, o. c., I, p. 392-399.

(6) Cf. etiam decr. 54 Conc. Mechlin. quarti.

bonum animae, conjugium vero ordinatur ad bonum corporis, quod est corporalis multiplicatio generis humani.

2° Matrimonium reddit hominem *minus aptum* ac dispositum *ad serviendum Deo,* cum ipsum implicet voluptatibus carnis, mentem ab oratione et rebus spiritualibus maxime abstrahentibus, ac implicet variis sollicitudinibus hujus saeculi: ut nempe « alter alteri placeat, ut ipsi cum familia honeratè inter suos vivant, ut amplam haereditatem illis relinquant; quibus in rebus videmus conjuges passim adeo occupari ut vix dimidiam horam per hebdomadam servitio divino impendere queant » (1).

3° *Proprius* actus matrimonii est *actus generationis.* Jamvero,

a/ actus ille, uti arguit LESSIUS, l. c., convenit homini *secundum portionem inferiorem,* qua similis est brutis; virtuosa autem abstinentia ab hoc actu ejusque voluptatibus convenit homini secundum spiritum et portionem superiorem, qua similis est angelis. Unde S. AUG., *De Sancta Virginitate,* c. 13 (*Migne,* XL, col. 401), dicit: « virginalis integritas, et per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio est, et, in carne corruptibili, incorruptionis perpetuae meditatio »; ipse vero Dominus, apud Mt., XXII, 30, dixit: « in resurrectione neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in coelo ».

b/ in actu illo membra *non obediunt rationi,* unde, etiam praeter motivum sub a/ allatum, conjunctam habet maximam verecundiam: indecorum est enim menti « ita a carnis voluptate vinci ut quasi sui compos suique juris non sit ». LESSIUS, *ibidem.*

92. Solvuntur objectiones.

Ad **objectiones** opponi solitas:

1. *Prima* ac praecipua est illa quam proponit S. THOMAS, l. c., ad 3^m^, quatenus *bonum commune potius est bono privato;* conjugium autem ordinatur ad bonum commune, multiplicationem scil. generis humani, virginitas vero ad bonum privatum ipsius virginis.

Porro *solvitur,* attenta distinctione S. Doctoris: bonum nimirum commune potius esse bono privato, *si sit ejusdem ordinis,* non autem si sit diversi ordinis, uti in casu: matrimonium enim ordinatur ad bonum corporale, virginitas ad bonum spirituale.

Quodsi quis *instet* et dicat etiam matrimonium promovere bonum in ordine spirituali, prolem generatam educando in gloriam Dei, *respondetur* comparationem esse instituendam, juxta praenotata, inter virginitatem et matrimonium *secundum ea quae utrique statui sunt propria;* proprium autem est matrimonii, prae statu virginali, procreare proles corporaliter earumque bonum corporale promovere.

Caeteroquin virginitas non se continet intra fines boni *privati,* sed quoad

(1) LESSIUS, *De Justitia et Jure, caeterisque virtutibus cardinalibus,* l. IV, c. II, dub. 15; 1ª *ad Cor.,* VII, 33 s.

bonum commune spirituale non minus confert, imo valdè magis ac status matrimonialis, etiam in ipso negotio educationis prolis; et sic virginitas homines aptissimos reddit qui sese devoveant instruendis ac sancte educandis prolibus, illisque in omnigenis necessitatibus spiritualibus succurrant, uti quotidiana experientia liquet in sacerdotibus et utriusque sexus religiosis (1).

2. Frustrà etiam arguitur *secundò* ex eo quod in *Veteri Lege* ignominia fuerit prolibus destitui, juxta adagium: « *maledictus qui non reliquerit semen in Israel* ».

Vel enim ignominia erat in sterilitate, *supposito matrimonio:* « cum Deus promissiset iis qui in matrimonio vivebant benedictionem et foecunditatem, sub hac conditione si custodirent legem Dei, suspicio erat illos puniri a Deo qui non habebant prolem, tanquam legis transgressores: in quo erat magna ignominia » (2). Vel, si hoc interdùm videtur *absolute* intelligendum et in omni hypothesi, uti forsitan in exemplo filiae Jephte plorantis virginitatem suam, haec nota infausta, si quae fuerit, non adnectebatur virginitati *secundum se,* respectu matrimonii secundum se spectati; sed tribuenda erat speciali circumstantiae in qua versabatur populus Judaicus, quatenus nempe, non contracto matrimonio, via occluderetur insigni ac optatissimo honori Messiam habendi inter posteros.

3. Facile etiam refelluntur quaedam objectiones minores, puta

a/ « Ex coelibatu humanum genus innumeris prope individuis privatur. Atqui hoc videtur esse contrarium charitati quam proximo debemus.

Resp. Nego majorem et minorem. — Imprimis falsum est vitam coelibem esse in causa quare imminuatur hominum numerus. Quin S. Ambrosius non dubitavit haec affirmare: Si quis putat consecratione virginum minui genus humanum, consideret quia ubi paucae sunt virgines, ibi etiam pauciores homines; ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem (*De Virgin.,* c. VII, n. 36). Ratio est quia in societatibus ubi vita coelebs et virginitas magno in pretio habetur, ma-

---

(1) Confert etiam virginitas, uti apposite notat BILLOT, o. c., II, p. 363 s., ad commune bonum societatis, tum « ut juge quoddam memoriale coelestis illius patriae in qua neque nubent neque nubentur..., tum per modum exempli refraenantis eas indomitas passiones, ex quibus ipsum conjugale vinculum maxime solet periclitari..., tum demum, in quantum disponit ad vitam contemplativam, in qua per assiduam orationem Deus conciliatur hominibus ».

Posset etiam addi quod sacerdos, nostro praesertim tempore, confert ad ipsam multiplicationem generis humani, quatenus scil. impugnando Neo-Malthusianismum, promovet prolium numerum. Cf. PAQUET, o. c., p. 282.

Denique non est negligenda consideratio quam proponit VERDIER, *Le problème de la natalité,* Paris, 1917, p. 29 s., quatenus coelibatus a nonnullis servatus suo modo conferat ad sanctitatem matrimonii et conjugalem castitatem: « Par le célibat vrai et saint, elle (l'Eglise) crée dans le monde une atmosphère de pureté. Or dans le mariage, où l'entrainement des sens est si facile, où les nobles fins poursuivies ne peuvent être pleinement atteintes que par une relative pureté, où d'ailleurs la continence a, elle aussi, sa grande place, n'est-il pas utile, n'est-il pas nécessaire même que les époux constatent qu'auprès d'eux des êtres de chair et d'os comme eux, des amis, des parents peut-être, savent maîtriser leurs sens et mener une vie presque angélique? Ce spectacle, ces exemples, soyons-en sûrs, rappellent efficacement que la pureté, sous des formes différentes, doit présider à l'état du mariage comme à celui du célibat ». Quam considerationem egregie evolvit BUREAU, *Indiscipline,* p. 323 ss.

Voir aussi MONSABRÉ, *Le célibat et la virginité,* 90e conf., necnon testimonium Dris *Foerster* apud CASTILLON, *Trois problèmes moraux,* Paris, 1918, p. 44.

(2) BECANUS, *Analogia Veteris ac Novi Testimenti,* cap. XXI, n. 7.

trimonii jura sanctius observantur, ac vitia innumera imminuuntur, quae vitae civium ac plurimorum etiam procreationi sunt maxime noxia » (1).

b/ « Si bonum est, quod unus se contineat, melius, quod multi, optimum, quod omnes. Atqui hoc est absurdum. Ergo.

Resp. Si bonum, quod unus se contineat, melius, quod multi vel omnes, si solum ratio habetur boni individualis, *conc.;* si spectatur bonum commune speciei, *nego.* Bonum speciei requirit varietatem bonorum et statuum. Etsi oculus sit melior pede, tamen pro homine non esset melius, si solum haberet oculos » (2).

4. Tandem haud difficulter refelluntur illae quae opponuntur deductae *ex legibus physiologicis,* quasi strictae castimoniae observantia coelibem, signanter virum, continuis carnis stimulis exponat, ejusque sanitati corporali et intellectuali nociva existat, ex nimia seminis superabundantia (3).

Et sane minuitur seminis secretio in continenter vivente, ac semen quod abundat partim absorbetur ad vigorem animi et corporis, partim nocturna pollutione sponte evacuatur (4). Aliunde concupiscentia paulatim sopitur in illis qui a venereis viriliter abstinent, adeo ut coelebs, supernaturalia virtutis adminicula non negligens, carnis impetum vincat, seseque contineat facilius quam moderate voluptatibus utatur conjugatus (5).

93. Matrimonium non est in praecepto quoad individuos, nisi per accidens tantum.

Scholion. Ad quaestionem, utrum matrimonium sit *in praecepto,* respondetur matrimonium, *respectu generis humani collective sumpti,* esse in praecepto, cum frustrari nequeat finis Creatoris propagationem naturae humanae volentis; *quoad singulos* autem *individuos,* illud non esse in praecepto *per se* sed *per accidens* dumtaxat. Non est in praecepto *per se:* cujus ratio a priori est quia, uti dicit S. THOMAS, *C. Gent.,* l. III, cap. 136, generatio non est de necessitate individui, sed de necessitate speciei; et ratio a posteriori, quia apparet matrimonium omnium et singulorum individuorum non requiri, neque ratione necessitatis genus humanum propagandi, cum ad hanc propagationem non postuletur omnium individuorum opera,

(1) SCHIFFINI, *Disputationes philosophiae moralis,* Augustae Turinorum, 1891, II, n. 369.

(2) CATHREIN, *Philos. mor.,* n. 522. Cf. S. THOMAS, *C. Gent.,* l. III, cap. 136.

(3) Cf. TREUB, o. c.; NYSTRÖM, o. c., in tertio capite: *Die Geschlechtsbedürfnis und die Enthaltsamkeit.* Cf. etiam GRISAR, o. c., II, p. 109-203, circa varia dicta Lutheri, continentiam uti impossibilem et naturae repugnantem jactantis, quasi aeque urgeat necessitas ad usum matrimonii quam ad edendum et bibendum.

(4) Cf. LEITNER, *Lehrb.,* p. 12 ss. et BÖCKENHOFF, *Reformehe,* p. 57 ss. et *Ehret die Ehe,* p. 35 ss., ubi, contra Protestantes, egregiè vindicatur virginitatem et coelibatum non adversari vigori corporis et intellectus, nec periculum inducere immoralitatis. Cf. etiam ESCHBACH, *Disputationes,* p. 447-48; *De Katholiek,* 1904, p. 303 ss.; *Die Ehe,* p. 81 et seq.; FOREL, o. c., p. 468; GEMELLI, o. c., p. 64-86; FORSTMANN en AUSEMS, o. c., p. 28 ss. et p. 92 ss.; RIBBING, o. c., p. 99 ss.; LOSLEVER, o. c., p. 219 ss.; AUFFROY, *Le Célibat des prêtres,* apud *Etudes,* t. CXXXIII, p. 212 ss. et praesertim FRANCOTTE, o. c., p. 15-26, ubi variorum doctorum auctoritatem invocat, seriem complente D^re^ Warlomont, *ibid.,* p. 40 ss. Cf. etiam SALSMANS, *Geneesk. plichtenleer,* n. 141 s.; BUREAU, *Indiscipline,* p. 293 ss.; CASTILLON, o. c., p. 48 ss.; PAYEN, o. c., n. 261.

(5) Cf. ESCHBACH, o. c., p. 482-484, ubi additur in fine: « Quae hucusque diximus, de communiter contingentibus vera sunt. Ast libenter fatemur, praeterquam quod non omnibus datum sit verbum capere Domini coelibatum exaltantis, homines inveniri erotico temperamento afflictos quibus matrimonii status animae simul et corporis moraliter necessaria salus erit. Pro hujusmodi personis dictum valet D. Pauli: « melius est nubere quam uri ».

neque ratione impossibilitatis in singulis individuis obtinentis servandi continentiam, cum hanc impossibilitatem modò viderimus prorsus negandam.

Potest autem matrimonium esse in praecepto *per accidens:* quatenus scilicet possit contingere ut pro uno alterove, ratione peculiaris conditionis in qua versatur, matrimonium sit urgendum, puta in petulantis passionis remedium, ad prolem legitimandam vel injuriam reparandam, aut propter hominum penuriam; quo ultimo casu obligarentur individui non qua tales, sed qua communitatem repraesentantes.

Porro contra partem theseos, praeceptum negantem pro individuis, frustrà *opponunt* Protestantes verba Gen., I, 28: *crescite et multiplicamini,* quippe quae verba important benedictionis elargitionem potius quam praeceptum (et sic eadem verba diriguntur ad animalia, *Gen.,* I, 22), vel, si praeceptum involvunt, spectant non individuos, sed communitatem in protoparentibus repraesentatam. Neque dicatur frustrari posse finem Creatoris, si praeceptum non tangit individuos sed solam communitatem: sufficit namque concupiscentiae stimulus atque naturae vehemens inclinatio (1), quemadmodum experientia abundè testatur (2). Frustrà etiam varia alia minoris momenti argumenta opponuntur (3).

Disputatio Secunda

de elemento constitutivo contractus matrimonialis seu de consensu.

Articulus 1°. **De consensu matrimoniali in genere.**

Propositio prima. *Consensus utriusque partis efficit contractum matrimonialem, isque solus, ad exclusionem copulae conjugalis, et insupplebiliter.*

---

(1) Verum est proverbium: « quod omnes tangit neminem angit », si agitur de *onere,* non autem si agitur de re ad quam sua quemque trahit voluptas.

(2) Testimonium hujus experientiae est adeo luculentum, quod multi, signanter malthusiani, timent a periculo nimiae populationis et exigunt applicationem remediorum, vel ad matrimonia cohibenda, vel ad eorum prolificationem minuendam.

(3) Ita v. gr. non est ardua responsio ad objectionem sequentem (apud Schiffini, l. c.):

« Praecepta legis naturae cognoscuntur ex ipsa conformatione organismi. Atqui conformatio organismi humani manifeste tendit ad procreationem sobolis. Ergo talis procreatio cadit sub praecepto legis naturae...

Resp. *Dist. maj.:* si sermo sit de iis bonis quae necessaria sunt ad perfectionem debitam singulis individuis, *conc.;* si sermo sit de iis bonis quae necessaria sunt ad perfectionem multitudinis, *nego...* ».

Quod explicat S. Thomas, *C. Gent.,* l. III, cap. 136: « Ex divina scil. providentia dantur homini ea quae sunt toti speciei necessaria, nec tamen oportet quod quilibet homo quolibet illorum utatur. Data est enim homini industria aedificandi et virtus ad pugnandum, nec tamen oportet quod omnes sint aedificatores aut milites. Similiter, licet sit homini divinitus provisa virtus generandi et ea quae ad actus ejus ordinantur. non tamen oportet quod quilibet actui generationis intendat ».

94. **Explicatio.**

Ad contractum matrimonialem requiri consensum,

A. *Insupplebiliter requiritur* partium consensus, et quidem consensus de praesenti: consensus scil. de futuro, uti vidimus suprà, constituit, positis ponendis, sponsalia quae sunt conjugii praeambula.

Necessitatem absolutam et insupplebilem consensus ad matrimonii constitutionem disertis verbis enuntiat can. 1081, § 1, Codicis: « Matrimonium facit partium consensus inter personas jure habiles legitime manifestatus; *qui nulla humana potestate suppleri valet* » (1). Eamdem illam necessitatem insupplebilem jam proclamabat Pius VI, in Epistola 11 Julii 1789: « Hic contractus etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocumque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per leges suppleatur, in matrimonio vero, nulla humana potestate suppleri consensus valeat » (2).

Caeterum sponte sua sequitur necessitas consensus ex ipsa natura matrimonii, siquidem dominium, quod in matrimonio transfertur in mutuum corpus, penes arbitrium est cujuscumque (3).

eumque sufficere,

B. *Sufficit solus* utriusque nupturientis consensus, in supposito quod debitis stipatus sit conditionibus, juxta dicenda sub propositione secunda. Posset quidem, praeter consensum, ex natura rei sufficientem, aliud elementum requiri ex jure positivo; hoc autem non requiri, et in specie tanquam elementum essentialiter constitutivum non requiri copulam, constat ex **argumentis** adducendis:

95. *probatur.*

1° *Ex testimoniis SS. Patrum.* Ita S. AUGUSTINUS, *De Nuptiis et Concupiscentia,* l. I, c. 11: « conjux vocatur a prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus; nec perierat nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat nec futura erat carnis ulla commixtio » (4). Item S. AMBROSIUS, *De Institutione Virginis,* c. 6: « cum initiatur conjugium, tunc conjugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium sed pactio conjugalis; denique cum jungitur puella, conju-

(1) « Nec matrimonium quod dicebatur *praesumptum* (infrà n. 158), erat matrimonium in quo consensum suppleret Ecclesia; sed ab hac praesumebatur matrimonium ubi praesumebatur consensus, et..., ubi constaret (evidenti saltem probatione) consensum non extitisse, de non existentia matrimonii jubebatur discerni ». WERNZ-VIDAL, o. c., n. 451.

(2) An et quousque consensus suppleri possit potestate *divina,* cf. CAPPELLO, o. c., n. 572.

(3) Cf. S. THOMAS, *Suppl.,* qu. XLV, art. 1: « Unus non accipit potestatem in eo quod est libere alterius, nisi per ejus consensum: sed per matrimonium accipit uterque conjugum potestatem in corpus alterius..., cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet; ergo consensus facit matrimonium ».

(4) Refertur textus in *Decreto* Gratiani, c. 9, Causa XXVII, q. 2. — Circa mentem S. Augustini cf. PETERS, o. c., p. 3-10, ubi, contra Freisen, vindicat propositam S. Doctoris sententiam.

gium est, non cum viri admixtione cognoscitur » (1). Accedit PSEUDO-CHRYSOSTOMUS, i. e. Auctor operis imperfecti, homilia XXXII, in Matth. (2): « matrimonum quidem non facit coitus sed voluntas » (3).

2° *Ex rescripto R. Pont.* NICOLAI I *ad consulta Bulgarorum* (866), cap. 3, quod refert Gratianus, c. 2, C. XXVII, 2: « Sufficiat solus secundum leges eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui consensus, si in nuptiis solus forte defuerit, caetera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur » (4).

3° Ex *Poenitentialibus*, in quibus docetur matrimonium absque mentione copulae constitui. Cf. varia capitula citata apud WASSERSCHLEBEN, o. c., p. 290, 577, 640 et 641, collato SEHLING, *Die Unterscheidung*, p. 38, nota 2.

4° Ex notione matrimonii admissa *in Jure Romano*, quod noscitur in hac re non rarò ab Ecclesia assumptum.

Nimirum in Jure Romano consensus faciebat nuptias absque concubitu, et etiam, contra quosdam aliter sentientes, absque deductione sponsae in domum. Huc spectant prae caeteris L. 11, D. XXIII, tit. 1 (5); L. 15, D. XXXV, tit. 1 (6); et L. 30, D. L, tit. 17 (7).

5° Ex communi sententia circa veri matrimonii existentiam inter B. Mariam Virginem et S. Joseph (8).

6° *Ex doctrina Concilii Florentini*, docentis causam efficientem matrimonii esse mutuum consensum per verba de praesenti expressum (9), necnon *Concilii Tridentini*, in quo docetur (Sess. XXIV,

---

(1) Refertur textus in *Decreto* Gratiani, c. 5, C. XXVII, 2.

(2) *Migne*, LVI, col. 802; cf. ibidem notam; cf. FRIEDBERG, ad 1 et 4, CXXVII, 2; BARDENHEWER, *Patrologie*[3], Herder, 1910, p. 310; *Der Katholik*, 1908, II, p. 309; *Zeitschr. f. kath. Theol.*, 1921, p. 594 s.

(3) Circa interpretationem SS. Patrum in sensum copulatheoriae, cf. WATKINS, o. c., p. 116 ss.

(4) *Migne*, CXIX, col. 980. Favet etiam rescriptum Leonis I ad Rusticum Narbonensem (*Migne*, LIV, col. 1204 s. et HARDUINUS, o. c., I, col. 1762).

(5) « Sponsalia, sicut nuptiae, consensu contrahentium fiunt ».

(6) « Cum fuerit sub hac conditione legatum: si in familia nupsisset, videtur impleta conditio statim atque ducta est uxor, quamvis nondum in cubiculum mariti venerit; nuptias enim non concubitus, sed consensus facit ». Ex quo textu clarè liquet ad matrimonium non pertinere coitum, neque etiam uxoris deductionem, *ex hac autem praesumi consensus praestationem*. Cf. etiam SEHLING, *Die Unterscheidung*, p. 44 ss.; FRIEDBERG, *Das Recht der Eheschl.*, p. 5, et, prae caeteris, DESFORGES, o. c., p. 37-52.

(7) « Nuptias non concubitus sed consensus facit ».

(8) Equidem quaestio de valore matrimonii B. M. Virginis et S. Joseph esset solvenda juxta principia juris Judaici, sed, cum SS. Patres in hac controversia potius prae oculis habuerint jus canonicum circa matrimonium christianum, meritò hîc ad illorum testimonium provocamus: quod non satis attendit WATKINS, o. c., p. 121 s.

(9) « Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus »; ubi nota ly « regulariter » non afficere consensum, quasi exceptionaliter posset iniri matrimonium sine consensu, sed afficere modum emittendi consensum, quatenus modus ille regulariter et ordinarie consistit in verborum prolatione.

cap. 1 de Ref. matr.) matrimonium non consummatum esse verum ac ratum matrimonium.

7° *Ex Catechismo C. Tridentini,* P. II, c. VIII, ubi paragr. 8ª inscribitur: « Ad verum matrimonium concubitus non requiritur ». Cf. etiam par. 6ᵐ, ubi docetur quod verborum de praesenti vis « postquam etiam enunciata sunt, permanet, virumque et uxorem indissolubili vinculo constrictos tenet ».

8° Accedit ipse tenor citati canonis 1081, qui censetur excludere quodvis aliud, praeter consensum, elementum essentiale, quando enuntiat matrimonium facere partium consensum.

*
* *

96. Exponitur copulatheoria.

Huic doctrinae contradicit sic dicta **Copulatheoria,** quae ortum ducere videtur ab Hincmario Rhemensi. Juxta hanc theoriam, *matrimonium copula carnali absolvitur vel potius, si consensu est initiatum, copula perficitur* (1): matrimonium scilicet solo consensu initum non est essentialiter perfectum matrimonium, nec tale evadit nisi accedente copula, ex qua sola accipit rationem sacramenti (2) ac indissolubilitatem (3); ante concubitum erat conjugium initiatum dumtaxat, non sacramentum nec ratum, nec indissolubile, ac nupturientes ante concubitum sponsi potius dicebantur, post copulam vero conjuges et nupti.

97 Theoriae fautores et argumenta;

Descriptam matrimonii indolem vindicarunt non pauci iique insignes Auctores, quos inter Regino Prumensis († 916) et Algerus Leodiensis († 1130), donec communior evaserit in Schola Bononiensi, praesertim postquam eam palàm propugnaverat GRATIANUS, in *Decreto* (circa a. 1140 confecto), quaestione 2ª Causae XXVII; hoc scil. loco, adductis argumentis et auctoritatibus pro et contra, controversiam in dictum sensum solvit, salva tamen aliqua restrictione infrà indicanda; dissolvi autem docebat initiatum matrimonium per votum, impotentiam et, quod nota, per superveniens matrimonium consummatum; matrimonium vero consummatum indissolubile proclamabat (4).

---

(1) Copula nempe potest proponi vel uti elementum nuptias *ex integro constituens,* vel uti elementum *essentiale,* quo matrimonium, consensu inchoatum ac initiatum, *completur et perficitur.* Controverti autem posset utrum Hincmarus priori conceptui adhaeserit, quemadmodum contendunt Fahrner et Sehling, utrum vero alteri, quod omnino probabilius censemus cum SCHRÖRS, o. c., p. 216 ss., ubi varii textus in subsidium afferuntur. Caeterum, quidquid sit de hac controversia, sub altera ratione accipienda est copulatheoria, qualis viguit, ut mox dicetur, inter Doctores Bononienses, mediam sic tenentes viam inter sententiam extremam, a quibusdam Hincmaro adscriptam, quatenus concubitus facit nuptias, et sententiam Ecclesiae Romanae, juxta quam vidimus consensum facere nuptias absque concubitu.

(2) Absque concubitu, dicebant, non significatur unio Christi cum Ecclesia, unio scilicet quasi corporalis quam Christus Dominus iniit cum Ecclesia per Incarnationem, qua conjunctus est sponsae in naturae conformitate.

(3) In hoc praesto erat Hincmaro, indissolubilitatis matrimonii acerrimo vindici, solutio difficultatis quam habebat in conciliando indissolubilitatis principio cum praxi Ecclesiae Gallicanae matrimonium solvendi ob impotentiam. Cf. infrà, n. 360.

(4) Admittebat quidem dissolubilitatem matrimonii legitimi comsummati, in Casu scil. Apostoli (infrà, n. 355ᵇⁱˢ); sed dissolutionem illam adscribit, non Ecclesiae nec parti fideli, sed parti infideli discedenti. Cf. FREISEN, o. c., p. 806 ss. et 825 s., coll. GILLMANN, apud *Arch. f. k. Kirchenr.* 1924, pp. 255 ss., circa similem doctrinam Vincentii Hispani et J. Teutonici.

Nimirum a/ c. 16 et 17, *provocat ad auctoritatem* S. Augustini (1), et Leonis I Papae in epistola ad Rusticum Narbonensem, de qua modò suprà, cujus rescripti tenorem adulteratum refert: « Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta ut, praeter commixtionem sexuum, *non* habeant in se nuptiae Christi et Ecclesiae sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur non fuisse nuptiale ministerium » (2).

b/ c. 19-28, *refert varios casus* in quibus, ob votum religionis, permissum est ante copulam matrimonium solvi, et item ob impotentiam; unde concludit in *Dicto* (3) ad c. 28 et 29, inter sponsos solo consensu conjunctos non esse conjugium, intellige perfectum, quemadmodum veros conjuges fuisse negat B. Mariam Virginem et S. Joseph.

c/ *explicat testimonia quae contraria videntur,* relata sub c. 1-15; quatenus, si agnoscunt rationem conjugii unioni solo consensu efformatae, loquantur de matrimonio *initiato,* non de perfecto proprie dicto: « sciendum est, ait, quod conjugium desponsatione initiatur, commixtione perficitur; unde inter sponsum et sponsam conjugium est, sed initiatum; inter copulatos est conjugium ratum » (4). Vel etiam ita explicat difficultatem, quatenus sponsos solo consensu devinctos vocaverint conjuges « *spe futurorum, non effectu praesentium* » (5). Quod autem spectat textum pseudo-Chrysostomi, de quo suprà, matrimonium scilicet facere non coitum sed voluntatem, ita dicit intelligendum: « Coitus sine voluntate contrahendi matrimonium et defloratio virginitatis sine pactione conjugali non facit matrimonium, sed praecedens voluntas contrahendi matrimonium et conjugalis pactio facit ut mulier in defloratione suae virginitatis vel in coitu dicatur nubere viro, vel nuptias celebrare » (6).

Restrictio autem, quam monuimus suae theoriae attulisse Gratianum, occurrit in sequentibus capitulis, usque ad c. 50 inclusive: non admittit nempe sponsam solo consensu conjunctam, quamvis fateatur eam non esse vero ac perfecto matrimonio copulatam, non admittit, inquam, eam posse liberè alteri nubere, sed *duplicem excipit hypothesim:* primò, quando alterius sponsa *rapta fuerit,* reddenda est sponso, et huic adhaerere debet; secundò, mulier a sponso *in domum deducta* et cum sponso *velata et benedicta,* non potest ad alia vota transire; « talium enim discessione violatur benedictio quam nupturae sacerdos imponit » (7). Ita in *Dicto* ad c. 50 (8).

---

(1) « Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus ».

(2) Textus authenticus, juxta HARDUINUM, l. c.; MIGNE, l. c., et FRIEDBERG, ad h. l., praecise contrarium dicit: « cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit ut, praeter sexuum commixtionem, haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum, non dubium est... nuptiale mysterium ».

(3) *Dicta* Gratiani solent exhibere conclusiones quas censet deducendas ex collatis textibus.

(4) *Dictum* ad c. 34.

(5) *Dictum* ad c. 39 et ad c. 45.

(6) *Dictum* ad c. 45.

(7) Videtur igitur Gratianus hanc exceptionem inducere in favorem matrimonii benedicti, licet non consummati, ex reverentia pro benedictione. Posteriores Decretistae potius provocaverunt ad deductionem in domum mariti, ex qua, ad analogiam cum Jure Romano, contractum initiatum complementum accepisse censebant. Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 114 s. et 118.

(8) C. 51, in quo proponitur doctrina a sententia Gratiani planè dissonans, est *Palea.* Cf. FRIEDBERG, ad h. l.

Distinctionem inter matrimonium initiatum et perfectum retinuerunt *Gratiani discipuli* (1), eamque magis determinaverunt, ac soli matrimonio per copulam perfecto agnoverunt indissolubilitatem, permittentes matrimonium initiatum solvi, non quidem pro lubitu, sed variis ex causis, inter quas occurrunt votum castitatis, captivitas, cognatio spiritualis vel affinitas superveniens, ac etiam, juxta plures, sequens matrimonium consummatum (2).

98. Theoriae adversarii.

Copulatheoriam *impugnaverunt,* inter alios, Petrus Damianus, Ivo Carnutensis, Gulielmus a Campellis, Hugo a S. Victore, ac potissimum *Petrus Lombardus* (3), contra Scholam Bononiensem urgendo testimonia supra invocata in favorem principii antiquorum, matrimonium scilicet facere consensum non coitum, ejusque argumenta etiam directè refellendo. Relicto nempe textu, quem Gratianus invocat, S. Augustino adscripto, qui in S. Doctoris operibus nullibi reperitur (4), necnon S. Leonis I ad Rusticum, quem prorsus adulteratum notavimus:

1° Vindicat Magister Sententiarum sacramentalitatem etiam in gratiam matrimonii absque copula initi; distinguit namque conjunctionem Christi cum Ecclesia, unam corporalem, alteram spiritualem per voluntatem et amorem; hanc autem alteram conjunctionem significat matrimonium sola pactione initum (5).

---

(1) Ita *Paucapalea; Rolandus* (postea Alexander III), in *Summa; Rufinus.* Cf. FREISEN, o. c., p. XXVIII-XXXIV; FAHRNER, o. c., p. 173 ss., coll. GILLMANN, *Die Notwendigkeit der Intention,* p. 18 et *Der Katholik,* 1903, I, p. 276.

(2) Hanc causam, a Gratiano admissam, rejiciebat Magister Rolandus, postea Alexander III, admittit autem votum, impotentiam, infirmitatem, furorem, affinitatem supervenientem, raptum, captivitatem ac supervenientem cognationem spiritualem. Quod autem spectat *Paucapalea,* discipulum Gratiani, referuntur ab ipso septem dissolutionis causae: « electio vitae melioris propositi, impossibilitas coeundi, fornicatio consanguineorum et consanguinearum, dispensatio Ecclesiae, consanguinitas et affinitas, raptus »; videtur etiam excludere a dissolutionis causis sequens matrimonium consummatum. Cf. FAHRNER, o. c., p. 173 s.

(3) Sententiam Gratiani exponit LOMBARDUS, in opere cui titulus *Sententiarum Libri Quatuor,* l. IV, Dist. XXVII, F. G, H, iisdem fere verbis usus quae occurrunt in *Dicto* ad c. 45, ita ut etiam inde confirmari posset posterioritas Lombardi respectu Gratiani (Gr. scripsit circa a. 1140 et Lomb. inter 1145 et 1150): « quidam tamen asserunt verum conjugium non contrahi ante traductionem et carnalem copulam; nec vere conjuges esse aliquos, antequam intercedat commixtio sexus: sed a prima fide desponsationis vir sponsus et mulier sponsa est, non conjux... Auctoritates quibus asseritur quod consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt ut consensus vel pactio conjugalis non ante coitum faciat matrimonium, sed in coitu. Sicut enim defloratio virginis non facit matrimonium, nisi praecedat pactio conjugalis, ita nec pactio conjugalis, antequam adsit copula conjugalis. Ex pactione ergo conjugali sponsi et sponsae fiunt ante coitum, in coitu vero efficiuntur conjuges. Facit enim pactio conjugalis ut, quae prius erat sponsa, in coitu fiat conjux ». Cf. hic P. FOURNIER. *Deux controverses sur les origines du Décret de Gratien,* apud *Rev. d'Histoire et de Littérature religieuse,* 1898, p. 111 ss., collato DE GHELLINCK, *Théologie et Droit canon. au XI^e et au XII^e siècle,* apud *Etudes,* CXXIX (1911), p. 193; PELSTER, *Wann hat P. L. die Libri IV sent. vollendet?* apud *Gregorianum,* II (1921), p. 387 ss.; GILLMANN, *Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihes-sakraments,* Paderborn, 1920, p. 17 s.

(4) Censet *Friedberg* textum illum fuisse summam cap. sequentis 17.

(5) « Ut enim inter conjuges conjunctio est secundum consensum animorum, et secundum permixtionem corporum, sic Ecclesia Christo copulatur voluntate et natura, quia idem vult cum eo, et ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponso spiritualiter et corporaliter, i. e. charitate et conformitate naturae. Hujus utriusque copulae figura est in conjugio: consensus enim conjugum copulam spiritualem Christi et Ecclesiae, quae fit per charitatem, significat; commixtio vero sexuum illam significat quae fit per naturae conformitatem ». L. IV, Dist. XXVI, F. *Hugo a S. Victore* aliam proponit distinctionem, quatenus matrimonium consummatum significat unionem Christi cum Ecclesia, matrimonium autem non consummatum significat unionem charitatis Deum inter et animam fidelem. Cf. FAHRNER, o. c.,

2° Quod attinet auctoritates a Gratiano adductas in favorem solubilitatis matrimonii non consummati, eas explicat Lombardus, adhibita distinctione Gulielmi a Campellis et Hugonis a S. Victore inter *sponsalia de praesenti* et *sponsalia de futuro,* hisce ultimis applicando causas solutionis, non autem prioribus (1).

Ex quibus apparet plane oppositam fuisse sententiam Petri Lombardi ejusque *Scholae Parisiensis* ad sententiam Gratiani ejusque *Scholae Bononiensis:* juxta *priores,* matrimonium per verba de praesenti initum est matrimonium essentialiter perfectum, inter christianos sacramentale ac absolutè indissolubile, dum, juxta *Doctores Bononienses,* erat conjugium dimidiatum et initiatum dumtaxat, nondum sacramentum, ac variis ex causis dissolubile.

Ex hac celebri inter duas Scholas lucta processit *theoria,* ex utriusque oppositae sententiae elementis coalescens, *quam sanxerunt RR. Pontifices,* et signanter Alexander III (2), qui, dum fuerat Magister Rolandus, adhaeserat placitis Scholae Bononiensis (3). *Ex una* scilicet *parte,* admissa distinctione Scholae Parisiensis inter sponsalia de praesenti et de futuro, matrimonio (per consensum de praesenti inito seu sponsalibus de praesenti) non consummato agnoscendam decrevit rationem veri sacramenti ac essentialiter perfecti conjugii; *ex alia parte,* ipsi denegandam volebat — conformiter ad Scholam Bononiensem — absolutam, quam urgebat Lombardus, indissolubilitatem, eamque soli vindicabat matrimonio rato et consummato (4). Unde sensim evoluta est disciplina hodiedum vigens, juxta quam matrimonium ratum non consummatum solvitur per votum sollemne et per dispensationem Pontificiam (5), et sopita est tota controversia (6).

---

p. 133. Similem distinctionem proponit *Rufinus,* non obstante ejus adhaesione copulatheoriae, docens unionem charitatis inter Deum et animam, secus ac unionem Christi cum Ecclesia, posse solvi per peccatum, ac adeo etiam matrimonium non consummatum.

Ex sua parte, *Gulielmus Altissiodorensis* ponit matrimonium ante copulam significare unionem Christi cum singulis membris Ecclesiae, matrimonium vero post peractam copulam significare unionem Verbi cum humana natura; matrimonium ante copulam, quod vocat initiatum et spirituale, posse dissolvi ad modum unionis Christi cum anima fideli, dum matrimonium cum copula, quod vocat consummatum et corporale, est indissolubile, sicuti unio Verbi cum natura humana. Cf. STRAKE, *Die Sakramentenlehre des Wilhem von Auxerre,* Paderborn, 1917, p. 203.

(1) « Fit aliquando desponsatio ubi est compromissio viri et mulieris de contrahendo matrimonio; non est autem ibi consensus de praesenti. Est et desponsatio habens consensum de praesenti, id est pactionem conjugalem, quae sola facit conjugium. In illa desponsatione, ubi est pollicitatio contrahendi matrimonii, sponsi tantum et sponsae sunt, non conjuges... in ea vero desponsatione ubi est consensus de praesenti, conjugium contrahitur, et ab illius desponsationis prima fide veri conjuges appellantur ». L. IV, Dist. XXVII, I.

(2) Cap. 10, *Compil.* I, IV, I, refert decretalem Innocentii II (1130-1143), in sensum Scholae Parisiensis. Cf. FAHRNER, o. c., p. 183.

(3) Docebat scil. Alexander III copulam non esse elementum matrimonii *essentiale,* sed *merè integrans,* ex quo matrimonium quamdam perfectionem accidentalem accipiat, et strictiorem indissolubilitatem.

(4) *Rolandus,* in posteriori opere cui titulus *Sententiae,* quod edidit dum erat Cardinalis (inter 1150 et 1158), jam recesserat a doctrina Scholae Bononiensis, quam proposuerat in *Decreto,* antea conscripto, dum erat Magister Rolandus. Cf. FAHRNER, o. c., p. 186 s.

(5) Hanc juris evolutionem exponendam habemus infrà, n. 332.

(6) Non defuerunt, etiam nostro tempore, Doctores iique catholici, qui copulatheoriam propugnaverunt, praeprimis saepe laudatus FREISEN, notissimus Auctor praeclari operis *Geschichte des canonischen Eherechts.*

Attamen, in dicti operis praefatione ad 2^m^ editionem, anni 1893, hanc suam theoriam *retractat,* p. XXIII-XXVI, non quidem propter rationes historico-juridicas, quas

99. Nota. *Nota* 1. Confusione nititur argumentum ad quod, in favorem copulatheoriae, provocat WATKINS, o. c., p. 125-128, quasi, ex eo quod impotentia coeundi reddit matrimonium essentialiter nullum, sequeretur ipsum coitum ingredi matrimonii essentiam: ad essentiam matrimonii pertinet translatio *juris* in mutuum corpus, adeoque usus conjugalis *possibilitas*, non autem ipse usus vel juris exercitium. Cf. infrà, n. 155 et 562.

2. Matrimonium non consummatum, si est, juxta modò exposita, *essentialiter* perfectum, potest dici ex consummatione accipere *accidentalem quamdam perfectionem* cui connectitur, inter christianos, absoluta vinculi indissolubilitas. Cf. modò notata ad sententiam Freisen, coll. nota praecedenti numero inserta circa doctrinam Alexandri III.

3. Matrimonium igitur est contractus *merè consensualis*, non vero realis, ad quem constituendum requiratur, praeter consensum, traditio alicujus rei; realis autem foret si ad matrimonii essentialem constitutionem pertineret mutua praestatio corporis, in copula. Cf. Triebs, o. c., I, p. 28; CAPPELLO, o. c., n. 573.

---

potius sibi faventes ostendere conatur, p. XXVIII-XXXIV, sed quia fatetur eam non posse stare cum doctrina Ecclesiae et in specie cum doctrina Concilii Tridentini, licet non definita, circa naturam matrimonii ejusque rationem sacramentalem. Admittit proinde consensum facere nuptias, addit tamen matrimonio, per consensum quoad essentiam constituto, aliquam perfectionem accedere accidentalem seu potius integralem: « sie (die Copula) fügt der Ehe etwas Neues, wenn auch nicht Wesenliches, sondern integrirendes hinzu, und als dessen Folge die absolute Unauflöslichkeit... Zur essentia der Ehe und somit der Eheschliessung gehört der maritale consensus, zur integritas der Ehe und somit der Eheschliessung gehört aber auch die copula; mit dem maritalen consensus ist die essentia der Ehe gegeben, das Verhältnis ist Ehe, ist Sakrament, ist im wesentlichen unauflöslich; mit der copula ist die integritas der Ehe gegeben, das Verhältnis ist consummirt und absolut unauflöslich »: quod sanè dici potest, uti ex expositis liquet. In ipso corpore Tractatus adhuc propugnat thesim copulatheoriae; cf. p. 205-219.

In favorem copulatheoriae immeritò, uti vidimus (n. 95), provocabat FREISEN ad *jus Romanum*, quasi deductione in domum et copula matrimonium convaluerit; nec meliori jure, uti videtur, provocabat ad *Jus Judaïcum*, p. 92 ss., quasi matrimonium, post *Schidduchin* et *Kidduchin*, nonnisi *deductione in thalamum et copula* perfectum evaserit; provocat etiam ad antiquum jus Germanicum (p. 111-120).

Copulatheoriam etiam vindicat WATKINS, o. c., p. 112-135, eique favent alii quos citat SÄGMÜLLER, o. c., 4ª P., p. 529 s. Cf. etiam LOTTHÉ, o. c., p. 26 et 67, ubi quaedam dispositiones referuntur juris antiqui consuetudinarii in Flandria, quae dispositiones vestigia exhibent copulatheoriae, quatenus v. g., in quibusdam locis, puta Cortraci, uxor non erat obnoxia dominio mariti nisi post primam nuptiarum noctem transactam, supposita scil. matrimonii consummatione.

Huc etiam spectant varii usus medii aevi, in specie caeremonia *Beilager* nuncupata, quae diu est servata in celebratione nuptiarum inter magnates: sponsus nempe, assistentibus pluribus, ad torum conjugalem ascendebat cum sponsa, expanso super utroque sponso vestito lecti stragulo. Item in matrimoniis principum per procuratorem: procurator non tantum emittebat consensum, nomine sponsi mandantis, sed etiam torum conjugalem occupabat ipsius nomine, qua tori occupatione symbolice significaretur matrimonii consummatio nomine sponsi facta; procurator hanc caeremoniam adimplebat vestibus et armatura indutus, solis pede et brachio dextro nudatis, interposito inter ipsum et sponsam gladio nudo, uti contigit, anno 1477, pro matrimonio comitissae Flandriae, Mariae de Burgundia, cum Maximiliano. Cf. HANNAUER, o. c., p. 253-265, collatis suprà, n. 80, in nota, circa jus primae noctis.

Hujus copulatheoriae vestigium adesse videtur etiam in caeremonia, de qua infrà, sub n. 204, ad 9m, juxta quam solebant olim sponsi benedici a sacerdote in lecto jacentes vel super eo sedentes.

Quousque autem manserit Copulatheoria in jure matrimoniali *Protestantium*, vide apud SOHM, *Das Recht*, p. 208 s. et 240 s. Nimirum censet Sohm (item RÖDENBECK, o. c.) matrimonium, coram jure protestantico, consensu initiari dumtaxat, illudque compleri et perfici traditione reali et effectiva tanquam elemento essentiali: haec porro traditio, juxta ipsos, consistit in caeremonia religiosa qua a sacerdote traditur sponsa sponso, vel etiam, extraregulariter, in ipsa copula carnali.

PROPOSITIO SECUNDA. *Consensus debet mutuò praestari per actum voluntatis, inter personas jure habiles elicitum et legitimè manifestatum; atque ferri debet in traditionem et acceptationem juris exclusivi et perpetui in corpus, in ordine ad actus de se aptos ad generationem.* Can. 1081.

Explicatio.

100. Consensus debet esse : maritalis ;

Debet **1°** consensus esse *maritalis,* i. e. debet ferri in objectum contractus matrimonialis, suprà, n. 75, indicatum, adeoque in traditionem et acceptationem juris in corpus, in ordine ad actus de se aptos ad generationem.

Consensus ille implicitè continetur in voluntate ineundi societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos, et ad illum consensum matrimonialem non requiritur ut sponsi cognoscant naturam copulae ac intendant explicitè tradere jus ad illam; requiritur et sufficit ut sciant matrimonium esse descriptam societatem ad filiorum procreationem eamque intendant. Can. 1082, § 1, coll. infrà, n. 522[ter].

internus ;

Debet **2°** consensus, cum procedat a voluntate, esse *internus.* Quare externum consensum ficte praestans invalidè contrahit (1); in foro tamen externo, non facilè adhibetur fides fictum consensum praetextanti, sed, ad normam canonis 1086, § 1, « internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis »; imo, si constaret de fictione, posset cogi ad supplendum defectui, cum saepe hac tantùm ratione resarciri possint damna alteri parti illata. Cf. infrà, n. 533 (2).

101. deliberatus et liber ;

3° Debet, attenta gravitate materiae, esse *plenè deliberatus,* supposita scil. sufficienti discretione ac praevio maturo judicio, atque *liber.* — De vitiis contrariis agetur (remissive) sub articulo 2°.

mutuus ;

4° Debet esse *mutuus,* emissus scil. ab utraque parte, et quidem ita ut utriusque consensus simul consistat; quae tamen simultaneitas, pro natura contractus, non requiritur physica, sed *moralis*

(1) Matrimonii nullitas ex ficto consensu declarata est in Causa *Parisien.,* 7 Martii 1885 (A. S. S., XXIII, p. 14 ss.), ac in Causa *Massilien.,* 1 Julii 1911 (A. A. S., III, p. 525 ss.); in utroque casu licuit matrimonium esse celebratum a sponso, ut sibi sponsae dotem vel a matre pecuniam compararet, absque voluntate interna matrimonium ineundi.

(2) Sufficit, pro consensu matrimoniali, actus internus voluntatis, quin requiratur cordis affectus et animi inclinatio amorosa. In hoc igitur errat THANER, o. c., ubi docet quod non sufficiat consensus juridicus, sicut in aliis contractibus, sed consensus talis requiratur qui procedat ex inclinatione unius personae in determinatam personam notam et amatam, et vicissim. Unde ex una parte non agnoscit verum matrimonium inter personas mutuò ignotas, putà consensum emittentes per procuratorem vel per epistolam; ex alia parte censet id esse contra naturam matrimonii, quod irritetur matrimonium initum inter duas personas physicè ad invicem praesentes et mutuam inclinationem habentes ac personaliter consentientes, licet error intercesserit redundans in substantiam.

sufficit, quatenus, una parte consensum emittente, alterius consensus virtualiter perseveret. Si unus consensum revocaverit antequam alter illum dederit, non exsurgit matrimonium: quae revocatio in foro externo praesumitur, si alterius consensus diu differatur.

praestitus a personis jure habilibus ;

5° Debet praestari a personis *jure habilibus,* non obnoxiis scil. impedimento dirimenti juris naturalis, vel divini, vel juris humani, ab auctoritate competente statuti.

102. legitime manifestatus.

6° Debet esse *legitimè manifestatus.* Eo ipso scil. quod debet esse mutuus, requiritur ut sit externe *manifestatus* (1); debet autem manifestari *legitimè,* juxta modum scil. pro valore praescriptum, adeoque supposita mutua partium praesentia, sive per se sive per procuratorem (can. 1088, § 1), ac insuper servatis formalitatibus a jure naturali vel divino, vel a jure humano pro valore constitutis: de quibus mox infrà, sub articulo 3°.

ARTICULUS 2^s^. **De Defectibus consensus.**

102bis. Consensus matrimonialis variis modis vitiari potest.

Consensus matrimonialis admittere potest varios defectus, ipsum vitiantes aut irritantes, sive afficiant intellectum — et hic habemus defectum usus rationis et amentiam, ignorantiam et errorem — sive afficiant ipsum actum voluntatis, et hic habemus simulationem, necnon metum, libertati contrarium.

De variis hisce defectibus, attento ordine Codicis, hîc esset tractandum. Atvero, ne nimium disturbetur ordo in praecedentibus editionibus adoptatus, opportunum duximus lectorem remittere ad locum, quem tractatio de dictis defectibus hucusque occupabat, ad tomum scil. alterum, a n. 522^bis^ ad n. 542 inclusive. Cf. etiam infrà, n. 463.

Nota. De consensu conditionato, de quo etiam, sub eodem capite V, agit Codex, tractatur infrà, n. 151 ss.

ARTICULUS 3^s^. **De Formalitatibus consensus matrimonialis.**

Praenotanda.

103. Ex natura rei nulla observanda formalitas.

1° **Ex natura rei** sufficit consensus quomodocumque ad invicem manifestatus, sive verbis, sive nutibus, sive alio signo, nec ullius tertiae personae praesentia est opus. Inde ad valorem sufficeret ut uxor capitis inclinatione consensum manifestet, vel ultro manum

(1) Idem confirmatur ex ratione sacramenti, quam conjugali contractui inter fideles inito competere postea ostendetur, adeo ut constituat signum sacramentale sensibile. — Id non impedit quominus consensus olim manifestè emissus, sed ob defectum internum invalidus, interna consensus renovatione convalidetur (can. 1136, § 2).

porrigat ut annulum a viro accipiat, vel manum premat viri consensum exprimentis (1); satis etiam esset copula animo maritali peracta (2).

Non est dubium etiam de se validum esse matrimonium *per procuratorem,* modò mandatum acceperit speciale, ante nuptiarum celebrationem non revocatum; item matrimonium *per epistolam,* licet dubium esse posset quo momento contractus convalescat (3).

104. Formalitates ex jure canonico observandae :

2° **Ex jure positivo** observandae sunt, in matrimoniis *fidelium,* formalitates ab Ecclesia praescriptae; in matrimoniis vero *infidelium,* formalitates a Principe civili statutae (4).

Dispositiones *juris civilis* ad finem articuli remittituntur. Quod autem spectat dispositiones *juris canonici:*

ante Conc. Trident.;

Olim, *ante Concilium Tridentinum,* nulla forma erat praescripta *pro valore,* sed graviter prohibitae erant nuptiae clandestine, i. e. absque praesentia cognatorum vel notarii vel sacerdotis, celebrandae (5). Deinceps, *in Concilio Tridentino,* Sess. XXIV, c. 1, *De Ref. matr.,* inductum est *impedimentum irritans clandestinitatis,* quatenus inhabiles redditi sunt nupturientes ad legitimum matrimonium contrahendum « aliter quam praesente parocho (6), vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus »; ea tamen lege ut ab illo decreto irritante exempta existerent plura loca (7).

post Concilium Trident.;

---

(1) Dubitari posset utrum consensus sufficienter manifestetur in *silentio* filii coram parentibus pro ipso contrahentibus, et disputatur utrum praesumptio quam inde urget BONIFACIUS VIII, cap. unic., in VI°, IV, 2, in favorem existentiae sponsalium, applicetur matrimonio. Non posset igitur illa praesumptio matrimonio applicari nisi ex adjunctis clarè appareat consensum in dicto silentio sufficienter fuisse contentum. Cf. GASPARRI, o. c., n. 831; WERNZ, o. c., IV, n. 46.

(2) Sic olim copula, sponsalibus succedens, praesumebatur, praesumptione juris et de jure, importare consensum matrimonialem. Cf. suprà, n. 20.

(3) Cf. GASPARRI, o. c., n. 832, coll. n. 773 et 775; cf. infrà, n. 124.

(4) Cf. infrà, n. 409 ss., ubi ex professo ostendetur matrimonium in fieri et in facto esse obnoxium existere regimini societatis, ecclesiasticae respective vel civilis. Ibidem etiam, signanter n. 411 et 419, ostendetur sacramentalitatem matrimonii christiani non obstare quominus ab Ecclesia statuantur formalitates, in emittendo consensu conjugali pro valore observandae.

(5) Cf. c. 1-5, C. XXX, qu. 5; c. 3, X, IV, 3; BENED. XIV, *De Syn. dioeces.,* l. VIII, c. XIII, n. 3 ss.; CONC. TRID., *Sess.* XXIV, c. 1, *De Ref. Matr.; Votum* Defensoris matrimonii ad Decretum *Ne temere,* apud *Acta S. Sedis,* 1907, p. 542 s. Cf. etiam SCHULTE, o. c., p. 36-45; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 527 ss.

Jam a longo tempore, saeculis anterioribus, multoties, sub severibus etiam sanctionibus, prosecuta est Ecclesia publicitatem matrimonii celebrandi, tum in ipso celebrationis actu tum in ejusdem praeparatione, ope bannorum proclamationis (de qua suprà). Quibus conatibus et publicitati non raro hostiles existebant nupturientes ex exaggerato timore a maleficiis de quibus infrà, n. 192, in nota. Cf. *Rev. eccl. de Liège,* XVI, p. 333 ss.

(6) Quidquid sit de intentione Patrum Tridentinorum, certum est in hunc sensum semper intellectum fuisse caput *Tametsi,* quatenus ad valorem requireretur non parochus qualiscumque nec parochus loci, sed parochus *proprius,* excluso quocumque alio. Cf. *Votum* Consultoris ad Decretum *Ne temere,* apud *Acta S. Sedis,* 1907, p. 574 s.; *Votum* Defensoris matrimonii, *ibidem,* p. 545, coll. p. 554 ss., coll. BOUDINHON, *Ne temere,* n. 11-16.

(7) Circa fata capitis *Tametsi* coram Synodo Tridentina, cf. ESMEIN, o. c., II, p. 155-208.

105. post Decretum Ne temere;

Nuperrime, per celebre Decretum *Ne temere* (1), de quo jam suprà, vim habens inde a Dominica Resurrectionis anni 1908 (19 aprilis) (2), nova introducta est disciplina *exinceps observanda* (3). Quae disciplina non tantùm formalitates consensus praestandi immutavit (4), sed indolem moderavit decreti Tridentini: dum enim a Concilio Tridentino impedimentum clandestinitatis latum est *inhabilitando contrahentes* (5), sub disciplina Decreti *Ne temere* impedimentum coepit afficere ipsam *formam contractus;* et ideo hic, potius quam in tractatu de impedimentis, de formalitatibus agere praestat.

106. sub disciplina Codicis.

Tandem accessit *novus Codex,* in Libri III capite sexto, exhibens ultimas dispositiones juris circa formam celebrationis matrimonii, quibus dispositionibus magna ex parte confirmatur oeconomia introducta per decretum *Ne temere,* in quibusdam tamen mutationem accepit (6).

In *priori* paragrapho describentur formalitates, tam pro liceitate quam pro valore observandae (7), et in *altera* paragrapho exponetur quaenam matrimonia illis sint obnoxia.

Paragraphus Prima. *Formalitates observandae.*

Punctum I. Formalitates pro Valore (8).

Duae servandae sunt pro valore formalitates: *prior,* quae determinat personas coram quibus consensus est emittendus, earumque modum assistendi; *altera,* quae determinat praesentiam ipsorum nupturientium.

---

(1) Decretum *Ne temere* editum est quidem a S. C. C., potius tamen decretum est *Pontificium* quam decretum S. Congregationis, utpote approbatum a S. Pontifice *in forma specifica.* Cfr. noster *Commentarius in Decretum,* p. 9. *Acta* praevia Decreti exhibentur apud *Acta S. S.,* t. XL, p. 591 ss., coll. Boudinhon, o. c., n. 28 ss. Praecipuos commentarios habetis in elencho citatos.

(2) Exceptio est facta in gratiam Imperii Sinensis, pro quo, per litteras S. C. de P. F., datas die 29 Febr. 1908, prorogatio est concessa usque ad Pascha anni 1909 (11 Aprilis).

(3) Non habebat nova lex *vim retroactivam,* et ideo omnia matrimonia Paschati 1908 anteriora sunt dijudicanda juxta jus Tridentinum.

(4) Praecipua mutatio in eo fuit quod jam non exigatur, pro valore, parochus proprius, sed parochus loci (n. 108); etiam accuratius determinata sunt matrimonia legi obnoxia; et sic obviatum est duplici incommodo legis Tridentinae, quatenus scil. removerentur plurima dubia circa extensionem legis clandestinitatis et circa determinationem parochi proprii. Cf. in nota ad n. 108.

(5) Cf. Esmein, o. c., I, p. 78 ss.; II, p. 159 ss. Cf. etiam infrà, ubi de potestate statuendi impedimenta.

(6) Etiam in Codice agitur de clandestinitate ubi de forma celebrationis matrimonii; recensetur tamen clandestinitas inter impedimenta in indice ad calcem adnexo.

(7) Abstrahimus hic a caeremoniis *sacramentalibus,* de quibus infrà, n. 197 ss.: caeremoniae sacramentales determinant formam liturgicam matrimonii, dum formalitates, de quibus hic, constituunt *formam juridicam.*

(8) Formalitates pro valore observandae dicuntur *substantiales,* dum reliquae vocantur accidentales.

I. Prima formalitas.

107. Prima formalitas pro valore :

PROPOSITIO. *Matrimonium pro valore debet celebrari coram duobus saltem testibus et coram parocho seu Ordinario loci, in quo contractus nuptialis initur, vel sacerdote ab alterutro delegato, ea lege ut parochus seu Ordinarius ejusve delegatus, nec vi vel metu gravi constrictus, requirat excipiatque contrahentium consensum.*

Explicatio.

A. *Circa assistentiam* **Parochi** seu **Ordinarii:**

Regulariter requiritur praesentia

1° *Ordinarius* intelligitur, « nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex juris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine », quales sunt Vicarius capitularis vel legitimus administrator. Ita can. 198, § 1 (1).

1° *Ordinarii*

2° *Parochus* est « sacerdos (2) vel persona moralis (3) cui paroecia (can. 216, § 1) collata est in titulum (stabiliter) cum cura animarum, sub Ordinarii loci auctoritate exercenda » (4). Ita can. 451, § 1.

vel parochi

Parochis *aequiparantur* et parochorum nomine in jure veniunt a/ *quasi-parochi,* qui nempe regunt quasi-parochiam, i. e. partem Vicariatus apostolici vel Praefecturae apostolicae, cui parti peculiaris rector fuerit assignatus (can. 451, § 2, num. 1, coll. can. 216, § 3) (5); b/ *vicarii paroeciales,* plena potestate paroeciali praediti (can. 451, § 2, n. 2) (6).

---

(1) Juxta can. 198, § 1, etiam Ordinarius dicitur, pro suis subditis, Superior Major in religionibus clericalibus exemptis, puta Superior Provincialis Ordinis Fratrum Minorum; sed, attento eodem can. 198, § 2, non venit nomine *Ordinarii loci,* seu locorum, quemadmodum plerumque, et signanter hic, sumitur denominatio.

(2) Dicitur: *sacerdos;* quia, in praesenti disciplina, secus ac antea, « ut, quis in parochum *valide* assumatur, debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus ». Ita can. 453, § 1.

(3) Ita paroecia potest uniri domui religiosae, ecclesiae capitulari; sed tunc debet, juxta can. 471, § 1 et 4, constitui vicarius, ad quem exclusive pertinet tota animarum cura, cum omnibus parochorum juribus et obligationibus.

(4) Circa erectionem paraeciae, cf. decr. S. C. Consist., 1 Aug. 1919, apud *A. A. S.,* 1919, p. 346, coll. decr. ejusdem S. C., 13 Julii 1919, *ibidem,* p. 50.

(5) Cf. suprà, n. 45. — Circa hanc speciem personarum, quae hic veniunt nomine parochi, notat BESSON, *N. R. th.,* 1907, p. 616 s.: « Il faut se garder de confondre la *charge d'âmes,* qui donne qualité pour signer aux fiançailles et assister au mariage, avec tout autre mandat ecclésiastique ou religieux. Il arrive souvent, dans les missions, que plusieurs postes, ayant chacun un missionnaire à sa tête, sont réunis en district sous l'autorité d'un supérieur. Il ne s'en suit pas que ce supérieur puisse être témoin qualifié des fiançailles et du mariage dans tout ce territoire du district. Parfois en effet il n'aura pas reçu la charge spirituelle immédiate des fidèles, mais sa congrégation lui aura seulement donné autorité pour diriger la vie religieuse de ses confrères ».

(6) Cf. *Collat. Brug.,* t. XXII, p. 477 ss. — Quod spectat *militum capellanos,* sive majores sive minores, decernit can. 451, § 3, esse « standum peculiaribus S. Sedis praescriptis ». Cf. infrà, sub n. 108, in nota.

Tanquam hujusmodi vicarii *plena potestate paroeciali praediti* habendi sunt:

α/ Vicarius personae moralis, ille scil. cui a persona morali, puta a capitulo, committitur, ad tramites can. 471, cura actualis animarum, de quo vicario modò suprà, in nota.

β/ Vicarius oeconomus (cui correspondet apud nos deservitor), qui nempe paroeciam vacantem tempore vacationis regendam accepit ab Ordinario loci, juxta can. 472, n. 1 (1).

γ/ Vicarius substitutus, qui scil. locum tenet parochi ultra hebdomadam absentis, ab Ordinario loci probandus. Can. 465, § 4, coll. can. 474 (2).

δ/ Vicarius adjutor, qui nempe supplet, idque in omnibus, vicem parochi qui « ob mentis vitium... aliamve *permanentem* causam suis muniis obeundis impar evaserit ». Can. 475 (3).

ε/ Vicarius supplens, pro casu quo parochus repentina et gravi de
108. causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse (4).

loci, **3°** Ad assistendum matrimonio soli competentes sunt Ordinarius et parochus **loci** (dioeceseos respective et paroeciae), *intra cujus limites contractus initur.* Can. 1095, § 1, n. 2.

Nempe parochus vel Ordinarius, cujus praesentia ad nuptiarum valorem requiritur, sub praesenti disciplina, non jam est, quemadmodum ante Decretum *Ne temere* fuit (5), parochus seu Ordinarius proprius, sed est parochus seu Ordinarius *loci, intra cujus limites matrimonium celebratur:* adeo ut coram ipso (vel ejusdem delegato sacerdote, de quo infrà), eoque solo, validè contrahatur connubium tam non subditorum quam subditorum. In hoc habetur *cardo muta-*

(1) Cf. *N. R. th.,* XXI, p. 200 ss.; *Ami du Clergé,* 1921, p. 281; *Collat. Brug.,* 1923, p. 374 ss. — Juxta can. 472, n. 2, ante oeconomi constitutionem, regimen paroeciae vacantis interim assumat, nisi aliter provisum fuerit, vicarius cooperator, et quidem primus, si plures sint; si vicarii desint, parochus vicinior; hi autem debent, juxta n. 3, loci Ordinarium de paraeciae vacatione statim certiorem facere.

(2) *Collat. Brug.,* 1923, p. 408 ss. — Juxta can. 465, § 4, « si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet », ea tamen lege ut valide et licite assistere possit matrimonio ante approbationem Superioris religiosi; pro omnibus autem vicariis substitutis, sive religiosis sive saecularibus, requiritur pro valore et liceitate assistentiae approbatio Ordinarii. Ita *Pont. Com. pro can. interpretandis,* 14 Julii 1922, ad dubium V, n. 1, 2 et 3 (A. A. S., XIV, p. 527 s.). Cf. *N. R. th.,* 1924, p. 46 s.

(3) Aliter dicendum de *coadjutore* parochi curam suae parochiae actu exercentis; item de *vicario cooperatore,* de quo can. 476, § 1, qui datur in adjutorium parochi pariter munus suum obeuntis. Hujusmodi sacerdotes, in nostris regionibus, non aequiparantur parochis; imo censemus in Episcopi potestate non esse efficere ut hujusmodi sacerdotes sint quasi-parochi, in ordine ad assistentiam matrimonialem, nisi ipsis concedendo *plenam et a parocho independentem* curam animarum, quod esset mutare officium vicarii et constituere duos parochos. Non possunt vicarii, quousque tales manent, accipere nisi potestatem *delegatam,* ad assistentiam matrimonialem illos delegante Episcopo vel parocho. Cf. in hunc sensum *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1910, p. 593; CREAGH, o. c., p. 53 ss.; DE BECKER, *Ne temere,* p. 17 et 31, coll. infrà, n. 116. Aliter censent M. NICHOLAS, apud *Eccles. Review,* t. XXXVII, p. 143 s. et t. XXXIX, p. 36 s., coll. p. 438, ubi refert quosdam Episcopos vicarios ita constituisse quasi-parochos ad assistendum matrimoniis; item SCHULZE, l. c., 1910, p. 814; SCHAEPMAN, *Codex,* p. 60.

(4) Can. 465, § 5 (coll. can. 474): parochus in casu debet quamprimum monere Ordinarium, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem: qui sacerdos supplens, juxta solutionem datam ab eadem *Pont. Commiss.* l. c., ad dubium V, n. 4, potest licitè et valide matrimoniis assistere *ante approbationem Ordinarii,* « quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit ».

(5) Cf. suprà dicta circa interpretationem capitis *Tametsi.*

tionis factae in lege clandestinitatis, eum in finem introductae ut vitentur intricatae difficultates quae, sub disciplina Tridentina, frequenter exsurgebant (1).

Unde sequitur, quod sedulò notandum, parochum vel Ordinarium, secus ac sub disciplina Tridentina, *non posse,* salva delegatione de qua mox, *validè* matrimonio assistere *sui subditi, extra limites paroeciae suae vel respectivè dioeceseos; posse* vero, secus ac tunc, *valide* suam assistentiam praebere matrimonio extranei *non subditi,* modò celebretur *intra fines sui territorii* (2), seu dummodò ipse sit parochus seu Ordinarius loci in quo contractum iniri contingit (3).

---

(1) « Saepe namque, uti monetur in *Proaemio* Decreti *Ne temere,* gravis exstitit dubitatio in decernenda persona parochi, quo praesente matrimonium sit contrahendum. Statuit quidem canonica disciplina proprium parochum eum intelligi debere, cujus in paroecia domicilium sit aut quasi-domicilium alterutrius contrahentis. Verum, quia nonnunquam difficile est judicare certone constet de quasi-domicilio, haud pauca matrimonia fuerunt objecta periculo ne nulla essent; multa quoque, sive inscitia hominum sive fraude, illegitima prorsus atque irrita deprehensa sunt. Haec dudum deplorata eo crebrius accidere nostra aetate videmus, quo facilius ac celerius commeatus cum gentibus etiam disjunctissimis perficiuntur ».

(2) Non excipiuntur *ecclesiae regulares exemptae,* quae existimari possunt et valent « tanquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae, ad effectum assistentiae matrimonii ». S. C. de sacr., 12 Martii 1910, ad 8m.

(3) Competentiam parochi spectant nonnulla dubia coram S. C. C. proposita et soluta die 10 Febr. 1908, circa quasdam categorias speciales parochorum, quae parum obtinent in nostris regionibus. Et quidem

a/ Quoad parochos *stricte personales,* qui scil., quemadmodum capellani castrenses, nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, jurisdictionem directe exercent in personas aut familias, ita ut has personas sequantur quocumque se conferant: nihil est immutatum (ad 7m), adeoque possunt dicti parochi *suorum subditorum* matrimoniis *ubique* valide assistere. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 302 s.; *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1908, p. 730 ss. et 1910, p. 141 ss.; KNECHT, o. c., p. 67 ss.; DI PAULI, o. c., p. 85 ss.; SCHÄFER, o. c., p. 174 s. Non possent autem hujusmodi capellani castrenses *aliarum* personarum nuptiis assistere *in ecclesia propria militari,* quemadmodum id poterant sub jure ante-Piano: ad hoc indigerent delegatione parochi loci in quo ecclesia sita est. Cf. *Theologische Revue,* 1910, p. 221. Utrum autem subditi hujusmodi parochorum personalium, v. gr. capellanorum castrensium, coram his *tantùm et exclusivè* contrahere valeant, exclusa competentia parochi localis, disputatur. Cf. *Th. Pr. Quartalschr.,* 1913, p. 121 ss.; VLAMING, o. c., n. 566; LINNEBORN, o. c., p. 353 s., cum pluribus auctoribus ibidem citatis; praeplacet autem, donec contrarium authentice doceamur, sententia favens cumulativae competentiae, non obstante solutione, pro casu particulari, in oppositum sensum data, de qua mox infrà, sub c/. Supponitur capellanum castrensem, juxta loci statuta, plenam habere potestatem parochialem; quod non obtinet ubique. Et sic, in dioecesi Brugensi, capellano seu eleemosynario castrensi nonnisi ex delegatione competit negotia tractare matrimonialia. Nimirum delegatur ab Episcopo ad interrogandum et examinandum milites sui praesidii eorumque filios et filias, in ordine ad matrimonium contrahendum; « ut vero validè ac licitè eorum matrimonio assistat, ad normam juris ecclesiastici vigentis, requirenda et obtinenda erit, pro singulis casibus, delegatio sive Ordinarii loci sive pastoris parochiae in cujus territorio nuptiae sunt celebrandae, salva dispositione can. 1098 ».

b/ Parochi qui, territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent (quatenus v. gr. duo parochi curam habent incolarum ejusdem parochiae, ita ut uni cura incumbat incolarum talis nationalitatis, talis ritus, alteri incolarum talis nationalitatis vel ritus), valide assistunt omnium matrimoniis in territorio cumulative habito ,ad 8m). *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 303. Cf. SCHULZE, o. c., p. 814 s.; BOUDINHON, *Ne temere,* n. 55.

c/ Parochi qui, praeter territorium suum proprium, etiam in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habent, possunt etiam in hoc territorio nuptiis assistere suorum subditorum. Ita solutum sub 9o, facto verbo cum SSmo. *Collat. Brug.* t. XIII, p. 303 s. Utrum hujus parochi personalis subditi possent etiam validè et licitè celebrare matrimonium coram parocho territorii, insolutum id reliquit S. C. C., die 27 Julii 1908, ad 8m (*N. R. th.,* 1908, p. 729 ss.);

Nota Ordinarium et parochum validam assistentiam posse praebere *independenter ab invicem,* ita ut Ordinarius valide assistat, inscio aut invito parocho et vice-versa.

109. beneficium adepti nec censurati,

4° Ad hoc ut *validè* assistant requiritur a/ *ut adepti sint possessionem beneficii vel officium inierint,* et b/ *ut non fuerint per sententiam excommunicati vel interdicti vel ab officio suspensi, aut tales declarati.* Can. 1095, § 1, n. 1.

Non sufficit igitur quod Episcopus sit electus vel quod parochus sit ab Episcopo renuntiatus; oportet ut possessionem suae sedis sumpserit Episcopus, vel ut parochus paroeciae seu quasi-paroeciae administrationem ac officii sui curam in se susceperit; requiritur ut reliqui, qui officium obtinent sine beneficio, munus suum susceperint a momento quod in nominationis decreto determinatur.

Porro *Episcopi* residentiales canonicam dioecesis possessionem capiunt « simul ac in ipsa dioecesi vel per se vel per procuratorem apostolicas litteras Capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario capituli vel cancellario curiae, qui rem in acta referat ». Can. 334, § 3. Quod autem spectat *parochum:* « missio in beneficii possessionem fiat secundum modum jure peculiari praescriptum, vel legitima consuetudine receptum (1), nisi justa ex causa Ordinarius ab eo modo seu ritu expresse in scriptis dispensaverit; quo in casu haec dispensatio locum tenet captae possessionis » (2); potest etiam fieri possessionis captio per procuratorem a parocho speciale mandatum habentem (3). Vicarius Capitularis et Generalis non indigent ut possessionem capiant; sufficit quod a Capitulo eligatur prior, et alter ab Episcopo nominetur. Can. 438 et 366.

Ab ipsa die suscepti muneris habilis existit Ordinarius seu parochus ad valide matrimonio assistendum, et habilis manet quousque

---

in sensum autem negativum solvit, pro casu particulari et, ut videtur, per modum exceptionis et derogationis juri communi, in India (attentis peculiaribus adjunctis et facto verbo cum SS^mo), S. C. de Sacram., die 2 Junii 1910 (A. A. S., 1910, p. 447 ss.), collatis *Collat. Brug.*, t. XV, p. 432 ss. et BOUDINHON, o. c., n. 56 et 58^bis.

d/ Rectores piorum locorum, v. gr. nosocomii, a parochiali jurisdictione exemptorum, valent assistere matrimoniis personarum sibi creditarum, in loco ubi jurisdictionem exercent (ad 10^m), in supposito rursus quod plenam habent potestatem parochialem, quod apud nos non obtinet. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 304, coll. *Rev. eccl. de Metz*, 1908, p. 297 s.

Porro, circa dictos parochos minus stricte personales (sub b/ et c/) juvat notare in novo Codice inseri canonem sequentem 216, § 4, nimirum: « Non possunt sine speciali apostolico indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales; ad constitutas autem quod attinet, nihil innovandum, inconsulta apostolica Sede ».

(1) In dioecesi Brugensi solet illa possessionis captio fieri in primo accessu ad parochiam; in aliis dioecesibus fit potius in ipsa installatione sollemni. Cf. *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 73; *N. R. th.*, 1909, p. 488 ss.; LEITNER, *Ne temere*, p. 30 s.; FAHRNER, *Das Eherecht*, p. 25.

(2) Can. 1444, § 1. Potest igitur sufficere sola Ordinarii dispensatio ut parochus, sine ullo actu captae possessionis, habilis existat ad assistendum matrimonio.

(3) Can. 1445.

non amiserit beneficium aut officium (1) — quo casu *cessat* habilitas — aut non fuerit *per sententiam* condemnatoriam vel declaratoriam excommunicatus, aut ab officio (2) suspensus, aut interdictus (3): quo casu *suspenditur* habilitas seu competentia.

Hucusque non debebat parochus esse *sacerdos,* cum id in jure explicitè non requireretur, nec natura muneris obeundi id postulet, siquidem assistentia matrimonio non importat exercitium ordinis nec jurisdictionis (4); in novo vero Codice, can. 453, § 1, decernitur quod « ut quis in parochum validè assumatur, debet esse in sacro presbyteratus ordine constitutus ». Cf. suprà, n. 107, in nota.

Notetur quod, licet hîc a parocho non exerceatur proprie dicta jurisdictio, equidem applicari posse censetur dispositio can. 209, quatenus « in errore communi aut in dubio positivo et probabili sive juris sive facti » Ecclesia suppleat defectui competentiae ad assistendum matrimonio. Unde valide assistit parochus *putativus,* nec requiritur, uti olim plures Auctores requirebant, titulus coloratus, sed solus error communis (5) vel dubium probabile sufficit.

5° Quoad *modum assistendi,* haec duo servanda:

110. assistentis uti testis auctorizabilis,

a/ Debet parochus (vel Ordinarus) taliter assistere ut α/ censeatur

(1) Can. 183 ss.

(2) Dicitur: « ab *officio* suspensus »; et ideo ad inhabilitatem non requiritur suspensio a *beneficio,* qua parochus privatur jure fructus percipiendi; nec etiam haec sola suspensio a beneficio sufficit; non sufficit etiam suspensio ab ordine vel a divinis nec suspensio a jurisdictione, siquidem assistentia matrimonio non est actus ordinis nec actus jurisdictionis. Suspensio ab officio continetur in suspensione generali.

(3) Sub disciplina Tridentina passim admittebatur validè assistere parochum excommunicatum, etiam vitandum, necnon suspensum; excludebatur vero publicè haereticus, idque etiam, juxta plures, ante sententiam declaratoriam: de quibus Cf. WERNZ, o. c., IV, n. 617, nota 184; ROSSET, o. c., n. 2208. Disciplina autem *Ne temere* partim strictior fuit, rejiciendo parochum publico decreto nominatim ab officio suspensum vel excommunicatum; partim benignior, cum admittere videretur haereticos, nisi ex hoc capite fuerint, per sententiam judicis, notorie et nominatim excommunicati vel publicè suspensi. Cf. hic, apud *N. R. th.,* 1910, p. 465, casum practicum de parocho qui, in Gallia, praepositus esset coetui (association cultuelle) a S. Sede reprobato. — Circa *suspensionem* ejusque praecipuas species cf. DOLHAGARAY, *Questions ecclésiastiques,* 1914, p. 385 ss., notatim p. 390 ss.

Tandem nova disciplina Codicis extendit exclusionem Decreti *Ne temere* ad illos qui fuerint sententia condemnatoria vel declaratoria *interdicti;* non jam requiritur etiam publicitas sententiae, quae sane rarò deerit.

(4) Cf. mox infrà, n. 110; HARING, *Ne temere,* p. 13; coll. WERNZ, o. c., IV, n. 176, et FEYE, *De Imped.,* n. 285, quo loco occurritur difficultati eruendae ex tenore Concilii Tridentini, quatenus dicitur « praesente parocho, vel *alio* sacerdote »; qui idem tenor inseritur in Decreto *Ne temere.*

(5) An et quousque ad *errorem communem* satis sit adjuncta esse talia ut multi necessariò in errorem ducantur, quin jam de facto error existat penes multos, a. v., utrum sufficiat error virtualiter communis, an verò requiratur error actualiter communis, cf. CAPPELLO, o. c., n. 665; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I, n. 284; *Ami du clergé,* 1925, p. 97 ss., et p. 628 s.; JOMBART, apud *N. R. th.,* 1923, p. 173 s., coll. *ibidem,* p. 363 ss. et 536 ss.; COULY, apud *Le Canoniste,* 1925, p. 450 ss., in specie p. 456 s., qui Auctores aperte favent sententiae sufficientiae erroris virtualiter communis.

moraliter praesens et non physice tantùm; utque β/ adhibeatur tanquam testis isque auctorizabilis.

Ratione α/, non sufficit parochum adesse, momento quo consensus emittitur, merè materialiter, puta dormientem vel ad alia prorsus distractum; oportet ut intelligat matrimonium coram se contrahi, contrahentium verba audiendo aut signa percipiendo quae mutuum utriusque nupturientis consensum significant. Ratione β/, opus est ut, in modo agendi nupturientium, saltem implicitè appareat ipsos velle matrimonium inire coram illo, idque qua teste auctorizabili (1).

III. ac consensum exquirentis,

b/ Parochus vel Ordinarius non assistunt validè, nisi « *neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum* ». Nimirum

α/ Sub disciplina Tridentina, sufficiebat, juxta communem doctrinam, mera *passiva* assistentia parochi, qua testis auctorizabilis, quatenus nullum actum poneret, sed mere assisteret, ita ut, juxta modò dicta, intelligeret ac testari valeret consensum coram ipso praestitum; ac imo valida reputabatur assistentia quando parochus non intellexerat, sed ideo non intellexerat quia affectaverat non intelligere (2).

Inde a Decreto *Ne temere* requiritur *positivus actus* ex parte parochi, ac opus est ut exquirat consensum, eumque rite percipiat (3): quae dispositio sancitur canone 1095, § 1, n. 3.

112. nec metu coacti;

β/ Ante Decretum *Ne temere* non officiebat valori assistentiae quod parochus *metu vel vi* ad assistendum fuerit coactus; haec autem hypothesis deinceps fuit exclusa et exclusa manet sub disciplina Codicis, hypothesis scil. metus incussi, intellige, gravis, quo dato, invalida foret assistentia (4).

---

(1) Ita non valeret matrimonium initum coram syndico et duobus testibus, inter quos assumeretur parochus tanquam testis vulgaris. Cf. *Rev. du cl. fr.*, t. LIV, p. 209 s.

(2) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 468 ss.

(3) Hujus moderationis ratio erit habenda a parocho in assistentia quam praestat matrimoniis *mixtis;* de quibus cf. infrà, n. 512, quo loco memorabitur derogatio huic dispositioni Decreti *Ne temere* allata per decr. C. S. O., 21 Junii 1912 et 5 Aug. 1916, quatenus in quibusdam locis et adjunctis permittebatur assistentia merè passiva: quam derogationem per Codicem abrogatam declaravit C. S. O., 26 Nov. 1919, cujus declarationis tenorem exhibet *Th. pr. Quartalschr.*, 1921, p. 249.

(4) Can. 1095, § 1, n. 3. — WOUTERS, o. c., p. 19; VLAMING, o. c., n. 577, et BESSON, *N. R. th.*, t. XL, p. 34, contra DE BECKER, *Legislatio Nova*, p. 26 s., docent metum gravem, licet justus sit in se et quoad modum illum incutiendi, impedire validitatem assistentiae; nulla enim in tenore occurrit distinctio inter metum justum et metum injustum. « Excipe tamen, sic WOUTERS, l. c., metum justum incussum, *qui versatur intra sphæram seu in linea ipsius legis*, quique ad ipsam legem tuendam ordinatur. Hinc valet assistentia praestita, sive quia Episcopus parochum invitum per poenas ad debitam assistentiam cogit, sive quia nupturientes minantur se parochum, qui injuste assistentiam denegat, esse denuntiaturos Ordinario ». Cf. VAN DEN ACKER, o. c., p. 34 s.; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, II, n. 394, ubi notant *dolum* absque vi et metu adhibitum non nocere valori: si v. gr. parochus assistit a nupturientibus deceptus circa locum domicilii aut commorationis.

113. mutatio in Codice admissa;

Nota. Decretum *Ne temere* exigebat, in hoc mutans disciplinam anteriorem, ut Ordinarius seu parochus fuerit ad assistendum *invitatus aut rogatus*, saltem implicitè; hanc autem moderationem inductam sustulit novus Codex, nisi dicatur invitationem implicitam contineri in ipso facto quod sponsi praestent consensum intra manus parochi exquirentis.

Quo non obstante, manet, vix non eadem efficacia ac sub disciplina *Ne temere*, praeclusus aditus matrimoniis sic dictis « par surprise » ou « à la Gaulmine » (1), ita ut etiam nunc locus non sit dubiis ex hoc capite olim nonnunquam ortis (2), neque aliis incommodis (3). Ad hoc nempe sufficit dispositio de qua sub *a/.*

B. *Circa assistentiam* **sacerdotis delegati**.

114. vel sacerdotis delegati,

Potest Ordinarius vel parochus, ad validè assistendum competens (4), *delegare* seu sibi alium substituere ad assistendum matrimonio (5). Can. 1095, § 2. — Hic etiam valet observatio, sub fine n. 108 facta, quatenus Ordinarius et parochus competentes delegationem valide concedere possunt *independenter ab invicem.*

Quod autem potest parochus, id idem valent omnes qui, ad normam dictorum sub n. 107, aequiparantur parochis et qua tales jus habent assistendi matrimoniis, signanter vicarii paroeciales, plena potestate paroeciali praediti : nimirum, praeter vicarium cui a capitulo, sibi paroeciam pleno jure unitam habenti, committitur animarum cura, vicarius oeconomus (6) necnon vicarius substitutus (7),

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 470. *Exceptio* esset facienda pro casu extraordinario, quo, juxta infrà dicenda, valeret matrimonium celebratum coram duobus dumtaxat testibus: horum namque assistentiam non afficit praesens juris dispositio.

(2) Cf. causam solutam coram S. Rota, die 28 Maii 1909, apud *Canon. Cont.*, 1909, p. 587 ss.; spectat matrimonium initum anno 1897.

(3) Sic non rarò ad hujusmodi processum recurrebant sponsi qui volebant inire matrimonium mixtum, pro quo dispensationem obtinere non poterant.

Detrahebatur etiam « dignitati sacramenti et parochorum, qui contra necessariam assistentiam, insidiosè aut violenter obtentam, antiquo jure non erant satis protecti ». Ita Consultor S. C. C., apud *Acta S. Sedis*, t. 41, p. 278. Cf. BÖCKENHOFF, *Ne temere*, l. c., p. 559, ubi refert a quodam parocho, coram quo invito contrahere volebant sponsi, velamen fuisse rejectum super caput sponsae, quando haec in eo erat ut consensum emitteret.

(4) Ita non potest parochus *delegare* nisi a die adepti beneficii; id etiam non posset, ut videtur, quousque est per sententiam excommunicatus aut suspensus aut interdictus: quod alterum tamen negant quidam, non obstante tenore canonis 1095, § 2 (parochus et Ordinarius qui matrimonio possunt validè assistere...), qui manifeste favet sententiae propositae. Cf. VAN DEN ACKER, o. c., p. 58 s.; OJETTI, *Jus Pianum*, n. 103; WOUTERS, o. c., p. 23.

(5) Dicitur: *delegare*, licet stricte dicta delegatio non sit, cum non habeatur jurisdictionis transmissio (suprà, n. 109) — et sic quae canone 1094 vocatur delegatio, can. 1095 et 1096, nuncupatur licentia. Retinemus tamen vocem delegationis, tum ut distinguatur a mera licentia, de qua in canone 1097, § 1, num. 3, tum quia passim sequitur normas proprie dictae delegationis, quod spectat ejus exercitium ac communicationem (can. 196 ss.).

(6) *Commissio Pont. pro Cod. interpr.*, 20 Maii 1923 (A. A. S., 1924, p. 114 s., ad V, n. 1).

(7) *Ibidem*, n. 2 et n. 3. Nimirum ex n. 2 supponitur jam accessisse Ordinarii approbbationem et nullam appositam ab eo limitationem; sub n. 3, respondetur vicarium substitutum parochi *religiosi* id posse etiam « ante approbationem superioris religiosi », quae approbatio, ad tramites can. 465, § 4, impetranda praescribitur.

de quibus suprà, sub n. 107; item vicarius adjutor, de quo ibidem, vices scil. supplens parochi suo muneri exercendo imparis, modò, ad tramites can. 475, § 2, « in omnibus suppleat parochi vicem », et non ex parte dumtaxat (1); item vicarius supplens, de quo ibidem, « quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio sacerdotis supplentis, aliter non statuerit » (2).

Ad hoc autem ut hujus delegati assistentia valida sit, serventur oportet conditiones pro *delegationis* simul et *assistentiae* valore praescriptae.

115. cujus delegatio

1° Conditiones pro **valore delegationis,** attentis novi et pristini juris dispositionibus (3), sunt:

a/ *debet restringi ad territorium,*

a/ ut delegatio non excedat limites competentiae ipsius delegantis, ut proinde restringatur ad assistendum *intra limites territorii delegantis.* Can. 1095, § 2.

b/ *fieri sacerdoti determinato,*

b/ ut fiat *sacerdoti,* eique *certo* ac *determinato.* Can. 1096, § 1. Unde invalida foret delegatio facta non sacerdoti, vel data indeterminato modo, delegando unum ex vicariis indeterminate, vel sacerdotem quem sponsi sint electuri, vel sacerdotem religiosum quem Superior sit missurus (4): debet esse sacerdos determinatus sive nominatim, sive ratione officii, sive alio modo, puta ratione prioritatis in accepto munere. Non autem refert quod delegatio concedatur sacerdoti immediatè vel mediantibus determinatis sponsis, ipsis permittendo ut coram tali determinato sacerdote contrahant; validè etiam delegantur plures sacerdotes, puta vicarii, simultanee, licet fortè hujusmodi praxis minus congruere videatur tenori can. 1096, § 1, singularem numerum adhibenti.

---

(1) *Ibidem,* n. 5.

(2) *Ibidem,* n. 4. — Sub n. 6, quaestio est de vicario cooperatore, de cujus incompetentia ad delegandum non potest esse dubium in nostris regionibus. Cf. suprà, n. 107, in nota.

(3) Mutatio in Decreto *Ne temere* introducta haec duo spectat: quod requiratur delegatio sacerdotis *certi ac determinati,* et quod delegatio *restringatur ad territorium delegantis:* quibus exceptis, nihil esse immutatum quoad delegationem decrevit S. C. C., 27 Julii 1908, ad 4^m. Hanc duplicem moderationem retinuit novus Codex, ac tertiam et quartam addidit, exigendo quod delegatio regulariter limitetur ad *matrimonium determinatum,* necnon quod delegatio detur *expressè.*

(4) Ita si parochus, solus curam habens parochiae, occasione absentiae, rogat a superiore religioso sacerdotem religiosum, quem eligendum et mittendum delegat ad assistendum matrimonio determinato celebrando. Quod fuit authentice declaratum a *Commiss. Pont. pro interpr. Cod.,* 20 Maii 1923, ad VI (A. A. S., 1924, p. 115). Cf. hîc casum propositum apud *N. R. th.,* 1924, p. 372, coll. *Ephem. Theol. Lovan.,* 1924, p. 561.

Ad hoc ut valida esset delegatio, in casu, oporteret ut religiosus ad parochiam mittendus jam fuerit a superiore designatus momento quo a parocho delegatio concedi contingebat. Nec solutio esset in delegatione a parocho danda superiori *cum potestate subdelegandi,* siquidem obstat communicatio facta a VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 795, circa mentem S. C. de sacr., quam dicit se nosse talem « ut determinatio sacerdotis assistentis ab ipso delegante facienda videatur ». Cf. infrà, n. 119; cf. etiam, in oppositum sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 538, nota 41.

116.
c/ *ad matrimonium determinatum,*

c/ ut fiat « *ad matrimonium determinatum* », vel ad plura matrimonia determinata, exclusis, sub poena nullitatis, delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt. Can. 1096, § 1.

Unde invalida foret delegatio indeterminatim data, puta pro matrimoniis tali hebdomada occursuris, vel concessa generaliter, nisi agatur de *vicario* (1), cui dari potest delegatio generalis, sed tantum pro paroecia cui addictus existit (2). Cf. resp. S. C. de Sacr. 21 Julii 1919 (3).

117.
d/ *expresse concedi*

d/ ut delegatio fuerit *vere concessa*, et quidem *expresse* data, exclusa, sub poena nullitatis, delegatione interpretativa vel praesumpta (4). Can. 1096, § 1.

Delegatio expresse data non est confundenda cum delegatione explicitis verbis concessa : id sane non exigitur ac sufficit ut concessio positivo actu facta quoquo modo, etiam signo, innotescat. Expressa delegatio opponitur praesumptae seu interpretativae, vel etiam tacitae ; explicita opponitur implicitae (5).

---

(1) Attendat igitur parochus qui non habet vicarium cooperatorem : si debet esse absens per aliquot dies, non potest sibi substituere delegatum nisi ad matrimonium determinatum. Cf. KNECHT, o. c., p. 140 s.; *N. R. th.*, 1921, p. 144 s. — Posset etiam in casu recurrere parochus ad Ordinarium, cui proponat *vicarium substitutum*, ab eo probandum, vel *vicarium supplentem*, monito quamprimum Ordinario : quem utrumque vicarium, suprà n. 107, vidimus parocho aequiparandum, adeoque, positis ponendis, potestate ordinaria munitum. Cf. *Le Canoniste*, 1925, p. 415 ss. — In specialibus adjunctis potest etiam a S. Sede impetrari indultum, quo determinatus parochus alium sacerdotem non cooperatorem delegare valeat *ad instar cooperatorum*. Cf. *Th. Pr. Quartalschr.*, 1923, p. 688 s.

Juxta Instr. S. C. de P. F., 25 Julii 1920 (A. A. S., XII, p. 331), ad 7, in Vicariatibus vel Praefecturis ubi quasi-paroeciae nondum erectae sunt, « missionarii censendi sunt cooperatores Vicarii vel Praefecti Apostolici, atque proinde cum licentia generali ab Ordinario concessa validè et licitè assistunt matrimoniis ».

(2) Hanc dispositionem in memoriam revocat et urget decr., 273 Conc. Mechlin. quarti. — Nota quod ex ipsa dspositione can. 1096, § 1, eruitur in munere vicarii cooperatoris non contineri competentiam ad assistendum matrimonio. Cf. suprà, n. 107.

(3) Hoc responsum spectat quaestionem positam circa plurima matrimonia, sub bello, in Gallia, a militibus Belgis contracta coram capellanis militum aut capellanis fugitivorum, qui ab Ordinariis respectivis Galliae delegationem generalem acceperant exercendi in gratiam Belgarum officia parochialia, signanter quoad assistentiam matrimoniis.

Nimirum S. Congregatio ita rescripsit : « Quod attinet ad matrimonia quae milites Belgae contraxerunt, usque ad hodiernam diem, in Gallia, cum mulieribus sive Belgis, sive Gallicis, coram capellanis castrensibus Belgis, ex praehabita tantummodò generali delegatione, haec S. Congr., attentis peculiaribus circumstantiis, praefata matrimonia, dummodo sponsorum consensus perseveret, et nullum aliud obstet impedimentum a quo S. Sedes non dispensat, *in radice sanat et convalidat*, et prolem jam susceptam legitimam nunciat et declarat.

Praesens autem rescriptum in Archivio Vicariatus castrensis diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimoniorum validitate et de prolis legitimitate constare possit. In futurum vero standum est conditionibus pro valida delegatione requisitis a canone 1906, § 1, Cod. I. C. ».

Ex quibus confirmatur in toto vigore servari dispositionem can. 1096, § 1, qua excluditur, sub poena nullitatis, delegatio generalis, sive a parocho sive ab Ordinario danda sacerdoti non cooperatori. Rejicitur etiam tanquam inefficax effugium in hac causa quaesitum, quasi dicti capellani, vi delegationis, ante introductum Codicem acceptae, ad officia parochialia, aequivalenter constituti fuerint parochi personales, de quibus in can. 216, § 4, et hic supra, sub n. 108, in nota.

(4) Ita non sufficeret quod certe delegationem concessisset parochus, si fuisset petita aut si casum attendisset.

(5) Eo igitur quod requiratur delegatio *expressa*, ideo non excluditur, sub poena

et esse acceptata, e/ ut fuerit *acceptata,* saltem pro casu quo delegatio, aliter quam per statutum generale, datur sacerdoti qui delegantis non sit subditus (1); utque non fuerit vitiata errore, sive circa personam delegati, sive circa personam contrahentium (2). Satis autem est quod implicitè fuerit acceptata : quae implicita acceptatio vix non semper continetur in ipsa assistentia praestita, quippe quae nunc activa postulatur (3) ; adest etiam implicita acceptatio in eo pro quo petita est delegatio, ipso illam sollicitante aut saltem ipso conscio, licet ipsi delegationis concessio non fuerit intimata. Cf. hic GENICOT-SALSMANS, *Casus Conscientiae,* 1925, casus 980.

nec extincta. f) ut non fuerit *extincta* potestas delegata. Porro, ad tramites can. 207, § 1, « potestas delegata extinguitur, expleto mandato ; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit ; cessante causa finali delegationis ; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renunciatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata ; non autem resoluto jure delegantis », nisi agatur de potestate alicui facta « concedendi gratiam peculiaribus personis (in actu delegationis) expressis et res adhuc sit integra » (4).

---

nullitatis, delegatio *implicita;* excludi autem videtur *merè tacita,* sic scil. intellecta ut nullo actu positivo nitatur, sed sola contradictionis absentia, attentis quibusdam adjunctis, puta si parochus videat assistere sacerdotem quem novit incompetentem et taceat.

Hucusque censebatur sufficere delegatio tacita. Cf. Causam *Mediolanen.,* 15 Febr. 1910, apud A. A. S., II, p. 206 ss.; Causam *Parisien.* 9 Julii 1918, A. A. S., 1919, p. 154 ss.; decr. S. C. de sacr., 12 Martii 1910, ad 6^m^, coll. *Collat. Brug.,* t. XV, p. 316 s.: quo loco jam monebamus, ad tramites dicti decreti, pro norma esse habendum, ante factum, ut non praebeatur assistentia, nisi praeviè obtenta delegatione *expressa,* omne dubium excludente. — Etiam praestat delegatio *scripta,* saltem ubi agitur de sacerdote extraneo, vel per intermediam personam delegando. Cf. etiam *Collat. Gandav.,* II, p. 193; *Instr. du Vicar. de Rome,* l. c., p. 614; *Instr. pastor. Eystetten.,* n. 488; WOUTERS o. c., p. 24; *Theol. Prakt. Quartalschr.,* 1923, p. 488 ss.; nullatenus tamen requiritur ad valorem, ac certò valet delegatio oraliter, etiam mediante telephonio, data.

(1) Cf. Causam *Divionen.,* 20 Jan. 1911 (A. A. S., III, p. 284 ss.), ubi quaestio circa acceptationis necessitatem, adeoque circa valorem assistentiae sacerdotis delegationem ignorantis, egregie proponitur et dubia declaratur, ita ut causa, si occurrat, non sit solvenda sine recursu ad S. Sedem. Cf. *N. R. th.,* 1911, p. 664 ss.; VLAMING, o. c., n, 573; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 538, nota 46.

(2) Ita si parochus, nolens alicujus matrimonio assistere vel ad hoc delegare, equidem licentiam daret, falso nomine oblato deceptus. DE BECKER, *De matr.,* p. 106. — Non obstaret delegationem esse per vim vel metum extortam. Cf. WERNZ-VIDAL. o. c., n. 538, sub 7°.

(3) Cf. tamen casum relatum apud *Th. Pr. Quartalschr.,* 1911, p. 125 ss., ubi exhibetur casus parochi delegationem obtinentis a parocho competente, sed erroneè reputantis sese illa non indigere et ideo eam non curantis et equidem assistentis quasi jure proprio: assistentia, in casu, foret invalida.

(4) Can 61. Jus delegantis resolvitur per mortem, per officii dimissionem vel translationem. In illis autem casibus *non cessat* potestas ab ipso delegata si res jam non est integra, i. e. si jam positus est primus actus qui refertur ad causam ad quam delegatio est data; vel, re integra, si delegatio data est ad universalitatem causarum, aut etiam, uti videtur, si agitur de delegatione cum mandato exequendi: in hoc enim casu delegatus est potius executor mandati quam potestatis detentor. — Cf. *Collat, Brug.,* VII, p. 264 ss. Caeterum, in dioecesi Brugensi, casui dimissionis aut translationis officii providetur speciali statuto: « Parochus ad alium locum nominatus vel officio renuntians, ex delegatione nostra jurisdictionem pastoralem in parochia unde transfertur conservabit, donec a successore fuerit monitus quod hic administrationem parochiae in se suscipit ». *Liber manualis,* p. 163.

De caetero applicanda sunt hic *principia generalia* in materia delegationis jurisdictionis :

118. Locus datur suppletioni Ecclesiae,

Ita locus esse potest *suppletioni Ecclesiae*, quatenus valida sit assistentia praestita a sacerdote, qui errore communi reputatur delegatus, aut cujus delegationi favet dubium positivum et probabile, sive juris sive facti. Can. 209 (1).

119. et, positis ponendis, subdelegationi.

Quod spectat potestatem *subdelegandi*, attendendus est can. 199. Nimirum, juxta § 2, delegatus *a S. Sede*, seu, uti dicitur, a Principe, subdelegare potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita ; delegatio *ab alio*, inferiore potestate ordinaria munito, data, si concessa fuit ad universalitatem causarum (2), potest subdelegari, sed in singulis casibus dumtaxat (3) ; « in aliis casibus potestas jurisdictionis delegata subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta » (4). — Nulla autem « subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expressè concessum fuerit » (5).

120. Nota practica.

Nota a/ Facultas quam vicarii accipiunt ab Episcopo administrandi sacramenta non importat, apud nos, delegationem ad assistendum matrimoniis (6). Opportunum autem esse posset ut parochi illam

---

(1) Cf. suprà, in fine n. 109.

(2) REIFFENSTUEL, o. c., L. I, tit. 29, n. 31. Ad hoc ut quis delegetur ad universalitatem causarum matrimonialium, censemus non sufficere delegationem ad *assistendum* omnibus matrimoniis, sed requiri delegationem ad tractandas *omnes causas matrimoniales*, ad examinandos scil. sponsos, ad proclamationes bannorum et ad alia similia negotia occasione nuptiarum a parocho praestanda. Cf. GASPARRI, o. c., n. 945; *Rev. eccl. de Metz*, 1910, p. 140 ss., et prae caeteris KISELSTEIN, *Ephem. theol. Lovan.*, I, p. 191 ss., ubi conclusio ex disputatis eruitur rem esse dubiam, adeoque posse, positis ponendis, recurri ad applicationem can. 209, circa Ecclesiae suppletionem, pro casu quo subdelegatio fuit data a vicario cooperatore, ad solam assistentiam matrimoniis universim delegato. Cui conclusioni nolumus contradicere, quantumvis theoretice adhaerentes sententiae contrariae, juxta modò dicta.

(3) Can. 199, § 3. Cf. REIFFENSTUEL, l. c., n. 55.; coll. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, o. c., n. 105; GENNARI-BOUDINHON, o. c., 2ª P., consult. 64, n. 5.

(4) Can. 199, § 4, ubi additur: « Articulum aliquem *non jurisdictionalem* etiam sine expressa commissione judices delegati possunt subdelegare ».

Utrum autem expressa subdelegandi potestas concedi posset sacerdoti determinato (non vicario cooperatori) in ordine ad determinatum matrimonium delegato, ita ut possit alium determinatum sacerdotem sibi substituere: id negat VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n. 795, uti modò notavimus sub n. 115, provocans ad sibi notam mentem S. C. de sacr., juxta quam « determinatio sacerdotis assistentis ab ipso delegante facienda videtur ». — Non est dubium vicariis cooperatoribus, generali delegatione ad assistendum matrimoniis munitis, posse expressè dari facultatem subdelegandi.

(5) Can. 199, § 5.

(6) Contrà, in plerisque dioecesibus Galliae, conceditur haec delegatio in ipsa concessione muneris vicepastoris ab Episcopo, sub conditione quod parochus non contradicat. Cf. *L'Ami du Clergé*, 1913, p. 416. Simile statutum edixit Episcopus Eystettensis: « Ne obveniant dubia in hac re maximi momenti, volumus ut deinceps expositi, cooperatores vel capellani, qui per vicariatum nostrum generalem pro aliqua parochia ad exercendam curam animarum admittuntur, hoc ipso decreto admissionis, et pro hac tantum parochia, habeant facultatem ipsis a Nobis concessam assistendi matrimoniis, ita tamen ut non liceat inscio parocho sine justa causa alium sacerdotem subdelegare, et ut parochus iis possit pro aliquo casu particulari hanc facultatem subtrahere. Subtractio facultatis fieri debet expressis et indubiis verbis cooperatori vel capellano personaliter vel scripto intimandis ». *Instr. pastor. Eystetten.*, n. 488.

delegationem, eamque ad universalitatem causarum matrimonialium, adeoque cum potestate subdelegandi in casu particulari, concedant suis vicepastoribus, pro tempore absentiae, quemadmodum expresse permittitur in canone 1096, § 1, idque faciendum suadet Episcopus Metensis, apud *Rev. eccl. de Metz*, 1908, p. 302. Cf. LEITNER, *Ne temere*, p. 47, ubi eamdem dispositionem refert pro dioecesi Passaviensi et Limburgensi; cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 310; t. IV, p. 116 s.(1), coll. suprà, n. 115.

121. Disciplina Tridentina.

b/ *Sub disciplina Tridentina,* matrimonia, in magnis civitatibus praesertim, saepius exponebantur periculo nullitatis, ex eo quod nupturientes, recenter mutato domicilio vel quasi-domicilio ab una parochia ad alteram, nuberent coram parocho non suo. Ad quod periculum removendum recurrebant parochi vel Ordinarii, quibusdam in locis, ad generalem et mutuam delegationem parochorum ejusdem civitatis.

Quam normam S. C. C., consulta, per decretum 9 Nov. 1898, probavit, nonnullis propositis cautelis observandis, quae enumerantur apud *Collat. Brug.*, t. IV, p. 244 ss., cum tenore decreti 1898, collato etiam t. V, p. 308, et t. XIII, p. 66, cum ll. cc.

Porro, ad tramites dicti decreti anni 1898, Episcopus Brugensis, in Congr. Prosyn. anni 1898 (*Collat Brug.*, t. IV, p. 377 s.), concessit « parochis cujusvis loci dioeceseos, in quo duae pluresve paroeciae sedem habent, ut ipsi (vel sacerdos ab eis commissus) assistere valeant matrimonio eorum, quos, praevia instructione facta, ad proclamationes admiserunt, etsi postea hi parochiam suam dereliquerint, nisi forte in dioecesim alienam abiverint ».

Jamvero huic dispositioni inde a Decreto *Ne temere* non est jam locus, cum, ex una parte, sub nova disciplina valeat assistentia a *quocumque* parocho praestita matrimonio *cujuscumque* nupturientis, intra territorii respectivi limites celebrando, et ex alia parte statutum Episcopi spectet *solum valorem* assistentiae, uti ostendimus apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 309.

122. Conditiones assistentiae ex parte delegati.

2° Conditiones pro **valore assistentiae** ex parte delegati: Juxta artic. VI Decreti *Ne temere,* debet, ut validè assistat, servare « limites mandati et regulas pro parocho et loci Ordinario articulo IV... statutas »; quod servandum videtur sub disciplina Codicis, licet id expresse non requirat. Oportet proinde ut non fuerit per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam excommunicatus vel interdictus vel ab officio suspensus (2), utque, sepositis vi et gravi metu (3),

(1) Non improbat etiam S. Sedes morem, in quibusdam locis acceptum, ut parochus munus suum matrimoniis assistendi *habitualiter* deferat in alium rite delegatum, quem ad hoc officium sibi substituat: circa hoc interrogata S. C. de Sacr., die 15 Martii 1910, ad 6m, retinendum morem tacite concedit, in quantum jus particulare non contradicat.

(2) Cf. tamen in sensum contrarium: WOUTERS, o. c., p. 25; SCHAEPMAN, *Codex*, p. 62; VLAMING, o. c., n. 573.

(3) Metus gravis nocet valori assistentiae delegati, in quantum scil. hanc assistentiam metus afficit; non refert quod delegans sub influxu metus gravis licentiam concesserit.

qua talis exquirat excipiatque consensum, de caetero non excedens limites mandati a delegante accepti.

C. *Circa assistentiam* **Testium.**

123. Requiritur praesentia 2o duorum testium

Requiritur et sufficit ut assistant *tanquam testes*. Nimirum 1o ex una parte, *sufficit* ut merè passive assistant, quin ullum actum ponere debeant, nec officit quod vi vel metu gravi fuerint constricti. Ex alia parte, 2o *postulatur* ut moraliter praesentes sint, utque buodamtenus adhibeantur implicitè qua testes, ad analogiam dictorum sub n. 110.

moraliter praesentium.

Sedulò tamen notetur circa 2o: quod, cum agatur de testibus vulgaribus, conditio illa de testibus, ex parte nupturientium adhibendis qua talibus, latissimè sit interpretanda, adeo ut practicè censeatur sufficere moralis praesentia sub n. 110 descripta (1): quatenus scilicet satis sit ut testes valeant testari matrimonialem consensum inter tales determinatas personas esse ritè praestitum (2). Caeterùm meritò dicitur nupturientes, eo ipso quod in consensus emissione intendunt sese conformare Ecclesiae voluntati, implicitè velle personas quomodocumque moraliter praesentes assumere qua testes. Nec requiritur proinde quod designati fuerint testes (3).

Etiam *observa* a/ praesentiam testium simultaneam esse debere cum praesentia parochi; b/ quasvis personas *validè* adhiberi posse tanquam testes (4), modò ratione fruantur et qua tales sint ad testandum capaces (5).

II. **Altera formalitas.**

124. Secunda formalitas spectat praesentiam nupturientium.

Juxta can. 1088, § 1, « ad matrimonium *validè* contrahendum necesse est ut contrahentes *sint praesentes*, sive per se ipsi sive per procuratorem ». Cf. supra, n. 102.

Eo ipso excluditur valor matrimonii, quod olim uti validum habebatur, contrahendi *per epistolam* aut *nuntium*, de quo matrimonio per epistolam aut nuntium antea valido, cf. GASPARRI, o. c. n. 832 ss.; WOUTERS, o. c., p. 20; *Ned. kath. Stemmen*, 1910, p. 86, coll. Causa *Ravennaten*, 19 Jan. 1910, A. A. S., II, p. 297 ss.,

(1) Ita decr. S. C. de P. F., 2 Julii 1827 (*Collectanea*, n. 1401); cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 471 s.; BASSIBEY, *Clandestinité*, n. 152; DESHAYES, o. c., Qu. 127, cum documentis ibidem relatis; *N. R. th.*, XVII, p. 107 ss.; *Irish eccl. Record.*, 1912, p. 635 ss.; *L'Ami du Clergé*, 1914, p. 72.

(2) Ita custos v. gr., parocho matrimonium celebranti assistens, censetur sufficienter in testem adhibitus, et, si reipsa attenderit ad consensus matrimonialis praestationem, valide fungitur officio testis, licet non formaliter praemonitus. Item de aliis circumstantibus, saltem si eorum praesentiae conscii sunt nupturientes.

(3) Cf. Causam Rotalem 17 Febr. 1917, apud A. A. S., IX, p. 504.

(4) Ita ad valorem assistentiae non refert quod testes sint quomodocumque excommunicati aut interdicti.

(5) Ideo dicuntur testes *non qualificati*, in oppositione ad parochum ejusve delegatum, qui sunt *testes qualificati*.

ubi validitas matrimonii per epistolam contracti affirmatur pro disciplina tunc vigente (1).

Pro valore nimirum requiritur *mutua sponsorum praesentia:* sed sufficit quod praesentes sint *per procuratorem.*

Aliunde validitati non obstat quod sponsi consensum exprimant *per interpretem.* Can. 1099.

Quod autem spectat matrimonium *per procuratorem,* servandae sunt conditiones descriptae can. 1089 et 1091.

Nimirum

Ad valorem requiritur a/ « mandatum (scriptum) *speciale* ad contrahendum cum *certa* (determinata) persona, *subscriptum* a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus ». Can. 1089, § 1. — Quodsi « mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est ». Can. 1089, § 2.

b/ ut, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum *non revocaverit nec in amentiam inciderit;* si nempe mandans mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, matrimonium invalidum est (2), quin obstet mandati nullitati quod sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint. Can. 1089, § 3 (3).

c/ ut procurator *praesens sit* et munere suo *per se ipse* fungatur (Can. 1088, § 1 et 1089, § 4), utque, nomine mandantis, consensum exprimat coram duobus testibus et parocho consensum exquirente et excipiente. Can. 1095, § 1, n. 3 (4).

Nota 1. « nihil obstare quominus matrimonia etiam per procuratorem *ex utraque parte* celebrari valeant » (5).

2. Sub hoc puncto I° agitur de conditionibus observandis *ad valorem.* Quod autem spectat conditiones *ad liceitatem,* cf. infrà, n. 129.

---

(1) Ad valorem sufficiebat quod coram parocho et testibus legeretur epistola aut nuntium daretur et quod altera pars suam acceptationem declararet: eo ipso momento incipiebat matrimonium existere, quin exspectanda fuerit dictae acceptationis notificatio alteri parti.

(2) Profectò, si mandati revocatio probari nequeat, matrimonium censebitur validum in foro externo. Quod spectat amentiam, textus non distinguit inter amentiam perpetuam et temporaneam, adeo ut utrique applicari censeatur norma, modò, quod spectat amentiam temporaneam, coexistat cum mandati executione seu matrimonii celebratione.

(3) Aliud esset si mandans, tempore matrimonii celebrationis, dormierit aut in ebrietatem devenerit: censeretur mandantis consensus, secus ac in casu amentiae, virtualiter perseverare. Cf. GASPARRI, o. c., II, n. 837.

(4) Ad quaestionem positam circa validitatem matrimoniorum, quae a militibus Belgis fuerunt celebrata, dum praesens fuerit, non ipse procurator a nupturientibus designatus, sed alius, ab electo procuratore delegatus (quam delegationem permittebat lex civilis Belgica); rescripsit S. Congr.: « Et quoad matrimonia per procuratorem ineunda, standum est can. 1089, § 4, Cod. J. C. ».

(5) Cf. hic responsum Card. Guistini ad clar. Timmerman, capellanum castrensem, diei 19 Julii 1916 — *Can. Cont.,* 1916, p. 467 s., coll. *Can. Cont.,* 1915, p. 129 ss., cum formulis aptis ibidem propositis ad normam Instructionis Officialitatis Parisiensis.

PUNCTUM II. FORMALITATES PRO LICEITATE.

125. Quid requiratur ad assistentiam licitam :

Rursùm duplex attendenda est formalitas: *una* determinans personas coram quibus matrimonium est celebrandum; *altera* determinans modum quo sponsi debent exprimere consensum.

I. Prima formalitas:

1° Ordinarii aut parochi ;

A. Circa assistentiam **parochi** seu **Ordinarii loci:**

1° Ut *licitè* assistat, debet, simul ac parochus seu Ordinarius loci, esse:

vel a/ *Ordinarius* in cujus dioecesi alteruter sponsus sive domicilium habet sive quasi-domicilium, sive mensilem commorationem, sive, si vagus sit, actu commoratur (1); aut *parochus* in cujus paroecia alteruter sponsus sive domicilium habet, sive quasi-domicilium sive mensilem commorationem, sive, si vagus sit aut non habet nisi domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum, actu commoratur. Can. 1097, § 1, n. 2 (2).

vel b/ esse hujus Ordinarii aut respectivè parochi domicilii, quasi-domicilii aut mensilis commorationis licentia munitus. Can. 1097, § 1, n. 3. Haec autem licentia *non requiritur :* 1° in casu gravis necessitatis ; 2° in casu vagi actu itinerantis. *Ibidem.*

Gravis illa *necessitas* obtinet, quando grave incommodum habetur in differendo matrimonio usquedum licentia obtineri possit, puta instante itinere illicò instituendo, vel quando gravis causa exigit ut matrimonium occultetur parocho a quo licentia foret obtinenda.

Actu itinerantes contradistinguuntur a vagis hic et nunc commemorationis sedem habentibus, et non sunt confundendi cum habitualiter vagis. Cf. suprà, n. 48, cum nota ad num. seq., ac. n. 129 (3).

2° Etsi ad strictam licentiam sufficiat praesentia parochi sponsi vel sponsae, si apud utrumque parochum obtineant conditiones sub 1° requisitae, tamen, ad tramites can. 1097 § 2: « in quolibet casu *pro regula* habeatur ut matrimonium coram *sponsae parocho* celebretur (vel ab eo licentia impetretur), nisi justa causa (quae facile existet) excuset » (4) ; « matrimonia autem catholicorum *mixti ritus*

(1) Can. 1097, § 1, n. 2. — Sicut sufficit domicilium et quasi-domicilium *dioecesanum,* sic pariter sufficit mensilis commoratio in dioecesi. Hoc contra SCHÄFER, o. c., p. 178.

(2) *Ibidem,* hoc attento quod, ad analogiam can. 94, § 2 et § 3, vago aequiparatur, respectu parochi, ille qui non habet nisi domicilium aut quasi-domicilium dioecesanum.

(3) Distinctio inter vagos actu itinerantes et vagos commorationis sedem hic et nunc habentes, non coincidit cum distinctione inter habitualiter vagos et momentaneè vagos: habitualiter vagi, puta foranei, possunt, in determinatis adjunctis, hic et nunc habere commorationis sedem, dum momentaneè vagi possunt esse actu itinerantes, puta personae quae, recens derelicto domicilio, longinquum iter instituunt ad novum electum domicilium.

(4) Eousque jus commune: quod non praejudicat statutis juris particularis, quibus,

(Orientalis scil. et Latini), nisi aliud particulari jure cautum sit (uti pro Ruthenis), coram *viri parocho* sunt celebranda ».

Quodsi plures parochos proprios habeat sponsa vel sponsus, ad normam dictorum sub n. 51, praeferatur parochus in cujus parochia sponsa vel sponsus actu moratur.

sacerdotis delegati;

B. Circa assistentiam **delegati:**

Delegatus a parocho loci, ad normam dictorum sub Puncto I°, debet ulterius muniri licentia parochi pro licita assistentia competentis, juxta normam sub A propositam.

testium.

C. Circa assistentiam **testium:**

Si pro valida assistentia competentes sunt quivis testes, uti notatum suprà, n. 123: illicitè assisterent acatholici in matrimoniis catholicorum (1); removendi etiam sunt, in quantum fieri potest, excommunicati, perjuri, infames, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, necnon qui ita abjectis sunt moribus ut fide digni non habeantur (cf. can. 1757, § 2, n. 1 et 2); minus convenire videtur, seclusa causa rationabili, mulieres ad hoc officium assumere.

126. Corollarium practicum.

Corollarium. Attenta norma exposita sub A, 1°, si quaeratur *coram quonam parocho* (quaestionem restringimus ad solum parochum) matrimonium, secluso gravis necessitatis casu, *pro liceitate* celebrari debeat, respondetur distinguendo inter triplicem speciem nupturientium, quatenus vel sunt domicilium aut quasi-domicilium habentes in aliqua parochia, vel habent domicilium aut quasi-domicilium dioecesanum tantùm, vel sunt vagi, nullibi scil. domicilium aut quasi-domicilium habentes, neque dioecesanum neque paroeciale.

Nimirum:

1. Domicilium aut quasi-domicilium habentes in parochia: debent matrimonium inire coram parocho domicilii aut quasi-domicilii aut mensilis commorationis, si quam habeant extra locum domicilii aut quasi-domicilii, vel coram alio parocho, licentia unius ex illis tribus parochis munito.

2. Vagi aut solum domicilium seu quasi-domicilium dioecesanum habentes:

a/ Si in aliqua parochia habent commorationis sedem, sive mensilis, sive minori temporis spatio protractae (2), debent, pro matrimonii celebratone, adire parochum illius paroeciae, vel, si volunt coram alio parocho

---

quemadmodum in dioecesi Brugensi, haec regula, cui favet antiqua consuetudo, urgetur uti stricte praeceptiva, qualis non est dispositio can. 1097, § 2, adeo ut gravis causa requireretur ut a praxi dioecesana recedatur. Cf. hîc *L'Ami du clergé*, 1920, p. 444 s. et 485 s.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 542, nota 57. — VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n. 796, in fine, non admittit legitimitatem dictae derogationis ad can. 1097, § 2, nisi nitatur consuetudine centenaria aut immemoriali (can. 6).

Ratio hujus inductae regulae exhibetur a S. Ambrosio (*De Abraham*, I, IX, 91): « Virginalis enim pudoris est, ut quae nubit expetita magis videatur a viro quam ipsa virum expetiisse ».

(1) Instr. S. C. de P. F., 9 Dec. 1822 (Collectanea², II, n. 779); decr. C. S. O., 19 Aug. 1891 (Collectanea, n. 1855), ubi additur eos ab Ordinario tolerari posse ex gravi causa, remoto scandalo; decr. S. C. de Sacr., 12 Martii 1910, ad 4ᵐ, ubi monetur « quoad qualitates testium, a decreto *Ne temere* nihil esse immutatum ».

(2) Quaenam commoratio ad hoc requiratur et sufficiat, aegre determinatur. HILLING, *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1922, p. 23, proponit spatium octo dierum, de facto transactum, aut in intentione nupturientis transigendum.

matrimonium inire, debet hic habere licentiam parochi mensilis commorationis (1).

β/ Si sunt actu itinerantes, possunt inire matrimonium coram quocumque parocho, absque ulla licentia.

127. *Notanda.*

Nota. a/ Licentia illa pro licita assistentia, ad normam dictorum, requisita, non est delegatio, nequidem minus stricte dicta (suprà, n. 114), nec exiguntur pro ea conditiones sub priori paragrapho descriptae, in specie non postulatur licentia expresse data (sufficit tacita ac etiam praesumpta); nec debet restringi ad determinatum sacerdotem et determinatum matrimonium.

b/ Domicilium et quasi-domicilium acquiruntur et amittuntur juxta notiones datas sub n. 45 ss. Quod autem spectat *mensilem commorationem*, consistit in materiali facto habitationis (quin ulla ratio sit habenda intentionis et ita ut sufficiat commoratio per modum hospitis) per mensem in eadem dioecesi vel in eadem parochia, supputatis diebus ad tramites can. 34 (2); cui dictae continuae commorationi non officit quod quis soleat a loco abesse per diem, modò ibidem continuò pernoctaverit (3).

c/ Decretum *Ne temere* quasi-domicilio substituerat, in hoc nostro negotio, mensilem commorationem (decr. S. C. C., 28 Martii 1908, ad 5m et S. C. de Sacr., 12 Martii 1910, ad 5m). Novus Codex, retenta mensili commoratione, restituit jura quasi-domicilii.

d/ Parocho mensilis commorationis, non secus ac parocho proprio ratione domicilii et quasi-domicilii, agnoscitur facultas ad matrimonium licitè procedendi. Attamen parochus domicilii licitè assistit, etiamsi subditus actualiter in parochia non resideat, modò

---

(1) Si nupturientes vagi, aut solum dioecesanum domicilium seu quasi-domicilium habentes, non habeant commorationem a mense, sed a minori tempore tantum, nec vere sunt actu itinerantes, et cupiunt coram alio quam actualis commorationis parocho contrahere: si stricte inhaeremus tenori can. 1097, § 1, n. 3, ad nullius parochi licentiam possunt recurrere, et ipsis non maneret, extra gravis necessitatis casum, nisi recursus ad Ordinarium dioecesani domicilii aut quasi-domicilii, si detur. Videtur autem in hoc esse anomalia, quatenus deberet parochus actualis commorationis, nondum mensilis, posse dare illam licentiam, siquidem, juxta eumdem can. 1097, § 1, n. 2, jus habet matrimonio assistendi, et, ad normam can. 94, § 2 et § 3, est parochus proprius hujusmodi nupturientis.

(2) Juxta § 2, cum tempus sit continuum, mensis sumatur uti est in calendario, adeo ut sufficere possint 28 dies mensis Februarii; et cum terminus a quo censeatur non coincidere cum initio diei, « primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die ejusdem numeri », puta a 25 Januarii ad finem diei, seu ad mediam noctem, 25 Februarii. Can. 34, § 3, n. 3.

(3) TANQUEREY, o. c., n. 1030, in nota, censet, immeritò, ut videtur, quod, « si quis per duos vel tres dies absit *cum animo redeundi*, suspenditur (quidem) commoratio, sed praecedens commoratio poterit cum sequenti conjungi, ad triginta dies perficiendos »; imo *l'Ami du clergé*, 1925, p. 244 s., eo procedit ut admittat liceitatem matrimonii, tribus diebus ante mensem revolutum celebrandum. Cf. hic solutionem casus practici datam coram S. C. de Sacram., die 28 Jan. 1916, apud *Acta A. S.*, VIII, p. 64 ss.

matrimonium in ejus territorio celebretur, dum parochus mensilis commorationis competens est tantùm quoad illos qui actu commorantur in ejusdem parochia (1). Non est etiam in oppositione ad Codicem quod, in jure particulari, statutum condatur quo unus ex parochis competentibus, in determinato casu, alteri praeferendus dicatur (2).

e/ Si matrimonium initur *per procuratorem,* attendendus est parochus *mandantis*. Cf. responsum Card. Guistini ad Clar. Timmerman, suprà, n. 124.

128. Disciplina Tridentina.

Scholion. Ex praehabitis innotescit qualis ac quanta fuerit per decr. *Ne temere* et novum Codicem *mutatio* introducta in forma contractus nuptialis a jure Tridentino constituta. Nimirum, *sub jure Tridentino,* (juxta quod dijudicanda diximus connubia, quae ante Pascha 1908 reperiuntur contracta), matrimonium erat *pro ipso valore* ineundum coram parocho *proprio,* ea scil. lege ut ejus competentia non restringeretur ad territorium, sed extenderetur respectu subditorum ad quemcumque locum. *Nunc* non amplius requiritur praesentia parochi proprii (vel mensilis commorationis) nisi ad solam *liceitatem:* unde multis dubiis et anxietatibus feliciter praecluditur via.

II. **Altera formalitas:**

129. Quomodo sponsi debeant exprimere consensum;

1° Juxta can. 1088, § 2, ad liceitatem oportet ut « sponsi matrimonialem consensum exprimant *verbis* ; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint ». Juxta *Rituale Rom.,* t. VII, c. II, n. 2, sufficiebat consensum exprimere « aliquo signo sensibili » ; deinceps debent adhiberi verba ab illis qui usum loquelae habent ; mutis vel aliàs lingua impeditis licet consensum exprimere signis vel nutibus.

quid speciale in matrimonio per procuratorem.

2° Ad hoc ut sponsi licitè emittant consensum, intermedio adhibito *procuratoris* vel *interpretis*, requiritur, ad normam can. 1091, quod « adsit *justa causa* (puta seria difficultas, pro alterutra parte consensum per seipsam exprimendi) et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia ».

Cautelae quaedam praeviae servandae.

Quaedam cautelae servandae : nimirum antequam parochus nuptiis

Independenter a formalitatibus adimplendis in ipsa celebratione matrimonii, quaedam praeviè sunt servanda, signanter quod spectat *statum liberum* probandum; prae oculis etiam sunt habendae quaedam cautelae in matrimonio *vagorum,* pro quibus oportet ut paro-

(1) Cf. solutionem datam a S. C. de Sacr., 28 Jan. 1916, apud A. A. S., VIII, p. 64.

(2) Cf. statutum inductum ab Ordinario Paderbornensi, apud LINNEBORN, o. c., p. 368 s. Cf. etiam modò suprà, n. 125.

chus, extra casum necessitatis, obtinuerit licentiam ab Ordinario vel a sacerdote ad hoc deputato. *assistat, debet constare de statu libero,*

Primum requisitum, insertum can. 1097 § 1, n. 1, in memoriam revocat statutum juris communis, quo universim prohibetur ad matrimonii celebrationem procedere, antequam praevia certitudo habeatur de *statu libero,* seu de absentia impedimenti, maximè ligaminis (1). Spectat hoc statutum parochum vel Ordinarium, non vero sacerdotem delegatum: ad normam autem can. 1096, § 2, « parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat (seu delegationem), nisi expletis omnibus quae jus constituit pro libertate status comprobanda ».

Secundum requisitum (c. 1032) renovat statutum Concilii Tridentini (2), ob periculum polygamiae, praecipiens parochis ne *vagorum* matrimoniis intersint, « nisi prius..., re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint » (3). In novo autem jure (Decreti *Ne temere* et) Codicis excipitur *casus necessitatis,* quo nempe gravis ratio urget indilatè ad matrimonium procedendi, quin tempus sit ad Ordinarium recurrendi; conceditur etiam ac vix non suadetur ut ab Ordinario deputentur ad hoc quidam sacerdotes, putà decani, ad quos facilius recurrant respectivi parochi. *et requiritur licentia Ordinarii pro vagis.*

Porro *vagi,* juxta can. 91, ad quem expressis verbis remittit can. 1032, sunt illi qui nullibi habent domicilium (juris vel facti) vel quasi-domicilium, sive dioecesanum sive paroeciale, non exclusis illis qui mensilem habent commorationem in quodam loco (4). Quae norma, quamvis, attenta generalitate verborum, ad apicem juris, quoscumque universim vagos afficere dicenda sit, merito tamen, ex benigna interpretatione legislatoris, ab illa excipi posse videntur *momentaneè vagi,* illi nempe qui, nuper derelicto domicilio aut quasi-domicilio, in via sunt ut aliud occupent (suprà, n. 125). Et sane hujusmodi momentaneè vagis nullatenus applicatur ratio legis sta-

(1) Cf. infrà, ubi de examine nupturientium, n. 676 ss., collata Instructione S. C. de Sacr., 6 Martii 1911, et signanter coll. can. 1019 ss. Cf. etiam suprà, n. 60bis.

(2) SESS. XXIV, *De Reformatione matrimonii,* cap. VII.

(3) Profectò cum vagis speciali opus est prudentia et ideo negotium est deferendum ad Ordinarium, qui, pro sua prudentia, instituendum praescribet accuratius examen variis in locis in quibus degerint vagi, signanter exigendo a respectivis parochis attestationem libertatis a vinculo. Cf. suprà, n. 49.

Haec Ordinarii licentia requiritur, non ad competentiam pro assistentia matrimonio, sed in ordine ad probationem status liberi.

(4) Juxta WOUTERS, o. c., p. 30; SCHAEPMAN, *Codex,* p. 16; VLAMING, o. c., n. 175, non subsunt dispositioni can. 1032 illi qui, domicilio et quasi domicilio destituti, habent mensilem commorationem, quia, juxta can. 1097, § 1, n. 2, hujusmodi nupturientium matrimonio licite assistit parochus. Atvero, praeterquam quod can. 1032 expressè remittit, pro determinatione vagi, ad can. 91, minus valet ratio allata, cum in can. 1097 de alio negotio agatur ac in can. 1032: ibi agitur de licita assistentia, hìc de statu libero probando, cujus caeteroquin probatio ad normam juris praesupponitur ad licitam assistentiam (c. 1097, § 1, n. 1). Nobis consentiunt *Collat. Gandav.,* 1920, p. 192; item HILLING, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1922, p. 20 s.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 541, nota 55; VERMEERSCH-CREUSEN, o. c., n. 193; DURIEUX, o. c., n. 29.

tutae; hosce etiam prae oculis non habebat Conc. Tridentinum, l. c., sed solos habitualiter vagos, illos scil. « qui vagantur et incertas habent sedes » (1).

Punctum III. Casus excepti.

130. Indicatur duplex casus exceptus;

In praecedentibus expositae sunt *normae generales* pro celebratione matrimoni observandae, tum pro valore tum pro liceitate matrimonii celebrandi.

Porro in novo Codice inseritur, can. 1098, *duplex derogatio* notanda, quae inducta fuerat, salvis non levibus moderationibus, a Decreto *Ne temere.*

Nimirum « si *haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo* parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam can. 1095 et 1096 (juxta exposita sub Puncto I)... *validum* et *licitum* est matrimonium contractum *coram solis testibus* »: 1° *in periculo mortis;* 2° secluso periculo mortis, si « prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse *per mensem duraturam* ».

Explicatio.

131. Explicatio:

I. *Ad utriusque derogationis applicationem* **requiritur:**

Prima conditio est ut adsit incommodum grave;

A. Quod *sine gravi incommodo* non possit *haberi nec adiri* sacerdos cujus assistentia pro valore matrimonii postulatur, Ordinarius scil. vel parochus loci ejusve delegatus.

Nota requiri et sufficere ut *adiri* nequeat *nec accersiri* dictus sacerdos. Unde si sponsi, deficiente parocho parochiae in qua hic et nunc degunt, commodè adire possent parochum loci vicini, et coram eo, in hujus territorio, contrahere, non esset locus privilegio; pro impetranda autem delegatione non refert utrum oraliter obtineri possit vel per litteras, etiam *par exprès,* non tamen attendenda foret, ut videtur, sola possibilitas illam impetrandi via telegraphica vel telephonica (2).

Quod spectat *incommodum:* jam non requiritur incommodum *regionale,* de quo in Decreto *Ne temere,* art. VIII (3), sed incommodum merè particulare et personale censetur sufficere; exigitur autem incommodum *grave,* aequivalens scil. morali impossibilitati,

(1) In eumdem sensum, cf. Wernz-Vidal, o. c., n. 133; Chelodi, o. c., n. 32; Triebs, o. c., p. 135.

(2) Sententia quae tenet uti impossibilem posse haberi recursum, si sola hac via extraordinaria institui possit, nititur in praxi S. Sedis, in materia dispensationum (infrà, n. 857), cujus praxeos ratio haberi posse videtur, donec contrarium doceamur authenticè. Cf. Wernz-Vidal, o. c., n. 544, in nota 63, contra Vlaming, o. c., n. 587.

(3) Jam in decreto S. Congr. de Sacr., 12 Martii 1910, ad 1m, ulterius non occurrebat mentio regionis.

quemadmodum haud aegre continget in regionibus missionis aut in gravi rerum perturbatione, puta in bello vel saeviente persecutione; item, pro matrimonio in extremis, quando ita urget periculum mortis ut probabiliter timeatur ne alteruter nupturientium moriatur, antequam possit accersiri parochus ejusve delegatio impetrari; posset etiam admitti casus quem refert *Il Monitore,* 1910, p. 137 s., in quo impeditur sacerdos ab invitando parocho ejusve delegatione petenda ob periculum violandi sigillum, quatenus v. gr. in confessione detegerit occultum concubinatum. Et alia exempla afferri possent; cf. in specie applicationem de qua mox infrà, sub n. 135.

132. secunda conditio est ut sit periculum mortis,

B. Ulterius requiritur:

1° *ad priorem derogationem: periculum mortis,* quod sufficit adesse *probabile,* et *unam* tantum partem afficere.

Sub disciplina Decreti *Ne temere* postulabatur urgentia matrimonii ineundi sive ad consulendum conscientiae sive ad legitimandam prolem; sufficit nunc solum mortis periculum; caeterùm eo ipso quod proceditur ad matrimonium in extremis, facile supponitur adesse hujusmodi urgentem rationem celebrandi matrimonium. Non refert quod mortis periculum procedat ex infirmitate, aut ex causa extrinseca, puta ex naufragio vel praelio instante.

vel praevideatur conditio per mensem duratura.

2° *Ad alteram derogationem* postulatur ut rerum conditio ex qua oritur incommodum grave, de quo sub A, *prudenter,* i. e. morali certitudine, *praevideatur per mensem duratura.*

Circa quod attende non opus esse ut illa rerum conditio reipsa per mensem duraverit — ita disponebat Decretum *Ne temere* — sed satis esse ut, ex notorio vel ex inquisitione, moraliter certò constet parochum per mensem (eodem modo supputandum ac sub n. 127) neque haberi neque adiri posse sine gravi incommodo; sufficit autem praevisio moraliter certa ita ut matrimonii, coram solis testibus celebrati, valori non noceat quod inexspectato modo recesserit rerum conditio, incommodum provocans. Ex alia parte non sufficit solum factum absentiae parochi (1).

133. Sufficit autem pro valore contrahere coram testibus.

II. Positis autem omnibus ad derogationis applicationem requisitis, in *utroque* casu excepto:

1° pro *valida* matrimonii celebratione, satis est matrimonium celebrari *coram solis testibus,* absque assistentia sacerdotis; non requiritur scil. assistentia testis qualificati, sed sufficit assistentia testium non qualificatorum (2).

(1) *Commissio Pontif. ad Codicis can. interpr.,* 10 nov. 1925, ad VIII^{m}, apud A. A. S., XVII, p. 583, coll. *Periodica de Religiosis,* XIV, p. 185 s. — Tenor canonis 1098 habet, uti vidimus: « dummodò *prudenter praevideatur* »; hic autem, strictiori formula usurpata, requiritur « *moralis certitudo* ».

(2) Hic habetur notanda mutatio inducta pro casu matrimonii in extremis: sub

Quae praesentia testium, duorum scil., talis sufficit ut coram ipsis moraliter praesentibus consensus emittatur a sponsis, ad tramites dictorum sub n. 123, quin hi testes exquirant vel recipiant consensum: haec namque consensus exquisitio et receptio spectat solum parochum vel delegatum.

2° pro *licita* celebratione: si praesto est alius sacerdos (1), qui non sit Ordinarius vel parochus loci aut ab ipso delegatus quique possit facilé matrimonio assistere, debet matrimonium, etiam in altero casu excepto, coram ipso, simul ac coram testibus, celebrari (2); secus, sufficit assistentia testium.

134. Quaedam notanda.

Notanda. 1° Utiliter hîc in memoriam revocantur dispositiones: can. 1019, quatenus « in mortis periculo, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio jurata contrahentium se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento »; item can. 1103, § 3, circa obligationem testium (in solidum cum contrahentibus) curandi inscriptionem matrimonii in registro; necnon can. 1033, circa suadendam confessionem et communionem.

2° Quod spectat *modum celebrandi* matrimonium coram testibus, attendatur norma quam proponit, intuitu hujusmodi matrimonii celebrationis, S. C. de P. F., in epistola 23 Junii 1830: « Tali casu parentes duos testes eligant, qui, unà cum sponso et sponsa eorumque propinquis, ad ecclesiam se conferentes, flexis genibus, consuetos fidei, spei, charitatis, contritionis actus in communi recitent, sicque sponsus et sponsa ad contrahendum matrimonium recte se disponant. Post haec surgentes sponsus et sponsa, coram praedictis testibus, per verba de praesenti mutuum exprimant consensum, et post actas gratias Deo domum revertantur. Si autem ad ecclesiam ire nequeant, in privatis domibus praedicta observentur ». GASPARRI, o. c., n. 970.

---

disciplina Decreti *Ne temere,* non permittebatur, in periculo mortis, matrimonium iniri coram duobus tantùm testibus, sed requirebatur, *ad ipsum valorem* matrimonii, etiam praesentia sacerdotis *cujuslibet;* ex alia vero parte, vi decr. S. C. de Sacr., 14 Maii 1909, poterat dictus sacerdos dispensare in impedimento clandestinitatis. Cf. *Collat. Brug.*, XVI, p. 197.

(1) Dicitur: alius sacerdos, sine ulla restrictione; meritò tamen dices quod, si nupturientes, attento can. 2261, § 3, possent, non tamen deberent recurrere ad sacerdotem qui, per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, sit excommunicatus, interdictus vel ab officio suspensus. Cf. suprà, n. 109.

(2) Haec est nova dispositio quae non existebat sub disciplina Decreti *Ne temere:* sufficiebat, in altero casu excepto, ad liceitatem non secus ac ad validitatem matrimonii, praesentia duorum testium.

Hac ad liceitatem requisita praesentia sacerdotis efficacius providetur characteri religioso celebrationis matrimonii et accuratiori observantiae formalitatum, necnon inscriptioni in registro. Etiam interventio sacerdotis — quin tamen assistat — potest esse necessaria pro dispensatione danda ab impedimentis, si obstent. Nihil peculiare statuitur circa modum assistendi hujus sacerdotis nec circa ejusdem qualitatem.

Applicatio practica.

135. Peculiaris applicatio pro casu quo civile matrimonium praemitti nequit:

Sponte sua hic exsurgit quaestio practica non exigui momenti, pro locis in quibus viget lex anterioritatis obligatoriae matrimonii civilis, uti in Belgio, Gallia, Germania (1), utrum nempe privilegium, de quo modò, applicari possit in casu quo sponsi *civiles formalitates adimplere non valent, aut non tempestive, et exinde ab adeundo parocho retinentur eo quod prohibetur sacerdos, sub gravis poenalitatis sanctione* (2), *quominus nuptiis eorum assistat:* sive in mortis periculo, sive extra mortis periculum, in supposito, pro hac altera hypothesi, illam rerum conditionem praevideri per mensem duraturam (3).

Controversia practicè vix non limitatur ad solos casus, *extra mortis periculum* positos, cum, in mortis discrimine, alio modo ac per privilegii can. 1098 applicationem difficultati occurri possit: ad normam namque can. 1044, quivis parochus dispensare potest cum periclitantibus etiam super forma celebrationis, adeoque permittere ut matrimonium coram solis testibus celebretur, et sic eludere sanctionem legis civilis. Cf. etiam decr. S. C. de Sacr., 14 Maii 1909 et 31 Jan. 1916 (4).

Atvero, seposito periculo mortis et hoc attento quod extra illud non possit a parocho super celebrationis forma dispensari (5), servat proposita quaestio non leve momentum practicum. Non rarò enim contingit, etiam extra periculum mortis, gravia rationis momenta postulare ut matrimonium coram Ecclesia celebretur, quin praemitti queant formalitates civiles, vel quia obstat impedimentum juris civilis hic et nunc irremovibile (v. gr. dissensus parentum contra matrimonium minorennis aut existentia vinculi merè civilis), vel quia obtineri nequeunt documenta civilia authentica (v. gr. circa obitum prioris compartis, aliunde certum): in quibus variis casibus a lege civili prohibetur parochus ejusve delegatus assistentiam suam praestare. Quae necessitas matrimonii celebrandi potest etiam esse urgens, idque extra periculum mortis (6), puta quando sponsi vivunt in concubinatu, a quo aegre removeri possunt.

(1) Circa Hollandiam, cf. infrà notanda sub n. 459, coll. *Ned. kath. Stemmen,* 1916, p. 70 et p. 366.

(2) Art. 267 Cod. poen. Belg., cujus interpretatio sequetur infrà, sub n. 456.

(3) Etiam in aliis regionibus, in quibus non viget lex anterioritatis obligatoriae, posset esse locus ejusdem privilegii applicationi; et ita v. gr., in Anglia, non potest sacerdos, quin gravibus incommodis se exponat, assistere matrimonio sponsorum qui civili impedimento existunt obnoxii.

(4) In Belgio caeteroquin, favore legis 3 Aug. 1909, lex anterioritatis, in casu instantis periculi mortis, jam non urgetur. Cf. infrà, n. 456, ubi notatur similem dispositionem existere in Germania.

(5) Can. 1045, § 3, coll. infrà, n. 764, ubi tractatur quaestio utrum *Ordinarius* possit super dicta celebrationis forma dispensare, vi can. 1045, § 1, in casu urgenti. Cf. etiam n. 766.

(6) Hoc notamus contra *Civiltà cattolica,* 1920, p. 351 s., ubi observatur quae-

Jamvero, si privilegium canonis 1098 applicari potest, in hoc reperitur opportunum effugium contra sanctionem poenalem a Codice poenali comminatam in transgressores legis anterioritatis obligatoriae: sinit namque can. 1098 matrimonium validè celebrari coram solis testibus, sanctio autem poenalis solos attingit ministros cultus ad matrimonii canonici celebrationem procedentes, non vero testes communes. Cf. infrà, n. 460.

136. si tempus sit, adeunda S. Sedes;

Porro ad positam quaestionem sic respondemus:

A. *Si tempus adsit adeundi S. Sedem,* non ita urgente matrimonii celebratione, certum est, pro liceitate saltem matrimonii celebrandi, instituendum esse *recursum ad S. Sedem* (1). In hunc sensum latum est decretum a S. Congr. de Sacr., die 31 Jan. 1916 (2), quod confirmat responsum privatum ab eadem S. Congr. datum Ordinario Metensi, sub die 25 Maii 1920 (3), necnon simile responsum communicatum Ordinario Paderbornensi, de die 9 Martii 1916, de quo mox infrà.

137. quod spectat casum urgentem : disputatur.

B. Quod spectat *casum urgentem,* quo desit tempus recurrendi ad S. Sedem, disputari potest utrum validè et licitè procedi queat ad matrimonium coram solis testibus celebrandum, privilegium applicando can. 1098.

---

stionem positam non habere momentum practicum, quia non datur necessitas urgens nisi in periculo mortis, in hoc autem quivis sacerdos potest dispensare super clandestinitate, adeoque super praesentia parochi ejusve delegati, ita ut matrimonium coram solis testibus celebretur.

(1) En rescriptum a S. C. de Sacr., datum, die 16 Junii 1922, Ordinario Brugensi: « Relatis in Congregatione de disciplina sacram. precibus Ordinarii Brugen. circa facultatem permittendi, attentis peculiaribus circumstantiis, matrimonium coram solis testibus viduae N. N. cum fratre viri sui N. N., obtenta jam dispensatione super impedimento affinitatis in primo lin. coll. gradu, eadem S. Congr. rescribendum censuit prout rescribit: Ordinario Brugen., constito primum sibi etiam, si opus fuerit, per juratam contrahentium attestationem, nullum aliud inter ipsos intercedere canonicum impedimentum, cum facultate permittendi ut absque praesentia parochi matrimonium in casu validè et licitè iniri possit, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus; imposito, ad normam can. 1103, § 3, testibus in solidum cum contrahentibus onere curandi ut initum conjugium quamprimum parocho significetur, qui in libro matrimoniorum illud, saltem secreto, adnotet cum indicatione diei et nominibus testium qui praesentes fuerunt. Idem autem Ordinarius hortari non omittat nupturientes ut ad sacramentum Confessionis et SS. Eucharistiae debitis cum dispositionibus accedant ante matrimonii celebrationem, ac insuper curet ut iidem contrahentes se obligent ad formalitates civiles explendas statim ac fieri poterit, cujus obligationis documentum in Curia episcopali adservetur ».

(2) Coram S. C. de Sacr., (A. A. S., VIII, p. 36), proposita fuit sequens quaestio: « Quum in nonnullis regionibus, parochi a civili lege graviter prohibeantur quominus matrimonio assistant, nisi praemisso civili connubio, quod non semper praemitti potest, et tamen ad mala praecavenda et pro bono animarum matrimonium celebrari expediat: quidam horum locorum Antistites a S. C. de discipl. sacram. efflagitarunt: An et quomodo his in adjunctis providendum sit ».

Ad quam quaestionem dicta S. Congr. respondendum censuit: « *Recurratur in singulis casibus,* excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat etiam ab impedimento clandestinitatis, permittendo ut in relatis adjunctis matrimonium cum testibus validè et licitè contrahatur ».

(3) Ad quaestionem ab Ordinario Metensi propositam circa matrimonia exterorum, qui documenta civilia pro adimplendis formalitatibus matrimonii civilis necessaria obtinere non valebant, respondit S. Congr.: « Ordinarius provideat per opportuna media ad hoc ut opifices exterarum nationum in sua dioecesi commorantes sibi comparare valeant documenta pro explendis nuptiis etiam coram civili magistratu;

Revera:

1° *Ex una parte,* non pauca favent sententiae affirmativae. Et quidem

a/ Tota quaestio in eo vertitur utrum *grave incommodum,* de quo in can. 1098 et de quo jam sub disciplina Piana (decr. 12 Martii 1910), censeatur obtinere in proposito casu.

Jamvero nemo neget sacerdotem ab assistentia sua praestanda gravi incommodo retineri, attenta scil. gravitate poenae comminatae, necnon ratione habita molestiae quam secum ducit actio judiciaria, signanter ab infenso magistratu, contra delictum legale inducenda.

Incommodum quidem illud directè afficit sacerdotem, indirectè tamen attingit etiam sponsos, quatenus non possint coram sacerdote contrahere, quin eum gravi admodum incommodo exponant; ipse autem tenor canonis 1098 hoc unicè exigit ut obstet grave incommodum matrimonii celebrationi coram sacerdote, quin determinet quosnam directe afficere debeat illud inconveniens. Caeterum, in casu analogo insulae Curaçao, in nostrum sensum soluto a S. C. de P. F., anno 1785 (*Collectanea,* n. 1515), pariter indirecte tantùm attinguntur sponsi.

b/ Favent etiam decreta S. C. de P. F., 24 Martii 1909 et S. C. de Sacr., 26 Nov. 1909, quorum decretorum tenorem et interpretationem proposuimus apud *N. R. th.,* XLV, p. 716 ss., coll. XLVI, p. 469 ss.

c/ Non pauci interpretes in hunc sensum explicant dispositionem can. 1098, quasi applicari possit casui proposito, idque, quod nota, etiam prae oculis habito invocato decreto 31 Jan. 1916 (1).

Docent scil. dictam can. 1098 interpretationem ejusque ad nostrum casum extensionem, attentis modò invocatis argumentis, esse *saltem probabilem:* quod sedulò attende sufficere, siquidem, ad normam can. 15, « leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent ».

---

quatenus vero id obtineri nequeat, recurrendum est ad S. Congr. in singulis casibus ». *N. R. th.,* 1920, p. 624.

(1) Ita SALSMANS, *Variationes,* n. 500, et *Institut. theol. mor.,* 1921, II, n. 474; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 405; LEITNER, o. c., p. 208 s.; BREMER, apud *Th. Pr. Quartalschr.,* 1917, p. 747 ss. et *Zeitschr. f. k. Theol.* 1917, p. 809 ss.; KNECHT, o. c., p. 148; HARING, *Das Eherecht,* p. 22 s., et *Th. pr. Quartalschr.,* 1918, p. 403; *Rev. eccl. de Metz,* 1920, p. 308; MARC, *Instit. mor.,* 1920, n. 2075; WOUTERS, *De forma,* p. 40 ss.; BEYERSBERGEN, apud *Ned. kath. Stemmen,* 1916, p. 362 ss.; CHELODI, o. c., n. 137; VLAMING, o. c., n. 590; HILLING, *Archiv. f. k. Kirchenr.,* 1916, p. 310 ss.; CAPPELLO, o. c., n. 694; VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III. n. 797, coll. *Periodica,* 1922 (XI), p. (13). In alium vero sensum opinantur LINNEBORN, o. c., p. 41 s. et 372; OESTERLE, apud *Th. pr. Quartalschr.,* 1922, p. 238 ss. et 407 ss.; SCHÄFER, o. c., p. 278 s.; *Civilta cattolica,* 1920, p. 351 s.; STANDAERT apud *Collat. Gandav.,* 1921, p. 5 ss.; BOUDINHON, *Can. Cont.,* 1916, p. 75 s.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 546 ss., qui Auctor, sub n. 548, in nota 72, insistit in gravi periculo quod daretur in applicanda benigniori sententia.

2° *Ex alia parte,* videtur jurisprudentia S. Sedis et Stylus Curiae inclinare in sensum solutionis negantis, illicitam scil. ac imo invalidam declarantis can. 1098 applicationem casui proposito, absque recursu ad S. Sedem.

Id non censemus eruendum ex decreto 31 Jan. 1916 et responso ad Ordinarium Metensem: meritò namque ita intelligitur dictum decretum, quasi merè imponat normam practicam agendi in casu quo recursus Romanus est possibilis (1), intacta relicta quaestione de valore ac de liceitate praxeos privilegium can. 1098 applicantis in casu urgente in quo recursus est impossibilis.

Magis verò nos movet responsum, die 9 Martii ejusdem anni 1916, privatim datum Ordinario Paderbornensi, cujus tenorem nuper reperimus apud LINNEBORN, o. c., p. 372. Nimirum ad consultationem factam circa matrimonia plura sub bello sic contracta vel et postea contrahenda (invocata etiam sententiae benignioris auctoritate), respondendum censuit S. Congr. de Sacram.: « Ordinarius recurrere non dedignetur in singulis casibus, juxta decretum editum ab hac S. Congr., die 31 Jan. 1916. Quod spectat ad praeteritum, eidem Ordinario tribuitur facultas *sanandi* matrimonia, de quibus in praedictis litteris, constito tamen sibi prius in singulis casibus de perseverantia consensus *putatorum* conjugum caeterisque servatis de jure servandis ».

Quibus omnibus attentis, non jam auderemus ad matrimonii coram solis testibus celebrationem, in casu intento, privata auctoritate procedere, nequidem urgente necessitate. Intelligimus tamen quomodo varii Auctores, uti CREUSEN, VERMEERSCH et CAPPELLO, ll. cc., non obstantibus quibuscumque, probabilitati benignioris sententiae inhaerere pergant, eamque in praxim deduci posse doceant: legis namque dubiae interpretatio debet promulgari, nec Stylus Curiae unico responso firmatur, quale est responsum privatum ad Ordinarium Paderbornensem, in quo caeteroquin deest approbatio Pontificia (2).

Nota 1. Quando, ob casus urgentiam, S. Sedes adiri non potest, semper patet, pro severioris sententiae patronis, recursus ad *matrimonium conscientiae* (infrà, n. 160), severis adhibitis cautelis ut

---

(1) Attentis scil. gravibus incommodis quae nata essent oriri ex imprudenti ac intempestiva privilegii applicatione, tum ex parte auctoritatis civilis, sanctiones poenales severius forsan urgentis, tum ex parte abnormis conditionis conjugum, coram foro civili non conjunctorum, meritò noluerit S. Sedes dictam applicationem privato judicio passim relinquere.

(2) Ex sua parte decrevit Concil. Mechlin. IV, n. 214: « stricte prohibetur ne quis, extra periculum mortis, ad normam can. 1098, matrimonium contrahere praesumat, antequam tota res ad Ordinarium loci delata ejusque responsum acceptum sit ».

strictè servetur secretum, ac ita effugiantur sanctiones poenales legis civilis.

138. Speciales cautelae pro casu quo privilegium applicatur.

Nota 2. Casu quo, absque praeviis formalitatibus civilibus, ad matrimonium coram duobus tantum testibus celebrandum posse procedi censeatur, opportunè serventur quaedam cautelae, salvis suprà descriptis, sub n. 134, de ipso modo celebrandi matrimonium et de procuranda inscriptione in registro. Nimirum curetur, juxta tenorem rescripti ad Ordinarium Brugen., 16 Junii 1922 (n. 136), ut sponsi promittant et promissionem subsignent, sese caeremonias civiles esse impleturos, quantocius poterunt; documentum autem promissionis servetur in curia episcopali. Insuper praecaveatur scandalum et offensio populi, quibus facilè locus erit, cum, ob vitandas difficultates cum lege civili, passim occultanda sit hujusmodi matrimonii celebratio: suggeratur scil. conjugibus ut ad aliam regionem discedant vel, si non valent discedere, ut diversam domum occupent et clam conveniant, vel prudenter et cautè divulgetur illorum conditioni esse provisum coram auctoritate ecclesiastica, quin expresse dicatur illos matrimonium contraxisse.

139. 1° Principia :

PARAGRAPHUS SECUNDA. *Extensio legis.*

I. Principia.

a/ *Lex sese extendit ad omnia loca ;*

PRINCIPIUM PRIMUM. *Disciplina praesens sese extendit ad omnia loca.*

Continetur nempe, absque territorii restrictione, inserta in Codice ad universum orbem destinato, nec limitationem territorialem obtinuit, quemadmodum disciplina capitis *Tametsi,* ex modo promulgationis (1): censetur namque ubique promulgatus novus Codex per Constitutionem apostolicam Benedicti XV, *Providentissima,* 27 Maii 1917, cum clausula ut vim obligandi acceperit inde a 19 Maii 1918 (2).

(1) Caput *Tametsi* erat publicandum *in singulis parochiis,* ea lege ut « in unaquaque parochia suum robur post 30 dies habere inciperet a die primae publicationis, in eadem parochia factae, numerandos ». Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 568 ss.

(2) Decretum *Ne temere* censebatur promulgatum per ipsam ejusdem transmissionem Romae factam ad Ordinarios, imo per ipsum transmissionis mandatum; nec proinde exspectandum erat momentum quo ad Ordinarios pervenit Decretum, nec referebat etiam quod ad unum alterumve Ordinarium ex oblivione non fuerit transmissum; obligandi vim non debebat accipere nisi a die Paschatis sequentis anni 1908. — Modus promulgandi Codicem, sicut et modus promulgandi Decretum *Ne temere,* derogationem constituit ad normam recens inductam promulgandi decreta et leges S. Sedis, quae nempe, vi Constitutionis Pii X *Promulgandi,* promulgari censentur per insertionem et in vulgus editionem in Commentario officiali de Apostolicae Sedis actis; cui dispositioni accessit, in novo Codice, sequens restrictio, quatenus scil. decreta disciplinaria seu leges « vim suam exerunt tantum expletis *tribus mensibus* a die qui Actorum numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa

140.
b/ afficit omnes personas catholicas latinas ;

PRINCIPIUM SECUNDUM. *Disciplina nova attingit omnes personas baptizatas quae sunt catholicae latinae: exemptis* scil. 1° *acatholicis, sive baptizatis sive non baptizatis,* ac 2° *catholicis orientalibus.*

Catholici autem, in hoc negotio, censentur illi qui vel a/ ad religionem catholicam pertinent aut quondam ad illam pertinuerunt *professione,* sive in ea educati fuerint sive ad eam fuerint unquam conversi ex haeresi vel schismate; vel b/ ad eam pertinent *baptismate,* utpote in Ecclesia catholica baptizati; non refert autem utrum, post catholicam professionem aut baptismum in Ecclesia catholica susceptum, ab hac Ecclesia defecerint necne. Reliqui habendi sunt, in hoc negotio, uti *acatholici:* omnes scil. illi qui sive baptizati non sunt seu infideles existunt, sive baptizati quidem sunt, sed in haeresi vel schismate baptismum susceperunt, nec unquam ad Ecclesiam catholicam pertinuerunt professione (1). Cf. can. 1099, § 1.

Porro censentur *in catholica Ecclesia baptizati:* imprimis illi qui, *in infantia* ex parentum vel tutoris voluntate, ad ecclesiae catholicae fontes fuerunt delati, vel, ex parentibus catholicis oriundi, a laico in necessitate fuerunt baptizati, vel, ab acatholicis nati, a catholico fuerunt in necessitate baptizati (2); item illi qui, *in adulta aetate,* i. e. post septennium, propria voluntate sese baptizandos obtulerunt ministro catholico (3). Possunt autem haberi tanquam ex *haeresi vel schismate conversi,* adeoque *professione catholici,* non modo illi acatholicè baptizati qui, in adulta aetate, propria voluntate ad

---

lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta ». Ita can. 9. Promulgandi modus pro norma nunc vigens differt a modo olim adhiberi solito pro promulgatione legum, quique, usque ad Constitutionem Pii X, in hoc consistebat quod leges affigebantur ad valvas Majorum Basilicarum Romae.

(1) Notionem *catholici* et *acatholici* proposuimus, in textu, prouti *in hoc negotio* sumenda est utraque vox; alibi sumitur in alia acceptione. Nimirum

1° Vox *catholicus* habet, in Codice, hunc duplicem sensum: vel a/ sensum *strictum,* in quo designat illum qui hic et nunc ad Ecclesiam catholicam pertinet — et hoc sensu venit in negotio matrimonii mixti, sub can. 1060 ss.; vel b/ sensum *latum,* in quo designat non tantum illum qui hic et nunc ad Ecclesiam catholicam pertinet, sed etiam illum qui ad illam olim pertinuit sive professione sive baptismate — uti in praesenti materia, de qua in can. 1099.

2° Vox *acatholicus* pariter in duplici sensu adhibetur in Codice: et quidem vel a/ sensu *stricto,* pro persona baptizata quae hic et nunc adscripta est sectae haereticae aut schismaticae — et hoc sensu adhibetur in can. 1061 ss., ubi de mixta religione (item in can. 2319); vel b/ sensu *lato,* pro omni persona, sive baptizata sive non baptizata, quae ad Ecclesiam catholicam non pertinet nec unquam pertinuit, sive baptismo sive professione — et hoc sensu venit hîc, in can. 1099, sicuti pariter in can. 1132, 1350, § 1 et 1399, n. 1 et 4, necnon in can. 693, § 1; 1149 et 1152. — Cf. hîc *Ned. Kath. Stemmen,* 1925, p. 8 ss.

(2) Id confirmatur ex responso ad casum particularem dato a S. C. de P. F., die 1 Aprilis 1922, apud *Ami du clergé,* 1925, p. 508, necnon apud *N. R. th.,* 1925, p. 497 s.

(3) Cf. VERMEERSCH, *Ne temere,* p. 87; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., p. 304 ss.; *Theol. Pr. Quartalschr.,* 1912, p. 107 s. Cf. etiam VLAMING, o. c., n. 289, coll. n. 588, ubi notat hîc solum attendendum Baptismum qui ex fine operantis (baptismum mandantis aut conferentis aut propria voluntate suscipientis) baptizatum formaliter deputat *externae Ecclesiae catholicae communioni.*

Ecclesiam catholicam transierunt et cum ea reconciliati sunt, sed etiam illi quorum parentes, in eorum infantia, et ipsi conversi, illos catholicè educandos et catholicis adnumerandos curaverant (1).

Quod spectat *dubiè baptizatos:* cum, juxta can. 1014, in dubio standum sit valori matrimonii, donec contrarium probetur, validum videtur habendum matrimonium sine forma praescripta celebratum a parte dubie baptizata cum parte infideli vel dubie baptizata, aut cum parte acatholica vel catholica orientali.

Catholici orientales, quos pariter eximit Codex (can. 1099, § 1, num. 3) et jam exemerat Decretum *Ne temere* (2), non sunt universim illi qui in Oriente degunt, sed illi qui pertinent *ad ritus orientales,* ubicumque degentes; exempti jam declarabantur a S. C. C., 1 Febr. 1908, ad 1[m] (3).

141. c/ non datur exemptionis communicatio.

PRINCIPIUM TERTIUM. *Non communicatur exemptio unius partis alteri.*

Dictum principium eruitur ex tenore can. 1099, § 1, n. 2.

Sufficit proinde, ad hoc ut matrimonium legi clandestinitatis sit obnoxium, quod *alterutra* pars lege teneatur, adeoque sit catholica (sensu exposito) latina.

Contrarium principium vigebat sub jure Tridentino, quatenus regulariter (4) exemptio unius communicabatur alteri, adeo ut, alterutra parte

(1) Cf. VAN DEN ACKER, o. c., p. 94 s., qui auctor, p. 96, negat paritatem cum infante catholice baptizato et a parentibus sectae acatholicae adscripto; hic non censeretur sic transire ad sectam acatholicam, cum odiosa sint restringenda.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 298 ss., coll. p. 186, in nota, ubi advertimus hanc exemptionem conformem esse normae generali quae viget pro Orientalibus, quamque confirmat novus Codex, can. 1°, ubi statuit suis canonibus non obligari Ecclesiam Orientalem, « nisi de iis agatur quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt ». Nimirum novis Pontificiis Constitutionibus non ligantur Orientales nisi « a/ in materia dogmatum fidei, b/ si Papa explicitè in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis, c/ si implicitè in iisdem Constitutionibus de iis disponat, ut v. gr. in casibus appellationum ad futurum Concilium », quatenus scil. etiam Orientalibus prohibetur a sententia pontificia appellare ad futurum Concilium, quia hujusmodi prohibitio nititur in dogmate: nullus autem ex hisce casibus hic verificatur. Cf. *Collectan.,* n. 1999; OJETTI, *Jus Pianum,* n. 133 et 134.

(3) Exemptio a Decreto *Ne temere* derogationem partim accepit respectu Ruthenorum. Cf. *Theol. Pr. Quartalschr.,* 1911, p. 365 ss. et p. 905, circa conditionem hac in re *Ruthenorum,* attento decreto S. C. de P. F. pro Negotiis ritus orientalis, 5 Maii 1911, vi cujus Decretum *Ne temere* extendebatur ad dioeceses Ruthenas provinciae Galaciae, non autem ad alias; ratio hujus specialis disciplinae pro Galacia erat in hoc quod ibidem Episcopi, ante decretum 1 Febr. 1908, jam introduxerant disciplinam Pianam inter Ruthenos, quodque S. Sedes opportunum judicaverit factum illud consecrare. Cf. etiam Decr. S. C. de P. F., pro Neg. rit. orient., 18 Aug. 1913, in quo, sub art. 36, statuitur, pro Ruthenis Canadiensibus: « matrimonia tum inter mixti ritus, tum inter fideles Ruthenos, servata forma Decreti *Ne temere* contrahi debent ».

Circa disciplinam inter Orientales, a Decreto *Ne temere* exemptos, vigentem, et quousque apud illos vigeat lex clandestinitatis, vide *votum* Consultoris ad decretum S. C. C., 28 Martii 1908, apud *Anal. eccl.,* 1908, p. 115 ss.; coll. VERING, o. c., p. 873; CAPPELLO, o. c., n. 701.

(4) Alia solutio novae normae conformis fuit admissa, vi decreti S. C. Neg. extraordinar. praepositae, 12 Jan. 1899 et C. S. O., 3 Junii 1892, pro insula Melitensi, de qua cf. *comment.,* p. 41, in fine; *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 188 et 467 s.

exempta, matrimonium non fuerit clandestinitatis legi obnoxium. Haec autem exemptionis communicatio, uti notat Consultor ad decretum S. C. C. 28 Martii 1908, apud *Anal. eccl.*, 1908, p. 121 s., neque ex natura matrimonii, neque ex natura legis irritantis matrimonium sine certa forma celebratum, deducitur, sed erat, ex positiva dispositione, sub oeconomia Tridentina, inducta: unde conformior est nova disciplina indoli contractus, utriusque partis habilitatem requirentis, necnon indoli legis, formam contractus determinantis.

Abrogatum fuit communicationis exemptionis principium in Decreto *Ne temere:* quod eruitur tum ex art. XI, § 2, tum ex solutione dubii 1[1] a S. C. C., 28 martii 1908, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 467 s. (1).

Ex quibus praemissis principiis deducuntur

II. **Applicationes et normae.**

142. Applicationes et normae.

PRIMA NORMA: *Catholici* (in sensu exposito) *latini, ubicumque terrarum matrimonium contrahentes, sive inter se contrahant sive cum acatholico aut catholico orientali, legi clandestinitatis obnoxii sunt, adeoque in omni loco tenentur pro valore observare formalitates suprà descriptas.*

SECUNDA NORMA: *Acatholici* (sensu exposito), *catholici orientales, matrimonium quomodocumque inter se contrahentes* (2), *dictae legi nullibi sunt obnoxii; ipsa autem tenentur, juxta normam primam, quando contrahunt cum parte catholica latina.*

Altera pars normae secundae est applicatio principii tertii, eaque urgetur *etiamsi praeviè obtenta fuerit dispensatio...*: a. v. Ecclesia, dispensans super mixta religione vel cultus disparitate, non censetur dispensare super impedimento clandestinitatis; idque contra generalem dispositionem juris, quae olim vigebat (infrà, n. 591, sub 5), quatenus Ecclesia, dispensando super disparitate cultus, etiam dispensabat cum parte fideli super omnibus impedimentis a quibus exempta existebat pars infidelis.

Debet igitur matrimonium hujusmodi pro valore celebrari coram parocho loci ejusve delegato, parocho scil. catholico, ad exclusionem ministri acatholici cujuscumque (3).

---

(1) Nimirum *priori* loco dicitur: « Vigent quoque (statutae leges) pro iisdem de quibus suprà catholicis, si cum acatholicis, sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus,... matrimonium contrahunt »; *secundo* autem loco, ad dubium: « Utrum validum sit matrimonium contractum a catholica ritus latini cum catholico ritus orientalis, non servata forma a Decreto *Ne temere* statuta », respondetur: « *negative* ».

(2) *Inter se*, i. e. acatholicus, sive cum acatholico contrahens, sive cum catholico orientali; et item pro catholico orientali, sive cum catholico orientali contrahat, sive cum acatholico.

(3) Ministri graeci-schismatici sunt quidem sacerdotes, sed non sunt parochi vel quasi-parochiae *legitime praepositi*. Cf. suprà, n. 107; *Il monitore*, 1912, p. 422 s.

143. Derogatio inducta, abrogata exemptione duplici olim vigente sub disciplina Decreti Ne temere.

Derogatio inducitur ad proposita principia et normas, quatenus personae quaedam in catholica Ecclesia Latina baptizatae, seu ratione baptismi catholicae (quae proinde, attentis normis, obnoxiae forent clandestinitatis legi, sive inter se contrahant, sive cum parte acatholica, sive cum parte catholica orientali), dicta lege non tenentur « *quoties cum parte acatholica contraxerint* »: eximuntur nempe non obstante baptismo in Ecclesia catholica Latina suscepto, « *ab acatholicis nati... qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt* ». Can. 1099, § 2 (1).

Utrum nunc illa derogatio sit habenda uti completa, adeo ut descriptae personae aequiparentur, in hoc negotio, acatholicis, adeoque a forma matrimonii eximantur, sive cum parte acatholica contrahant, sive inter se, sive cum parte orientali: utrum contra derogatio sit interpretanda uti restricta et limitata, quatenus scil. exemptio non attingat nisi sola matrimonia ab illis contrahenda cum parte acatholica, non vero matrimonia ab illis inter se ineunda vel ineunda cum parte orientali: quaestio est disputationi obnoxia. Porro, omnibus attentis, et ratione habita Auctorum in hunc sensum inclinantium (2), tanquam extrinsece saltem probabilis haberi posse videtur sententia derogationem proponens uti completam, quantumvis tenor can. 1099, § 2, alteri sententiae favere videatur (3); posset proinde, favore can. 15, tutò deduci in praxim, donec S. Sedes mentem clarius aperuerit (4).

Olim, sub disciplina nimirum Decreti *Ne temere*, admissa fuit *exemptio duplex:* una in gratiam *Imperii Germanici* (5); altera, serius inducta, in favorem *regni Hungariae* (6), quatenus scil. Decreti *Ne temere* for-

(1) Supponitur *uterque* parens acatholicus, in sensu vocis sub n. 140 determinato; non applicatur proinde exceptio natis ex matrimonio mixto. — Quaestio de hac categoria excepta mota fuerat coram S. Sede. Decretum autem C. S. O., 31 Martii 1911 (A. A. S., III, p. 163 s.), ad quaestionem circa modum agendi cum matrimonio « eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia catholica baptizati, postea ab infantili aetate in haeresi seu infidelitate sine ulla religione adoleverunt, quotiescumque cum parte acatholica contraxerint »; responderat: « *recurrendum esse in singulis casibus* ».

(2) Cf. Auctores allatos, cum relata discussione, apud *l'Ami du clergé*, 1924, p. 172 et 173. In contrarium sensum opinatur AUGUSTINE, o. c., V, p. 296 ss.

(3) Circa hujus derogationis extensionem ad impedimentum disparitatis cultus, cf. infrà, n. 586.

(4) Cf. *Ephem. theol. Lovan.*, 1924, p. 563.

(5) In decreto *Ne temere*, post tenorem art. XI, § 2, suprà relatum, occurrebat clausula derogatoria: « *nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum* ». Quam clausulam, in varium sensum ab Auctoribus intellectam (cf. *comment.*, p. 42 ss.), ita primitus est interpretata S. C. C., ut afficeret solum Imperium Germanicum. Ad *dubium* nempe: « An sub art. XI, § 2... comprehendatur tantummodo Constitutio *Provida* Pii PP. X, an potius comprehendatur quoque Constitutio Benedictina et caetera ejusmodi indulta impedimentum clandestinitatis respicientia », responsum est, die 1 Febr. 1908, ad 4^{m}: « Comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida*, non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS^{mo}, et ad mentem ».

(6) Privilegium exemptionis ad regnum Hungariae extendit S. C. de Sacram., die 27 Febr. 1909, attentis peculiaribus adjunctis, quae exponit *Archiv. f. k. Kirchenr.*,

malitatibus *non adstringerentur* matrimonia mixta ibidem ineunda (1).

Hanc autem duplicem exemptionem esse abrogatam expresse declaravit Commissio pro interpret. Codicis 9 Dec. 1917 (2). Inde sequitur quod Constit. *Provida,* 18 Jan. 1906 (*Collat. Brug.,* XI, p. 285 ss.), cujus dispositiones sub Decreto *Ne temere* servabantur pro Germania et Hungaria, rationem habebat legis, potius quam privilegii (3), quodque adeo, utpote lex contraria canoni 1099, fuit ipso facto abrogata (can. 6, n. 1); accedit quod non fuerit concessa nisi *ad tempus* et per modum *provisorii* statuti (4).

1908, p. 763 s. Tenorem decreti cf. apud *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 561 s., collata p. 490, quo altero loco refertur decr. S. C. Conc. 8 Julii 1908, denegantis dictam extensionem ad Imperium Russiacum et regnum Poloniae sub dominatione Imperatoris Russiae degens.

Porro notandum, juxta expressum Secretarii S. Congreg. de Sacramentis responsum, die 5 Martii subsequentis datum, quod « nomine regni Hungariae venit, non modo Hungaria proprie dicta cum Transsylvania, sed etiam partes eidem adnexae, seu omnes terrae ad coronam S. Stephani pertinentes, ac proinde etiam Croatia, Slavonia, Civitas Fluminensis (Fiume); omnia itaque loca sub regimine regis Apostolici nunc constituta ». Ita laudatae Litterae circulares Episc. Hungariae, 16 Martii 1909; cf. LEITNER, *Ne temere,* p. 88 ss. Adverte etiam, juxta tenorem citati decreti 27 Febr. 1909, in radice sanata fuisse conjugia mixta, post publicationem Decreti *Ne temere,* in regno Hungariae absque ejusdem decreti forma contracta.

(1) Pro cujus derogationis ampliori intellectu attende 1° eam non affecisse sponsalia, sed sola *matrimonia;* 2° eam probabilius restrictam fuisse ad sola matrimonia *sensu stricto mixta,* inter catholicam scil. partem et acatholicam baptizatam, non autem extensam fuisse ad matrimonia inter religione dispares: illa namque mixta matrimonia sola comprehenduntur sub Constitutione *Provida,* cujus dispositiones, salvis restrictionibus explicitè factis, hic servabantur et sanciebantur, quemadmodum ex citatis responsis liquet; 3° partem *acatholicam,* cum qua a parte catholica mixtae nuptiae celebrabantur, fuisse sumendam ad normam Decreti *Ne temere,* modò descriptam, non autem sensu sub oeconomia Tridentina admisso: quod authentice docet S. C. C., in decreto diei 1 Febr. 1908, ad 5^{m}; 4° exceptionem fuisse stricte interpretandam; imprimis nempe eam valuisse tantummodo pro matrimoniis in Germania vel in Hungaria celebrandis inter personas *utrimque natas in Germania vel respective in Hungaria* (S. C. C., 28 Martii 1908, ad 3^{m}, coll. decr. S. C. de Sacr., 18 Junii 1909, ad 1^{m}), adeo ut exceptio inducta censeretur habere vim localem simul et personalem; quae tamen dispositio, juxta responsum C. S. O., 12 Aug. 1914 (*Archiv f. k. Kirchenr.,* 1915, p. 306), non habebat vim retroactivam, ac si in ipsa Constit. *Provida* fuisset contenta ; ulterius derogationem factam pro Germania fuisse intelligendam et applicandam *independenter* ab exceptione facta pro regno Hungariae et vicissim, absque ulla reciproca relatione (decr. S. C. de Sacr., 18 Junii 1909, sub 2° et 3°). Unde nupturientes, qui ambo nati erant in Germania, non poterant matrimonium mixtum clandestinum validè inire in regno Hungariae; et, viceversa, nati ambo in Hungaria nulliter contrahebant, extra formam Decreti *Ne temere,* in Imperio Germanico; imo una pars nata in Germania cum altera parte nata in Hungaria mixtum matrimonium invalide inibat clandestine, sive in Germania, sive in Hungaria. Cf., apud *Theol. Pr. Quartalschr.,* 1920, p. 403 s., solutionem casus practici.

(2) FAHRNER, *Das Eherecht,* p. 28; SCHÄFER, o. c., p. 189 s.; LEITNER, o. c., p. 211 s. Similem declarationem dedisse Card. Gasparri, die 30 Martii 1918, refert SCHAEPMAN, *Codex,* p. 70 in nota. Declaratio Commissionis non fuit in A. A. S. inserta. Cf. STUTZ, *Zum neuensten Stand...,* p. 1 s.

(3) Si esset privilegium, vi can. 5, pergeret vigere, cum non sit expresse revocatum.

(4) Revera *mens* S. Sedis in concedenda derogatione in gratiam Germaniae, per decr. diei 1 Febr. 1908, quae mens prius non fuit divulgata, erat « ut scribatur Episcopis Germaniae, ut perpendere velint graviora incommoda quae proveniunt ex matrimoniis mixtis; et hinc supplicare SS^{mo} ut tempore opportuno abrogare Constitutionem *Provida* dignetur ».

Pariter in decreto extensionis ad Hungariam dicitur concessionem fieri *pro nunc;* monentur etiam Episcopi Hungariae, sui muneris esse « christifideles apto modo disponere ad excipienda, qua debet filiali obedientia ac docilitate, ea quae in posterum Apost. Sedes, ad legislationis unitatem in re matrimoniali assequendam, statuere opportunum duxerit ». *Canon. Contemp.,* 1919, p. 581 s.

144. *Alia planè erat extensio legis Tridentinae.*

Nota. Quod spectat 1° *extensionem* legis clandestinitatis *sub jure Tridentino,* illa fusè describitur apud *Collat. Brug.,* t. XII, p. 462 s., et p. 568-580. Sufficiat hic praecipuas memorare moderationes, a novissimae oeconomiae dispositionibus, in hac re, inductas; et quidem

a/ non jam dantur *loca legi non subjecta,* qualia olim erant plura, in quibus non vigebat caput *Tametsi,* v. gr. Anglia, Dania, Norvegia: in hisce nempe regionibus, in quibus matrmonia clandestina valebant etiam inter catholicos contracta, deinceps adstringuntur nuptiae iisdem ac apud nos formalitatibus pro liceitate et ipso valore;

b/ *personae exemptae,* acatholicae nempe et catholicae orientales, *ubique* sunt subductae clandestinitatis legi, Decreto *Ne temere* et Codice statutae, et non restringitur amplius eorum exemptio ad quaedam loca determinata; et ita in nostro Belgio, ubi antea haeretici baptizati invalidè contrahebant matrimonia clandestina, illa deinceps validè ineunt inter se extra formam suprà descriptam;

c/ antea, uti diximus, vigebat, salva exceptione facta pro insula Melitensi, *principium communicationis exemptionis,* adeo ut unius partis exemptio sufficeret ad subducendam legi matrimonii celebrationem: unde conjugia inita a parte catholica cum parte infidèli vel cum parte haeretica, a lege Tridentina qua personali et locali exempta, de se valebant; contrà, sub nova disciplina, abrogato dicto principio, subjectio unius partis communicatur alteri, adeo ut matrimonia disparis cultus et mixta universim obnoxia sint legi clandestinitatis.

Quod autem attinet 2° legis Tridentinae *vim localem* ac *personalem,* principia nitidè exponuntur et applicantur in Causa *S. Christophori di Habana,* coram S. Rota soluta, die 15 Julii 1910, apud A. A. S., II, p. 874 ss., et IV, p. 631 (1), necnon in Causa *Mohilovien.,* soluta, in primo et secundo turno, coram S. Rota, die 27 Julii 1915 et 18 Aprilis 1916, apud A. A. S., VIII, p. 75 ss. et 415 ss., coll. *Canon. Contemp.,* 1916, p. 146 ss. et p. 532 ss., necnon A. A. S., XV, p. 563 ss.

Scholion I. Sanctiones.

145. *Sanctiones.*

Juxta can. 1097, § 3, « parochus qui sine licentia jure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat » (2).

Circa quam dispositionem nota:

1° Afficit parochos qui, extra gravis necessitatis casum (3), sine licentia astiterunt matrimonio illorum quorum neuter habebat in parochia domicilium nec quasi-domicilium nec mensilem commorationem nec vagus actu commorabatur. Non afficit parochum sponsi qui contra regulam

(1) Ibidem agitatur quaestio de impossibilitate servandi legem Tridentinam, quaenam scil. et quousque ab illa excusaverit impossibilitas.

(2) Non jam inseritur sanctio poenalis, quae art. X Decreti *Ne temere* inserebatur, quatenus *parochi,* qui Decreti praecepta suprà exposita violaverint, pro modo et gravitate culpae, *puniantur* ab Ordinario: gravius scilicet si conditio validitatis fuerit neglecta, quam si omissa sit merae liceitatis conditio. — Caeterum dispositio can. 1097, § 3, minus est sanctio *poenalis* quam declaratio obligationis ex justitia.

(3) Juxta BOUDINHON, *Ne temere,* n. 105, melius esset et oeconomiae Decreti (adeoque et Codicis) conformius quod jura stolae remittantur etiam in casu quo matrimonium fuerit ex necessitate celebratum extra locum aliàs debitum; et in hunc sensum citat statutum Parisiense.

celebrat matrimonium loco parochi sponsae: cui proinde non essent remittenda emolumenta stolae, nisi id a jure particulari exigatur.

2° Restitutio est facienda parocho proprio (can. 94), parocho scil. domicilii vel quasi-domicilii paroecialis alterutrius sponsi, et quidem de regula parocho sponsae (1).

3° Debent remitti *emolumenta stolae,* quae occasione nuptiarum forte percepta sunt, illa nimirum emolumenta quae competunt parocho qua tali ex jure stolae, exceptis illis quae ipsi competunt, ratione stipendii, pro missae celebratione; nec illa remittenda sunt quae percepta sunt ab officialibus ecclesiae.

4° *Sub jure Tridentino* praecipiebatur a/ « parochum vel alium sacerdotem qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii *puniri* »;

b/ ut « si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemoriali consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, *ipso jure tamdiu suspensus maneat,* quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur » (2).

Haec porro disciplina est abrogata, et jam censebatur abrogata per Decretum *Ne temere* (3). Et sanè, cum ab ipso Decreti primordio moneamur novum ac completum caput legis induci, « quo sponsalium et matrimonii disciplina regeretur, eorumque celebratio expedita, certa atque ordinata fieret », ad quam disciplinam pertinet legis clandestinitatis sanctio, solae censentur attendendae dispositiones poenales in eodem Decreto occurrentes.

146. Dispositiones legis civilis Belgicae.

Scholion II. Formalitates civiles Belgicae.

Juxta codicem civilem Belgicum, matrimonium est contractus *sollemnis,* requirens scil. observationem quarumdam formalitatum a lege statutarum; quarum aliae requiruntur ad ipsam *existentiam* contractus, aliae autem prescribuntur *sub poena nullitatis.* Nimirum

1° Juxta art. 169: « Le mariage sera célébré *publiquement* devant l'officier de l'état civil de la commune et dans la commune où l'un des époux aura son domicile ou sa résidence à la date de la publication... et, en cas de dispense de publications, à la date de la célébration » (4).

---

(1) Casu quo duo dantur parochi proprii sponsae, in jure communi non determinatur cuinam parocho proprio, domicilii scil. an quasi-domicilii, restitutio sit facienda, sicut non determinatur coram quonam ex illis parochis celebrandum sit matrimonium; ubi vero jure particulari disponitur praeferendum esse parochum in cujus parochia hic et nunc actu moratur sponsa (cf. suprà, n. 125), huic parocho restitutio fiat; quodsi hujusmodi ordinatio non datur, aequum videtur ut utrique parocho, pro media parte, emolumenta remittantur, cum utriusque aequum sit jus. Cf. can. 1236, § 2; *Collat. Brug.,* t. XV, p. 220; SCHAUB, o. c., p. 16, collata p. 14, ubi refert ordinationes dioecesanas, statuentes in casu restitutionem esse faciendam parocho *domicilii* sponsae. Cf. etiam statuta dioeceseos Paderbornensis, apud LINNEBORN, o. c., p. 3681.

(2) Sess. XXIV, cap. 1 *de ref. matr.,* coll. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 368 ss.

(3) Ita GENNARI, o. c., p. 53 s.; DE BECKER, *Ne temere,* p. 44; VERMEERSCH, *Ne temere,* n. 85; CHOUPIN, *Ne temere,* n. 76; HARING, o. c., p. 24, nota (4), anceps haeret; BOUDINHON, o. c., n. 92, prius contradixerat, sed sententiam mutandam censuit apud *Canon. Cont.,* 1908, p. 354 s.

(4) Loi du 26 Déc. 1891, art. 8. Matrimonium igitur celebrandum est coram officiali civili proprio nupturientium qui simul sit officialis loci; potest autem adiri officialis vel domicilii, inde a primo tempore quo fuit acquisitum, vel residentiae

2° Juxta art. 75: « Le jour désigné par les parties, après les délais des publications, l'officier de l'état civil, dans la maison commune (1), en présence de *deux témoins* (2), parents ou non parents,... recevra de chaque partie, l'une après l'autre, la déclaration qu'elles veulent se prendre pour mari et femme (3), il prononcera, au nom de la loi, qu'elles sont unies par le mariage (4), et il en dressera acte sur-le-champ » (5).

Descriptae dispositiones legis inducunt tres distinctas formalitates in matrimonii civilis celebratione observandas: a/ praesentiam officialis civilis; b/ assistentiam officialis competentis; c/ publicitatem matrimonii (6).

Praesentia officialis requiritur sub poena *inexistentiae;* absentia officialis competentis et defectus publicitatis inducunt *nullitatem.* Cf. infrà, n. 478. Quod autem spectat *defectum publicitatis:* constituit sensu proprio, coram lege nostra civili, impedimentum *clandestinitatis,* et quidem, uti modo dictum est, impedimentum *dirimens.* Nota autem *primò* varia esse publicitatis elementa, publicationes nempe antenuptiales ac ipsas celebrationis circumstantias, uti sunt loci publicitas (domus communalis), factum quod apertae sunt januae, praesentia testium, inscriptio in registro et alia similia. Nota *secundò* non annullari matrimonium ex capite clandestinitatis ob merum defectum unius vel alterius elementi publicitatem constituentis, etiam in ipsa celebratione; sed judici latitudo relinquitur ut ipse pro discretione sua, ex aequo et bono, judicet publicitati, omnibus attentis, esse cautum satis, et signanter judicabitur matrimonium ex hoc

---

seu habitationis actualis. Domicilium, juxta art. C. c. 102, est in loco ubi quis habet « son principal établissement ». Residentia actualis sufficit etiam momentanea. Regulariter attenditur domicilium vel residentia momento publicationis. Cf. ROLAND et WOUTERS, o. c., n. 675-679 et n. 682.

(1) « Dans les localités qui n'ont pas de maison commune, la célébration doit avoir lieu au domicile du bourgmestre, où se tiennent les séances du collège échevinal et où se trouve le bureau de l'état civil ». ROLAND et WOUTERS, o. c., n. 685.

(2) Loi du 7 Janvier 1908, juxta quam legem reductus est testium numerus ex quatuor ad duos. Eodem autem die adoptata est lex immutans dispositiones art. 37, ita ut exinde testes esse possint non jam solius sexus masculini, uti antea, sed etiam sexus *feminei:* ita scil. nunc sonat art. 37: « Les témoins produits aux actes de l'état civil devront être agés de 21 ans au moins, parents ou autres, et ils seront choisis par les personnes intéressées. Le mari et la femme ne pourront être témoins dans le même acte ». Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 386 ss. Similis dispositio viget in Gallia inde ab anno 1897, nisi quod ibidem servatur numerus quatuor testium.

(3) Utramque partem successive interpellat, postulando: « N. N., désirez vous prendre pour votre épouse (époux) N. N.

(4) Hoc tenore utitur apud nos: « Nous échevin, faisant... les fonctions d'officier de l'état-civil de la ville de..., déclarons au nom de la loi, que N. N. et N. N. sont unis par le mariage ».

Notat PLANIOL, o. c., I, n. 862, partes quas agit officialis civilis non esse partes meri testis, ad testandum de consensus emissione: « c'est lui qui les (époux) déclare unis devant la loi ». Cf. BALOG, o. c., p. 77 s., ubi notatur, in novo codice Germanico, munus officialis civilis reduci ad officium meri testis, ejusque declarationem nullum habere effectum juridicum sed esse purè caeremonialem. Cf. etiam SEHLING, apud *Neue kirchl. Zeitschr.,* 1908, p. 452; TRAVERS, o. c., n. 679 et 687.

(5) « Les parties contractantes doivent être présentes en personne. Il n'est plus permis aujourd'hui, comme dans l'ancien droit, de se marier par procureur ». ROLAND ET WOUTERS, o. c., n. 688. Idem obtinet in plerisque legislationibus modernis. Attamen, in novo codice Lusitaniae (1910), agnoscitur facultas nubendi per procuratorem; item, salva licentia regia, in Hollandia; in Italia, admittitur matrimonium per procuratorem in gratiam familiae regiae; tandem legislatio Belgica admisit matrimonium per procuratorem, *pro tempore belli,* vi decreti-legis 20 Maii 1916. Pro Gallia, cf. *Can. Cont.,* 1915, p. 129 ss., cum interpretatione legis, 4 Apr. 1915.

(6) Circa dispositiones juris civilis *in aliis legislationibus,* cf. LEHR, o. c. Quod autem spectat matrimonium Belgarum alibi contrahentium vel alienigenorum in Belgio contrahentium, cf. infrà, n. 481 ss.

capite nullum in casu quo intentionaliter occultatum est matrimonium vel occultata nupturientium identitas. Cf. in hac re notandam decisionem Curiae Gandavensis, 17 Nov. 1910 (*Pasicr.*, 1911, II, p. 10 ss.), collata eadem causa acta coram Tribunali Gandavensi, die 7 Julii 1909 (*Pasicr.*, 1910, III, p. 64 ss.), collatis etiam PLANIOL, o. c., I, n. 1018 ss.; VAN HEMEL, o. c., p. 24 ss. (1).

Scholion III. Jus antiquum.

1° Apud *Hebraeos, Schidduchin* seu sponsalibus de futuro succedebant sponsalia de praesenti, *Kidduschin* nuncupata; deinde, post aliquod temporis intervallum, sequebatur matrimonii sollemnizatio, cum deductione sponsae in domum et thalamum sponsi ac variis caeremoniis et actionibus symbolicis (2). Cf. FREISEN, o. c., p. 92 ss., quem suprà, n. 98, notavimus essentiale elementum matrimonii posuisse in deductione sponsae in thalamum et copula carnali. Cf. etiam *Realencyklop.*, t. V, p. 741 ss.; MUSCETTULA, o. c., p. 229 ss.

147. Jus Romanum antiquum.

2° *In Jure Romano* duplex exstabat species justi matrimonii (3): matrimonium *cum manu* (*Manusehe*), seu cum mancipatione sponsae sub auctoritate seu manu mariti ejusve patrisfamilias; et matrimonium *sine manu*, quatenus uxor manebat sui juris vel sub potestate proprii sui patrisfamilias (4).

---

(1) Quod spectat publicationes et publicitatem matrimonii, si *extra Belgii territorium* celebrari contingat, observa, juxta novum tenorem art. 170 C. civ., per legem Belgicam 20 Maii 1882 moderatum, jam certò non requiri publicationes antenuptiales (quas anterior tenor exigere videbatur), imò nec etiam postulari ad valorem publicitatem, qualem modò vidimus requiri pro matrimoniis in Belgio celebrandis; supposita namque observatione formalitatum loci in quo celebratur matrimonium, non exigitur pro valore nisi ut serventur dispositiones sub poena nullitatis insertae in capite praecedenti Codicis (cap. 1, tit. V), inter quas dispositiones non occurrit praescriptio circa matrimonii publicitatem (a. 165 et 191). Cf. in hunc sensum decisionem Curiae Bruxellensis, 30 Nov. 1907, apud *Pasicrisie*, 1908, II, p. 44 ss., cum nota; *Revue de droit Belge*, in parte adnexa ad *Pasicrisie*, 1910, p. 419 ss. Contrà decisio Curiae Gandavensis 17 Nov. 1910 (*Pasicrisie*, 1911, II, p. 10 ss.), urgens dispositionem art. 191, circa publicitatem matrimonii, esse generalem, eamque proin afficere matrimonia non tantum in Belgio celebranda, sed etiam alibi. Cf. etiam TRAVERS, o. c., n. 719 ss.

Censetur igitur validum matrimonium a Belgis contractum in Statu, Conventioni Hagae-Comitum adhaerente, juxta formam celebrationis in hoc Statu praescriptam, quin publicationes fuerint in Belgio peractae idque non obstante alinea 2° articuli 5[1] dictae Conventionis, in materia matrimoniali.

(2) Juxta CASTELEIN, o. c., p. 536, « les ornements habituels de la mariée étaient, outre beaucoup de bijoux, un beau turban, appelé péer, une couronne d'or ou dorée, une ceinture brodée, des vêtements blancs embaumés de parfums et parfois brodés de fils d'or. Le trait distinctif de sa toilette était un *voile*, qui couvrait toute sa personne et qui symbolisait sa soumission à son époux ».

(3) Praeter *justas nuptias* admittebatur, in Jure Romano, triplex species matrimonii *minus perfecti: matrimonium juris gentium* seu matrimonium *injustum*, pour les peregrini; *concubinatus* (concubinat), seu matrimonium inaequale, quod in usu erat maxime inter liberum ejusque liberatam (affranchie); necnon *contubernium*, seu matrimonium inter servos vel inter liberum et servam. — Quod in specie spectat *concubinatum*, quomodo, saltem sub Imperio, constituerit statum legalem, licet inferioris notae, in quo mulier non habebat titulum uxoris sed concubinae nec participabat in conditione viri, ad modum matrimonii morganatici, et proles erant illegitimae, cf. DARENBERG ET SAGLIO, o. c., V° *Concubinatus*, I[2], p. 1436; VANTROYS, o. c., p. 22-27; PEYTEL, o. c., p. 42 ss., coll. p. 47 et 52-54; CHARDON, o. c., p. 379 ss., et ENGLMANN, o. c., p. 2 s. Hujusmodi concubinas quantumvis coram lege civili inferiorem notam habentes, uti legitimas uxores habebat Ecclesia, quemadmodum constat ex c. 4, D. XXXIV, collatis c. 5 et 6. Cf. etiam PETERS, o. c., p. 30 ss.

(4) Cf. P. WILLEMS, *Droit Romain*, p. 60 s.; DESFORGES, o. c., ubi, p. 27-36, exponit quomodo et quanam de causa formae primitivae *Manusehe* successerit matrimonium sine manu, quae altera forma inde a saeculo 3[1]° nostri aevi vix non sola in praxi vigebat. Cf. DARENBERG ET SAGLIO, o. c., V° *Manus*, III[2], p. 1586 s.

Porro ad matrimonium *sine manu* contrahendum, nulla forma erat jure praescripta pro consensus praestatione, ac solo mutuo consensu constabat (vocatur *Konsensehe*) (1); matrimonium autem *cum manu* triplici modo iniebatur, per *confarreationem* nempe, per *coemptionem* et per *usum*, ejusque celebrationi adnectebantur quaedam sollemnitates, quae, si non ipsam matrimonii celebrationem, saltem auctoritatis transmissionem afficiebant (2).

Hucusque determinatio *juris* Romani: postea *de facto* consuetudine introductae sunt variae sollemnitates ac caeremoniae, praeter juris statutum et legalem sanctionem observari solitae, quae etiam usurpatae sunt in nuptiis *sine manu* (3); sunt autem pleraeque mutuatae ex legalibus praescriptionibus matrimonii confarreati, absque praesentia tamen flaminis et pontificis (4). Cf. PICHON, *Hommes et choses de l'ancienne Rome*, Paris, 1911, p. 21 ss.

148. Jus Germanicum vetus.

3° *In Jure Germanorum antiquo* non videntur multa fuisse legaliter statuta pro nuptiis celebrandis, sed variae sollemnitates in diversis regionibus erant consuetudine in usum deductae. Hoc sufficit notasse, cum *Friedberg* (5), nuptias praevia desponsatione fuisse celebratas publicè coram parentibus et propinquis, cum festivitatibus et conviviis et cum traditione sponsae, a mundualdo peragenda, inter manus sponsi; passim etiam adhibebatur ministerium alicujus oratoris (*Fürsprecher*), uti vocabatur, vel paranymphi, totam festivitatem moderantis. Regulariter matrimonii celebrationem comitabatur translatio dominii seu mundii e manibus

(1) *Deductio uxoris in domum mariti* non erat forma essentialiter pertinens ad matrimonii celebrationem, sed signum erat, uti suprà diximus, praestiti consensus. Cf. n. 95 et ll. cc.

(2) Pro matrimonio *per coemptionem* adhibebatur symbolica caeremonia coram libripende et quinque testibus. *Usus* in hoc consistebat quod matrimonium initum *sine manu* sponte sua transibat in matrimonium *cum manu*, per cohabitationem unius anni trinoctio non interruptam. Sollemnitates legales *matrimonii confarreati* (familiis patriciis reservati) in hoc erant, quod iniebatur « devant le pontifex maximus et le flamen dialis, en présence de dix témoins; avant de le célébrer, on consultait les auspices et un sacrifice était offert aux dieux ». Cf. GLASSON, o. c., p. 161, ubi addit: « Le mariage ainsi contracté s'appelait confarreatio, à cause d'un pain de farine que les époux devaient rompre et manger ensemble ».

(3) Omittebantur illae sollemnitates in matrimonio viduae. DARENBERG ET SAGLIO, o. c., V° *Matrimonium*, III², p. 1654 s.

(4) Descriptionem vide apud DARENBERG ET SAGLIO, o. c., V° *Matrimonium*, l. c. et apud GLASSON, o. c., p. 168 ss. Inter alia juvat notare nupturam puellam jam ante nuptias mutasse vestitum: « Déjà quelque temps avant le mariage, la fiancée quittait ses vêtements de jeune fille (*toga praetexta*) et les offrait avec ses objets d'amusement aux dieux, notamment aux lares de la maison paternelle. On la revêtissait d'une *tunica recta;* sa taille était ornée d'une ceinture de laine (*cingulum*) et on lui plaçait sur la tête un voile rouge (*flammeum*) qui remplaçait le filet des jeunes filles. Ses cheveux étaient tressés d'une manière spéciale, retenus par une épingle symbolique appelée *hasta celibaris*, et ornés d'une couronne de fleurs ». Quant à la *deductio in domum:* « la mariée était enlévée avec emploi d'une violence simulée des bras de sa mère, et conduite au domicile de son mari, où l'accompagnait un pompeux cortège de musiciens, de chanteurs, de porteurs de flambeaux, d'invités. Arrivée au domicile conjugal, la nouvelle épouse devait oindre d'huile et de graisse la porte de sa nouvelle maison, puis elle franchissait le seuil de la porte et était introduite dans *l'atrium*, où son mari la faisait participer à l'eau et au feu pour lui montrer qu'elle allait prendre part à sa vie et à son culte domestique ».

(5) O. c., p. 24.

mundualdi sponsae intra manus mariti (1); nullatenus vero mundii illius translatio est cum ipsius matrimonii celebratione confundenda (2).

149. Modus probandi matrimonium; in foro Ecclesiae;

Scholion IV. De Probatione matrimonii.

1° *In Foro Ecclesiae.*

Potest matrimonii celebratio *probari* quocumque probationis modo; *ordinaria* autem probatio pro nuptiis in facie Ecclesiae celebratis, erit inscriptio in registro, vel testimonium parochi aut testium qui adfuerint. Quod spectat matrimonia olim extra formam Tridentinam, vel etiamnum extra formam Codicis, validè celebrata, si per testes rite probari nequeunt, admitti potest, positis ponendis, testimonium ipsorum conjugum; quod etiam valet pro casu quo, in favorem matrimonii in forma Codicis celebrati, deficit legitima per registrum vel per testes probatio aut nonnisi admodum difficulter praestari potest, uti facile contingit pro matrimoniis in extera regione celebratis, et non semel continget post bellum, in locis in quibus destructi sunt libri matrimoniorum. Nimirum a/ si una pars negat, altera vero affirmat, asserentis est probare (3); b/ si utraque pars sub fide juramenti negat, non habentur uti conjuges; c/ si ambo affirmant et assertionem juramento confirmant, regulariter standum est eorum assertioni, nisi, ipsis affirmantibus occultam celebrationem, praecesserit vel secutum sit alterum matrimonium publice celebratum: favetur scil. matrimonio publico, donec aliae probationes afferantur pro matrimonio occulto vel contra matrimonii publici valorem (4).

Invocari etiam potest probatio possessionis status; praesumitur etiam matrimonium ex facto copulae sponsalia subsequentis, quae praesumptio olim erat juris et de jure.

150. in foro civili Belgico.

2° *In Foro civili Belgico.*

Regula generalis statuitur in art. 194: « Nul ne peut réclamer le titre d'époux et les effets civils du mariage, s'il ne représente *un acte de célébration inscrit sur le registre de l'état civil* »; haec scil. est *sola* probatio

(1) Circa quosdam usus symbolicos apud Germanos olim adhiberi solitos in signum dominii maritalis simul et tutelae, cf. SOHM, *Das Recht*, p. 65 ss. Ita in signum dominii maritalis simul et tutelae, sponsus ponebat pedem super pede sponsae (contrà, in Confirmatione confirmandus ponit pedem super pedem patrini, juxta *Pontificale*). Item traditio *Hut und Mantel:* « Hut » erat symbolum dominii mariti et « Mantel » symbolum tutelae erga sponsam. Cf. etiam ROCHE, o. c., p. 77 et 74. Viguit etiam mos praebendi calceamentum, quatenus sponsus calceamentum quod ipse prior assumpserat assumendum praeberet sponsae. Dicebatur: mit einem in dem Schuh steigen.

(2) Cf. FREISEN, o. c., p. 105-110, coll. p. 119.

(3) C. 28, X, IV, 1, attenta tamen difficultate quam facit c. 1, X, IV, 3, et quam solvere conantur WERNZ, o. c., IV, n. 187, et GASPARRI, o. c., II, n. 878.

(4) Hanc disciplinam, in specie quod spectat normam sub c/ propositam, confirmavit S. C. de Sacram., in decreto *Venitiarum*, 6 Martii 1911, circa probationem matrimonii initi in America, quando « documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et per longum tempus, cum interea rerum adjuncta moram inquisitionis non patiantur ». Respondit nempe S. C.: Si legitimae probationes, per documenta scil. vel tertium testimonium studiose quaesitae, haberi nequeant, « deferatur partibus juramentum, quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tanquam legitimo matrimonio conjunctae, earumque proles ut legitimae. Excipiendi tamen sunt casus in quibus jus plenam probationem requirit, ex. gr. si agatur de praejudicio alterius matrimonii (puta matrimonii subsequentis legitimè probati), vel de ordinibus suscipiendis » (ad quos admitti petit filius ex tali matrimonio natus). Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 430 s.

regulariter admissa pro matrimonio *in ordine ad effectus civiles matrimonii* (1).

Exceptiones: a/ in probationem admitti potest sic dicta *possessio status,* quatenus scil. vir et mulier publicè vivunt uti conjuges et qua tales reputantur; sed non admittitur haec probatio nisi *subsidiariè,* ita nempe ut perficiat probationem defectuosam deductam ex existentia instrumenti de norma requisiti, puta irregulariter confecti. Art. 195 et 196 (2).

b/ eadem possessio status potest invocari, idque in probationem per se stantem, *in casu speciali et respectu determinatarum personarum:* in gratiam nimirum *prolium,* modò *parentes* reputati defuncti sint, ac filii publicè habeantur tanquam ex illis nati, non contradicente extractu natalium. Art. 197.

c/ excipitur, in ipso tenore art. 194, casus de quo *in art. 46,* quatenus, « lorsqu'il n'aura pas existé de registres, ou qu'ils seront perdus, la preuve en sera reçue tant par titre que par témoins » (3).

d/ « Lorsque la preuve d'une célébration légale d'un mariage se trouve acquise par le résultat d'une procédure criminelle, l'inscription *du jugement* sur les registres de l'état civil assure au mariage, à compter du jour de sa célébration, tous les effets civils, tant à l'égard des époux qu'à l'égard des enfants issus de ce mariage ». Art. 198, coll. THIRY, o. c., n. 310.

ARTICULUS 4^s^. **De consensu conditionato.**

I. Notio et species conditionum.

A. *Notio.*

151. Notio consensus conditionati.

Consensus conditionatus est consensus cui apponitur *conditio,* i. e. circumstantia cui alligatur consensus.

Supponitur 1° conditionem *reipsa apponi,* et non esse merè interpretativam dumtaxat; et ita non datur consensus conditionatus, si quis contraxerit in tali dispositione ut, si hoc vel illud scivisset, quod momento contractus ignorabat, non contraxisset; non est attendendum scilicet quid fecisset si..., sed quid reipsa fecerit, nec considerandum est quod talem conditionem apposuisset si ad eam attendisset (4).

Ad consensum tamen conditionatum non requiritur quod conditio fuerit apposita in ipsa matrimonii celebratione, modò antea fuerit

(1) De probationibus a lege admissis in ordine ad alium finem, cf. PLANIOL, o. c., I, n. 866.

(2) Probatio status potest supplere vitio in actu, seu inscriptione, occurrenti, non autem defectui admisso in matrimonii celebratione. Cf. THIRY, o. c., n. 308.

(3) In probationem tunc adhiberi possunt scripta relicta a parentibus, necnon registri matrimoniales in ecclesia asservati.

(4) Hujusmodi dispositio obtinet in casu *erroris antecedentis,* putà circa qualitatem personae, quatenus, si novisset eam non adesse, non contraxisset. In hoc nimirum non habetur consensus conditionatus, et *ex hoc capite* non irritatur matrimonium; potest autem irritari aliunde, nempe si error versatur circa qualitatem redundantem in substantiam, uti infrà latius exponetur, ubi de impedimento erroris, sub n. 525 s., coll. n. 522^ter^.

emissa ac virtualiter perseveraverit voluntas ad ejusdem existentiam suspendendi consensum. Nec magis requiritur quod contrahens noverit juridicum effectum conditionis adnexae. Cf. *N. R. th.*, 1913, p. 222 ss.

Conditio semel posita non potest esse ante matrimonium revocata; secus cadit. Attamen, postquam de conditionis appositione constiterit, revocatio est probanda; secus praesumitur conditio perseverare.

Supponitur 2° conditioni reipsa *alligari consensum*, a. v. conditionem ingredi ipsum contractum, ipsum scil. pactum matrimoniale, ita ut conditio sit, juxta vulgatum dictum, in pactum deducta (1).

Probè nempe est distinguendus consensus conditionatus a consensu *cum modificatione* seu *cum modo:* qui obtinet quando clausula apposita contractui *mere accedit et supervenit*, quin ingrediatur ipsum contractum, quin proinde ipsum consensum suspendat ac restringat (2). Differt etiam conditio a causa et demonstratione: *causa* scil., est « indicatio motivi, quo quis ad consentiendum feratur, e. gr.: contraho tecum quia dives es; *demonstratio* est expressio alicujus qualitatis in comparte suppositae, e. gr.: contraho tecum, quae illibata es » (3).

B. *Variae species conditionum.*

152. Variae species conditionum

Conditio 1° est vel *resolutoria* vel *suspensiva*. Resolutoria conditio est illa a cujus verificatione pendet contractae obligationis *exstinctio;* exemplum esset: contraho tecum, sed, si pater moritur, resilio a contractu; quo casu contractus existit, ast, posita conditione, exstinguitur obligatio. Suspensiva conditio est illa a cujus verificatione pendet consensus *existentia*.

A conditione resolutoria hîc abstrahimus, quia matrimonii indis-

(1) Sensus formulae « *in pactum deducta* » est quod conditio afficiat ipsum pactum seu contractum matrimonialem; non significat quod conditio debeat apponi ab utraque parte mutuo pacto in conditionis appositionem conveniente: sufficit ad hoc ut contractus sit conditionatus, quod ab una parte apponatur conditio. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 599, coll. Causa Parisien., diei 10 Maii 1916, apud A. A. S., IX, p. 32 ss., ubi alia proponitur interpretatio formulae.

(2) Ita aliud est quod vir dicat mulieri: « contraho tecum matrimonium, si mecum pergas in regionem alienam », vere alligando consensum ad verificationem illius conditionis; et aliud, quod simpliciter consentiat in matrimonium, exigens promissionem ab uxore ut ipsum sequatur in illam regionem, quasi dixerit: « contraho tecum matrimonium, sed debes promittere quod me sequeris », in hoc altero casu non est consensus conditionatus; item in casu quo sponsi matrimonium ita contrahunt ut nullam quidem essentialem obligationem excludant, omnes obligationes essentiales in se assumentes, sed taliter sunt dispositi ut nolint implere assumptas obligationes, puta si inter se conveniant de copula instituenda onanistice. Cf. citatam Causam *Parisien.*, l. c., coll. infrà, n. 156, sub 2°.

(3) Cf. VLAMING, o. c., n. 541, ubi notat: « Per se loquendo, causa et demonstratio non conditionatum consensum faciunt, sed mere hypotheticum, qui cum consensu ex errore praestito confunditur, ejusque sequitur rationes », quatenus scil. consensum non invalidet nisi importet errorem circa personam vel circa qualitatem redundantem in substantiam, juxta modò dicta. Cf. *ibidem* in nota, allatam Causam *Bugellen.*, 9 Sept. 1893, coll. infrà, n. 526.

solubilitas excludit conditionem *resolutariam,* praeter illam quae in jure admittitur, de matrimonio scil. rato non consummato solvendo per votum sollemne et per dispensationem pontificiam. Quodsi equidem apponatur ad eamque alligetur consensus, est tractanda ut conditio repugnans substantiae matrimonii (de qua mox infrà, n. 155), utpote contra matrimonii indissolubilitatem, secluso duplici exceptione memorata.

2° Vel est conditio *de praeterito, de praesenti* vel *de futuro;* et haec ultima aut est de futuro *contingente* aut de futuro *necessario;* est etiam vel *casualis* vel *arbitraria* seu potestativa, secundum quod pendet conditionis executio ab eventu incerto, qui a voluntate contrahentium sit independens, aut potius a libera eorum voluntatis determinatione.

3° Est conditio vel *possibilis* vel *impossibilis.*

4° Vel est *honesta* vel *turpis,* prouti legi morum est conformis vel ei contraria (1).

5° Est *repugnans substantiae matrimonii,* non tantum si conditio est contra objectum substantiale matrimonialis contractus (n. 75), sed etiam si est contra unam ex essentialibus proprietatibus matrimonii, unitatem scil., indissolubilitatem vel, pro christianis, sacramentalitatem (2).

Notetur quod sola conditio de futuro contingente est conditio *stricte dicta,* quae reddat consensum proprio sensu conditionatum; sola etiam conditio suspensiva de futuro contingente proprio sensu suspendit consensum.

II. **Effectus juridici.**

153. Conditio substantiae matrimonii non repugnans :

A. Si est conditio **non repugnans substantiae matrimonii:**

1° Si est *de futuro contingente:*

a/ *Possibilis* et *honesta:*

a/ Matrimonium in utroque foro *suspenditur* usque ad conditionis verificationem (can. 1092, n. 3), adeo ut, ante impletam conditionem, nondum existat verum matrimonium (3), ac validè revocari possit consensus; illicitè tamen revocaretur, cum exspectanda sit conditionis purificatio (4).

---

(1) « Contraho tecum, si tale officium obtineas », est contractus sub conditione *honesta.* « Contraho tecum, si inimicum meum occidas », est contractus sub conditione *turpi.*

(2) Exempla conditionis repugnantis substantiae matrimonii infrà occurrent, sub n. 155.

(3) Cf. c. 5, X, IV, 5; non possent igitur contrahentes matrimonio uti, nisi renuntiando conditioni: quam renuntiationem censetur involvere copula instituta.

(4) Revocatio proinde consensus matrimonialis, quantumvis illicita, est valida, et, si fiat, matrimonium jam non convalescit, impleta conditione.

de futuro possibilis et honesta suspendit consensum;

β/ *Deficiente conditione,* deficit contractus matrimonialis (1).

γ/ *Impleta conditione* (aut revocata conditione ante ejusdem impletionem), sponte sua convalescit contractus matrimonialis, *quin opus sit, salva juris dispositione in contrarium, consensum renovare* (2).

Quod consensus *per se non sit renovandus,* id ex ipsa natura contractus conditionati sequitur, et confirmatur ex documentis relatis apud SANTI, o. c., ad h. t., n. 11 et ss., et GASPARRI, o. c., n. 849 s., juxta Fagnanum. Id autem valet non modò cum matrimoniis a forma can. 1094 exemptis, sed etiam *cum matrimoniis* eidem *subjectis:* in hac hypothesi matrimonium, modò forma fuerit observata, perficitur statim ac purificatur conditio apposita, sive conditio contractui adnexa manifestata fuerit necne parocho et testibus. Nullatenus nempe iterandus est consensus in forma praescripta, nec intimanda est parocho ac testibus conditionis impletio; sufficit quod, si in foro externo constiterit de conditionis appositione, etiam in eodem foro externo constet de conditionis adimpletione, ad hoc ut de matrimonio perfecto legitima habeatur probatio.

Horum ratio est quod matrimonium *contrahitur* quando coram parocho et testibus consensus conditionatus declaratur, non quando *conditio verificatur.* Quare, licet matrimonium conditionatum eo demum momento sit vere validum quo conditio purificatur, tamen, per fictionem juris, censetur esse contractum a momento celebrationis coram parocho et testibus.

Dicitur: *salva juris dispositione in contrarium;* quae juris dispositio censetur obtinere pro illis qui, impedimento dirimenti obnoxii, contraxerunt sub conditione: *si Papa dispensaverit;* oportet nempe ut, impetrata dispensatione, consensus renovetur. Quam juris dispositionem sic intelligimus, non quasi ex illius conditionis appositione irritetur consensus sic emissus et ideo renovari debeat (cf. suprà, n. 30), sed quatenus, regulariter saltem, non dispensetur, in casu,

---

(1) Cf. hic causam *Cameracen.,* in qua causa matrimonium nullum fuerat declaratum a Curia Cameracensi ex capite conditionis appositae circa praesentiam foetoris corporalis, dum ex sua parte S. Rota, in priori turno, censuit non constare de nullitate; in altero autem et tertio turno eadem S. Rota confirmavit sententiam Curiae Cameracensis, respective die 11 Aug. 1910, et 23 Junii 1911, apud A. A. S., II, p. 961 ss. et III, p. 497 ss., coll. *N. R. th.,* 1913, p. 234 ss. Cf. etiam Causam *Limburgen.,* 2 Jan. 1913, apud A. A. S., V, p. 45 ss.; Causam *Versalien.,* 2 Aug. 1919, A. A. S., XI, p. 338 ss.

(2) Olim hîc locus erat *matrimonio praesumpto,* de quo infrà, n. 158, in fine. Nimirum, quando matrimonio sub conditione de futuro contracto succedebat copula, praesumebatur, praesumptione juris et de jure, revocata eo ipso conditio, adeoque praesumebatur matrimonium. Hujusmodi matrimonio praesumpto jam non est locus sub disciplina Codicis. Cf. infrà, l. c.

nisi cum clausula de consensu renovando. Cf. can. 1133, et infrà dicenda, in parte tertia (1).

b/ Si est *impossibilis* vel *turpis:* pro non adjecta habeatur; conditio scil., uti dicitur, vitiatur, sed non vitiat; praesumitur ergo non fuisse apposita. Est autem praesumptio, non quidem juris et de jure, sed praesumptio juris tantum. Can. 1092, n. 1. Praesumptio proinde cedit veritati, etiam in foro externo (supposita probatione), adeoque, si constiterit eam conditionem fuisse additam seriò ad eamque reipsa alligari consensum, obtineret conditio suum nativum juridicum effectum: conditio nempe impossibilis redderet matrimonium invalidum, conditio vero turpis illud suspenderet aeque ac conditio honesta (2).

impossibilis vel turpis pro non adjecta habetur;

154.

2° Si est *de futuro necessario:* iterum « pro non adjecta habeatur », hîc etiam applicando modò dicta circa naturam praesumptionis, quatenus sit juris tantùm, non vero juris et de jure. Can. 1092, n. 1°.

de futuro necessario pro non adjecta item habeatur;

3° Si est *de praesenti* vel *de praeterito:* « matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, exsistit vel non ». Can. 1092, n. 4.

quid de conditione de praesenti vel praeterito.

Unde, si reipsa obtinet conditio apposita, a primo momento validum est matrimonium; ast conjuges non possunt matrimonio uti, quamdiu dictae conditionis verificationem ignorant.

Nota dispositionem can. 1092, n. 4, applicari etiam conditioni (de praesenti aut de praeterito) turpi vel impossibili; non applicatur scil., in casu, praesumptio de qua sub n. 1°, utpote quae afficit solam conditionem de futuro.

B. Si est conditio **repugnans substantiae matrimonii:**

155. Conditio substantiae matrimonii repugnans, illud reddit invalidum.

Matrimonium *redditur invalidum,* idque ipso jure naturali et divino.

Ratio est quia, qui consensum alligat ad verificationem conditionis *ipsi objecto substantiali matrimonii contrariae,* hoc objectum substantiale matrimonii a suo consensu excludit, adeoque ipsum matrimonialem consensum destruit.

Idem valet de illo qui consensum alligat existentiae conditionis quae sit *contra essentialem proprietatem matrimonii:* eo enim ipso

(1) Cf. in alium sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 515, nota 22; CAPPELLO, o. c., n. 640.

(2) Similis praesumptio inserebatur in c. 7, X, IV, 5, quae passim ab Auctoribus habetur uti juris tantùm: quae interpretatio juris anterioris, juxta can. 6, n. 2 et 4, est servanda. Cf. DURIEUX, *Le mariage,* n. 42; VLAMING, o. c., n. 543; CHELODI, o. c., n. 124; LINNEBORN, o. c., p. 336 s.; GENICOT-SALSMANS, o. c., II, n. 460; CAPPELLO, apud *Gregorianum,* 1921, p. 125; *Rev. des sciences relig.,* 1922, p. 505.

excludit illam proprietatem, adeoque excludit ipsum matrimonium, utpote quod absque illa proprietate consistere nequit. Quod planè convenit cum can. 1086, § 2.

Positum principium valet sive conditio sit de futuro, sive sit de praesenti aut de praeterito; conditionem de futuro spectat can. 1092, n. 2°; conditionem de praeterito vel de praesenti spectat can. 1092, n. 4°, in quo pariter irritari matrimonium enuntiatur, siquidem conditio repugnans substantiae matrimonii evidenter non existit.

Applicationes: Principium applicando, dicendum est quod irritatur consensus emissus sub conditione non utendi matrimonio, in supposito quod sit vera conditio ingrediens ipsum contractum, quodque adeo excludatur non solum juris exercitium, sed ipsum jus et dominium in corpus (cf. n. 156); item consensus emissus sub conditione utendi matrimonio onanistice; item sub conditione subeundi, pro viro, castrationem, qua impotens evadat et incapax instituendi copulam generationi idoneam.

Item irritatur consensus emissus sub conditione cedendi jus ad copulam tertiae etiam personae: quod est contra matrimonii unitatem. Adhuc invalidatur consensus datus sub conditione restrictiva ad tempus, quo transacto posset a matrimonio recedi: quod est contra matrimonii indissolubilitatem. Tandem irritatur matrimonium si baptizati consensum alligant conditioni quod matrimonium non sit sacramentum. Cf. infrà, n. 177.

Contrà non esset, salvo meliori judicio, invalidum matrimonium contractum sub conditione occidendi prolem, eam abjiciendi, abortum provocandi, subeundi, pro muliere, ovariotomiam, etc: hae essent conditiones turpes (et, qua tales, pro non adjectis essent habendae), ac imo repugnantes matrimonio et obligationibus ex eo ortis, sed non essent repugnantes matrimonii *substantiae* (1).

Circa principium ejusque applicationes cf. causam solutam coram S. C. C., apud *Anal. eccl.,* 1904, p. 294 s.; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 104 ss.; causam coram Rota solutam 10 Maii apud A. A. S., IX, p. 33, coll. casu relato apud Bened. XIV, *De Syn. dioeces.,* l. XXII, n. 10. Cf. etiam casum practicum apud *L'ami du clergé,* 1924, p. 124 s., coll. infrà, n. 533.

Attende quoque cum proposita in textu doctrina convenire c. 7, X, IV, 5 (2).

---

(1) Plerique Auctores conditiones illas (de occidenda vel abjicienda prole, de abortu) habent uti repugnantes substantiae matrimonii, non autem pro tali sumunt conditionem educandi prolem in infidelitate vel haeresi: quae pariter conditio est contra matrimonium, contra obligationes scil. ex matrimonio ortas, ac proinde turpis, sed non est contra matrimonii substantiam. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 518, in nota 31; CAPPELLO, o. c., n. 631.

(2) Conditiones ibi a Gregorio IX enumeratae contrariantur vel traditioni juris ad

156. *Notanda*

Nota. 1° Quando coram tribunalibus ecclesiasticis deferuntur causae in nullitatem matrimonii, initi sub conditione, frequenter abstinet judex a nullitate declaranda, cum haud facile constet in foro externo de intentione contrahentium (1). Non desunt quidem sententiae nullitatem admittentes (2), sed saepius, si convincens habetur probatio inconsummationis matrimonii, consulitur supplicandum SS^mo^ pro dispensatione super matrimonio rato non consummato (3); alias, manente dubio, applicatur principium can. 1014, quatenus « in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur » (4). — Patet non rarò ex hac causa conflictum haberi inter forum externum et forum internum, quatenus matrimonium in foro interno invalidum ob appositam et non verificatam conditionem, validum habeatur in foro externo, quia de conditionis appositione non constat.

2° Ex supradictis intelligitur quod possibile sit matrimonium inire *cum pacto* vel *voto etiam mutuò accepto et probato castitatis servandae.* Nihil enim impedit quominus, ex una parte, ad invicem praestetur consensus matrimonialis, ac plenum dominium transferatur in mutuum corpus, et quod, ex alia parte, distincto actu inter sese conveniant et voveant nupturientes *non uti* jure accepto, ac castitatem servare. Non excluditur jus utendi sed juris exercitium dumtaxat.

Quod sic intellige, ex hypothesi nempe non contrahi sub conditione non utendi matrimonio, ita ut conditio ingrediatur ipsum contractum seu in pactum sit deducta: tunc enim censeretur excludi ipsum jus in mutuum corpus ac irritaretur matrimonium, ob alligatum consensum conditioni repugnanti matrimonii substantiae; potius initur matrimonium cum *modo* (cf. suprà, n. 151), quatenus, pleno concesso dominio in corpus in ipsa consensus conjugalis emissione, inter se conveniant conjuges de non utendo jure acquisito et ad non usum sese mutuò obligent (5).

Quodsi matrimonium est validum, intelligitur quomodo hujusmodi conjuges, copulam inter se exercendo, non peccarent contra *castitatem,* sed unice contra virtutem *religionis,* ratione voti, quodque, alienae personae carnaliter commixti, existerent adulteri (6).

---

copulam generationi aptam (contraho tecum si generationem prolis evites, puta per copulam generationi ineptam); vel matrimonii indissolubilitati (... donec inveniam aliam); vel ejusdem unitati (... si pro quaestu adulterandam te tradas).

(1) Si conditio interne fuerit addita, et externe consensus fuerit emissus absoluto modo, praesumptio favet consensui non conditionato. Can. 1086, § 1.

(2) Cf. Causam *Parisien.,* 17 Apr. 1915, apud *Can. Cont.,* 1915, p. 557 ss., ubi nullitas est admissa; item Causam *Parisien.* 26 Nov. 1921, apud A. A. S., XIV, p. 512 ss.

(3) Cf. causas relatas apud *Rev. des sciences eccl.,* 1905, p. 31 ss.; *Canon. Cont.,* 1901, p. 587 s., et 1903, p. 297; A. A. S., X, p. 388 ss.

(4) Hoc favore juris gaudet matrimonium, etiam infidelium; supponitur autem constare de facto celebrationis matrimonii et dubium afficere solam validitatem. Excipitur a norma privilegium fidei, juxta can. 1127, de quo cf. n. 355. Cf. infrà, n. 472^bis^.

(5) Cf., in varium sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 521; DE BECKER, o. c., p. 83 s.; VLAMING, o. c., n. 546; CAPPELLO, o. c., n. 635 ss.

(6) P. RETT, *Die Josephsehe in ihren Original und ihre Nachahmung,* apud *Zeitschr. f. k. Theol.,* 1909, p. 590 ss. Cf. LINNEBORN, o. c., p. 339 ss.; GIRERD, apud *N. R. th.,* 1923, p. 449 ss.; *Zeitschr. f. k. Theol.,* 1901, p. 763 ss.; *Theol. pr. Quartalschr.,* 1907, p. 319 ss.; KNECHT, o. c., p. 18 s., ubi contendit in « Josephsehe » non haberi consensum matrimonialem. Hujusmodi matrimonium, initum inter sponsos mutuo castitatis voto obstrictos, passim dicitur *Josephsehe,* contractum scilicet ad imitationem conjugii S. Joseph cum B. Maria Virgine. Qua occasione juvat memorare controversiam, nuper reinstauratam, circa matrimonium S. Henrici et S. Cunegundis: utrum nempe fuerit *Josephsehe,* an vero matrimonium ad normam communem initum, in quo S. imperator

3° Principia posita spectant quaestionem de validitate vel invaliditate consensus conditionati. Quod autem attinet quaestionem de *liceitate:* quamvis positiva prohibitio desideratur, ob incommoda tamen quae nata sunt oriri ex consensu conditionate emisso, non est a parocho permittendus hujusmodi consensus, etiam ubi supponitur honesta conditio, nisi praevie consulto, in quantum fieri potest, Ordinario, adhibita etiam cautela ut conditio scripto exprimatur, aut alio modo rite probetur apposita.

Scholion. VARIAE SPECIES MATRIMONII.

157. Quid sit matrimonium ratum;

A. Matrimonium **ratum, legitimum, consummatum.**

1° *Ratum* dicitur matrimonium, seu firmum, quod validè et sacramentaliter est initum inter duos baptizatos, vel initum inter infideles et post utriusque Baptisma sacramentum effectum: ita, juxta can. 1015, § 1, quatenus *ratum* dicitur « matrimonium *baptizatorum* ». Unde non censemus ratum stricto sensu esse matrimonium validè initum inter unam partem baptizatam et alteram infidelem, sive despensatio sit data necne. Cf. infrà, n. 179.

legitimum; 2° *Legitimum* dicitur matrimonium validè contractum inter duos infideles, et nondum, per utriusque Baptisma, sacramentum effectum (1). Can. 1015, § 3 (2).

consummatum; 3° *Consummatum* est matrimonium vel *non consummatum,* prouti conjugium validè celebratum *secuta est* (3) vel non *copula de se*

---

habitaverit cum uxore tanquam cum sorore, propter hujus impotentiam. Hoc ultimum contra alios nervosè vindicat SÄGMÜLLER, *Theol. Quartalschr.,* 1905, p. 78 ss., ac iterum *ibidem,* 1907, p. 563 ss., necnon 1911, p. 90 ss. et 1913, p. 157 et 565 ss., coll. *Theol. Prakt. Quartalschr.,* 1905, p. 325 ss., ubi traditionalis opinio vindicatur; coll. etiam KOCH, o. c., et in *Deutsches Zeitschr. f. Kirchenrecht,* XXII (1912), p. 256 ss. et 565 ss., qui contendit S. Cunigundam non fuisse impotentem sed sterilem, ita ut continentis vitae conjugalis traditionem repudiet et ceu legendariam prodat. Cf. *Arch. f. k. Kirchenr.,* 1909, p. 772 ss.; *Theol. Quartalschr.,* 1916, p. 463 ss.

(1) In hodierna scil. terminologia matrimonium *legitimum* opponitur *rato.* Non fuit semper ita. In specie Gratianus (in Dicto ad c. 17, C. XXVIII, 1) legitimum quidem vocat matrimonium infidelium, juxta leges civiles vel provinciae mores contractum, illudque matrimonium solum vocat legitimum sine addito, vel legitimum et non ratum (i. e., non indissolubile, cum dissolvi queat lege fori); atvero et aliam admittit speciem matrimonii legitimi: matrimonium scil. christianum, quod est ratum, seu indissolubile, vocat legitimum et ratum, si fuit initum servatis formalitatibus a jure civili et a jure canonico pro liceitate et pro probatione in foro externo praescriptis; secus est ratum et non legitimum, seu ratum tantùm.

Postea, jam inde a magistro Rolando, coepit matrimonium dici legitimum, sive inter fideles sive inter infideles, quod validè seu sine impedimento dirimente contrahitur, independenter ab hoc utrum servatae fuerint formalitates praescriptae necne. Tandem reservata est, in usu loquendi, denominatio matrimonii legitimi matrimonio valido inter infideles; matrimonium autem inter fideles dictum est ratum. Nota tamen quod in ipso Codice receditur ab hac notione presse retinenda. Cf. can. 1075, n. 1 et 2, ubi legitimum dicitur matrimonium inter fideles valide initum. Cf. hic FREISEN, o. c., p. 76 ss., coll. BENEDICTO XIV, *De syn. dioec.,* l. VIII, c. 12, n. 6.

(2) Matrimonium inter partem fidelem et partem infidelem validè celebratum, sive cum dispensatione sive absque dispensatione, non venit nomine matrimonii rati, uti modò notavimus, nec etiam stricto nomine matrimonii legitimi, licet huic nonnunquam assimilatur.

(3) Non est attendenda copula nuptias *praecedens:* ad consummationem requiritur ut matrimonio successerit, vel ut in ipso contrahendo matrimonio fuerit peracta. Cf. FAHRNER, o. c., p. 310 ss.

apta generationi, « conjugalis scil. actus, ad quem natura sua ordinatur contractus et quo conjuges fiunt una caro ». Can. 1015, § 1.

Si matrimonium qua est ratum consecuta est copula, erit *ratum et consummatum;* si copula secuta est matrimonium legitimum, erit *legitimum consummatum;* et, si copula secuta est matrimonium legitimum, post copulam ratum effectum per utriusque conjugis Baptisma, matrimonium erit *consummatum et ratum.* Ubi matrimonium simpliciter ratum dicitur, intenditur matrimonium ratum non consummatum. Cf. can. 1015, § 1.

Ad *consummationem* requiritur penetratio vaginae et seminis virilis immissio intra vas mulieris (1); id etiam sufficit (2).

Et quidem a/ *requiritur;* unde matrimonium non censetur consummatum in casu copulae onanistice (3) vel sodomitice peractae; neque etiam in casu quo virga mere applicatur ad partem exteriorem *vulvae,* quantumvis foecundatio locum habere queat; neque etiam, ut nobis videtur, licet hanc sententiam nolimus uti certam urgere, in casu quo virga penetraverit quidem vulvam non autem vaginam, deposito scil. semine ad introitum vaginae. Cf. infrà, n. 550, in nota, coll. n. 208[bis] et 239.

Consummationem etiam non importat merum factum conceptionis matrimonio valido succedentis; et sic matrimonium non est habendum uti consummatum per foecundationem artificialem stricte dictam (infrà, n. 560) (4), neque etiam — nisi valdè dubiè — si conceptio sequitur ex copula ad os vaginae terminata, juxta modò dicta.

Equidem, quomodocumque conceptio matrimonio valide inito

---

(1) Non requiritur penetratio vaginae perfecta, sed aliqualis tamen requiri videtur, licet exigua; et hoc eruitur ex eo quod, teste GASPARRI, o. c., n. 1065, juxta praxim S. Sedis, matrimonium praesumitur non consummatum quousque intacta manet membrana hymenis.

Dicitur: *praesumitur;* pro consummato namque habebitur matrimonium si ex testimonio periti medici constat, non obstante hymenis integritate, de vaginae penetratione, quemadmodum fieri potest in hypothesi foraminis in hymene existentis, ac erectae virgae pervii, vel in hypothesi abnormis elasticitatis dictae membranae, quam virga vaginam penetrans secum ducit ea quasi induta. Addit WERNZ-VIDAL, o. c., n. 22, p. 19, quod « insuper hodiè, ad judicandum de consummatione matrimonii, habenda quoque est ratio, num artificiosa hymenis refectio, cujus non rarò est usus, probabilis appareat ». Cf. infrà, n. 550, coll. n. 208[bis] et 239.

(2) Antiqui ad consummationem matrimonii solebant requirere « *commixtionem seminum* »; quam intellige juxta eorum conceptionem physiologiae humanae: non cogitabant conjunctionem seminis virilis cum ovulo femineo, sed cum liquoris emissione quae solet obtinere, ex parte mulieres, in copula, et quam emissionem erronee habebant pro seminatione feminea; haec autem feminea seminatio non semper locum habet nec requiritur.

(3) Intelligitur copula peracta cum retractu vel ope instrumenti seminationem prohibentis in vagina pervia; non obstaret autem consummationi usus artificii adhibiti ad sterilizandum vel expellendum semen ritè introductum. Cf. infrà, n. 239 s., coll. n. 208[bis].

(4) VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 77-87, inclinat in partes SANCHEZ, o. c., l. II, Disp. XXI, n. 2, ubi docet matrimonium consummari « quacumque arte semen recipiatur intra vas naturale *absque illius penetratione* », ibidem addens: « et hoc verum est quamvis daemonis ministerio semen viri in vase debito recipiatur ». Videtur autem laudatus VERMEERSCH a dicta sententia recedere, in *Theol. mor.,* IV, n. 61. Cf., in nostrum sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 231; CAPPELLO, o. c., n. 381.

succedat, *praesumetur* consummatio, idque urgentiori praesumptione quam illa quae eruitur, ad normam can. 1015, § 2, ex cohabitatione; sed praesumptio illa non est juris et de jure, ac admittit probationem etiam non evidentem in contrarium (1).

Etiam b/ *sufficit* descripta penetratio et seminatio; et ita ad consummationem non refert quod coacta fuerit copula, vel inconscienter, puta per somnum, admissa, vel quod instituta sit copula cum muliere sterili aut excisa; non refert etiam, juxta modò notata, quod penetrationem et seminationem intra vas secuta sit seminis sterilizatio aut etiam ejus expulsio.

B. Matrimonium **validum** vel **invalidum**, et hoc esse potest vel **putativum** vel **attentatum** vel **speciem gerens matrimonii**.

158. validum;

1° Matrimonium *validum* dicitur quando rite est initum omnibus servatis conditionibus ad valorem requisitis, tam ex parte personae quam ex parte consensus ejusque formae praescriptae (2).

Matrimonium validum erit licitum vel illicitum prout obstat necne impedimentum prohibens aut servatae sunt necne conditiones aliàs ad liceitatem requisitae.

invalidum;

2° Matrimonium *invalidum* est omne matrimonium quod non est validum, undecumque invaliditas oriatur.

Invalidum matrimonium etiam dicitur *nullum* aut *irritum;* hae voces passim adhibentur indiscriminatim, sensu tamen stricto matrimonium invalidum dicitur nullum si invalidatur ex defectu in forma substantiali, irritum vero si aliunde invalidatur.

Porro matrimonium *invalidum* potest esse:

et hoc erit vel putativum;

Vel a/ *putativum,* quando nempe nulliter est initum *bona fide alterutrius* saltem partis (exclusa ignorantia affectata), et tale manet donec *utraque* pars de matrimonii nullitate certa evadat. Can. 1015, § 4 (3).

vel attentatum;

Vel b/ *attentatum,* quando nulliter contractum est *mala fide alterutrius* saltem partis; non requiritur mala fides utriusque.

vel speciem gerens matrimonii;

Vel c/ *speciem gerens matrimonii* (4): tale est conjugium quod

(1) Cf. CAPPELLO, l. c., ubi refert solutionem S. Rotae, in Causa *Parisien.* (17 Aug. 1920-3 Aug. 1921), qua « definivit matrimonium consummatum non fuisse, licet factum conceptionis extra controversiam esset ex ipsius actricis confessione aliorumque testimoniis ».

(2) Modò notavimus quod, ad tramites can. 1014, matrimonium gaudeat favore juris, quodque adeo in dubio standum sit pro valore actus.

(3) Ante Codicem, ad matrimonium putativum requirebatur quod fuerit observata forma Tridentina, ubi vigebat. Cf. infrà, n. 283. Jam non requiritur observatio formae juridicae; attamen aegre aderit bona fides apud catholicos, formam celebrationis negligentes. Cf., in alium sensum, CAPPELLO, o. c., n. 746, coll. n. 48; LINNEBORN, o. c., p. 495, coll. n. 26; nobis favent WERNZ-VIDAL, o. c., n. 610, coll. n. 22, nota 14; CHELODI, n. 9, coll. n. 150, et signanter TRIEBS, o. c., p. 64 ss., qui etiam id negat pro jure Codici auteriori.

(4) Hujusmodi matrimonia fruuntur quibusdam favoribus juris, quatenus scil. facilius sanantur in radice, eisque applicatur principium: in dubio standum est valori actus. Contrà pro matrimoniis speciem matrimonii non habentibus: hujusmodi matri-

est quidem nulliter contractum, sed in quo observata fuit (licet forsan cum vitio essentiali, puta ob incompetentiam parochi) forma can. 1094, ubi urget; vel etiam, ut videtur, conjugium in quo quidem neglecta fuit dicta forma, sed ita ut ejusdem omissio ignoretur utque pseudo-conjuges publicè reputentur legitimè juncti, ipsis scil. favente titulo, quod in jure civili vocatur « la possession d'état », de quo n. 149 et 150. Matrimonia autem a lege clandestinitatis exempta censentur habere speciem matrimonii, statim ac praestitus fuerit consensus jure naturali validus simul et externus (can. 1081, § 2 et 1082) (1).

Porro speciem et figuram matrimonii explicitè denegavit Ecclesia matrimonio *civili,* a personis legi clandestinitatis obnoxiis contracto (2). Contrà matrimonium civile initum inter duas personas, etiam christianas, dictae legi non subjectas, generatim haberi potest uti figuram referens matrimonii, et praesumptio passim stat in favorem ejus valoris, juxta dicenda infrà, sub n. 461 (3).

Nota. a/ Uti ex datis notionibus apparet, saepius confunditur matrimonium putativum cum matrimonio attentato, quando scil. unius partis bona fide et alterius partis mala fide est initum: respectu prioris partis est putativum et attentatum respectu alterius.

matrimonium praesumptum;

b/ Olim locus erat etiam matrimonio *praesumpto. Praesumptum* erat matrimonium quod *praesumptione juris et de jure* (4) praesumebatur exsurgere ex aliquo facto, quasi involveret consensum matrimonialem (5). Cf. suprà, n. 94, in nota.

---

monia, ut habeantur qua nulla, non indigent declaratione a judice fori externi. Cf. FOURNERET, *Le mariage chrétien,* p. 26 s., coll. infrà, n. 472bis.

(1) Juxta WERNZ, o. c., n. 29, nota 11, « matrimonia ab infideli vel haeretico cum parte baptizata, sive catholica sive acatholica, invalide contracta (etiam a lege clandestinitatis non exempta), fornicariis conjunctionibus non adnumerantur, sed figuram matrimoniorum habere dicenda sunt, si, juxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum, matrimoniorum formam tenent et legitima reputantur ». Cf. decr. C. S. O., 16 Sept. 1824, apud *Collectanea,* n. 1235. Item VLAMING^2, o. c., I, n. 56.

(2) Cf. cann. 188, n. 5; 646, § 1, n. 3; 985, n. 3; 2356.

(3) Cf. decr. C. S. O. 21 Aug. 1861 et Instr. S. Poenitent. 15 Jan. 1866; GASPARRI, o. c., I, n. 480 et 698, coll. n. 240. Cf. etiam dicenda infrà, ubi de affinitate, publica honestate et sanatione in radice: hoc ultimo loco notabitur equidem matrimonium civile, inter partes clandestinitatis legi obnoxias celebratum, nostro tempore, non rarò, etsi difficilius, in radice sanari, hoc supposito quod verus emissus fuerit consensus. Cf. n. 461, et 733.

(4) SANTI, o. c., l. IV, tit. I, n. 77, et GASPARRI, o. c., 237, contra WERNZ, o. c., IV, n. 29, nota 12, praesumptum censebant matrimonium tunc tantùm quando praesumptio est juris et de jure, talis scil. quae non admittat probationem directam in contrarium, nisi evidentem.

(5) *Olim* tres enumerabuntur species matrimonii praesumpti: a/ ubi copula succedebat sponsalibus; b/ ubi copula succedebat matrimonio conditionato, quatenus illa copula importabat renuntiationem conditioni; c/ quando impuberes, post matrimonium ob impubertatem invalide contractum, puberes effecti copula matrimonium ratificabant.

Post introductam autem legem clandestinitatis abrogata sunt,*pro omnibus matrimoniis legi obnoxiis,* matrimonia praesumpta, excepto forsan matrimonio praesumpto ratione copulae succedentis nuptiis conditionatis in forma Tridentina celebratis: juxta doctrinam enim suprà, n. 153, propositam, consensus conditionatus sponte sua convalescit statim ac conditio verificatur vel ei renuntiatur, quin opus sit ut in forma conciliari renovetur. *Pro matrimoniis a clandestinitatis lege exemptis,* ablata

158bis. matrimonium canonicum et civile ;

C. Matrimonium **canonicum** et **civile.**

Matrimonium *canonicum* est illud quod celebratur coram foro Ecclesiae et servatis formalitatibus ab illa praescriptis.

Matrimonium *civile* est illud quod celebratur coram foro civili et juxta formalitates civiles. Cf. suprà, n. 146.

Observetur autem matrimonium civile verum constituere matrimonium pro non baptizatis; pro baptizatis vero non est, in se spectatum, nisi mera formalitas, ad civiles effectus obtinendos ordinata, potest tamen constituere verum matrimonium ex intentione contrahentium, si nempe a personis a lege clandestinitatis exemptis tanquam verum matrimonium intenditur et contrahitur. Cf. infrà, n. 461 et modò suprà, ubi notatur an et quousque civili matrimonio agnosci possit species matrimonii.

Nota. Attentis notionibus datis, potest dari matrimonium, illudque validum, quod non sit nec civile nec canonicum, quando scil. omninò privatim et extra omnem formalitatem initur inter personas baptizatas, legi clandestinitatis non obnoxias.

159. clandestinum ;

D. Matrimonium **clandestinum**, **conscientiae**, **morganaticum.**

1° *Clandestinum*

a/ juxta nativum sensum, significat matrimonium initum *clam* et *occultè,* seu *absque testibus,* ita ut exinde legitima probatio non appareat (1);

b/ matrimonium contractum *sine consuetis sollemnitatibus* (2), quatenus non fuerint nuptiae celebratae in facie Ecclesiae, et cum benedictione sacerdotis (3);

c/ conjugium celebratum *absque praeviis denuntiationibus* seu bannis,quae matrimonio praemittenda praecepit Concilium Lateranense(4);

---

est, uti vidimus suprà, n. 21, praesumptio juris et de jure fundata in copula sponsalibus succedente, vi Constit. Leonis XIII *Consensus,* anni 1892; disputatur autem utrum etiam abrogata fuerit duplex alia praesumptio: id non immeritò negabat WERNZ², o. c., IV, n. 298 et n. 29, nota 12, coll. decr. C. S. O. 28 Junii 1865, contradicentibus aliis, inter quos cf. PERATHONER, *Th. Pr. Quartalschr.,* 1914, p. 374 s. Sub disciplina novi Codicis jam non videtur locus esse matrimoniis praesumptis (praesumptione juris et de jure).

(1) Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 182, ubi, in nota 1, refertur textus ex *Summa* Godfredi: « clandestina matrimonia dicuntur duobus modis: uno modo, cum occultè et sine praesentia testium contrahuntur, ita ut exinde legitima probatio non appareat... ».

(2) *Ibidem:* « alio modo dicuntur clandestina, cum sine sollemnitatibus contrahuntur ». Cf. etiam, l. c., p. 179, in nota 2, ex *Summa* Hostiensis: « Sponsalia clandestina (dicuntur)... primo quia omittuntur sollemnitates quaedam quae ibi requiruntur de honestate, scilicet quod benedictio detur in facie Ecclesiae. » Cf. etiam SCHULTE, o. c., p. 41 s.

(3) « Au moyen âge, la coutume était généralement que les époux vinssent devant la porte de l'église; là ils étaient interrogés par le prêtre, qui leur demandait s'ils consentaient à se prendre pour mari et pour femme, puis recevaient la bénédiction ». ESMEIN, o. c., I, p. 179, quo loco, in nota 3, adducit textum Panormitani: « Nota quod sponsus et sponsa ante consummationem matrimonii benedicuntur ante valvas, id est, fores ecclesiae. Alicubi tamen benedicuntur ante altare, pallio superposito ». Cf. infrà, sub n. 201.

(4) C. 3, IV, 3.

d/ connubium initum respective extra formam Conc. Trident., seu Decreti *Ne temere,* seu Codicis, absque praesentia scil. parochi et duorum ad minus testium, salvo casu can. 1098 (1).

Hic sensus sub d/ indicatus est sensus *strictè dictus,* qui semper, nisi contrarium indicatur, intelligitur, ubi sermo est de matrimonio clandestino.

2° *Matrimonium conscientiae.*

160. matrimonium conscientiae ;

Est matrimonium quod quidem initur in forma can. 1094, adeoque non clandestinè, sed quod tali modo contrahitur ut, in quantum fieri potest, *secretum maneat connubium et ignotum in populo:* omissis scilicet publicationibus antenuptialibus et consensu praestito coram Ordinario aut parocho ejusve delegato ac duobus testibus familiaribus, variis adhibitis cautelis ad hoc ut secretum servetur. Can. 1104.

Dispositiones juris:

a/ Requiritur *gravissima et urgentissima causa.* Can. 1104 (2).

Hujusmodi causa obtinet v. gr. in casu superioris cujusdam officialis exercitus, qui, ex dispositione legis civilis, ob defectum competentis dotis, a matrimonio prohibetur; vel in favorem nupturientium, qui, propter alterutrius matrimonium civile, prohibentur civiliter copulari; vel in casu alicujus magnatis qui, post obitum nobilis conjugis, alterum matrimonium inire cupit, ut conscientiae suae consulat, ad quod conjugium occultandum urgentissima adsunt rationis momenta; vel in gratiam cujuscumque nupturientis, qui matrimonium inire gravi necessitate urgetur et civiles formalitates praemittere nequit nec recurrere potest ad privilegium canonis 1098 (3). Cf. suprà, n. 134 ss. (4).

b/ Non potest hujusmodi matrimonium permitti nisi ab ipso loci Ordinario, « excluso Vicario Generali sine speciali mandato ». *Ibidem* (5).

c/ « Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto ma-

---

(1) Saeculo XVI et XVII, nonnunquam clandestinum dicebatur, in Gallia, matrimonium initum absque consensu parentum. Cf. DESFORGES, o. c., p. 144; PLANIOL, o. c., I, n. 746. Inde explicatur quomodo Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 1, *De Reform. Matr.,* egerit simul de clandestinitate et de consensu parentum.

(2) Cf. Const. *Satis Vobis* Bened. XIV, par. 1-5 (*Fontes,* I, n. 319); item Litteras Leonis XIII, apud A. S. S., XXV, p. 459 ss.

(3) Matrimonium conscientiae fuit celebratum a Ludovico XIV cum Domina de Maintenon. Locus est etiam matrimonio conscientiae, juxta Bened. XIV, l. c., quando « vir et femina, in figura matrimonii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverant »; sed, cum publice habeantur uti conjuges, non vivunt in *stricte dicto* matrimonio conscientiae, nec eorum conditio iisdem incommodis obnoxia est iisdemque severis cautelis ac in hypothesi in textu allata.

(4) Hujusmodi gravissimum incommodum, adesse non censetur, nec adeo permitteretur matrimonium conscientiae, in casu quo agitur de eludenda justa quadam dispositione legali, puta in casu viduae quae vellet matrimonium occultare ut non privetur pensione annua viduabus a lege concessa. Cf. VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 797.

(5) Causae cognitio et judicium de opportunitate concedendi matrimonium conscientiae pariter reservantur Episcopo; ipsius est diligenter inquirere de personarum conditione et qualitate, et prae caeteris exigere praeviam probationem de statu libero. Cf. Constit. Bened. XIV, § 7.

trimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro (1), servando in secreto Curiae archivo ». Can. 1107 (2). — Ideo a parocho transmittendum est ad Episcopum scriptum documentum, notatis loco et tempore ac testibus qui celebrationi interfuerunt (3).

d/ Denuntianda est prolis nativitas ejusque notitia danda est Episcopo, ut in libro secreto adnotetur (4), et quidem, juxta can. 1106, statim citandum, intra spatium trigînta dierum (5).

e/ « Permissio celebrationis matrimonii conscientiae secum fert promissionem et gravem obligationem secreti servandi ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii ejusque successorum, et etiam alterius conjugis, altero non consentiente divulgationi ». Can. 1105 (6).

« Hujus promissionis obligatio *ex parte Ordinarii* non extenditur ad casum quo vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem injuria ex secreti observantia immineat, vel parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari, aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies

---

(1) « Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis appositè compactus, clausus, et sigillis obsignatus, in vestra episcopali Cancellaria caute erit custodiendus; et eo tantùm casu resignari et aperiri, vestra accedente licentia, patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia: sedulò tamen animadvertentes quod, re absoluta, denuò claudatur, et sigillis, ut antea, obsignetur. Fides seu attestationes clam celebrati matrimonii a parocho, vel sacerdote, qui vices parochi gessit, exarandae, vobisque exhibendae, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ad verbum, a persona a Vobis deputanda, quae apud omnes integritatis probatique nominis luculentum habeat testimonium ». BENED. XIV, l. c., par. 10.

(2) Circa secretum Curiae archivum, sequentia statuit can. 379: a/ « Habeant... Episcopi... archivum secretum vel saltem in communi archivo armarium seu scrinium omninò clausum et obseratum, quod de loco amoveri nequeat »; b/ « Hoc archivum vel armarium duobus clavibus inter se diversis aperiatur, quarum altera apud Episcopum vel Administratorem Apostolicum, altera apud Vicarium Generalem vel, eo deficiente, Curiae cancellarium asservetur »; c/ « Episcopus vel Administrator Apostolicus, repetita altera clave, ipse solus, nemine adstante, archivum vel armarium secretum, ubi opus fuerit, aperire et inspicere potest, quod deinde utraque clave iterum claudatur ».

(3) « Quodsi lapsu temporis notitia celebrati matrimonii divulgata fuerit, tunc quidem descriptio matrimonii ex mandato Ordinarii poterit fieri in communi libro matrimoniorum; quo casu inscriptio fiet post ultimum matrimonium ibi descriptum, sed addita marginali adnotatione in loco in quo describi debuisset, si non fuisset occultè seu secretè celebratum, et alia marginali adnotatione in libro baptizatorum, ad normam can. 1103, § 2 ». WERNZ-VIDAL, o. c., n. 570.

(4) « Volumus ac expresse mandamus, sic pergit Bened. XIV, in alloquendo Episcopos, quod a patre baptizati, eoque defuncto, ab illius matre, suscepta proles Vobis denuncietur, dictaque denunciatio fiat vel immediatè per parentes ipsos, vel per litteras eòrum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certò et clarè Vobis constet, quod proles tali loco et tempore, vel reticitis vel falso expressis nominibus parentum, baptizata est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. Quae sane omnia cum Vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta est a Vobis potestas adnotandi matrimonia occultè celebrata. Liber in quem baptizatorum, ac utriusque parentis, nomina referuntur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum, eadem tamen diligentia, iisdem cautelis in Cancellaria episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus prout librum matrimoniorum caute custodiri suprà mandavimus ». BENED. XIV, l. c., par 11.

(5) Circa speciales difficultates exoriundas pro inscriptione prolis natae, in casu quo baptizans minister ignorat existentiam matrimonii conscientiae, cf. HILLING, apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1925, p. 108 ss.: generatim erit inscribenda, hoc casu, in registro communi, tanquam proles illegitima, ad normam can. 777, § 2.

(6) « Ex natura rei jureque divino conjuges obligantur in mutuis conjugalibus relationibus ita se gerere ut omni meliori modo scandalum evitetur ». WERNZ-VIDAL, o. c., n. 568, in nota 7.

notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant, vel christianam filiorum educationem negligant ». Can. 1106 (1).

Nota. Statutum speciale circa matrimonia conscientiae habet ipse codex civilis Hispanicus (2).

3° *Matrimonium morganaticum.*

161. morganaticum.

Dicitur matrimonium initum inter virum ex praenobili quadam aut regia stirpe oriundum (3) ac mulierem humilioris conditionis (4), ea lege ut, dum matrimonium pleni juris est coram Ecclesia, in foro civili mulier a participanda mariti dignitate excludatur, et filii ab omnibus patris titulis, muneribus et paternorum avitorumque successione, saltem partim, extranei censeantur (5). Vocatur etiam *disparagium* (matrimonium inter dispares), in oppositione ad aparagium (matrimonium inter pares).

Ex notione data liquet matrimonii morganatici existentiam pendere a determinatione *legis civilis,* prouti scil., in variis regnis, agnoscitur necne distinctio, cum distinctis effectibus civilibus, inter matrimonia communia et matrimonia inita a viris magnatibus cum muliere humiliori. Quae distinctio vix obtinebat praeterquam in Germania et Austria (6).

Nomen matrimonii *morganatici* probabilius derivatur a *morgengabe* seu, uti antiquitus dicebatur, *morgangeba,* quod erat munus a viro uxori deditum post primam nuptiarum noctem in pretium pudicitiae, aut, juxta alios, in signum consummati matrimonii (7): in matrimonio nempe morganatico, uxor et proles non assumuntur in participationem bonorum et dignitatum mariti seu patris nisi quoad exiguam tantùm partem, ad instar

---

(1) « Idcirco, antequam ad talem secretam celebrationem procedatur, conjuges debent *fidem interponere* se illas conditiones fideliter servaturos ». *Ibidem* n. 569.

(2) « Le mariage secret de conscience, célébré devant l'Eglise, n'est soumis à aucune formalité d'ordre civil, mais ne produit plus aucun effet civil tant qu'il n'a pas été rendu public par son inscription sur le registre civil. Toutefois ce mariage peut produire des effets civils *dès le jour de la célébration,* si les conjoints, d'un commun accord, sollicitent de l'évêque qui l'a autorisé, un extrait de l'acte consigné sur le registre secret de l'évêché et le remettent directement, et avec la réserve convenable, à la direction générale du registre civil, en en demandant l'inscription. La direction générale tient, à cet effet, un registre spécial et secret, avec les précautions nécessaires pour que le contenu n'en soit pas connu avant que les parties n'aient demandé que l'acte soit rendu public par une transcription sur le registre municipal de leur domicile ». Ita, juxta art. 75, apud LEHR, o. c., n. 361.

(3) Cf. LEITNER, *Lehrb.,* p. 75, ubi, pro Germania et Austria, enumerantur familiae quibus applicatur haec specialis juris civilis dispositio. Cf. etiam ENGLMANN, o. c., p. 299 s.

(4) Fit etiam ut matrimonium morganatice celebretur inter virum et mulierem paris nobilitatis, quando nempe vir, ex prioribus nuptiis viduus, mulierem denuo ducens, prohibetur, uti in quibusdam regionibus obtinet, ne filios ex altero connubio nascendos aequo gradu habeat ac filios ex priori conjugio susceptos, Cf. *Kirchenlexicon,* V° *Ehe zur linken Hand.*

(5) Cf. Bened. XIV, *De Syn. dioec.,* l. XIII, c. 23, n. 12.

(6) Ita in codice Belgico non datur distinctio illa, et sic matrimonia in foro civili legitime contracta a magnate, ac imo vel ab ipso rege, eosdem effectus civiles haberet sive principissa ducatur sive inferioris stirpis femina, et, attento art. 60 Constitutionis, a regno non excluderentur filii legitime suscipiendi. Matrimonium principis cum muliere humilioris conditionis diceretur *disparagium.* Cf. SCHITZER, o. c., p. 36. Circa quamdam analogam ac in Austria dispositionem legis civilis Hollandicae respectu matrimonii Principum, cf. VLAMING², o. c., n. 57.

(7) Cf. LEFEBVRE, o. c., p. 427 s., et, ex alia parte, FREISEN, o. c., p. 112 s.

solius doni matutini (1). Vocatur etiam matrimonium *ad sinistram manum* (2), vel *ad legem salicam* (3).

Descriptum matrimonium *morganaticum* cave *ne confundas,* uti non rarò contingit, cum matrimonio *conscientiae,* licet nonnunquam in unum conveniant. Nimirum, ex una parte, *distinctio* apparet ex eo quod matrimonium morganaticum potest celebrari publice et palàm, cum consueta sollemnitate et coram frequenti concursu populi (4), quodque facile continget matrimonium conscientiae non esse morganaticum, puta si vir non pertinet ad determinati gradus nobilitatem, cui a lege civili applicatur specialis dispositio circa morganatica connubia, vel si, in codice civili a quo pendet, non admittitur distinctio inter matrimonia morganatica et alia, nec diversi statuuntur effectus civiles. Ex alia parte, in locis ubi a lege civili agnoscitur matrimonium morganaticum, non semel in unum *conveniunt:* natum est enim fieri ut matrimonium morganaticum celebretur in modum matrimonii conscientiae, cum rationes suprà invocatae ad occultandas nuptias frequentius obtineant in familia magnatum et principum; matrimonium autem conscientiae inter virum spectatae nobilitatis et mulierem humilioris conditionis necessariò erit morganaticum, cum uxor ignota et proles ignotae non possint frui nobili dignitate et muneribus mariti et patris.

Caput II

DE CONTRACTU MATRIMONIALI UT EST SACRAMENTUM

In *prima* disputatione ostendetur contractum matrimonialem inter baptizatos, ex Christi Domini institutione, esse sacramentum; in *secunda* disputatione, agetur de nexu qui intercedit inter contractum et sacramentum; in *tertia,* exponetur natura sacramenti ejusque constitutio, indicando ministrum, effectum, subjectum et caeremonias.

Disputatio Prima

DE EXISTENTIA SACRAMENTI MATRIMONII.

PROPOSITIO: *Contractus matrimonialis inter baptizatos est sacramentum Novae Legis.*

---

(1) *Kirchenlexikon,* l. c.; FERRARIS, *Prompta Bibliotheca,* V° *matrimonium ad morganaticam;* SCHERER, o. c., par. 109, nota 20; HEINER, *Grundriss,* p. 22; WERNZ, o. c., IV, n. 29; LEITNER, *Lehrb.,* p. 75 s. Cf. FREISEN, o. c., p. 53 ss.

(2) « Ehe zür linken Hand heisst sie, weil die Frau dem Manne nur an die linke Hand angetraut wird, zum Zeichen dass sie nicht als ebenbürtig in seine Familie tritt, daher auch nicht seines standes teilhaftig wird ». HEINER, l. c.

(3) « Das salische Gesetz bestimmte nun dass die cognati nur nach absterben der agnati zur Erbschaft gelangen sollten. Heiraten nach dem salischen Gezetze hiess also unter der Bestimmung heiraten, dass die Kinder alle, auch die Söhne, nur als cognati zu betrachten seien, die erst beim Fehlen der agnati zur Erbschaft gelangen sollten ». LEITNER, *Lehrb.,* p. 76.

(4) Notissimum exemplum habemus in matrimonio archiducis Francisci Ferdinandi, haeredis Imperii Austriaci (anno 1914 occisi) qui, die 1 Julii 1900, duxit Sophiam comitissam de Choteck: morganaticè quidem contractae sunt nuptiae, praevie ab illo facta renuntiatione, pro uxore, dignitati imperatricis, et, pro prolibus nascendis juribus regni, ast celebratae sunt nuptiae sollemniter et cum omni pompa regia.

162. Matrimonium esse sacramentum probatur :

Probatio hujus propositionis potest instaurari tum *dogmaticè*, adeo ut valeat pro solis catholicis, Ecclesiae infallibilitatem admittentibus, tum *historicè*, ita ut etiam urgeat haereticos, et in specie Protestantes (1), aliosque Ecclesiae infallibilitatem respuentes.

I. **Dogmaticè.**

1° *dogmaticè ;*

1° *Ex definitione Conciliorum,* et notatim Concilii *Tridentini,* Sess. XXIV, can. 1, anathema dicentis contra illum qui dixerit: « matrimonium non esse verè et propriè unum ex septem legis evangelicae sacramentis, a Christo Domino institutum ».

Jam idem docuerat Ecclesia in Concilio *Veronensi,* anni 1184, Lucio III decernente: « universos qui de sacramento Corporis et Sanguinis D. N. J. Christi, vel de Baptismate,... aut de *Matrimonio,* vel de reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt, quam sacrosancta Romana Ecclesia praedicat et observat..., vinculo perpetui anathematis innodamus » (2); item in Conc. *Lugdunensi* II, anni 1274 (3), ac in Conc. *Florentino* (4). Postea, inter alia magisterii documenta, accessit Encycl. Leonis XIII *Arcanum* (5) necnon decretum *Lamentabili,* in damnatione propositionis 51^{ae} (6), ac tandem can. 1012, § 1, novi Codicis (7).

2° *Ex fide unanimi Ecclesiae Catholicae* inde a saeculo XIII. Nimirum inficiari nemo potest, inde a saeculo 13°, doctrinam de sacramentalitate matrimonii fuisse in pacifica possessione, eamque a Doctoribus et in Scholis fuisse explicitè propositam *qua doctrinam in Ecclesia tenendam;* quemadmodum id testantur Concilia et fidei

---

(1) *Luther* agnoscebat quidem, uti sub n. 89 notavimus, quamdam sacramentalitatem matrimonii, ratione significatae unionis Christi cum fidelium coetu, sed dignitatem veri sacramenti ipsi prorsus denegavit, idque conformiter ad sua principia circa naturam sacramenti ejusque efficaciam: matrimonium scil. non est aptum ut fidem excitet, quae fidei excitatio proprium est sacramenti, in doctrina Lutheri. Deinceps magis institit in illa non sacramentalitate matrimonii Luther, ut efficacius illud subduceret jurisdictioni Ecclesiae et Statui civili subjiceret. Cf. dicta sub n. 89. Cf. etiam GRISAR, *Luther,* II, p. 216 ss. coll. FRIEDBERG, *Das Recht,* p. 157 ss.

Calvinus sacramentalitatem matrimonii adhuc expressius rejecit: « Postremum est, sic ait, matrimonium, quod ut a Deo institutum fatentur omnes, ita pro sacramento datum nemo usque ad Gregorii tempora viderat. Et cui unquam sobrio in mentem venisset? Ordinatio bona et sancta est; et agricultura, architectura, sutrina, tonstrina ordinationes sunt Dei legitimae, nec tamen sacramenta sunt ». Cf. FRIEDBERG, o. c., p. 185; coll. FAUREY, o. c., p. 50 ss., necnon HOWARD, o. c., n. 386 ss.

(2) c. 9, X, V, 7.

(3) DENZINGER, *Enchiridion,* n. 465: « Tenet etiam et docet eadem S. R. Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scil. Baptisma... aliud est *matrimonium* ».

(4) « Septimum est sacramentum *matrimonii* ».

(5) « Apostolis magistris accepta referenda sunt quae SS. Patres nostri, Concilia et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt, nimirum Christum Dominum ad sacramenti dignitatem evexisse *matrimonium* ».

(6) « Matrimonium non potuit evadere sacramentum Novae Legis nisi serius in Ecclesia; siquidem ut matrimonium pro sacramento haberetur, necesse erat ut praecederet plena doctrinae de gratia et sacramentis theologica explicatio ».

(7) « Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos ».

professiones, de quibus sub 1° (1), ac mirabilis consensus theologorum scholasticorum post Petrum Lombardum et S. Thomam (2). Jamvero notum est, juxta principia catholica, traditionis apostolicae irrefragabile criterium esse in fide Ecclesiae, quandocumque unanimiter credit et tenet aliquod punctum *tanquam pertinens ad fidei depositum.*

163.

2° *historicè :* II. **Historicè.**

A. *Indirecte, argumento praescriptionis:*

a/ *indirecte, argumento praescriptionis ;* Constat ecclesias Orientales a Sede Romana segregatas, ecclesiam scil. Graecam orthodoxam, Copticam, Armenianam et Nestorianam, matrimonium habere uti sacramentum, quemadmodum manifestè liquet ex variis documentis ac fidei formulis (3).

Ex quo facto deducere licet *argumentum praescriptionis* in favorem traditionis apostolicae, hac scilicet ratione: doctrinam quam Graeci schismatici et aliae citatae sectae *nunc* tenent, jam tenebant *tempore schismatis,* quo momento sejunctae sunt ab Ecclesia catholica; non est enim possibile quod sectae inter se adeo divisae fide, lingua, ritibus atque moribus, et insuper odio maximo ergo Ecclesiam latinam laborantes, vel inter se convenerint ad illud punctum doctrinae introducendum, vel illud unanimiter ab Ecclesia Latina, post suam ab ea separationem, acceperint. Ascendendum est igitur ad saec. IX, pro orthodoxis, et usque ad saec. V, pro reliquis; unde possumus concludere, saeculo V, in Ecclesia Orientali et Occidentali viguisse doctrinam de sacramentalitate matrimonii.

---

(1) Cf. documenta latius exposita apud PALMIERI, o. c., p. 52-54; PESCH, *Tractatus Dogmatici,* Friburgi-Brisgoviae, 1897, t. VII, n. 707 ss.; POURRAT, o. c., p. 246-249; SASSE, *Institutiones theologicae de Ecclesiae sacramentis,* Friburgi-Brisgoviae, 1897, II, p. 35 s.

(2) Ita SCOTUS, *In l. IV Sent.,* Dist. 26, qu. 1, loquitur confidenter: « Communiter tenet Ecclesia sacramentum matrimonii esse septimum inter ecclesiastica sacramenta, et de sacramentis Ecclesiae non est aliter sentiendum quam sentit Ecclesia Romana ». E consensu autem Scholasticorum solus excipitur *Durandus,* qui tamen ipse ex sua parte Ecclesiae traditionem confirmat: fatetur namque, l. IV, Dist. XXVI, qu. 3, tenendum esse absolutè « quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia », et in hoc tantum discrepat a coaevis quod velit sacramentum matrimonii non convenire perfectè univocè cum reliquis sacramentis. Cf. SASSE, o. c., p. 366.

(3) Ita habemus formulam *Nestorianam* anni 1553: « Credimus quoque in S. Baptisma,... et in Sacerdotium sanctum, et in Matrimonium »; fidem *Jacobitarum* et *Copticorum* testatur Simon Assemanus: « Ad sacramenta quod spectat, septenarium eorum numerum, qualis ab Ecclesia catholica agnoscitur, apud Jacobitas sacrosanctum esse liquet ex eorum ritualibus... »; *Armenos* jam antè Conc. Florentinum idem sensisse testatur Vartanus, ipsorum Episcopus, duobus ante concilium saeculis. Pro *Graecis orthodoxis* abundant documenta, inter quae eminet professio fidei Patriarchae Jeremiae, anni 1576; idem constat ex vehementi oppositione quam in se concitavit Cyrillus Lukaris, protestantium doctrinae sacramentariae favens; item ex confessione fidei anni 1642. Tandem in rescripto Patriarchae Anthimi, quod edidit contra encyclicam Leonis XIII *Praeclara,* non occurrit protestatio ulla contra sacramentalitatem matrimonii neque numerum septenarium. Cf. DE SMET, *Tractatus de Sacramentis in genere,* 1925, n. 106; coll. PALMIERI, o. c., p. 511; POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik,* Paderborn, 1906, t. III, p. 395 s.; POURRAT, o. c., p. 252-267.

Ulterius procedendo, difficulter explicatur hujusmodi in saeculo V consensus per universam Ecclesiam, quin doctrina in quam convenitur ab Apostolis fuerit accepta: non potest nempe in Ecclesiam universam irrepsisse tanta innovatio, quin provocaverit controversias et reclamationes; harum autem nullum ullibi apparet vestigium. Caeterum invocari potest adagium: non erratur in unum (1).

B. *Directè, per testimonia et documenta ascendendo ad aevum apostolicum:*

164.
b/ *directè, per testimonia :*

Praenota non esse adnitendum ut, in prioribus saeculis, apud SS. Patres vel Doctores Ecclesiae, reperiatur *diserta et explicita* doctrina circa sacramentalitatem matrimonii, quasi illud disertè proposuerint, quemadmodum theologi moderni, uti signum efficax gratiae.

Et sanè ipsa notio sacramenti in genere nonnisi progressivè est enucleata, eo vel magis quod primitus non solebat de sacramentis tractari methodicè ac systematicè, uti nunc contingit fieri, notionem genericam praemittendo eamque singulis sacramentis applicando (2): sacramentum nempe ab initio proponitur uti signum sacrum seu signum rei sacrae, non illicò tamen *diserte* exhibetur tanquam signum *efficax,* licet meris ac nudis signis non aequiparetur, sed quodamtenus cum dono spirituali gratiae connexum dicatur (3).

Non est mirum proinde matrimonii sacramentalitatem, in antiquioribus testimoniis et documentis, non proponi explicitè sub forma scholastica nunc usurpata, sed *implicitè* tantum in illo contineri, quatenus dicantur nuptiae esse res sacrae, ritu religioso consecrandae, cum gratia connexae, et ita porro, uti mox fusius evolvetur.

---

(1) Ita TERTULLIANUS, *De Praescriptione haereticorum,* c. 28: » Ecquid verisimile est ut tot ac tantae (Ecclesiae) in unam fidem erraverint?... variasse debuerat error doctrinae Ecclesiarum. Caeterum quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum ». Ed. Oehler, Lipsiae, 1854, II ,p. 25 s.

(2) Obscuritas aliqua et ambiguitas circa notionem sacramenti ac doctrinam sacramentariam mansit usque ad saeculum XII; et ita v. gr. S. PETRUS DAMIANUS († 1072), *Opera omnia,* ed. Cajetani, I, serm. 69, ob inaccuratam et incompletam notionem sacramenti, sacramentis una serie adnumerat varia mere sacramentalia, puta dedicationem ecclesiae, inunctionem regum, velationem sanctimonialium et alia hujusmodi. Cf. tamen scholia Cajetani ad hunc locum, p. 378 s., ac nota ex illa confusione in sacramentorum enumeratione non illico sequi eamdem confusionem viguisse in mente, siquidem similes mixtae series occurrunt apud Doctores Petro Lombardo posteriores, optime conscios numeri septenarii, quique in aliis locis accuratè et expressè docent septem esse sacramenta, ea distinctè et ordinatè enumerando, distinctione facta inter sacramenta proprie dicta, numero septem, quae principalia vocant, et sacramenta minora seu sacramentalia. Cf. GILLMANN, *Die Siebenzahl der Sakramente bei den Glossentoren des Gratianischen Dekrets,* Mainz, 1909, p. 20 ss.; DE SMET, *De sacram.,* n. 108 s.

Quod spectat Doctores qui, in priori et altera parte saeculi 12[1], primi, sub nitida formula et clausa cum serie, expresse docuerunt septem esse sacramenta, nec plura nec pauciora, cf. DE SMET, o. c., n. 105, et ll. cc.

(3) Circa evolutionem notionis sacramenti, Cf. DE SMET, *De Sacram.,* n. 6, coll. POURRAT, o. c., p. 2-42; MEERSBOOM, *Le Développement du dogme et le dogme du nombre septénaire des sacrements,* apud *N. R. th.,* 1910, p. 607 ss.

Ea autem quae ambigua videntur quoad nos et minus diserta, interpretanda sunt, uti notat SASSE (1), « secundum intellectum catholicum ex posterioribus monumentis manifestum, qui quidem non dogmatis innovatio, sed antiquitatis explicatio censeri debet » (2).

Caeterum etiamsi, ex quorumdam SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum antiquiorum silentio vel ambiguis expressionibus, concludendum aliquis opinaretur ad eorum *ignorantiam* circa dignitatem sacramentalem matrimonii, immeritò inde argueretur matrimonium non fuisse vel non plene fuisse tanquam sacramentum immediatè a Christo institutum (3).

Nimirum, de se et re abstracte spectata, nihil obstat quominus Christus immediatè instituerit sacramentum, sed quod *institutionis cognitio* vel ejusdem cognitio *perfecta et reflexa* nonnisi deinceps sit evoluta; nihil, inquam, impedit quominus primi christiani, matrimonium ineundo, sacramentum receperint absque illius dignitatis sacramentalis conscientia.

Frustrà igitur recurrendum censent nonnulli Auctores moderni ad theoriam *institutionis mediatae* sacramentorum quorumdam, et in specie matrimonii, quasi Christus non immediatè instituerit hoc sacramentum, sed mandatum dederit Ecclesiae (4), ut ipsa, data opportunitate, nuptias in sacramentum elevaret; vel ad theoriam *institutionis implicitae,* quam proponit POURRAT, o. c., p. 274, quamque etiam vindicat KOCH, apud *Theolog. Quartalschr.,* 1912, p. 446 ss., quasi omnia sacramenta fuerint quidem a Christo immediatè instituta, quaedam vero, inter quae matrimonium, « n'ont pas été donnés à l'Eglise pleinement constitués ».

165. SS. Patrum;

Jamvero

1° *apud SS. Patres,* et scriptores ecclesiasticos etiam antiquissimos, si connubium non vocatur sacramentum in sensu stricto sa-

---

(1) O. c., II, p. 366.

(2) Haec fuit sors multorum dogmatum, ut scilicet, in primordiis Ecclesiae, sub obscura et ambigua forma exstiterint in cognitione fidelium, ac implicita dumtaxat fide christianorum contenta, donec lento progressu disertiorem ac explicitiorem formam sint adepta in fidelium conceptu; unde factum est ut, juxta dictum Vincentii Lerinensis, « quod antea simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur; quod antea lentius praedicabatur, hoc idem postea instantius praedicaretur ». Circa *evolutionem dogmatum,* cf. *Dictionnaire de Téol. cath.* V° *Dogme* (*Dublanchy*), de quo articulo cf. *Rev. du clergé fr.,* t. LXIV, p. 456 ss., collatis ibidem dictis, p. 488 ss., de opere minus laudato LÉPICIER, *De stabilitate et progressu dogmatis,* ed. 2ª, 1910.

(3) « Ce qui a pu s'ajouter dans la suite des siècles à ce sacrement (de mariage), ce n'est pas une *institution* plus explicite, ni le fait que ce sacrament aurait été plus tard pleinement constitué, ce ne peut être qu'une *connaissance* plus explicite de ce que le Christ avait implicitement révélé ». *Revue d'histoire eccl.,* 1907, p. 803. *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 843.

(4) Cf. DE BAETS, *Revue Thomiste,* 1907, p. 31 ss.; *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 630 et 632.

cramenti proprie dicti (1), insistitur in ejus sanctitate, in benedictione peculiari a Christo accepta, in necessitate illud sanctè ac religiosè coram Ecclesia celebrandi, in speciali dignitate matrimonio christiano competente prae matrimonio infidelium, ac tandem innuitur gratiam esse nuptiis adnexam.

Ita S. AUGUSTINUS: « Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur et ostenderetur sacramentum nuptiarum » (2); item: « Bonum igitur nuptiarum per omnes gentes atque homines in causa generandi est et in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere... quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis » (3); tandem: « Hujus procul dubio sacramenti res est, ut mas et femina connubio copulati, quamdiu vivunt, inseparabiliter perseverent...; manet inter viventes quiddam conjugale, quod nec separatio nec cum altero copulatio possit auferre... sicut apostatae anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit » (4).

S. CYRILLUS ALEX. († 444): Ad nuptias Salvator venit « non tam epulaturus quam ut... generationis humanae principium significaret...; conveniebat enim ut, qui naturam ipsam hominis renovaturus ac totam in meliorem statum revocaturus erat, non solum iis qui jam in ortum vocati erant benedictionem impertiretur, sed et iis quoque qui postea nasciturі essent, gratiam praestrueret et eorum ortum sanctum efficeret » (5).

S. EPIPHANIUS († 403): Duabus mihi de causis videtur invitatus esse Christus. Primùm ut... hominum in mundo libidinem nuptiarum castimonia et honestate constringeret; tum ut, quod deerat, emendaret ac jucundissimi vini suavitate mulciret et gratia » (6).

S. INNOCENTIUS († 417): Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod est primitus gratia divina fundatum » (7).

SIRICIUS PAPA († 398): « Benedictio quam nupturae sacerdos imponit apud fideles cujusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur » (8).

S. AMBROSIUS († 397): « Cognoscimus velut praesulem custodemque conjugii esse Deum, qui non patiatur alienum torum pollui; et si qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet, gratiam solvat. Et ideo, quia in Deum peccat, sacramenti coelestis amittit consortium » (9).

In libro cui titulus TESTAMENTUM D. N. J. CHRISTI (Ed. Rahmani), L. II, c. I, p. 113: « Ineat vero (nuptias ambiens) matrimonium cum muliere

(1) Passim dicitur sacramentum in quantum symbolicè repraesentat unionem Christi cum Ecclesia. Cf. hic, quod spectat S. Augustinum, PETERS, o. c., p. 29 s.
(2) *In Joh.*, tr. IX, n. 2 (*Migne*, XXXV, col. 1459).
(3) *De Bono conjugali*, cap. XXIV, n. 32 (*Migne*, XL, col. 394).
(4) *De nupt. et concup.*, l. 1, cap. 10 (*Migne*, XLIV, col. 420).
(5) *In Joh.*, II, 1-4 (*Migne*, LXXIII, col. 223).
(6) *Haeres.* LI, n. 30 (*Migne*, XLI, col. 942).
(7) *Epist.* XXXVI ad Probum (*Migne*, XX, col. 602).
(8) *Epist.* 1 ad Himerium Episcopum, c. 4 (*Migne*, XIII, col. 1136 s.).
(9) *De Abraham*, l. 1, c. 7 (*Migne*, XIV, col. 443).

fideli christiana ex genere christianorum, quae valet suum virum in fide conservare; (idque fiat) praecipiente et curam gerente Episcopo ».

ORIGINES († c. 253): « Quoniam conjunctionis (maritalis) auctor est Deus, propterea iis inest gratia qui a Deo conjuncti sunt » (1).

TERTULLIANUS (natus c. 160): « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio et obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratò habet » (2). Item: « Si ergo ratum est apud Deum matrimonium hujusmodi, cur non et prosperè cedat, ut pressuris et angustiis et impedimentis et inquinamentis non ita lacessatur, habens jam ex parte divinae gratiae patrocinium » (3).

CLEMENS ALEXANDRINUS (natus circa 150): « Sanctum est matrimonium. Mysterium ergo hoc ad Christum et Ecclesiam, dicit Apostolus » (4).

S. IGNATIUS MARTYR († c. 107): « Decet ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem » (5).

Accedit notissimum testimonium **S. Pauli,** *Epist. ad Eph.*, V, 22-32, matrimonium vocantis *sacramentum* (*μυστηριον*) *magnum* (6), seu signum magnum significans unionem Christi cum Ecclesia (7). In quo quidem textu non affirmatur disertè in nuptiis haberi signum *efficax gratiae,* sed potius symbolicam repraesentationem unionis Christi cum Ecclesia, id tamen, juxta dictum Conc. Trid., Sess. XXIV, *non obscurè innuitur.*

Et sanè totus est S. Paulus in analogia exponenda inter matrimonium ac conjunctionem Christi cum Ecclesia, ad cujus conjunctionis intimam et mysteriosam similitudinem referendam ordinatur connubium. Jamvero conjunctionem Christi et Ecclesiae talem esse docet S. Apostolus, ut in ea sanctificetur sponsa et gratia purificetur; conjugium proinde tale esse debet ut sanctificentur sponsi et gratia purificentur, ita ut jam non censeatur merum ac nudum symbolum, sed signum efficaciter sanctificans (8).

Quod spectat *priores Scholasticos et Decretistas,* eorumque doctrinam circa sacramentalitatem matrimonii, cf. GILLMANN, *Die Ziebenzahl der Sakramente bei den Glossatoren des Gratianischen Dekrets,* Mainz, 1909, passim, coll. *Taufe im Namen Jesu oder im Namen Christi,* Mainz, 1913, p. 12 s.; GEYER, *Die Ziebenzahl der Sakramente in ihrer historischen Entwicklung,* apud *Theologie und Glaube,* 1918, p. 325 ss. (9). Cf. etiam

---

(1) *Comment. in Matth.*, t. XIV, n. 16 (*Migne*, XIII, col. 1230).
(2) *Ad Uxorem,* l. VI, c. 8 (*Oehler,* Lipsiae, 1853).
(3) *Ibid.* l. II, c. 8.
(4) *Stromat.*, l. III, c. 12 (*Migne,* VIII, col. 1186).
(5) *Ad Polyc.*, c. V, n. 2 (Editio *Funk*). Cf. SÖHM, *Das Recht,* p. 108.
(6) Ex textu et contextu eruitur vocem *sacramentum* afficere, non Christum et Ecclesiam, uti volunt Protestantes, sed conjugium christianum, eo vel magis quod non dicitur graece in Christo et Ecclesia, sed in (εις) Christum et Ecclesiam: dicitur mysterium seu sacramentum in ordine ad Christum et Ecclesiam.
(7) Mysterium dicitur *signum,* praesertim ubi ad aliquem terminum refertur, uti in casu. Terminus autem hic est *unio* Christi cum Ecclesia, quemadmodum indicat contextus praecedens, speciatim adhibita allegoria capitis et membrorum.
(8) Cf. de hoc argumento latius disserentem, VLAMING, o. c., I, n. 105; POHLE, *Lehrbuch der Dogmatik,* Paderborn, 1906, III, p. 593 s.; SASSE, o. c., II, p. 369 ss.; SCHANZ, o. c., p. 718; PRAT, *La Théologie de St. Paul* II, Paris, 1912, p. 389 ss.
(9) P. 336, notat matrimonium prima vice uti sacramentum numerari cum Baptismo et Eucharistia ab *Abelardo;* non ponitur tamen ab ipso uti gratiam conferens; pag. autem 335, refert in eumdem sensum, Petrum Cantorem, Summam Parisiensem, Sicardum Cremonensem et Huggucionem.

FREISEN, o. c., p. 29-44, coll. nostro Tractatu *De Sacramentis in genere...*, 1925, n. 107-109.

166. librorum ritualium;

2° *In libris ritualibus*, quorum varia specimina refert MARTÈNE, o. c., L. I, P., 2ª, occurrunt orationes, quibus matrimonium uti res sancta et sanctè tractanda proponitur, ac exoratur Deus ut, quod divina dispositione expeditur, gratia compleatur (p. 614); ut super famulos opem suae benedictionis infundat, « ut in conjugali consortio, affectu compari, mente consimili, et sanctitate mutua copulentur » (*ibidem*); ut impleat nupturientes benedictione spirituali in remissionem peccatorum, ad habendam vitam aeternam (p. 614 et 621). In illis etiam compellatur Deus quasi ille « per quem mulier conjungitur viro et societas principaliter ordinata ea benedictione donatur quae sola nec per originalis peccati poenam, nec per diluvii est ablata sententiam » (p. 619); laudatur etiam Dominus ex eo quod ipsius gratia id ineffabilibus modis dispensat, ut, « quod generatio ad mundi edit ornatum, regeneratio ad Ecclesiae perducat augmentum » (p. 622).

167. monumentorum iconographicorum

3° *In monumentis iconographicis* repraesentantur connubia tanquam ritus religiosi ab Ecclesia benedicti, et Christi Domini praesentia sanctificati. Et sic v. gr. exhibenter conjuges manibus junctis cum monogrammate Christi in medio, vel cum ipsa figura Christi nupturis benedicentis, aut ipsorum capiti coronas imponentis (1).

168. Ratio congruentiae.

Confirmatur doctrina de sacramentali indole matrimonii *ex ratione congruentiae*, quam suggerit S. THOMAS (2), quatenus scilicet sacramentum matrimonii pertinet ad perficiendum hominem in vita spirituali, modo analogo quo perficitur in vita corporali. Nimirum, quemadmodum in vita corporali varia sunt stadia perfectionis quibus speciali modo est providendum, ita in vita spirituali correspondentia habentur perfectionis stadia, quibus convenienter praesto est gratia peculiaris sacramentalis.

Jamvero, uti arguit S. Doctor, « in vita corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo quantum ad personam propriam; alio modo per respectum ad totam communitatem societatis in qua vivit, quia homo naturaliter est animal sociale... Perficitur autem homo in ordine ad totam communitatem dupliciter: uno modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem, et exercendi actus publicos; et loco hujus in spirituali vita est sacramentum ordinis...; secundo quantum ad naturalem propagationem: quod fit per matrimonium, tam in corporali quam in spirituali vita, eo quod non est solùm sacramentum sed naturae officium ».

(1) Cf. MARTIGNY, *Dictionnaire*, v° *Mariage chrétien*, p. 388; MARUCCHI, o. c., p. 10 ss.; ARMELLINI, o. c., p. 369 s., quo duplici altero loco latius describitur monumentum funerarium saeculo IV adscriptum et in villa Albani inventum, in quo monumento figuratur Christus Dominus coronas nuptis imponens. Cf. etiam SCHAEPMAN, apud *De Katholiek*, 1899, p. 450-481, speciatim inde a p. 470, ubi interpretatur imaginem iconographicam saeculo 3¹° anteriorem.

(2) P. III, qu. LXV, art. 1.

169. Objectio. Ad **objectionem** quae posset fieri contra sacramentalem indolem matrimonii, quatenus non efficiat id quod significat, conjunctionem scilicet Christi cum Ecclesia: *respondetur* in sacramentis posse attendi, juxta doctrinam S. Thomae (1), *duplicem significationem:* rei nempe contentae, seu gratiae, quam significat ritus sacramentalis et operatur, ac rei non contentae, quam signum sacramentale non efficit; et sic intelligitur conjunctionem Christi cum Ecclesia, quae est res non contenta, quam significat ritus matrimonialis, nonnisi nudè significari, quemadmodum ablutio baptismalis, praeterquam quod signum existit gratiae, nudè repraesentat sepulturam et resurrectionem dominicam.

170. Nota. *Nota.* Incertum est *quonam momento* Christus Dominus instituerit sacramentum matrimonii, et frustra de illo momento inter se disputant auctores. Sufficiat notare alios institutionis tempus ponere in nuptiis Cana, quibus noscitur Christum adstitisse; alios institutionem referre ad momentum quo, juxta *Matth.*, XIX, de matrimonio disputavit Christus cum Pharisaeis, illudque ad pristinam suam reduxit sanctitatem et indissolubilitatem (2).

Disputatio Secunda

De nexu inter contractum et sacramentum.

171. Sacramentum matrimonii esse ipsum contractum inter christianos, PROPOSITIO: *Contractus matrimonialis inter fideles a sacramento matrimonii realiter non distinguitur, sed ratione tantum; unde a sacramento dissociari nequit, ita ut inter baptizatos non possit haberi contractus legitimus, quin eo ipso sit sacramentum.*

Probatio.

probatur *Identitas realis* contractus matrimonialis et sacramenti, inter baptizatos, et inde consequens indissosiabilitas contractus a sacramento et sacramenti a contractu, *probatur* ex *elevatione contractus in sacramentum:* quatenus scil. Christus Dominus ipsum contractum, qualis existebat, assumpsit, illumque fecit sacramentum.

Ex illa elevatione contractus ad sacramenti dignitatem, meritò inferri identitatem realem et indissociabilitatem, id urgent ipsi SS. Pontifices. Ita Pius IX, in allocutione 27 Sept. 1852, super negotiis ecclesiasticis Reipublicae Neogranatensis: « Cum nemo, ait, ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium (ipsum scil. contractum matrimonialem) esse vere et proprie unum ex septem evangelicae Legis sacramentis; ac *propterea* inter fideles matri-

(1) Billot, o. c., I, p. 23 ss. Cf. etiam De Smet, *De Sacram.*, n. 9.

(2) Juvat remittere ad Gillmann, *Spender u. dusseres Zeichen der Bischofsweihe nach Huggucio*, Beilage II (*Zur Lehre vom Verlöbnis-und Eherecht*), Wurzburg, 1922, p. 36 s., ubi eruditissimus Auctor notat quomodo Scholastici antiquiores passim ascendere faciant institutionem sacramenti matrimonii usque ad tempus paradisi, ante Adae peccatum.

Ibidem, p. 37 s., adducitur doctrina *Guidonis de monte Rocherii*, quatenus sacramentum matrimonii, in quantum est signum unionis Christi cum Ecclesia, institutum fuerit a Christo, « quando in utero Virginis voluit nostram humanam naturam naturae divinae unire ». Cf. etiam suprà, n. 83.

monium dari non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque *idcirco* quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, conjunctionem, cujuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum; ac *proinde* a conjugali foedere sacramentum separari numquam posse... » (1). Item Leo XIII, in Encycl. *Arcanum,* exploratum esse dicit « in matrimonio christiano *contractum a sacramento non esse dissociabilem;* atque ideo non posse contractum verum et legitimum consistere quin sit eo ipso sacramentum. *Nam* Christus Dominus dignitate sacramenti auxit matrimonium ». Tandem, in can. 1012, postquam in par. 1ª affirmatur elevatio ipsius contractus in sacramentum, sub par. 2ª, asseritur: « *quare* inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum ».

ex elevatione contractus in sacramentum.

Quod autem spectat *factum elevationis* ipsius *contractus matrimonialis in sacramentum:* id probant monumenta ecclesiastica passim, in quibus videmus sacramenti rationem simpliciter tribui matrimoniali contractui seu ipsi matrimonio uti est in officium naturae. Ita notatim in Conc. Trid., Sess. XXIV, *Doctrina de sacr. matr.* et can. 1°, ubi simpliciter affirmatur matrimonium esse sacramentum, ac, comparatione instituta inter matrimonium Novae Legis et matrimonium Veteris Legis, hoc unum intercedere docetur quod prius prae altero gratia sacramentali praestet. Caeterum illud ipsum per Christum est factum sacramentum quod ante Ipsum erat merum signum figurativum conjunctionis Christi cum Ecclesia: hoc autem aliud non est quam ipse contractus conjugalis. Tandem in *Syllabo* Pii IX, n. 65, disertè docetur « Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti » (DENZINGER, o. c., n. 1769); item in modò relatis textibus Pii IX et Leonis XIII, necnon in can. 1012, § 1.

Sola proin distinctio inter contractum et sacramentum admittenda, est *distinctio rationis,* quatenus distincto conceptui respondeant sacramentum et contractus, quodque matrimonium christianum sub distincta illa formalitate considerari possit (2).

172. Confutantur errores opposiți: Nuytzii,

Errores huic doctrinae oppositi:

1° Error *F. Nep. Nuytz,* qui docebat *adaequatam distinctionem* contractum inter et sacramentum, contendens « Matrimonii sacra-

(1) DENZINGER, o. c., n. 1640.

(2) « Quamvis, uti docet S. THOMAS, *In Libr. sent.,* IV, dist. 31, qu. 1, art. 2, ad 7m, matrimonium sit sacramentum, tamen aliud est matrimonio esse matrimonium, et aliud est ei esse sacramentum; quia non solum ad hoc est institutum ut sit in signum rei sacrae, sed etiam ut sit in officium naturae ».

mentum non esse nisi quid contractui accessorium,... ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse » (1).

173. Melchioris Cani,

2° Opinio, quam subjectis argumentis tuetur ESTIUS, *In IV Sent.*, dist. XXVI, § 10 et seq., post MELCHIOREM CANUM, *Opera theologica,* Romae, 1900, tom. II, cap. VIII, quatenus sacramentum matrimonii constitueretur contractu tanquam materia, et benedictione sacerdotis tanquam forma, adeo ut *inadaequata* intercederet *distinctio* inter contractum et sacramentum, quasi inter partem et totum (2). Quam opinionem copiosissime confutatam videsis apud BELLARMINUM, *De controversiis Christ. fidei,* 1. unico *de Matrimonio,* cap. VI-VIII.

174. Billuart.

3° Sententia propugnata a SALMANT., o. c., Tract. IX, cap. III, n. 73 et seq., necnon a CARRIÈRE, o. c., p. 93 ss., a PONTIO, o. c., l. I, cap. IX, n. 1-6, et a BILLUART, *Summa S. Thomae,* in 3^{m} P., tom. VI, Dist. I, art. V, sub 5°. Censent nimirum sacramentum matrimonii contractu constitui, sed *negant* contractum inter christianos *esse essentialiter et necessario sacramentum.* Ita apud SALMANT., l. c., n. 78: « Respondeo igitur dicendum rationem matrimonii adhuc inter fideles separabilem esse a ratione sacramenti; et ideo, si aliquis intenderet contractum civilem celebrare matrimonii, et ex prava voluntate, simplicitate aut errore, nollit recipere illud ut sacramentum est, tunc validum esset matrimonium in ratione contractus... non autem in ratione sacramenti » (3).

Quorum errorum confutatio continetur in ipsa doctrinae catholicae facta expositione, necnon *in reprobatione Ecclesiae:*

Error scilicet *Nuytzii* reprobatur in *Syllabo* Pii IX, n. 66, ubi asseritur doctrinam esse Ecclesiae catholicae sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui superadditam; sententia vero *Salmanticensium* et *Billuart,* et a fortiori doctrina a *Melchiore Cano* et *Estio* proposita, rejicitur in eodem *Syllabo,* n. 73, ubi legitur damnata propositio: « Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut con-

(1) DENZINGER, o. c., n. 1766.

(2) Cf., apud *Rech. de Sc. relig.,* 1914, p. 422 ss., dissertationem, in qua *de Guibert* conatur ostendere illam sententiam jam fuisse propositam, saeculo decimo tertio, a Gulielmo Parisiensi.

(3) Cf. BILLUART, l. c.: « Christus elevando contractum matrimonialem ad esse sacramentale, non minuit vim contractus, sed virtutem tantum supernaturalem superaddidit, sicut elevando ablutionem corporalem in Baptismo ad rationem sacramenti, non abstulit illi vim abluendi, sed virtutem tantum supernaturalem abluendi spiritualiter seu sanctificandi contulit, et sic de aliis sacramentis; sicut ergo qui ablueret sine intentione conferendi sacramentum, vere et efficaciter ablueret corpus et non conficeret sacramentum, ita qui contractum matrimonii iniret sine intentione sacramenti, vere et valide contraheret et non faceret sacramentum, quia ad validitatem sacramenti requiritur intentio ».

tractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur » (1).

175. Solvitur objectio.

Objectio. Frustrà provocant AA. supra citati *ad sacramentum Baptismatis*, quatenus, sicut potest esse ablutio quin sit sacramentum, deficiente nempe intentione ministri conferendi quid sacrum, ita possit esse contractus matrimonialis inter fideles citra sacramenti rationem, penes illos nempe qui intendunt contractum non autem sacramentum.

Negatur enim *paritas:* nimirum ultrò concedimus, sicut in Baptismo ita et in matrimonii sacramento, requiri intentionem agendi quid sacrum, penes contrahentes scilicet qui simul sunt ministri; at statim ac inter baptizatos intenditur contractus, simul necessario intenditur, implicita intentione, ratio sacramenti utpote quae contractui essentialiter adhaeret ratione elevationis ipsius contractus in sacramentum. Contrà, optime potest quis intendere ablutionem quin intendat sacramentum Baptismatis. Et ratio est quia ipsa ablutio non est in sacramentum evecta: fuit tantùm, cum invocatione SS. Trinitatis, a Christo assignata tanquam materia et forma sacramenti, ac proinde non omnis ablutio est sacramentum, sed illa tantum circa quam verificatur id quod postulatur pro omni materia et forma sacramentali, quatenus nempe distincta intentione adhibetur ministerialiter.

176. Fata sententiae M. Cani.

Nota. Opinio de distinctione inadaequata inter contractum et sacramentum, quae non videtur fuisse sententia traditionalis (2), fuit, postquam eam Melchior Canus variis fulcierit rationum momentis, admissa et proposita a pluribus Patribus Tridentinis (3), idque eo gratius quod in illa distinctione reperiebant obvium medium componendi potestatem Ecclesiae ad statuenda impedimenta matrimonii, et signanter ad irritandum nuptias clandestinas, cum immutabilitate substantiae sacramentorum.

Postea hac distinctione abusi sunt *Gallicani*, ut vindicarent potestati civili jus regendi matrimonium, quatenus est contractus (4). Mirum est autem quod BENED. XIV, *De Synod. dioeces.*, l. VIII, c. 13, sententiam distinctioni faventem valde probabilem dixerit (n. 2), utpote « validissimis

(1) DENZINGER, o. c., n. 1766 et n. 1773. A S. Rota, in causa *Colonien.*, 27 Aug. 1910 (A. A. S., 1910, p. 933), dicitur doctrinam de indissociabilitate sacramenti a contractu esse *fidei proximam*.

(2) Illam sententiam primitus passim rejectam fuisse testatur ESMEIN, o. c., II, p. 160: « C'était la tradition ancienne et la doctrine constante des anciens canonistes, qu'il était impossible, dans le mariage des chrétiens, de séparer le contrat du sacrement, que le contrat lui-même avait été élevé par la nouvelle loi à la dignité de sacrement, et absorbé par le sacrement, si bien qu'on ne pouvait plus concevoir l'un sans l'autre ». Circà quod alibi, I, p. 79 s., addit: « Ceux qui ont imaginé la distinction, ce sont les théologiens... Ce qui me paraît avoir donné lieu à la distinction, ce sont certains cas où les canonistes reconnaissaient traditionnellement des mariages valables entre chrétiens, et où les théologiens ne trouvèrent pas les conditions requises pour l'existence du sacrement, spécialement quant à la forme: par ex. le mariage qu'un muet contractait par signes, le mariage contracté par procureur, les matrimonia praesumpta du droit canonique. Les théologiens, pris de ces scrupules, ne pouvaient abolir la doctrine, solide et constante, des canonistes, qui reconnaissaient la validité de semblables mariages; la conclusion à laquelle ils furent naturellement conduits fut de déclarer que, dans ces hypothèses, le mariage des chrétiens était un contrat, mais non un sacrement ».

(3) Integram seriem Patrum qui in hunc sensum opinati sint exponit ESMEIN, o. c., II,p. 369 ss., juxta THEINER, o. c., II, p. 314 ss.; sed plures dantur quorum verba relata facilè possunt ita intelligi ut asserant meram distinctionem rationis. Tales sunt v. gr. Didacus de Payva, Episc. Lancianensis, Metensis, Auriensis, Namurcensis.

(4) Cf. infrà, n. 426 et 446 s.

sustentatam argumentis », ac « tot Doctorum suffragiis communitam »; contrariam tamen opinionem fatetur (n. 4) communiorem esse eamque solam memorat in *Litt. Apost.* ad Archiep. Goanum 19 Martii 1758, apud *Collectan.*, n. 1391.

177. Conclusio practica

Corollarium I. Nupturientes igitur baptizati, qui intentionem habent contractum ineundi matrimonialem, sacramentum suscipiunt; et, si praedominante voluntate excluderent a contractu rationem sacramenti, « nequidem contractum efficerent, cum illum non vellent nisi sub conditione impossibili », nempe separandi contractum a sacramento. Cf. THEOL. MECHL., o. c., n. 27, qu. 2. Cf. suprà, n. 155 et infrà, n. 533.

178. Matrimonium infidelium fit sacramentum per utriusque partis Baptismum,

Corollarium II. Quando infideles matrimonio legitimo juncti baptizantur, matrimonium ipso facto evadit sacramentum, et nulla ad hoc consensus renovatione est opus.

Revera non irritatur matrimonium per utriusque conjugis conversionem, adeoque validum manens non potest, ab utraque parte suscepto Baptismo, non esse sacramentum; nec refert proinde utrum partes consensum renovaverint necne, vel etiam ipsum revocaverint: non potest enim inter baptizatos existere matrimonium quin simul sit sacramentum.

Quod spectat intimiorem hujus rei *explicationem* ac modum quo matrimonium olim contractum nunc evadat sacramentum: simpliciter dicendum videtur consensum matrimonialem virtualiter perseverantem (1), posita utriusque partis Baptismate, sponte sua evadere sacramentum, ad modum quo consensus olim nulliter praestitus et virtualiter remanens sanatur per sanationem in radice (2). Et sane nihil obstat quominus consensus ille, olim externè emissus et qua talis moraliter perseverans, signum sacramentale constituat.

Eo ipso apparet non esse opus novo consensu ad materiam constituendam et formam sacramenti, quemadmodum nonnulli contendunt; caeterùm, praeterquam quod invocata consensum renovandi necessitas destrueret suprà vindicatam identitatem contractum inter et sacramentum, inefficax foret ille novus consensus ad intentum: non valet nempe talis consensus renovatio novum contractum conjugalem novumque proinde signum sacramentale constituere, siquidem, stante valido matrimonio in infidelitate contracto, non potest novus contractus iniri (3).

179. non autem per unius partis Baptismum.

Scholion. Quoad hypothesim qua *alteruter* conjugum infidelium baptizatur, censemus *matrimonium non evadere sacramentum in parte fideli.*

Argumentum est in hoc quod impossibile sit *vinculum conjugale* esse sacramentale in uno conjuge et non in altero; quia sic esset vinculum

(1) Consensus etiam perseverat, licet eum conjuges forte revocaverint, cum revocatio illa sit prorsus inefficax.

(2) Cf. LEITNER, *Lehrb.*, p. 66 s., et infrà.

(3) « Qui enim semel, uti notat PERRONE, o. c., II, p. 281, aliquid alicui irrevocabili prorsus ratione donavit, in ejus potestate amplius non est illud iterùm donare: talis autem est traditio, quam alter conjugum alteri fecit corporis sui per contractum conjugalem, etiam in infidelitate celebratum ». Cf. etiam BILLUART, l. c.

firmius in uno, ratione scilicet sacramentalitatis, quam in altero, in quo deficeret ratio sacramenti: quod implicat.

Et sane, uti ratiocinatur S. THOMAS, « cum matrimonium (in facto esse) sit quaedam relatio, et non possit innasci relatio in uno extremorum sine hoc quod fiat in alio, ideo quidquid impedit matrimonium in uno, impedit ipsum in altero, quia non potest esse quod aliquis sit vir non uxoris, vel quod aliqua sit uxor non habens virum, sicut nec mater non habens filium, et ideo dicitur communiter quod matrimonium non claudicat » (1); quae ulterius urget BILLOT (2), addendo: « Sicut autem impossibile est ut dominium maritale in uno conjugum sit, ita etiam impossibile est ut obligatio viri ad mulierem *firmior* sit quam mulieris ad virum aut vice versa ».

Quodsi vinculum conjugale non potest esse sacramentale in uno conjugum et non sacramentale in altero, idem est dicendum de matrimonio in fieri, seu de consensus praestatione. Juxta sententiam namque mox, sub n. 180 et 186, exponendam de causalitate dispositiva, ritus externus non constituitur signum practicè significans gratiam nisi mediante vinculo conjugali, quod est res et sacramentum (3).

Quodsi ratiocinatio modò instituta admittatur, valet solutio nostra non tantùm pro hypothesi de qua quaeritur, sed etiam pro casu quo matrimonium primùm contrahitur inter partem baptizatam et partem infidelem, sive ex dispensatione Pontificia, sive absque dispensatione (quando pars baptizata baptismum receperit extra Ecclesiam catholicam nec ad hanc fuerit conversa), adeo ut ne tunc quidem matrimonium claudicare censeatur (4).

DISPUTATIO TERTIA

DE NATURA SACRAMENTI MATRIMONII, EJUS MINISTRO, EFFECTU, SUBJECTO AC CAEREMONIIS.

ARTICULUS 1^us^. **De natura Sacramenti.**

I. **Definitio.**

180. Definitio sacramenti matrimonii.

Ex suprà vindicata identitate reali inter contractum christianorum et sacramentum, matrimonii sacramentum consistit *in contractu*

(1) *Supplem.*, qu. 47, art. 2, in corpore.

(2) O. c., II, p. 357.

(3) Profectò non esset impossibile quod in *uno* conjugum *recipiatur gratia sacramentalis* et non in altero, et ideo, apud patronos sententiae de causalitate sacramentorum *immediata*, qui in sacramento nihil aliud attendunt praeter ritum externum, quo immediatè confertur gratia, sine effectu intermedio, posset opposita solutio praeplacere, quemadmodum reipsa non paucis Auctoribus praeplacet.

(4) Non desunt nempe Auctores diversam proponentes solutionem pro duplici relata hypothesi, affirmando matrimonium claudicare in ratione sacramentalitatis, quando primum initur a fideli cum infideli, illud autem negando ubi agitur de matrimonio inito inter infideles, quorum deinceps alter baptizatur. Ita PERRONE, o. c., II, p. 289-294; LEHMKUHL, in nota ad SASSE, o. c., II, p. 390-392, collata tamen dissertatione inserta in *The cath. Encycl.*, v° *marriage*, IX, p. 713 ss., ubi idem Lehmkuhl favet opinioni in textu propositae; nobis etiam favent LEITNER, o. c., p. 52; LINNEBORN, o. c., p. 15; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 42; CAPPELLO, o. c., n. 36; VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n. 741; TRIEBS, o. c., I, p. 35 s., ubi arguit ex elevatione ipsius contractus in sacramentum, unde deducit sacramentum non posse claudicare, quia contractus non claudicat.

In favorem etiam sententiae universim negantis sacramentalitatem matrimonii, alter-

matrimoniali, quatenus inducit vinculum conjugale, exigens gratiam specialem in hoc peculiariter ordinatam ut inducti vinculi munera et officia ritè ac sanctè obeantur.

Nimirum assumitur contractus maritalis, isque adaugetur dignitate sacramentali, quatenus vinculum maritale, quod ab omni nuptiali contractu, etiam inter infideles, inducitur, inter christianos titulus evadat et dispositio praevia ad infusionem gratiae sacramentalis (1).

Ipsum signum externum, seu *sacramentum tantùm,* est consensus mutuò manifestatus; *res et sacramentum* est ipsum vinculum conjugale, quod per consensum proximè et immediatè significatur et efficitur, et simul titulus exstat postulans infusionem gratiae specialis; *res* autem sacramenti est ipsa haec gratia specialis et propria.

181. Materia et forma.

II. **Materia et Forma.**

Si ipse contractus matrimonialis sacramentum est, elementa constitutiva contractus, in quantum exteriorizantur, constituunt elementa signi sacramentalis, verba scil. (seu nutus) consensum matrimonialem exprimentia, i. e. mutuam corporum traditionem et mutuae traditionis acceptationem.

Haec autem verba (seu nutus), in quantum exprimunt corporum *traditionem,* constituunt *materiam* sacramenti; in quantum exprimunt mutuae traditionis *acceptationem,* seu ratihabitionem, constituunt *formam* sacramenti (2): in hoc scil. contractu conjugali, sicut in omni contractu, « traditio, uti notat *Billuart* (3), est determinabilis, completurque in ratione perfecti contractus per acceptationem, quae se habet ut determinativum » (4).

Propositae explicationi *non obstat Conc. Florent.,* docens consensum mutuum esse *causam efficientem matrimonii:* matrimonium enim hîc ponitur pro vinculo matrimoniali seu pro matrimonio in facto esse, relate ad quod consensus reipsa existit causa efficiens.

---

utro conjuge infideli existente, adduci potest decr. C. S. O., 5 Nov. 1924 (*Eccles. Review* (1925), t. LXXII, p. 188), in quo vinculum hujusmodi matrimonii vocatur *naturale* vinculum. Cf. infrà, n. 333.

(1) Ut haec notio intimius intelligatur, ratio est habenda theoriae circa constitutionem sacramentorum in genere eorumque causalitatem; de quibus fusius agitur apud DE SMET, *De sacramentis in genere,* n. 36 et n. 40 ss.

(2) Bened. XIV, *Litter. Apost.,* 19 Martii 1758 (*Collectanea,* n. 1391, p. 449), idem docet: « Legitimus contractus materia insimul et forma est sacramenti matrimonii: mutua nempe ac legitima corporum traditio... materia; et mutua pariter et legitima corporum acceptatio, forma ». Cf. aliunde eumdem Bened. XIV, *De Syn. dioec.,* l. VIII, c. XIII, n. 2, ubi varias sententias refert; S. THOMAM, *in IV Sent.,* Dist. XXIV, qu. 2, a. 1; SANCHEZ, o. c., l. II, disp. V, n. 6-7; SALMANTIC., o. c., Tr. IX, c. III, dub. II; SUAREZ, *Disputat. in Tert. Part. S. Thomae,* Tom. III, disp. II, sect. 1; BELLARMINUS, o. c., cap. 6; PALMIERI, o. c., thesi X, sub VII; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 43, ubi, in nota 96 scitè confutat *Scherer* et *Schnitzer,* contendentes in sententia proposita circa materiam et formam esse tautologiam.

(3) O. c., *Ad suppl.,* Dissert. I, art. 7.

(4) TRIEBS, o. c., I, p. 34, in hoc ponit rationem determinantem formae, quod traditionem mutuam corporum, quam uti materiam proximam habet, restringit in ordine ad finem propagationis speciei.

ARTICULUS 2°. De Ministro Sacramenti.

I. *Ministri sacramenti sunt* **ipsi contrahentes,** *ad exclusionem parochi vel sacerdotis matrimonio assistentis.*

A. **Argumenta.**

182. *Contrahentes sunt ministri sacramenti.*

1° Primum ac palmare argumentum est in *ipsa identitate sacramenti et contractus,* pro baptizatis; ex qua identitate sponte sequitur contrahentes, utpote conficientes contractum, etiam necessario esse conficientes sacramentum, adeoque ejusdem sacramenti ministros constitui.

2° Confirmatur ex eo quod matrimonia inter solos sponsos clandestine contracta, de se valida sunt in ratione contractus et in ratione sacramenti, quousque scilicet ab Ecclesia non irritantur (1), quodque hodiedum absolute rata habentur in quantum a lege clandestinitatis sunt exempta.

3° Quod in specie non sit minister sacramenti *parochus seu sacerdos delegatus,* cujus praesentia ad valorem requiritur pro matrimoniis clandestinitatis legi subjectis, confirmatur ex ipsa confectione decreti Tridentini *Tametsi,* ex qua confectione innotescit sacerdotem ibi merum agere *testem auctorizabilem:* in prima nempe et secunda propositione Patribus oblata, exigebatur praesentia trium testium quorumcumque, in tertia autem et quarta statuebatur ut unus e tribus testibus esset sacerdos, adeo tamen ut ejus officium esset meri testis, eo vel magis quod plures voluerint ipsi substituere notarium (2).

B. **Explicatio.**

Explicatio.

1° *Fideles* contrahentes *sacramentum conficiunt* per ipsum eumdemque consensum praestitum quo constituitur contractus; per verba scilicet consensum exprimentia quae constituunt materiam simul et formam: materiam, prout exprimunt *traditionem* mutuam corporum, formam, prout exprimunt traditionis *acceptationem,* ad normam dictorum sub artic. **1°**.

Quodsi praecise et stricte sit loquendum, contrahentes *agunt ministros* in quantum *ponunt formam,* seu in quantum acceptando ratihabent traditionem dominii ab altera parte factam, non autem in quantum ponunt *materiam et formam* (3).

---

(1) « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit... » *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, c. 1, *De reformatione matrimonii.*

(2) S. Synodus, juxta primam formulam, « statuit et decernit ea matrimonia quae in posterum clam, *non adhibitis tribus testibus,* contrahentur, irrita fore ac nulla ». THEINER, o. c., II, p. 314, in quo opere, p. seq., reliquae formae referuntur. Cf. etiam PERRONE, o. c., I, p. 149-152; ESMEIN, o. c., II, p. 155-169.

(3) Ita solvitur difficultas quae contra propositam doctrinam opponi posset, quod

2° In matrimoniis *per procuratorem* initis, vel ope interpretis, ministri non sunt procurator vel interpres, sed illi quorum sunt mandatarii vel interpretes.

183. Conditiones requisitae ad ministerii exercitium validum,

II. *Ad* **validum** *ministerii exercitium requiritur in contrahentibus, praeter validum matrimonialem consensum, intentio, saltem virtualis, faciendi quod facit Ecclesia.*

Nimirum in omni ministro sacramenti, ad hoc ut validè exerceat ministerium, postulatur intentio ministerialiter agendi nomine et auctoritate Christi: quae intentio implicitè continetur in intentione faciendi quod facit Ecclesia.

Porro intentio illa debet esse actualis, vel ad minus *virtualis*, i. e., si non actu, saltem virtute perseverans, siquidem positivum influxum exercere debet in sacramenti constitutionem, efficiendo scil. ut signum constituatur instrumentum in manu Christi (1).

Non refert autem quod nupturientes ignorent se agere ministros: « eo namque ipso quod volunt contrahere juxta institutionem Dei et prout fit in Ecclesia (more christianorum), *intentionem* habent faciendi quod facit Ecclesia, seu quod Christus instituit » (2). Caeterum, nisi peculiare quid obstet, possunt de hoc, quo fungantur, munere opportunè moneri, licet passim de hoc silendum suadeant Auctores: hujusmodi namque notitia nata est in ipsis augere reverentiam sacramenti, eosque excitare ut dignius ad hoc sacramentum accedant (3).

et licitum.

III. *Quod spectat conditiones ad* **licitum** *ministerii exercitium, confunduntur cum conditionibus requisitis ad licitam susceptionem sacramenti: de quibus sub articulo IV.*

184. Opinio M. Cani.

Nota. Contrariam sententiam imprimis promovit *Melchior Canus*, contendens sacerdotem esse ministrum sacramenti matrimonii: quod logice eruitur ex ejusdem Auctoris erronea doctrina de inadaequata distinctione contractus matrimonialis a sacramento, quasi contractus esset materia sacramenti, benedictio vero sacerdotis forma.

---

nempe, in nostra sententia, Christus Dominus sit dicendus, quod absit, matrimonium contrahere, cum Ipse sit principalis minister, et quod Ipsi qua principali agenti adscribenda sit actio causae ministerialis: munus nempe ministri qua talis reducitur ad solam ratihabitionem traditionis ab altera parte factae; quod non est indignum Christo, sancire scilicet principaliter et obsignare vinculum nuptiale.

(1) Cf. nostrum Tractatum *de Sacramentis in genere*..., n. 117 ss.

(2) THEOL. MECHL., o. c., n. 30.

(3) Ad hoc peculialiter est attendendum in matrimoniis per procuratorem: mandantes scil. seu principales contrahentes debent habere, momento praestiti consensus per mandatarium ac exinde confecti sacramenti, intentionem, eamque saltem *virtualem*, contrahendi ac sacramentum conferendi: nec sufficit, uti docet LEHMKUHL, o. c., II, n. 49, intentio *habitualis*. Intentio autem mandantis *virtualiter* perseverat in ipso mandato olim dato, in cujus virtute et sub cujus influxu consensus exhibetur a procuratore; nec adeo refert quod, momento quo consensus manifestatur ac sacramentum conficitur, non attendat principalis contrahens vel ebrius sit aut dormiens. Cf. casum solutum apud *Anal. eccles.* 1901, p. 430 ss.; cf. etiam suprà, n. 124.

Quam Cani sententiam, quod mirum diximus suprà, n. 176, BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioeces.*, l. VIII, c. 13, n. 2 et 4, validissimis sustentari argumentis ac valde probabilem dicit ob extrinsecam auctoritatem Doctorum ipsi faventium, in specie Gulielmi Parisiensis et Paludani (1).

185. Munus sacerdotis nuptias benedicentis.

Corollarium. Verba a sacerdote nuptiis benedicente pronuntianda: *ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris...*, nullatenus constituunt formam sacramenti, nec ullo titulo ad contractum vel sacramentum constituendum conferunt; quod ex praedictis abunde liquet, ac confirmatur vel ex hoc ipso quod, juxta ipsum Concilium Trid., uti posset sacerdos aliis verbis « juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum » (2). Accedit etiam quod, juxta MARTÈNE, o. c., l. I, P. 2ª, cap. IX, art. 3, inaudita fuere illa verba apud antiquos, ac desiderantur in priscis ritualibus. Cf. etiam VILLIEN, *Rev. du clergé fr.*, t. LXXVI, p. 20.

Sensus vero verborum sacerdotis est quod matrimonium modò initum, ab Ecclesia, per os sacerdotis, ratum habetur ac sollemnizatum: quem sensum explicitè exhibent variae formulae in variis locis usurpatae (3).

Intelligitur tamen quomodo sacerdos facile dicatur minister sacramenti in ore illorum qui non solent loqui strictè theologicè, quatenus est tum testis auctorizabilis, nomine Ecclesiae assistens, tum minister sollemnitatis pro ritu ecclesiastico, quemadmodum in suppletione caeremoniarum baptismi.

Benedictio autem impertita est aliquod sacramentale, ex opere operantis Ecclesiae, cujus nomine conceditur, impetrans divinam benedictionem super novis conjugibus.

ARTICULUS 3ˢ **De Effectibus Sacramenti** (4).

186. Effectus sacramenti:

Praenota sacramentum hîc, uti sub tota hac sectione, sumi in sensu proprio pro *ipso sacramento tantùm,* seu pro signo sacramentali; sumitur proinde pro ipso consensu, non autem pro *re et sacramento,* seu vinculo, quod interdum, minus propriè, dicitur sacramentum.

---

(1) Eadem doctrina propugnatur in tractatu *Theologiae Nanciensis*, quem invenire est apud MIGNE, *Theologiae Cursus completus*, t. XXV, 1863, col. 790 ss. Inter alia provocatur ibidem ad textum Concilii Florentini, docentis sacramenta confici *verbis* tanquam forma, dum contrahentes possunt matrimonium valide inire nutibus; non attenditur scil. vim verborum non esse arctius premendam, uti etiam apparet in doctrina circa sacramentum poenitentiae, ubi actus poenitentis constituunt materiam sacramenti, dum in eodem Concilio Florentino docetur materiam sacramentorum constare rebus.

(2) Sess. XXIV, l. c.; item *Rit. Rom.*, in editione 1925, ubi additur in rubrica: « vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque ritum ». Cf. BENED. XIV, *De Synodo dioec.*, l. VIII, c. XIII, n. 6: « Tantam porro varietatem Ecclesia non tolerasset, multoque minus cuiuslibet provinciae arbitrio permisisset, si existimasset per verba a sacerdote prolata confici sacramentum matrimonii ».

(3) Tales sunt quas refert PERRONE, o. c., I, 154: « Ideo matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico et benedico in nomine Patris etc. »; « matrimonium inter vos in facie Ecclesiae contractum Deus confirmet, et auctoritate Ecclesiae Dei ego illud approbo, perficio atque solemnizo. In nomine Patris etc. ». Cf. etiam THALHOFER, *Handbuch der kath. Liturgik, Freiburg*, 1912, II, p. 448.

(4) In hoc articulo notam supponimus theoriam generalem circa effectus sacramentorum, qualis exponitur in nostro tractatu *de Sacram. in genere*, cap. III, signanter n. 56 s., et n. 71-89.

vinculum conjugale,

Prior effectus, seu *res et sacramentum,* est **vinculum conjugale;** quod vinculum conjugale exigit, ad modum causae dispositivae, infusionem gratiae sacramentalis. Perseverat autem res et sacramentum, seu vinculum conjugale, donec fuerit legitimè dissolutum, puta per alterutrius mortem.

187. et gratia.

Alter effectus seu *res* est ipsa **gratia,** habitualis scilicet seu sanctificans, cum gratiis actualibus uberioribus, quibus adjuti conjuges sanctè educent proles, pacifice communem agant vitam et reliquis officiis status conjugalis debitè fungantur.

Haec autem gratia est *per se secunda,* siquidem vinculum conjugale, quo constituuntur conjuges principium procreandae prolis et deputantur ad multiplicandos filios Dei, convenienter praesupponit illos conjuges in filiatione Dei constitutos per gratiam; *per accidens* tamen censetur infundi gratia *prima,* quando nempe suscipitur sacramentum a peccatore peccati mortalis inconscio, et saltem habitualiter attrito.

Prior effectus semper consequitur validam sacramenti susceptionem seu contractum conjugalem inter baptizatos validè initum.

Alter effectus producitur quotiescumque non obstat obex ad gratiam: si datur *obex simpliciter,* status nempe peccati lethalis cum conscientia peccati, vel cum affectu habituali ad peccatum mortale, deficit gratia sanctificans, et sacramentum evadit infructuosum simpliciter; si datur *obex secundum quid,* sacramentum redditur infructuosum secundum quid; si datur obex simpliciter et simul obex secundum quid, infructuosum est sacramentum *totaliter,* quoad totum scil. fructum (1).

Sacramentum validè sed infructuosè collatum potest *reviviscere,* quousque manet res et sacramentum seu quousque vinculum nuptiale non est dissolutum: reviviscit scil. remoto obice, idque *simpliciter,* quoad gratiam sanctificantem, remoto obice simpliciter; reviviscit *secundum quid,* si removetur obex secundum quid, et reviviscit *totaliter,* quoad totum scil. fructum, remoto obice utroque.

Porro *notetur* sacramentum matrimonii, si, uti docuimus suprà, non potest existere in uno conjuge quin simul existat in altero, posse tamen esse fructuosum in uno et infructuosum in altero, ac etiam in una parte reviviscere et non in altera.

---

(1) Nihil obstare videtur quominus sacramentum matrimonii infructuosum simpliciter, equidem sit fructuosum secundum quid, ubi nempe adest obex simpliciter, non autem obex secundum quid. Cf. DE SMET, *De Sacram.,* n. 83 s., coll. n. 76.

ARTICULUS 4^s^. **De Subjecto Sacramenti.**

188. Subjectum capax.

I. Subjectum **capax** sacramenti sunt respectivè vir et mulier, ad validè contrahendum habiles (1) et utrimque baptizati.

189. Dispositiones subjecti: ad valorem sacramenti;

II. Ad **valorem** sacramenti ulterius requiritur, praeter legitimè et validè emissum consensum, intentio, saltem habitualis, suscipiendi sacramentum: quae intentio eminenter continetur in intentione ministeriali, quam, sub n. 183, vidimus in contrahentibus requiri in quantum agunt ministros sacramenti.

190. ad fructuositatem;

III. Ad **fructuositatem** postulatur remotio obicis simpliciter vel secundum quid vel utriusque, prouti intenditur fructuositas simpliciter vel secundum quid, vel fructuositas totaliter.

Removetur obex simpliciter in peccati conscio per qualemcumque status gratiae recuperationem, in peccati autem inconscio, per retractationem affectus ad peccatum lethale. Porro sacramentum matrimonii, scienter susceptum cum obice simpliciter, constituit peccatum grave *sacrilegii*.

191. ad liceitatem.

IV. Quoad **liceitatem:**

Ad *licitam susceptionem* matrimonii (2), *in quantum est sacramentum* (3), requiritur:

A. *Debita instructio in fide,* attentis tamen dicendis infrà, ubi de examine nupturientium.

B. *Confirmatio,* sic urgente canone 1021, § 2: « Catholici qui sacramentum Confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo » (4).

192. Stricto jure non est praemittenda confessio,

Quod autem spectat **confessionem sacramentalem:** dicendum videtur *nullum existere praeceptum, neque juris divini, neque juris*

(1) De conditionibus requisitis ad hoc ut contrahentes sint habiles, agetur infrà, ubi de impedimentis matrimonii dirimentibus.

(2) Dicitur : ad licitam *susceptionem;* possent enim attendi etiam liceitas aut illiceitas ex parte *ministrationis,* quatenus, simul ac recipitur sacramentum, illud etiam ministratur alteri parti; videri nempe posset gravis illiceitas in administrando sacramento comparti, quae noscitur indigna. Jamvero ex hoc capite non censetur practice induci distinctum numero peccatum, tum quia speculativè dubium est ratione administrationis accedere novam speciem peccati, tum quia, si id admittendum dicas, passim non contrahetur hujusmodi specialis malitia, quia non attenditur: passim autem non attenditur haec malitia, in quantum subest, quia plerumque ignorant contrahentes se esse ministros, et quia, si hujus qualitatis sunt conscii, non suspicantur specialem malitiam in indigna ministratione qua tali, malitiam scil. distinctam a sacrilega susceptione sacramenti.

(3) Seponuntur igitur omnes conditiones pro liceitate requisitae ad matrimonium, quatenus est *contractus,* signanter ut removeantur impedimenta impedientia.

(4) Attento tenore canonis, datur quidem, ut videtur, obligatio Confirmationem matrimonio praemittendi, non tamen obligatio gravis. Neque etiam est exigendum testimonium Confirmationis; sufficit monere sponsos de obligatione qua tenentur ut Confirmationem susceperint antequam ad matrimonium accedant. Hoc eruitur ex diverso tenore can. 1011, in par. 1, circa testimonium Baptismi exigendum.

ecclesiastici, praescribens ut confessio matrimonii sacramento praemittatur. Revera

neque vi juris divini, 1° *Jure divino* per se non est imponenda confessio nupturientibus. Matrimonium est quidem sacramentum vivorum, et ideo jure divino est in statu gratiae suscipiendum, sed, praeterquam quod in justis gratia supponitur, peccatores graviter rei eam possunt contritione perfecta sibi procurare; aliunde vero, nullibi positivo praecepto praescribitur ut, in praeparationem ad sacramentum matrimonii, *per sacramentalem confessionem* justitiam recuperent, quemadmodum exstat peculiare mandatum in ordine ad s. communionem suscipiendam.

neque vi juris ecclesiastici communis, 2° In *jure ecclesiastico communi* pariter desideratur strictum praeceptum. Revera can. 1033 sedulò abstinet ab urgenda obligatione confessionem matrimonio praemittendi: vult dumtaxat ut parochus sponsos « vehementer *adhortetur* ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur » (1).

Caeterum non aderat hujusmodi praeceptum in jure communi Codici anteriori. Ita Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. I, *De reformatione matrimonii,* conjuges *hortatur* quidem sed son cogit, « ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem (2), peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiae sacramentum pie accedant ». Rituale autem Romanum, *De sacram. Matrim.*, n. 17, in anteriori-

(1) Equidem can. 1066 vult ut parochus, salvo gravis causae casu, matrimonio non assistat publici peccatoris vel notorie excommunicati, qui « ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit »; atvero prohibitio illa matrimonio assistendi non est lata ob transgressionem praecepti confessionis, sed ob vitandum scandalum et offensionem populi, et ideo praecise restringitur prohibitio ad assistentiam matrimonio *publici* peccatoris vel *publicè* excommunicati.

(2) Sanctae Synodi exhortatio ad confessionem et communionem praecipue dirigitur *contra maleficia* eorum, qui tunc temporis, uti ferebatur, non raro impediebant coitum vel procurabant sterilitatem mulierum vel abortum: quibus maleficiis in efficax remedium opponebant Patres Tridentini devotam frequentationem sacramentorum, et ideo insistunt ut, si non ante ipsum contractum matrimonialem, saltem triduo *ante consummationem,* ad hanc sese praeparent per devotam confessionem et communionem, prae oculis habentes monita angeli Raphaelis ad Tobiam, in *libro Tobiae,* cap. VI, sub fine.

Haec nimirum *maleficia,* medio aevo sicut et diu postea, reputabantur frequentia, ac variis poenis plectebantur in plerisque statutis dioecesanis, uti exponitur apud *Nouv. Rev. théol.*, V, p. 304 et seq. In specie, inter casus olim pro dioecesi Brugensi reservatos recensetur, in tractatu circa annum 1752 edito, p. 112, coll. De Smet, *Tractatus de Casibus reservatis,* 1914, n. 78, in nota: *Ligatura* seu ligula, species nempe maleficii, quam flandrice vocabant « den nestelink knopen », gallice « nouer l'aiguillette », qua damnabili et execranda praxi, uti ibidem monetur, « solent homines conjugatos reddere frigidos et maleficiatos, hoc est ad actum conjugii inidoneos, et faciunt hoc nectendo certam ligulam cum certis verbis quae proferunt », vel etiam « provocant abortus, partus difficiles, occidunt proles ante Baptismum »; quam praxim Auctor reputat tunc fuisse « frequentiorem, praesertim ruri, inter petulantes aemulantesque iuvenes, quam regulariter homines simplices et timorati sibi queant persuadere ». De maleficiis in matrimonio plura apud Franz, o. c., II, p. 178-184; cf. etiam *Manuale pastorum Yprense,* anni 1693, ubi, p. 135 ss., habetur ritus exorcismi « pro impeditis in usu matrimonii a daemone vel a maleficis », quem exorcismum praecedere debet confessio et communio conjugum et Missa de Spiritu S°; *ibidem* autem, p. 140, reprobatur error et abusus hinc inde vigens, quo maleficiatis succurri posse creditur per hoc quod « vir et mulier priori matrimonio legitimè et in facie Ecclesiae contracto mutuo consensu renuntient et novum coram sacerdote contrahant ».

bus editionibus (1), volebat ut a parocho « *admoneantur* conjuges ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur et ad SS. Eucharistiam... pie accedant ». Quae admonitio a parocho facienda, attenta Conc. Trident. disciplina, non importabat pro conjugibus verum praeceptum, uti fatetur BARUFFALDI, *Commentaria ad Rit. Rom.*, tit. XLI, n. 181.

193. neque vi juris dioecesani.

3° Quod attinet *jus dioecesanum:* in pluribus locis existunt, vel saltem usque ad haec ultima tempora existebant, variae ordinationes dioecesanae, speciem prae se ferentes praecepti, potius quam normae directivae (2).

Attamen ex una parte, inspecto tenore, non cogimur in illis ordinationibus strictum agnoscere praeceptum pro nupturientibus instituendi confessionem, sub poena prohibitionis a nuptiis; et ex alia parte, juris principiis magis conformis est interpretatio, juxta quam statutum hujusmodi directivum sit dumtaxat et non stricte praeceptivum.

Et requidemvera, uti modo vidimus, neque vi juris divini neque vi juris communis ecclesiastici, matrimonii celebrationi necessario est praemittenda confessio, nec eam omitttentes absolute et sine distinctione sunt illico repellendi, putà illi qui nullius peccati mortalis sibi sunt conscii. Jamvero Episcopus non valet nova impedimenta matrimonium impedientia statuere, quemadmodum agnoscit BENED. XIV, *De Synodo dioeces.*, 1, VIII, cap. XIV, n. 5.

Caeterum ordinationes episcopales et synodales, testimonium de peracta confessione exigentes, non semel in hunc sensum Romae sunt approbatae aut moderatae, ut fidem nimirum confessionis expostulent *ad modum suadentis,* non autem *ad modum cogentis,* nec adeo renuentes a matrimonio excludendos curent (3).

Conclusio. Nupturientes igitur vehementer quidem ad confessionem instituendam (et, ubi est in usu, ad confessionis schedulam afferendam) adhortandi sunt, non vero ad id cogi possunt, et, si alteruter eorum confiteri renuit, non est ex hoc capite deneganda assistentia matrimonio (4).

Nota 1. Opportunè a sponsis confessio instituitur, in ordine ad matrimonium, non modo brevi ante nuptiarum celebrationem (de qua confessione modò), sed etiam duabus vel tribus hebdomadibus ante nuptias: quae prima confessio utiliter conferre potest ad tempestive detegenda impedimenta, in specie impedimentum criminis.

Ideo pro posse servanda curetur praxis, sicubi existit, quemad-

(1) In nova editione, sub n. 14, inseritur citatus tenor canonis 1033.

(2) Ita in *Libro Manuali* Brugensi, p. 189, statuebatur: « Moneantur conjugandi, ut saltem triduo ante matrimonii solemnizationem sua peccata confiteantur et pridie communicent... Illos insuper monebit (parochus) ut, ante matrimonii celebrationem, *testimonium* adferant de instituta a se sacramentali confessione ».

(3) Cf. decr., S. C. de P. F., 21 Sept. 1840 (*Collectan.*, n. 197); collatis decreto ejusdem S. Congr. 17 Apr. 1820 (*ibidem* in nota, et n. 1521), necnon decr. S. C. C., 28 Aug. 1852, apud *Analecta Jur. Pont.*, I, p. 704 et seq., et apud BANGEN, *Instr. pract.*, II, p. 233 et seq. Cf. etiam DE BECKER, *De Matr.*, p. 267; *Collat. Namurc.*, 1904, p. 85 s.; *Nederl. kath. stemmen,* 1905, p. 12 ss.; et, in diversum sensum, *Rev. du clergé français,* t. L, p. 745 ss.

(4) Si confiteri renuens est peccator publicus vel censura notorie innodatus, attendenda dispositio can. 1066, de qua mox, sub n. 195, et modò suprà, in nota.

modum in dioecesi Brugensi (1), quatenus nupturientes confessionem instituant (et communicent) die quo primum eorum banna proclamantur.

2. Notare juvat, juxta canonem 900, num. 1, quamlibet reservationem ratione peccati, adeoque etiam reservationem quam falsae confessarii denuntiationi adnectit can. 894, omni vi carere « cum confessionem peragunt... sponsi matrimonii ineundi causa » (2).

3. Juxta citatum can. 1033, vehementer *hortandi* sunt sponsi, non modò ut ante matrimonium confiteantur, sed etiam ut *communicent;* sed haec communio non censetur suaderi ut fiat ante ipsum matrimonium, ac laudabiliter institueretur sub ipsa missa nuptiali, matrimonii celebrationem consequenti.

194. An, quandonam et quomodo assistere possit parochus matrimonio

Scholion. De modo agendi parochi *quoad assistentiam matrimonio indigni.*

A. *Quoad peccatores* **occultos:**

1° *peccatoris occulti;*

Parochus, *ex sola confessione* cognoscens sponsum esse indignum, non potest suam assistentiam denegare, licet secretò accesserit ille; sed potest ac debet eum in ipso actu confessionis a sacrilegio prudenter (3) deterrere. Indignum vero, cujus indignitatem novit extrasacramentaliter, debet etiam admittere *publice* accedentem, non autem si secretò sese praesentat.

195.

2° *peccatoris publici aut notorie censurati;*

B. *Quoad peccatores* **publicos** et **notorie censuratos** (4):

Publici peccatoris aut *censura notorie innodati* (5) matrimonio ne assistat parochus, si « prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit (6): excepto casu urgentis gravis causae, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium». Can. 1066.

---

(1) Haec praxis passim viget in dioecesi Brugensi, juxta votum Episcopi, olim expressum in *Libro manuali,* p. 189: « Desiderium quoque nostrum est ut, ad vitanda varia incommoda et fructuosiorem procurandam sacramenti matrimonii susceptionem, RR. DD. Parochi suadeant sponsis accessum ad sacramenta, die qua primum eorum banna proclamabuntur, quae dies solemnis eis est ».

(2) Hunc favorem juris extendendum censemus, non modò ad confessionem, ad normam can. 1033, brevi ante nuptias peragendam, sed etiam ad illam quae forte, in jure particulari, in ordine ad matrimonium ocius instituenda exoptatur. Sponsi etiam intelliguntur quicumque nupturientes et non tantum illi qui valida sponsalia contraxerunt.

(3) Potest fieri ut monitio opportunè omittatur, quando nempe nupturiens reperitur plus minusve in bona fide versans, nec speratur fructus ex monitione.

(4) Seponuntur indigni *non baptizati* vel *sectae haereticae adscripti,* pro quibus attendendae sunt speciales leges ab Ecclesia conditae: de quibus agetur ubi de impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis.

(5) Comprehenduntur non tantùm excommunicati, sed etiam alii censurae, puta personali interdicto, notorie obnoxii. Notorietas intelligitur sive *juris,* quatenus censura innotuerit per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, sive *facti,* quatenus delictum, quod publice noscitur censura puniri, in talibus adjunctis fuerit commissum ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit. Can. 2197.

(6) Confessio spectat publicos peccatores, reconciliatio notorie censuratos.

Causa erit praeprimis peccata vitanda et scandalum ex concubinatu instaurato vel instaurando, ex civili matrimonio jam inito vel ineundo; etiam attendi potest grave damnum quod ex denegata assistentia immineret parti innocenti. Sane proportionanda est gravitas causae requisitae gravitati delicti, et gravior requiritur causa quando agitur de excommunicato vitando quam de excommunicato tolerato; ratio quoque est habenda offensionis populi, ex eo forte oriundae quod parochus, in determinato casu, assistat matrimonio (1).

Nota, ad hoc ut assistentia matrimonio publici peccatoris, etiam absque urgenti causa, permittatur, sufficere accessum ad confessionem, non vero requiri quod absolutio fuerit impertita. Ex ipso nempe publico accessu ad confessionem cavetur ab offensione populi, quae nata esset sequi ex assistentia parochi matrimonio publici peccatoris: quae offensio meritò timenda praecipua ratio est cur assistentia regulariter prohibeatur. Quod spectat notoriè censuratum, publica accessio ad poenitentiae sacramentum importat, attento canone 2251, etiam pro foro externo, praesumptionem reconciliationis cum Ecclesia.

Etiam observa prohibitionem assistendi non urgeri coram causa gravi urgente, nec absolutè requiri ut Ordinarius consulatur, sed tantùm quatenus fieri potest idque circa gravitatem causae dumtaxat; unde, si aegrè adiri potest Ordinarius, nihil obstat quominus parochus, supposita gravi causa urgente, propria auctoritate procedat (2).

C. Quoad **apostatas** et *notorie adscriptos* **societati vetitae**:

196. 3° apostatae vel notorie adscripti sectae vetitae.

Quando agitur de persona quae *vel fidem catholicam notoriè abjecit,* quin tamen ad sectam acatholicam transierit (3), vel de persona quae *notorie adscripta est societati ab Ecclesia damnatae* (4), puta societati massonicae aut alii hujusmodi societati, ad

(1) Notat hic CAPPELLO, o. c., n. 332, sub 6°, quod « si agitur de excommunicatis *vitandis,* assistentia permitti non potest nisi in casu gravissimae necessitatis; item, si agitur de excommunicatis vel interdictis per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, gravior causa requiritur quam pro aliis ».

(2) Cf. infrà, n. 688, ubi notabitur quod tanquam publici peccatores, in hoc negotio, non sunt tractandi ignorantes doctrinam christianam et eam addiscere renuentes.

(3) Sunt apostatae a fide, et qua tales incurrunt ipso facto excommunicationem speciali modo reservatam S. Sedi. Can. 2314.

Ad hoc ut quis censeatur notorie apostata, tanquam fidem catholicam abjiciens, non satis est quod religionem catholicam habitualiter et publicè non sit professus (talis numeratur inter peccatores publicos); nec requiritur, ex alia parte, ut totum dogma rejecerit; oportet et sufficit ut notorio aliquo actu professus sit se catholicum non esse nec velle haberi pro tali: qu'il « attaque fréquemment les vérités révélées, il se dit libre-penseur,... il se proclame déiste ou même matérialiste athée, moniste, rationaliste pur, ne croyant pas à l'audelà ». *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 390.

(4) Juxta can. 2335, nomen dantes societati massonicae vel aliis hujusmodi, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur, subsunt excommunicationi S. Sedi reservatae simpliciter.

normam can. 2335 (1), *absolutè prohibetur* parochus ejus matrimonio assistere, *nisi consulto Ordinario; Ordinarius* autem poterit, inspectis omnibus rei adjunctis, parocho permittere « ut matrimonio intersit, dummodò urgeat gravis causa (puta periculum concubinatus) et, pro suo prudenti arbitrio, Ordinarius judicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius conjugis ». Can. 1065, § 2 (2).

Hîc igitur, secus ac pro notorie excommunicatis, numquam potest parochus propria auctoritate procedere ,sed *imponitur* rei delatio *ad Ordinarium,* cujus est judicare de causae gravitate necnon de cautelarum sufficientia (3), et matrimonii assistentiam prohibere vel permittere; eam autem permittere potest etiam cum ecclesiastico ritu ac missae celebratione, cum nulla in canone inseratur restrictio, qualis in canone 1102, § 2, inseritur pro matrimoniis mixtis (4).

Nota. Circa assistentiam parochi matrimonio personae *obnoxiae impedimento matrimoniali,* dictum est suprà, n. 60.

ARTICULUS 5^s^. **De Caeremoniis Sacramenti Matrimonii** (5).

I. **Ritus Hodierni.**

197. Ritus sacramentales : Praesupposita observatione formae juridicae, ad ipsam validam concensus emissionem, intra limites suprà indicatos, requisitae, en

1° *hodierni,* praecipuas praescriptiones liturgicas:

A. **Pro ipsa celebratione matrmonii:**

1° *De jure communi:*

a/ *pro ipsa celebratione matrimonii;* Juxta *Rit. Rom.,* Tit. VII, cap. 2, sacerdos, superpelliceo et stola alba indutus, exquirat et excipiat utriusque sponsi consensum (6),

(1) Cf. DE BRABANDERE-VAN COILLIE, o. c., n. 1457, et notatim n. 1319^2^, ubi docetur « *socialismum* sub censu societatum generis massonici reponendum esse », utpote societatem « quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates machinatur »; quod tamen ita intellige ut massonibus hîc aequiparentur (ac censurae subsint) soli illi qui principiis socialismi imbuuntur, quemadmodum duces antesignani, non autem gregarii passim socialistae: plerique namque sectae adhaerent quasi sectae politicae operariorum commoda propugnanti. Cf. GENICOT-SALSMANS, o. c., II, n. 594.

(2) Eodem canone 1065, § 1, monetur ut a matrimonio cum tali persona ineundo absterreantur fideles.

(3) Agitur de cautelis spectantibus educationem catholicam universae prolis ac remotionem periculi perversionis partis catholicae, ad normam dicendorum infrà, ubi de matrimoniis mixtis. — Non determinatur modus quo de futura cautelarum observatione constare debeat, sicut determinatur, uti infrà dicetur, in matrimoniis mixtis vel disparis cultus.

(4) Severior hucusque vigebat disciplina, quatenus a/ exigebatur Ordinarium consuli et ejus mandatis stari, etiam pro matrimonio ineundo cum notoriè excommunicato; quatenus b/ parochus debebat interesse passivè, quodque in pluribus decretis excludebatur missae celebratio. Cf. decr. C. S. O., 21 Aug. 1861, 30 Jan. 1865, 21 Febr. 1883, 25 Maii 1897, 11 Jan. 1899, respective apud *Collectan.,* n. 1529, 1534 et *N. R. th.,* XXXII, p. 404 ss.

(5) Caeremoniae illae determinant *formam liturgicam* matrimonii, dum formalitates, de quibus suprà, n. 103 ss., determinant formam juridicam.

(6) Circa consensus emissionem disponit can. 1888, § 2: « Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui

servando formulare ibidem descriptum; dein jubeat sponsos invicem jungere dextras, dicens: « Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine P. † et F. et Sp. S. Amen ». — Dein eos aspergat aqua benedicta; ac statim post benedicat annulum, adhibita benedictionis formula ibidem descripta (1).

2° *De jure particulari Brugensi* (2):

Ante consensus exquisitionem, sponsos aspergat sacerdos aqua benedicta, eisque explicet quae sit sacramenti matrimonii gratia et quanta sacri vinculi, quo se mutuó obstringere volunt, obligatio. Pro ipsa autem consensus emissione, non tantùm jubeat nupturientes manus jungere, sed eorum dextras stola involat; post quae eorum consensum exquirat modo in Rituali descripto, servata formula *Ego vos conjungo*. Deinceps, revoluta stola, asperget eos aqua benedicta, ac procedat ad benedictionem ac insertionem annuli juxta ritum et formulas Ritualis.

Tandem adduntur ritus, oratio et apprecatio, quae olim, juxta *Pastorale Brug.*, p. 132 s., fiebant pro secundis mulieris nuptiis: « *Deinde sponsus decenter ad altare procedat, quo sponsa sequetur, et, osculato altari prius a sponso deinde a sponsa, conjuges genuflectant in gradu superiori; sacerdos vero, stans in suppedaneo altaris, conversus ad eos dicat:*

Oremus. Respice, Domine, super hanc conjunctionem tuam, ut, sicut misisti sanctum Angelum tuum Raphaëlem pacificum Tobiae et Sarae, filiae Raguëlis, ita digneris, Domine, mittere auxilium tuum super hos famulos tuos: ut in voluntate tua permaneant, et in amore tuo vivant et senescant, et multiplicentur in longitudinem dierum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Gratia D. N. J. Ch. et caritas † Dei, et communicatio Spiritus Sancti, sit semper vobiscum. Amen (3).

Nota 1. Ritus pro ipsa celebratione matrimonii praescripti observandi sunt in quocumque matrimonio, etiam ubi mulier vidua est, exceptis matrimoniis mixtis (infrà, n. 510) (4).

---

possint ». Ita etiam *Rituale* novum. Cf. suprà, n. 129. — In prioribus editionibus, *Rituale* habebat quod consensus debebat esse « expressus aliquo signo sensibili ». — Nota ad validam assistentiam requiri ut consensus a sacerdote requiratur et excipiatur (n. 111).

(1) Nihil impedit quod simul benedicatur secundus annulus pro sponso.

(2) Notavimus (suprà, n. 185) caeremonias in *Rit. Rom.* descriptas non excludere ritus particulares, imo explicite moneri posse, loco formulae *Ego conjungo*, alia usurpari verba « juxta receptum uniuscujusque loci ritum »; ac in fine additur: « sicubi aliae laudabiles consuetudines et caeremoniae in celebrando matrimonii sacramento adhibentur, eas convenit retineri ». Etiam in Codice, can. 1100, inseritur: « Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia praescripti aut *laudabilibus consuetudinibus recepti* ».

Cujus dispositionis favore alii et alii ritus servantur in variis dioecesibus. Ita, *in dioecesi Brugensi*, Episcopus, per decretum diei 14 Oct. 1897, peculiares approbavit caeremonias missae celebrationi praevias, quas, mixtas cum *Rit. Rom.* praescriptionibus, in dicta dioecesi observandas statuit. Cf. *Collat. Brug.*, I, p. 601 ss.

(3) Abrogata est *velatio capitis* cum stola per modum crucis super sponsorum capita posita, necnon peculiaris benedictio nuptialis extra missam, quae, juxta idem *Pastorale Brug.*, p. 129 ss., olim in usu erant pro primis mulieris nuptiis.

(4) Optandum est ut ritus etiam illi suppleantur quando matrimonium non mixtum fuit sine ritu sacro valide contractum; omittenda tamen renovatio consensus ac formula « Ego conjungo vos », ac declarandum est conjugibus ritus illos non spectare validitatem matrimonii sed meram caeremoniam constituere. Cf. *Collectan.*, n. 1551.

2. Quoad matrimonium *per procuratorem,* nulla specialis caeremonia requiritur; sed ea profectò sunt servanda quae suprà, n. 124, vidimus ad valorem consensus ita emittendi exigi.

Hoc unicum observa, nimirum, juxta mox dicenda, hortandos esse hujusmodi conjuges, qui per procuratorem contraxerunt, ut occasione data benedictionem nuptialem sibi impertiendam curent.

3. Juxta can. 1097, § 2, matrimonia catholicorum *mixti ritus,* nisi aliud particulari jure cautum sit, *in ritu viri* sunt celebranda. Cf. suprà, n. 125.

198.

b/ pro benedictione sollemni.

B. **Pro benedictione sollemni nuptiali.**

Benedictio nuptialis sollemnis est illa quam exhibet *Missale Romanum* in missa votiva *pro sponso et sponsa,* consistit autem in duabus orationibus *Propitiare Domine..., Deus, qui potestate...* (1), dicendis ante *Libera nos,* post *Pater noster,* necnon in tertia oratione *Deus Abraham...,* recitanda ante *Placeat tibi S. Trinitas.*

Juxta can. 1101, § 1, curare debet parochus ut sponsi, post ritum celebrationis matrimonii, benedictionem sollemnem accipiant; et si eam olim, in celebrando matrimonio, non acceperint, illam recipere possunt, etiam si diu vixerint in matrimonio (2).

Dari autem non potest nisi *intra missam,* nunquam extra (3). Praeferenda quidem est missa votiva pro sponso et sponsa (4), ubi per rubricas licet, sed, prohibita missa pro sponso et sponsa (5),

---

(1) Jam in Sacramentario Leoniano, quod inter sacramentaria latina vetustissimum est, occurrunt formulae nostris simillimae. Cf. SACRAM. LEON., ed. Feltoe, Cambridge, 1896, p. 141, coll. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 402.

(2) Cf. decr. C. S. O., 31 Aug. 1881 et R. R., in nova ed., n. 15. Cf. *Collat. Brug.,* t. I, p. 97 et 100, coll. t. IV, p. 254 ss. et t. XII, p. 35 s. Cf. etiam decretum S. C. R. (n. 4269), 27 Maii 1911, ubi declaratur, pro illa benedictione post initum matrimonium supplenda, requiri utriusque conjugis praesentiam. — Hanc dispositionem in memoriam revocat Conc. Mechlin. quartum, decr. 290.

Disponit autem novum *Rituale,* Tit. VII, cap. I, n. 17, ut « parochus conjuges admoneat, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi validè matrimonium contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et sollemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii ».

(3) Ratio cur benedictio nuptialis extra missam dari nequeat, videtur esse in hoc quod locum sumpserit et partes agat benedictionis illius quam antiquitus impertiri solebat Episcopus sub missa, post *Pater noster,* et etiam in fine missae. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 402 s.

(4) Ideo, ad tramites decreti C. S. O., 1 Sept. 1841 (*Collectan.,* n. 1553), permittitur ut, ubi sacerdos in celebratione nuptiarum missam non potest applicare sponsis, quia ab iisdem eleemosynam non receperit, permittitur, inquam, ut per missam pro sponso et sponsa possit satisfacere obligationi ex stipendio aliunde accepto contractae, nisi stipendii oblator aliam missae qualitatem absolutè voluerit. Cf. *Collat. Brug.,* t. I, p. 98 et 101; t. IV, p. 184 ss.; A. A. S., I, p. 255, ubi refertur decr. C. S. R., 12 Febr. 1909.

(5) Dies autem in quibus vetatur *missa votiva pro sponso et sponsa* (praeter tempus feriatum) sunt: dies dominici, festa de praecepto etiam abrogata et duplicia 1 et 2 classis; ulterius dies infra octavam Paschatis, SS. Corporis Christi ac Epiphaniae, vigilia et dies infra octavam Pentecostes necnon dies Commemorationis omnium defunctorum: uno verbo, omnes dies qui excludunt officia duplicia 2 classis. Cf. *Collat. Brug.,* t. I, p. 99. Adde adhuc prohiberi missam pro sponso et sponsa in ecclesiis parochialibus, unam tantum missam habentibus, diebus Rogationum (S. C. R., n. 2682).

potest conferri benedictio sollemnis in quacumque missa (1), si missam de requie excipias (2); possunt autem plures sponsi benedici in eadem missa, non mutato orationum tenore (3).

Omittenda est benedictio sollemnis nuptialis, simul et missa pro sponso et sponsa (vel missa diei cum commemoratione pro sponsis), quae absque illa benedictione celebrari non potest, quotiescumque *mulier* jam fuerit, in anteriori matrimonio, sollemniter benedicta (4); item in matrimoniis mixtis (infrà, n. 510, coll. can. 1102, § 2), necnon regulariter in tempore feriato seu clauso.

Nota 1. Providetur in can. 1108, § 3, quod Ordinarii locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam tempore clauso, eam (sollemnem nuptiarum benedictionem) « permittere ex juxta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant » (5).

2. Juxta can. 1101, § 2, « sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui validè et licite matrimonio potest assistere ».

3. Potest, *de indulto S. Sedis,* formula reducta benedictionis nuptialis adhiberi (a. S. R. C. approbata die 11 martii 1914), quando missa non dicitur, sed aliàs permittitur dari benedictio.

Datur etiam formula quaedam precum (eadem die a S. R. C. approbata), quae, *pari de indulto,* recitari possunt extra missam, casu quo benedictio nuptialis non permittitur, ex eo quod sponsa sit vidua et jam sollemniter benedicta vel quod sit tempus clausum (6).

(1) Tunc, ubi celebratur missa alia quam missa pro sponso et sponsa, celebretur missa diei, cum commemoratione missae sponsalis.

(2) Decr. C. S. O., 1 Sept. 1841.

(3) *Ibidem.*

(4) In Codice, sub canone 1143, simpliciter inseritur sequens dispositio: « *Mulier* cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere ». — *Rit. Rom.,* tit. VII, c. I, n. 15, monebat a dicta benedictionis sollemnitate abstinendum esse etiam ubi *vir* ad secundas nuptias transeat, addebat tamen quod, « ubi ea viget consuetudo, ut, si mulier nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiae benedicantur, ea servanda est ». Hanc clausulam juxta quam omittenda erat benedictio, salva consuetudine contraria, etiam ubi solus vir sit viduus, hanc, inquam, clausulam decretum C. S. O., diei 31 Aug. 1881, allatum apud *Collat. Brug.,* t. I, p. 97, sustulisse videbatur, quemadmodum ibidem observatur, cum unicam poneret hypothesim: « dummodo *mulier,* si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit ». Atvero in editione typica 1913, servabatur, sub n. 16, dispositio quae in praecedenti editione inserebatur sub n. 15; imo, in redactione novi art. 16, in qua fere ad verbum referebatur decr. 31 Aug. 1881, ex industria omittebatur illud incisum: « dummodo... »: ex quo videbatur eruenda disciplinae decreto anni 1881 anterioris restitutio. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 404. Tandem, in nova editione anni 1925, sub n. 18, ad substantiam servatur redactio editionis anno 1913 anterioris.

(5) Quodsi Ordinarius licentiam illam concedit, potest, juxta decr. S. C. R., 14 Junii 1918 (A. A. S., X, p. 332), in Nativitate Domini et in Dominica Resurrectionis, orationi missae de festo addi, sub unica conclusione, commemoratio pro sponsis; potest etiam missa votiva pro sponsis celebrari, « exceptis tamen dominicis, festis de praecepto etiam abrogatis et duplicibus 1 et 2 classis, octavis privilegiatis 1 et 2 ordinis, feriis privilegiatis (feria scil. IV cinerum et tribus prioribus feriis hebdomadae sanctae) et vigilio Nativitatis Domini ».

Pompa vitanda, juxta *Librum man.* dioec. Brug., p. 190, intelligitur, inter alia, « usus tapetium, pulsatio extraordinaria organi et campanarum ».

(6) Utraque formula inseritur in appendice ad novum *Rituale Romanum.* Cf. etiam *Periodica de re Canonica et Morali,* XII, p. 71 ss.

199
Notanda circa tempus celebrationis matrimonii,

Scholion. Quod spectat 1° **tempus** matrimonii celebrationi idoneum: a/ *Ipsum matrimonium,...* juxta can. 1108 § 1, « *quolibet anni tempore* contrahi potest », adeo ut coram jure communi ne tempus quidem clausum excipiatur.

Cui dispositioni juris communis exinceps sese conformat jus particulare dioecesis Brugensis (1), abrogata disciplina ibidem vigente, juxta quam hucusque prohibebatur contractus matrimonialis tempore clauso ineundus (2). Caeterùm latum est, in Conc. Mechlin. IV, decretum 215, quo servandum decernitur, in hac materia, jus commune, quatenus scil. tempore clauso non prohibeatur ipsius matrimonii celebratio, sed interdicantur solae sollemnitates nuptiales; additur autem, in dicto decreto, monitum: « attamen avertantur fideles ne nuptias ineant diebus quatuor temporum vel aliis diebus abstinentiae ».

b/ *Sollemnitas nuptiarum,* signanter sollemnis benedictio, canone 1108, § 2, vetatur, salva licentia Ordinarii, de qua modò, per *tempus clausum,* i e., juxta novam disciplinam, « a prima dominica adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive » (3).

Sollemnitas nuptiarum, si consistit praeprimis in benedictione sollemni, de qua sub n. 198, etiam comprehendere videtur alias accessorias sollemnitates et apparatus, puta sonitum campanarum et organorum, usum tapetium, convivia nuptialia necnon traductionem sponsae olim in usu (4).

Ita servatur conformitas inter disciplinam novi Codicis et disciplinam Rit. Romani ac antiquiorem disciplinam, prohibentem, non ipsum contractum matrimonialem, sed solas sollemnitates nuptiales.

Ratio prohibitionis est quia illa tempora voventur poenitentiae (haec

---

(1) Disputari posset utrum in jure particulari servari liceat prohibitio vetans ipsum contractum matrimonialem. Si statutum dioecesanum habetur uti *lex* particularis prohibitiva, abrogatur per can. 6, num. 1, coll. can. 1108, § 1. Quodsi habetur uti *consuetudo,* potest in hujus favorem, si sit consuetudo centenaria, invocari dispositio can. 5; sed, etiam in hac hypothesi, difficultas oritur ex canone 1041, coll. can. 1108, § 1; insuper aegre dici posset dictam consuetudinem non posse ab Episcopo prudenter removeri (can. 5). Cf. *Irish Eccl. Record,* Nov. 1917, p. 365 s. et Dec. 1918, p. 494, coll. HARING, o. c., p. 43.

Quidquid sit, latum est ab Episcopo Brugensi, in Congregatione prosynodali anni 1919, n. 9, decretum sequens: « suppressa jam prohibitione contrahendi matrimonium tempore clauso, statutis dioecesis Brugensis lata, manet sola interdictio sollemnis nuptiarum benedictionis... ». — Quod spectat disciplinam in variis locis etiamnum vigentem, cf. SCHÄFER, o. c., p. 195.

(2) Eadem disciplina vigebat Romae. Cf. *Instr. du Vicariat de Rome,* l. c., p. 613.

(3) Hucusque tempus clausum currebat a dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae, et a feria IV cinerum usque ad octavam Paschatis inclusive (Conc. Trid., Sess. XXIV, *De reform. matr.,* c. 10). — *Antiquitus,* in pluribus saltem locis, tempus feriatum, ultra tempora modò delineata, comprehendebat etiam spatium decurrens inde a Septuagesima usque ad Quadragesimam, necnon tres hebdomadas decurrentes a diebus Rogationum inclusivè usque ad dominicam 1am post Pentecosten, vel, juxta alios computus, tres hebdomadas praecedentes festum S. Joannis-Baptistae (c. 10, C. XXXIII, qu. 4 et c. 4, X, II, 9, coll. *York Manual...,* p. 332bis). Cf. FREISEN, o. c., p. 644 ss.

(4) Primo aspectu videtur can. 1108 loqui de sola benedictione nuptiali, sed, re accuratius inspecta, censetur comprehendere etiam alias sollemnitates. Cui interpretationi favet modò invocanda conformitas cum dispositionibus juris anterioris, signanter attento canone 6, n. 4 et can. 2, qui alter canon vult retineri leges rituales; favet etiam restrictio addita ad can. 1108, § 2, quatenus ab Ordinario dispensante monendi sint sponsi ut a nimia pompa abstineant; tandem favet tenor Indicis, qui utitur formula: sollemnitas nuptiarum.

Ita igitur intelligenda videtur dispositio can. 1108, § 3, ut Ordinarius permittere possit non modò benedictionem sollemnem sed et alias accessorias sollemnitates, sed hasce *moderatas tantum,* prohibita scil. *nimia* pompa.

ratio peculiariter attingit adventum et quadragesimam), et quia sacramentorum frequentationi ac spirituali laetitiae contradicunt mundanae festivitates quae sollemnitates nuptiarum comitari solent (et haec ratio attingit festa paschalia et festa Nativitatis) (1).

200. et locum.

2° Quod spectat **locum** in quo matrimonium sit celebrandum (2); juxta can. 1109, § 1, Codicis, norma est ut « matrimonium inter catholicos celebretur in *ecclesia paroeciali* » (3); potest tamen celebrari in alia ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, sed « nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi », et modò non sit ecclesia vel oratorium seminarii vel religiosarum (pro hisce requiritur licentia Ordinarii ac urgens necessitas cum opportunis cautelis) (4); potest etiam ab Ordinario permitti ut matrimonium celebretur *in aedibus privatis,* sed « in extraordinario tantùm aliquo casu et accedente semper justa ac rationabili causa » (can. 1109, § 2) (5).

Necessitas permittendi matrimonii celebrationem in aedibus privatis oriri potest signanter ex impotentia, penes alterutrum sponsum, ecclesiam adeundi (6), vel ex necessitate clam convalidandi matrimonium ex occulto vitio invalidum. Casus profectò obtinet quando nuptialiter copulandus est moribundus per matrimonium, uti vocatur, *in extremis:* circa quam caeteroquin speciem matrimonii varia sunt observanda in decursu tractatus exponenda.

Circa locum celebrandi matrimonia *mixta,* vide infrà, n. 510.

II. **Ritus antiqui.**

201. 2° Ritus antiqui:

Post celebrationem *sponsalium,* quae passim iniebantur sollemniter in ecclesia et coram parocho ac 3 et 4 testibus, cum subarrhatione sponsae (7), conscriptis in tabulis matrimonialibus futuri conjugii stipulationibus, procedebatur ad matrimonii celebrationem.

---

(1) Haec ratio minus intelligitur nostris diebus, quia, attento usu vigente nunc pro celebratione contractus matrimonialis, magis militat ratio invocata contra ipsum contractum quam contra sollemnitates. Sed olim non ita; nimirum matrimonium contrahebatur per consensum de praesenti *privatim,* absque festivitate, et absque vitae conjugalis instauratione; postea autem nuptiae sollemnizabantur coram Ecclesia, cum missa pro sponso et sponsa, benedictione nuptiali ac traductione sponsae; quas sollemnitates excipiebat vitae maritalis consortium cum usu conjugii: in qua copula potissima videtur fuisse olim ratio inductae prohibitionis, uti confirmatur ex similibus prohibitionibus prohibentibus per tempora sacra usum matrimonii jam contracti, juxta dicenda infrà, n. 227. Quo posito, facile intelligitur cur *tunc* solae sollemnitates nuptiales fuerint prohibitae tempore feriato, non autem ipsa consensus matrimonialis emissio. Cf. infrà, n. 201; VILLIEN, *Canon. Contemp.,* 1906, p. 316 ss.

(2) Intenditur ipsa celebratio matrimonii de qua sub. n. 197. Quod spectat benedictionem sollemnem nuptialem, cum nequeat dari nisi intra missam, sequitur normas circa locum celebrationis missae.

(3) *Rituale,* in anterioribus editionibus, habebat: « matrimonium in ecclesia maximè celebrari decet ».

(4) « Excipiuntur ecclesiae et oratoria seminariorum et religiosarum, in quibus Ordinarii non possunt matrimonii celebrationem permittere, nisi urgente necessitate ac opportunis adhibitis cautelis ». Can. 1109, § 2.

(5) Attende varias restrictiones observandas quando receditur a norma: ut in domo privata celebretur matrimonium, requiritur licentia Ordinarii, et casus extraordinarius cum causa justa ac rationabili; ut celebretur in ecclesia vel oratorio seminarii aut religiosarum, postulatur licentia Ordinarii et urgens necessitas cum opportunis cautelis; ut tandem celebretur in alia ecclesia vel oratorio, sufficit licentia parochi et nulla opus est causa speciali.

(6) Id bis contigit, in dioecesi Brugensi, per unum annum 1902.

(7) *Subarrhatio* erat in traditione annuli a sponso sponsae (vel interdum etiam a sponsa sponso), in pignus seu arrham fidei datae. Nonnunquam etiam alia dona tradebantur per modum arrhae ac pignoris. Cf. suprà, n. 22.

Matrimonii celebratio duplicem distinctum actum, cum duplici caeremoniarum serie, importabat: *emissionem* scil. *consensus* et *benedictionem nuptialem* cum missa pro sponso et sponsa, seu matrimonii sollemnizationem, quae etiam dicebatur *Kirchgang*.

Olim solebant duo illi actus peragi sejunctim, ac etiam diverso tempore et loco. Nimirum consensus emissio fiebat *privatim*, in domo privata, coram parentibus et amicis, vel etiam praesente sacerdote; deinceps, data opportunitate, locum habebat matrimonii sollemnizatio in ecclesia: quam sollemnizationem sequebatur cohabitatio matrimonialis (1). Postea, eodem tempore fieri coepit utraque caeremonia, servata tamen passim diversitate loci: dum nempe consensus emissio agebatur ad fores ecclesiae, matrimonii sollemnizatio fiebat, conjugibus ecclesiam ingressis, coram altari, in quo missa celebrabatur.

En praecipuas caeremonias in utraque serie:

202. ritus missae praevii;

A. **Prima series:**

1° *offerebantur sponsi sacerdoti* vel parocho a parentibus aut a tutelam habente, adjutorium praestante paranympho (2).

Haec autem *oblatio sponsorum*, cum variis caeremoniis subsequentibus et consensus emissione, passim locum habebat *ad valvas* seu ad januam, seu ad *fores ecclesiae* (3): unde relicta est locutio matrimonii contracti *in facie ecclesiae* (4).

2° *Manus* sponsorum *jungebantur* et consensus maritalis ab utroque, junctis manibus, praestabatur:

---

(1) Hujus duplicis caeremoniarum seriei distinctionis et segregationis vestigium adhuc habetur in anterioribus editionibus *Rit. Rom.*, Tit. VII, cap. 1, n. 14 et 16; item in determinatione impedimenti temporis feriati, afficientis solam matrimonii sollemnizationem; item in statuto circa confessionem instituendam, non ante consensus emissionem, sed ante matrimonii consummationem. Haec bipartita matrimonii celebratio, in nostris regionibus, diu mansit. Et sic ex documento anni 1521 novimus quod Cortraci, in Flandria, sollemnizatio matrimonii fiebat die dominico, sub missarum sollemniis, idque pro pluribus matrimoniis collective; nimirum conjuges, privatim conjuncti « ad officium intra majoris missae sollemnia venire debebant, oblationes suas ibidem facturi et matrimonium hujusmodi sollemnizaturi ».

Cf. etiam *Salisbury Manual*, p. 51 et *Sarum Manual*, p. 71*, collatis FRIEDBERG, *Das Recht*, p. 8 s.; HOWARD, o. c., I, p. 291-308; LICHTENBERGER, o. c., p. 54 s.; SOHM, *Das Recht*, p. 158; THALHOFER, *Handbuch der kath. Liturgik*, Freiburg, 1912. II, p. 447; VEUILLOT, o. c., p. 164.

(2) Officium *paranymphi videtur* successisse officio pronubae quae, apud Romanos, in nuptiarum celebratione adhibebatur. Cf. GLASSON, o. c., p. 171. Apud Germanos paranymphi vocabantur *Brautführer*, vel *Fürsprecher*. Cf. n. 148. Cf. SOHM, *Das Recht*, p. 71 s. et 166 s.

(3) Inde etiam, in nonnullis locis, conservantur sic dictae *Brauttüren*, vel *Ehetüren*, seu portae nuptiales, in ecclesiae ingressu, quae portae ornabantur imagine virginum sapientum ac fatuarum, divinum sponsum expectantium. Cf. *Der Katholik*, t. XXXII (1905), p. 157; cf. etiam FALK, o. c., p. 3 s. Hujusmodi portae nuptiales adhuc reperiuntur in ecclesiis cathedralibus Basiliensi, Bernensi et Argentinensi, et in aliis ecclesiis nonnullis. « Bekant ist vor allen, sic notat *Falk*, die S^t^ Sebalduskirche zu Nürnberg mit ihrer Brauttür: im innern der segnende Heiland über Adam und Eva, im Gewände die klugen und törichten Jungfräuen, aussen, in grösseren Figuren, Maria und S^t^ Sebald ».

(4) In celebrando matrimonio ad fores ecclesiae, intendebatur celebratio coram Deo (et ideo contrahebatur coram domo Dei ejusque ministro), ac etiam coram populo (et ideo eligebatur locus eminentur publicus). Illud utrumque intentum exprimit *Salisbury Manual*, p. 50: « Ante ostium ecclesiae, coram Deo, sacerdote et populo »; item in *York Manual*, p. 24 et *Sarum Manual*, p. 17*. — Attende locutionem « in facie ecclesiae », uti nunc passim adhibetur, a sensu originali deflexisse, et in ea ecclesiam potius sumi pro Ecclesia catholica quam pro aedificio materiali ecclesiae.

Junctio manuum seu *dextrarum junctio,* quae etiam apud Romanos locum habebat (1), fiebat a sacerdote dextram sponsi ponente in dextra sponsae, in quibusdam locis superponendo stolam (2), vel etiam manus prominente parte dextra stolae colligando (3); manus puellae erant in primis nuptiis nudae, ac velatae in secundis (4). Huic manuum conjunctioni praeibat interrogatio sponsorum utrum vellent sese mutuo in conjuges sumere.

3° *Consensus nuptialis* exquirebatur et excipiebatur a parocho, qui exinde sponsam sponso vel sponsos invicem tradebat. Variis autem sub formis praestabatur a nupturientibus, in hunc vel similem sensum, ut nempe dixerit sacerdos: « Jean, vous lui promettez et jurez que de vos biens bien et loyalement lui départirez, et que pour pire ou meilleure ne la lerrez, et que foy et loyauté de vos corps et de vos biens lui entretendrez, et haitie ou maladie, telle que Dieu le consentira, tous les jours de votre vie et la sienne la garderez? — Sire, oui »; et pro muliere similiter. Ita apud MARTÈNE, o. c., p. 633, apud quem plures aliae occurrunt formulae (5). Interdum etiam inducebatur sacerdos loquens viro: « Dites après moy: N., au nom de notre Seigneur, je te prends à femme et à épouse selon les ordonnances de Dieu et de Sainte Église, selon lesquelles je te doibs comme moy-même aymer. Je te doibs foy et loyauté garder, et te doibs en tes nécessités ayder et conforter: lesquelles choses, et tout ce que mary doit faire à femme, je te promets faire et tenir par la foy et serment de mon corps ». Similiter cum muliere. Cf. MARTÈNE, l. c., p. 654; coll. p. 646, ubi refertur formula olim usurpata in dioecesi Leodiensi. Cf. etiam OPET, o. c., p. 97 ss., ubi hunc usum exquirendi et excipiendi consensum derivari contendit e moribus Germanorum.

4° *Ratihabitio ex parte sacerdotis.*

Postquam invaluit usus quo traditio sponsalis fieret a sacerdote, quodque hic in dies magis praevalens munus ageret in matrimoniali ritu, coepit etiam sacerdos adhibere formulam qua nomine Dei et Ecclesiae matrimonialem contractum sanciret ac consecraret (6).

---

(1) GLASSON, o. c., p. 168 et 171.

(2) *Ordo Remensis,* apud MARTÈNE, o. c., L. I, P. 2ª, p. 644. In moribus Germanorum etiam fuit in usu manus sponsorum ligare (Mädchen fesseln); cf. ROCHE, o. c., p. 74.

(3) *Ordo Leodiensis,* l. c., p. 646. Ita adhuc praescribebatur in *Pastorali Brugensi,* p. 127, et etiamnum servatur in Rituali approbato pro dioecesi Brugensi.

(4) MARTÈNE, o. c., p. 608 et 620; *Salisbury Manual,* p. 56; *York Manual,* p. 26.

(5) Ita apud MARTÈNE, o. c., p. 633, occurrit formula sequens: « Jean, voulez-vous cette femme qui a nom Marie par nom de baptême, à femme et à épouse? — Sire, oui. — Marie, voulez-vous cet homme qui a nom Jean par nom de baptême, à mary et à époux? — Sire, oui. — Jean, je vous donne Marie; Marie, je vous donne Jean ». — Similes formulas habent *Salisbury Manual,* p. 55 s.; *York Manual,* p. 26 s.; et *Sarum Manual,* p. 19*.

Per ejusmodi verba, sicut et per manuum conjunctionem a sacerdote peractam, significatur e manibus Dei, per intermedium presbyterum, accipi conjugem; quod monet PROBST, *Sacramente,* p. 457: « Es liegt nicht nur im christlichen Geiste, dass der Mann seine Frau von Gott erbittet, und dass sie ihm daher der Priester, als Stellvertreter Gottes, übergab, sondern es erhält damit auch die Bemerkung Tertullians, wie Kinder sich nicht ohne Zustimmung der Väter verehelichen, so Christen nicht onhe Zustimmung des himmlischen Vaters, ihre volle Bedeutung ».

Haec traditio sponsae sponso a sacerdote facta, primitus fiebat a patre sponsae vel ejus amico familiari, juxta mores Germanorum; postea fiebat a parentibus simul et a sacerdote, ac tandem ab hoc solo. Non invaluit tamen usus ubique eodem tempore. Cf. THALHOFER, o. c., p. 447 s.; *Salisbury Manual,* p. 56; *York Manual,* p. 26 s., et *Sarum Manual,* p. 19*.

(6) Cf. THALHOFER, o. c., p. 448, ubi citatur, inter alias, formula sequens: « matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, et ego illud in facie ecclesiae sollemnizo in nomime P. et F. et Sp. S. » Cf. suprà, n. 185.

5° *Annuli benedictio et impositio.*

Post haec procedebat sacerdos ad benedictionem annuli nuptialis, quem annulum (sub formulis apud MARTÈNE, o. c., descriptis) benedictum porrigebat sponso, qui per presbyteri manum (i. e. sub ductu sacerdotis) eum imponebat manui sponsae (1).

Primitus inserebatur digito quarto *manus sinistrae* (2), idque ad significandum unionem cordium, juxta ISIDORUM, *De Offic.*, l. II, c. 20, n. 8, cum, uti notat, « in eo (digito) vena quaedem (ideo *vena amoris* dicta), uti fertur, sanguinis ad cor usque perveniat » (3). Ast juxta plerosque quos refert MARTÈNE, *Ordines*, immittendus erat annulus in tertio seu medio digito *dextrae manus*, et quidem ita ut primùm ponatur in pollice, sponso dicente sponsae: « in nomine Patris », dein in indice, ipso prosequente: « et Filii », et tandem in medio, sponso addente: « et Spiritus Sancti », vel alia usurpata formula, sponso dicente: « De cest anel te espouse, et de mon corps te honore, et de cest argent te doüe (4), in nomine Patris, etc.; vel sponso, sub successiva annuli impositione in digitis, dicente:

« Par cest anel l'Eglise enjoint
Que nos deux cœurs en ung soient joints,
Par vrai amour et loyale foy;
Pourtant je te mets en ce doy » (5).

B. **Altera series.**

203. ritus sub missa ;

1° Recitatis quibusdam orationibus super nupturientibus, *introducebantur* sponsi, cereos accensos in manu tenentes, in *ecclesiam*, ad assistendum missae sacrificio (6).

---

(1) Annuli impositio, in matrimonii celebratione, est caeremonia a sponsalium ritu mutuata et derivata. In hisce, uti vidimus, per modum pignoris seu arrhae a sponso tradebatur sponsae annulus, primùm ferreus, postea pretiosus: quae annuli traditio Romae jam antiquitus vigebat. Saeculo IX apparet annulus in ritu matrimoniali, et exinde locum peculiarem coepit occupare (et ita sponsa annulata aequivalebat uxori), quin recesserit penitus a ritu sponsalitio. Annulus nuptialis habebatur uti symbolum amoris, dum annulus sponsalitius erat pignus fidelitatis sponsalitiae. Cf. CHÉNON, o. c., p. 12 ss. et p. 33 ss.; VILLIEN, *La discipline des sacrements — Mariage*, l. c. p. 24 ss.

(2) Ita etiam nunc in *Rit. Rom.* — In *Pastorali Brugensi* indicabatuur digitus quartus *dextrae* manus.

(3) *Migne*, LXXXIII, col. 812. Cf. FRIEDBERG, *Das Recht*, p. 29, in nota; HOWARD, o. c., I, p. 384; *Salisbury Manual*, p. 59; *York Manual*, p. 27; *Sarum Manual*, p. 20*.

Ratio inducta ab Isidoro jam proponitur ab *Aulu-Gelle*, in 2° saeculo, juxta traditiones AEgyptiorum, cum hac differentia quod, loco venae, ibi docebatur *nervum* a digito illo pergere ad cor. Cf. CHÉNON, o. c., p. 5, ubi notatur digitum illum quartum etiam vocari digitum *medicinalem* seu medicum.

Alia ratio indicatur in Pontificali monasterii Lyrensis, quatenus sinistrae manui est inserendus annulus ad differentiam gradus episcopalis, ubi annulus in signaculum integrae et plenae castitatis in dextra manu publice est portandus ».

(4) Formula « de cet argent je te doue », refertur ad usum in nostris regionibus vigentem, quatenus scil. a sponso sponsae tradebatur quaedam pecunia, in specie tredecim nummi. Usus ille derivabat a primitivo usu solvendi pretium nuptiale (suprà, n. 82), cujus pretii nuptialis vestigium manserat in praestatione solidi et denarii (le sou et le dernier); solidum autem aequivalebat 12 denariis, quibus addito denario reliquo, explicatur numerus tredecim (*treizain*). Cf. CHÉNON, o. c., p. 54. Deinceps symbolum fuit illa solutio constitutae dotis (douaire) ex parte mariti, uti habetur in formulis (CHÉNON, o. p., 59 ss.). Mansit illa consuetudo, sub variis formis, in Gallia et in Hispania, uti videre fuit occasione matrimonii regis Alphonsi XIII. Cf. THURSTON, apud *The cath. Encyclop.*, V° *Marriage*, IX, p. 706; *Rev. prat. d'Apolog.*, t. XVIII, p. 397 ss.

(5) Cf. CHÉNON, o. c., p. 45 s.

(6) Primitus sponsi assistebant missae *communi;* postea in usum venit missa *propria*

2° Sub missa (1), ante *Pax Domini* sponsi *sollemniter benedicebantur*, ac sub benedictione, vel etiam jam ante benedictionem, sese prosternebant, *imposito velamine*, vel extenso pallio (paile ou poële) (2), quod tenebant quatuor homines (laici vel clerici) ad quatuor cornua.

Haec *velatio* et *benedictio* fiebant tantùmmodò in *primis* nuptiis, non autem in secundis nuptiis, etiam ubi iterabantur nuptiae ex unius tantum sponsi parte (3). Benedictio scil. successivè bigamis denegabatur, quia Ecclesia minus favebat secundis nuptiis, easque ut minus perfectas habebat, ac imperfectius repraesentantes unionem unius Christi cum una sponsa Ecclesia (4); denegata autem benedictione, nec facienda erat

---

pro sponso et sponsa, quam jam reperire est in *Sacramentario Gelasiano*. Cf. FRIEDBERG, *Das Recht*, p. 8 s.; HOWARD, o. c., I. p. 296. In *York Manual*, p. 29, praescribitur missa *de Trinitate*.

(1) Circa incensationem sub missa peragendam, curiosè notat *Salisbury Manual*, p. 67: quod nempe « ordo (odor?) thuris benedicti numquam datur in ecclesia sponso et sponsae; inde est quod, oblato thure benedicto super altare, si descendat thuribulus ad clericos vel ad laicos, aliud thus (non benedictum) est apponendum et hominibus offerendum ». Cf. etiam *Sarum Manual*, p. 22*.

(2) *Velatio nuptialis* videtur in usu fuisse *sub duplici forma*. *Una* consistebat in *velatione* capitis sponsae, ad modum quo jam desponsatae velum assumebant, *in signum pudoris* (S. AMBROSIUS, *De Abrahàm*, L. I, cap. 9, apud *Migne* XIV, col. 454, coll. cap. 8, C. XXV, qu. 5); *altera* consistebat in *pallii extensione* super utroque nupturiente, et symbolum referebat *tori conjugalis*, quasi stragulum ejus: quod ultimum egregiè ostendit KOGLER, o. c., p. 48, notans illud symbolum, jam ab Hebraeis usurpatum (Ruth, III, 9; Ezech., VI, 8), optime convenire cum benedictione conjugum et foecunditatis apprecatione, sub velationis ritu impertita, et cum denominatione « couverture », quam refert CHÉNON, o. c., p. 68; quae tori symbolica significatio confirmationem accipiet ex infrà dicendis, n. 293, ubi de ritu legitimationis prolis. Quod tamen non admittit CHÉNON, o. c., p. 70 ss., qui censet pallium potius adhibitum fuisse in signum pudoris.

Prior velatio, ut videtur, antiquitus usurpabatur in nuptiarum celebratione, necnon etiam in consecratione virginis, et quidem hic in signum virginalis pudicitiae et in symbolum connubii spiritualis. Ad hanc symbolicam connubii spiritualis significationem saepe alludunt dicta SS. Patrum, speciatim S. Ambrosii (*De Lapsu Virginis consecratae*, cap. 5, apud MIGNE, XVI, col. 372 s.), necnon inscriptiones antiquae, qualis inscriptio in catacumbis S. Priscillae: « *per sacra vela nubere Deo* ». *Altera velationis species*, sub forma pallii extensi, postea introducta videtur ac potissimum in usu fuit, in nostris regionibus, per medium aevum. Qui nuptialis ritus extensi pallii transiit in caeremonias consecrationis virginis, ad symbolizandas spirituales nuptias cum Christo, juxta modo notata, quam symbolicam significationem etiam suadent annuli traditio (attentis praesertim formulis usurpatis apud CHÉNON, o. c., p. 42) et coronae impositio, quippe quae etiam ex ritibus matrimonii mutuantur (THURSTON, l. c., p. 707); praeposterè igitur sumitur illa caeremonia pallii pro symbolo mortis coram oculis mundi. Memoratur adhuc usus pallii, pro Gallia, in libello (*Étrennes aux jeunes époux*, Besançon, p. 86), conscripto, anno 1852, a Gousset. Vestigium etiam alterius conjugum velationis per pallium forsitan reperitur in ritu, olim a *Pastorali Brugensi* praescripto, quatenus sacerdos debebat stolam in modum crucis ponere super capita sponsorum. Circa vestigia in aliis caeremoniis existentia cf. VILLIEN, *Discipline*, l. c., p. 273 et CHÉNON, o. c., p. 69.

(3) Quod sufficiat unam partem fuisse benedictam, inde est, juxta *Hostiensem*, quod « per carnem alias benedictam, caro non benedicta cum qua jungitur, benedicitur; in commixtione enim corporum, per quam efficiuntur una caro vir et mulier, caro benedicta trahit ad se carnem non benedictam, sicut oleum sanctum trahit ad se oleum admixtum non sanctum, et sic totum fit sanctum ». Ita *York Manual*, p. 36.

(4) Ritualia Angelica prohibitionem benedictionis iterandae cum bigamis restringunt ad haec sola verba ex oratione *Deus qui potestate*, ad sequentia scil.: « Deus qui tam excellenti mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi et Ecclesiae consecrares sacramentum in foedere nuptiarum », quippe quae verba sola alludunt ad unitatem Christi et Ecclesiae. Cf. *Salisbury Manual*, p. 71 s., coll. *York Manual*, p. 35, et *Sarum Manual*, p. 23*.

Limitant etiam expressè dictam prohibitionem ad casum quo data fuit benedictio in prioribus nuptiis, nec vetant benedici viduum vel viduam nondum benedictam; quod conforme est cum c. 3, X, IV, 21: « Vir autem vel mulier ad bigamiam transiens, non debet a presbytero benedici, quia, cum alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet ». Cf. etiam *Pastorale Mechlin*, anni 1649 et *Pastorale Brugense*, p. 132.

velatio, benedictioni intime cohaerens. Postea mos invaluit, in multis locis, ut benedictio ac velatio locum haberent in secundis nuptiis viri cum virgine, omitterentur autem unice in secundis nuptiis sponsae, eo praetextu quod preces benedictionis ac velatio potissimum spectarent mulierem (1).

3° *Caeremonia vittae.* Cap. 7, XXX, qu. 5 (ISIDORUS, *De Offic.*, l. II, c. 20, n. 7), memoratur, uti caeremonia nuptialis, quod nubentes *vitta* ad invicem copulantur quasi uno vinculo, ad hoc ne compagem unitatis conjugalis disrumpant; eadem autem vitta « candido purpureoque colore permiscetur: candor quippe ad munditiem vitae, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur; ut hoc signo et continentiae lex tenenda utrisque ad tempus admoneatur, et post haec reddendum debitum non negetur ».

4° Deinceps sponsus a celebrante *accipiebat pacem*, sive cum sive absque instrumento pacis; pacem acceptam sponsus ad sponsam deferebat, osculando eam et neminem alium, nec ipse nec ipsa, uti monent Rituales (2).

204. ritus post missam.

5° Absoluta missa (3), locus erat *exhortationi* a parocho faciendae circa castimoniam servandam in matrimonio, in specie circa continentiam servandam prima vel etiam secunda et tertia nocte (4). Dein ecclesiam egrediebantur conjuges, *coronas deferentes* in capite: qui usus coronationis sponsorum peculiare momentum habebat apud Graecos, et rursus pro solis virginibus seu primas contrahentibus nuptias existebat, uti latius notat MARTÈNE, o. c., p. 609 (5). Cf. PROBST, *Die ältesten Römischen Sacramentarien*, p. 130 s. (6); CHARDON, o. c., p. 156 ss., et 165 ss.

Unde apparet rationem benedictionem denegandi etiam esse in ipsa reverentia habita benedictioni jam datae; et ita additur in *Glossa ordinaria* ad h. l., V° *Iterari*, quod secus videretur « quod sacramentum hujusmodi non fuisset collatum, vel quod efficax non fuisset omninò, et sic fieret injuria ». Cf. GILLMANN, *Die Siebenzahl der Sakramente bei den Glossatoren des Gratianischen Dekrets*, Mainz, 1909, p. 30, nota 4; *Der Katholik*, 1909, II, p. 207, nota 2.

(1) Cfr. *Glossa ordinaria*, l. c.; MARTÈNE, o. c., l. I, P. 2, c. IX, art. 1, n. 7. Sic autem ratiocinatur *Salisbury Manual*, p. 73 s.: « Salvatur et aliquo modo significatio in ordine ad primas nuptias, quia Episcopus, etsi unam Ecclesiam habeat sponsam, habet tamen plures personas desponsatas in una Ecclesia; sed anima non potest esse sponsa alterius quam Christi, quia cum daemone fornicatur, nec est matrimonium spirituale; et propter hoc, quando *mulier* secundò nubit, nuptiae non benedicuntur propter defectum sacramenti ».

(2) Apud nos subsistit mos juxta quem acolytha instrumentum pacis osculandum offert sponsis. Olim *Pastorale Mechliniense* anni 1649, p. 222, sic procedendum volebat: « Minister celebrantis osculum pacis, a sacrificante acceptum, defert primum sponso, ac deinde sponsae (qui cum gratiarum actione ac mutuae charitatis desiderio illud accipient in signum charitatis ac perpetuae pacis Christi cum sponsa sua Ecclesia), et postea ordinatè caeteris in honorem nuptiarum praesentibus.

(3) In fine missae, « ex proposito sibi a custode Missali, leget super eos (nuptos) evangelium S. Joannis *In principio*, reverenter admodum et graviter (cum eo ventum erit) pronuntians verba illa, matrimonii sacrosancta mysteria continentia: *Et Verbum caro factum est*. Lectum evangelium, crucis impressione signatum, exhibebit sacerdos primum sponso, deinde sponsae exosculandum ». Ita *Pastorale Mechliniense* anni 1642, p. 223.

(4) Hanc monitionem de triduo in continentia servando *Pastorale Mechl.* anni 1649, l. c., fieri exoptabat coram populo, inserta ibidem exhortationis formula.

(5) Monet hanc praxim bigamos non coronandi successu temporis esse immutatam, ita ut etiam vidui coronarentur, sed ita ut, si una pars virgo et altera vidua, illi in capite, alteri vero in humero corona imponeretur. Porro refert idem A. dictum Theodori Studitae hunc morem acriter irridentis: « Denique etiam tertiò nubenti ubinam ponetur corona? In manu an ad genu, cum ea quae vidua nubit in humero coronetur? »

(6) Notat quod, juxta S. Chrysostomum, corona erat tamquam symbolum victoriae de carne relatae: « weil sie (sponsi virgines) von der bösen Lust nicht überwunden zum Brautgemachte schritten ».

6° Mos etiam erat antiquitus, in nonnullis locis, ut parochus sponsos ad domum conjugalem duceret, ac praeesset caeremoniae *benedictionis ac gustationis panis et vini* (1), utque etiam *thalamo nuptiali benediceret*, necnon conjugibus, ipsis sedentibus vel jacentibus in lecto, uti referunt Rituales a *Martène* allati, p. 635 et 637, alibique passim (2).

Benedictum panem et vinum sacerdos, postquam illa praegustaverat, tradebat sponso qui gustabat ipse et sponsae tradebat, haec vel alia verba sponso suggerente sacerdote: « Pierre, prenez et donnez à votre épouse, et luy faisant bonne part et loyauté que voulez qu'elle vous fasse » (3).

Nota. 1° Juvat referre tenorem *rescripti Nicolai I ad Consulta Bulgarorum* (866), pro parte quae ritus sponsales ac nuptiales describit, siquidem vix non omnes caeremoniae modò enumeratae ibidem inseruntur: « *Post sponsalia, quae futurarum sunt nuptiarum promissa foedera, quaeque consensu eorum quae haec contrahunt et eorum in quorum potestate sunt celebrantur, et postquam arrhis sponsam sibi sponsus per digitum fidei a se annulo insignitum desponderit, dotem utrique placitam sponsus ei cum scripto pactum hoc continente coram invitatis ab utraque parte tradiderit, aut mox aut apto tempore..., ambo ad nuptialia foedera perducuntur.*

Et primum quidem in ecclesia Domini cum oblationibus quas offerre debent Deo per sacerdotis manum statuuntur, sicque demum benedictionem et velamen coeleste suscipiunt... Verumtamen velamen illud non suscipit qui ad secundas nuptias migrat. Post haec autem de ecclesia egressi coronas in capitibus gestant, quae semper in ecclesia ipsa sunt solitae reservari » (4).

205. Analogia cum caeremoniis Romae olim adhibitis.

2° Caeremonias antiquas religiosas suprà descriptas vel obviè considerantì, evidens innotescit *analogia cum pristinis ritibus, a Romanis* observari solitis in nuptiarum celebratione, signanter per confarreationem, adeo ut ritus pagani vix non ex integro fuerint ab Ecclesia assumpti, addita forma ac significatione christiana.

---

(1) Haec praegustatio panis et vini, vel vini solius, fiebat in symbolum unionis conjugalis et communionis vitae, uti innuitur in tenore formulae. Potest etiam habuisse sensum symboli sancientis contractum conjugalem. Cf. MARTÈNE, o. c., p. 639, coll. p. 635 s. et 642; CHÉNON, o. c., p. 75 ss.; DE MOLÉON, o. c., p. 421. Circa hujus vestigia relicta in pluribus locis Germaniae, in Russia et Graecia, cf. FRANZ, o. c., I, p. 281 ss.; *Instr. pastor. Eystetten.*, n. 531; *Eccles. Review*, t. XLV (1911), p. 486 ss. et 728 s.

(2) Haec caeremonia benedictionis thalami et tori, ipsorumque sponsorum, quae inde a saeculo 11° in usum venit apud nostrates, probabiliter derivatur ab exaggerata virtute quam cohabitationi agnoscebat *copulatheoria;* etiam dirigebatur contra maleficia, quae adeo frequentia putabantur, juxta dicta suprà, in nota ad n. 192. De quibus, praeter *Martène*, cf. FRANZ, o. c., II, p. 178 ss. Adhuc occurrit haec caeremonia benedictionis tori in citato libello *Gousset*, anni 1852.

(3) Praeter benedictionem ac gustationem panis et vini in introductione ad domum, in pluribus locis, fiebat benedictio et gustatio similis in ecclesia, sub fine missae. Haec autem altera distributio panis et vini benedicti non improbabiliter censetur, ad modum eulogiae, participatio sacrificio missae, vestigium nempe communionis eucharisticae, quae olim in usu fuisse videtur. Cf. MARTÈNE, o. c., p. 610; CHARDON, o. c., p. 161 s. et VILLIEN, *Discipline*, l. c., p. 279 s., coll. p. 283. Quae explicatio, quam confirmat tenor quorumdam Ritualium, ubi dicitur sacerdos porrigere hostiam consecratam, magis placet quam illa quae proponitur a DE MOLEON, l. c., et a BOCQUILLOT, o. c., p. 424 s., quasi in illa caeremonia vestigium esset agapen.

(4) « Il est intéressant de constater que le rituel nuptial décrit par le Pape Nicolas, n'est autre chose que le rituel des anciens Romains, moins le sacrifice, ou plutôt avec la substitution de la messe au sacrifice idolâtrique ». DUCHESNE, o. c., p. 433, coll. THURSTON, l. c.

Ita, uti jam vidimus, etiam apud Romanos manus sponsorum a pronuba jungebantur pro consensus emissione; annulus nuptialis tradebatur; sacrificia offerebantur, quorum locum sumpsit missae sacrificium (1); in usu erat Romae ut sponsa, brevi ante matrimonium, velum assumeret rubrum in capite, unde dicitur nubere, utque etiam corona coronaretur (2). Ipsa praescriptio minus sollemniter celebrandi nuptias bigamorum, et signanter bigamae, non erat ignota in Jure Romano, juxta quod « les sollemnités des justes noces n'étaient observées que pour autant qu'il s'agissait du mariage d'une fille; on ne les suivait pas pour les noces des veuves, qui étaient toujours vues avec une certaine défaveur » (3). Videtur etiam consuetudo, cui alludimus, deducendi nuptos in domum nuptialem ac thalamo benedicendi, derivare a notissima caeremonia, cui Jus Romanum tantum addebat momentum, deductionis sponsae in domum mariti. Ipse etiam ritus benedictionis ac gustationis panis et vini illa occasione usurpatus, si non est ex usibus Germanis deducendus, posset forsitan haberi tanquam adaptatio christiana caeremoniae paganae, Romae adhibitae in deductione in domum (suprà, n. 147), vel in ipsa celebratione matrimonii confarreati, quatenus nupturientes inter se mutuò dividebant panem farreum in signum unionis ac individuae vitae societatis (4).

---

(1) Cap. 3, Causa XXX, 5, ex rescripto Nicolai ad consulta Bulgarorum.

(2) DARENBERG ET SAGLIO, o. c., V° *Matrimonium*, III², p. 1655; GLASSON, o. c., p. 169; cf. suprà, n. 83.

(3) DARENBERG ET SAGLIO, l. c., p. 1654 s.; GLASSON, o. c., p. 168; collato SEHLING, *Die Unterscheidung*, p. 7; cf. suprà, n. 147.

(4) Datur etiam, apud DARENBERG ET SAGLIO, l. c., p. 1657, figura repraesentans scenam Romanam celebrati matrimonii, quam figuram ita interpretari possumus ac si exhiberet *pallium* super nubentibus extensum.

Sectio Secunda.

DE VINCULO CONJUGALI

Sub hac sectione, triplici successive capite agetur 1° de *natura* vinculi; 2° de *effectibus* per vinculum inductis; 3° de *proprietatibus* vinculi, de ejusdem unitate nempe ac indissolubilitate (1).

Caput I

DE NATURA VINCULI CONJUGALIS.

206. Divisio materiae

Vinculum conjugale, juxta definitionem datam suprà, n. 76, est nexus ille moralis, per contractum matrimonialem inter conjuges inductus, qui nexus constat variis *juribus et obligationibus* inter conjuges in ordine ad generationem et educationem prolis (2), et quidem 1° *ad invicem,* quatenus habent jus et obligationem a/ petendi ac reddendi debitum conjugale (3); b/ instituendi consortium tori et cohabitationis; c/ mutuum sibi amorem et adjutorium praestandi, sub potestate viri; 2° *circa prolem* suscipiendam, ut provideant ejus educationi ac informationi.

(1) Circa divisionem hujus sectionis secundae, cf. infrà, sub n. 279.

(2) Primò quidem intenditur ordinatio ad generationem prolis, sed hanc ordinationem necessario consequitur ordinatio ad prolis educationem. Cf. suprà, n. 83, coll. n. 77.

(3) *Debitum* conjugale a S. Paulo modeste dicitur de copula conjugali, attenta obligatione qua ad eam urgeri videbimus conjuges.

Quod autem spectat oeconomiam copulae et descriptionem organorum ad illam peragendam, cf. VERMEERSCH, *De castitate,* n. 7-13, ubi fusè de hisce agit, simul ac de organis ad ipsam foecundationem necessariis. Sufficiat hic haec pauca notasse:

Copula consistit in actione quâ vir penetrat corpus mulieris et semen in ea infundit (quae seminatio praesumitur, posita vaginae penetratione): ad hoc *in viro* datur *penis* seu *virga* erectibilis, ad corpus femineum penetrandum, et dantur *testiculi,* ad elaborandum semen, seu liquidum foecundantibus spermatozoidis refertum, quod sperma, liquore prostatico (a prostata elaborato) dilutum, per canale deferens (canal déférent) deducitur ad vesiculas seminales et, sub influxu venereae excitationis, ejaculatur per virgam; *in muliere,* correspondet organum penetrabile, *vagina* dictum, i. e. canale flaccidum ab exteriori parte ad interiora ducens, et seminis ejaculandi receptivum.

Ulterius, peracta copula, sequitur, positis ponendis, *ipsa foecundatio,* per conjunctionem scil. spermatozoidum cum ovulo femineo: ex una scil. parte spermatozoida, copula peracta, spontaneo vitali motu intimius penetrant corpus mulieris, et e vagina ingrediuntur uterum seu matricem, ad quam vagina aditum praebet; ex alia autem parte descendit e penetralibus mulieris ovulum seu elementum foecundandum, procedens ab ovariis, i. e. a binis organis, ovula conficientibus et ex utroque latere utcri existentibus, ad uterumque religatis ope duplicis conducti (tubae Fallopianae): foecundationem autem producit utriusque elementi conjunctio, elementi nempe activi (spermatozoidis) et elementi passivi (ovuli feminei).

Juvat notare, cum VERMEERSCH, o. c., n. 7, quod testiculi, praeterquam quod semen elaborant, in copula ejaculandum, « simul fontes sunt distillationis seu secretionis *interioris,* quae sanguine miscetur et cui signa virilitatis (barba, pili in pubi, vox masculina) et vis alendi appetitum sexualem tribuuntur ».

Articulus 1^s^. **De Debito Conjugali.**

In paragrapho *prima,* ostendetur usum matrimonii esse legitimum; in paragrapho *altera,* describetur jus et obligatio ad illum.

Paragraphus Prima. *De legitimitate usus matrimonii.*

PROPOSITIO PRIMA. *Omnis et sola copula objectivè legitima est, quae a/ de se apta est ad generationem, et b/ inter conjuges exercetur.*

207.

Probatio *et* **Explicatio.**

In se legitima est omnis et sola copula conjugalis, de se apta generationi.

Major. Quaevis actio, in se spectata, objectivè legitima est, et tunc tantùm legitima est, si in ea servatur *ordinatio per se ad finem operis unicum,* vel *ad finem operis primarium.*

Minor'. Atqui finis operis copulae unicus, vel saltem primarius, est *propagatio speciei.*

Concl. Ergo ut copula legitima sit, requiritur et sufficit quod per se ordinetur ad propagationem speciei.

Minor". Atqui copula per se ordinatur ad propagationem speciei, si est *de se apta generationi* et *inter conjuges peracta.*

Ergo.

Status quaestionis.

Imprimis notetur nos hic attendere solam legitimitatem actionis *objectivam,* et quidem solam legitimitatem *essentialem.* Pro momento nimirum non attendimus inordinationem subjectivam quae actui objective legitimo accedere potest *ex parte operantis,* ratione finis intenti (infrà, n. 209); neque attendimus inordinationem *accidentalem* quae actui essentialiter ordinato accedere potest ex parte circumstantiae, actionem reddentis malè sonantem (infrà, n. 225 ss.).

208.

Probatio.

Ad **probationem** quod spectat:

Major sponte sua intelligitur. Uti namque docet *S. Thomas,* 2^a^-2^ae^, qu. 153, art. 2°, « peccatum in humanis actibus est quod est contra ordinem rationis; habet autem hoc rationis ordo ut quaelibet convenienter ordinet in suum finem ». Sufficit vero ordinatio *per se,* quia « rectitudo naturalis in humanis actibus non est secundum ea quae per accidens contingunt in uno individuo, sed secundum ea quae totam speciem consequuntur » (1).

Quodsi *plures* dantur fines operis, inter quos unus primarius, debet in actione servari ordinatio ad finem primarium, nec legitimatur actio ex ordinatione ad finem secundarium et subordinatum, nisi salva relatione ad finem primarium.

(1) *C. Gent.*, l. III, c. 122.

Ad primam **minorem:**

Propagatio speciei est *finis operis,* et quidem finis operis sensu proprio *unicus,* ad exclusionem sedationis concupiscentiae, qui non est finis nisi sensu improprio.

Et sane id apparet ex ipsa diversitate sexuum ac respectiva organorum dispositione, ex analogia cum animalibus, necnon ex indubio sensus communis testimonio (1). Quod in specie finis proprius non sit in *concupiscentiae sedatione,* facilè liquet: concupiscentia enim, quae nihil aliud est quam delectationis appetitus, ideo in homine excitatur ut impellatur ad ipsum opus, cui delectatio quam appetit adjungitur, adeo ut finis proprius ab Auctore naturae intentus securius et efficacius obtineatur; nequit proinde opus tanquam in finem proprium ordinari in sedationem concupiscentiae, quae ad hoc excitatur ut opus ponatur. Ad sedationem igitur et delectationis fruitionem non ordinatur copula nisi tanquam ad medium ad finem propagationis speciei.

Quodsi quis potius dicere velit sedationem concupiscentiae esse finem operis copulae, non potest illam habere nisi qua finem secundarium et subordinatum ad finem propagationis speciei tanquam ad finem primarium; ac proinde stat eadem conclusio: non legitimari scil. copulam nisi servata ordinatione ad finem propagationis speciei.

Ad secundam **minorem:**

Ad speciei propagationem pertinet tum a/ *generatio,* et ideo debet copula esse *de se apta generationi;* tum b/ *educatio,* juxta dicta sub n. 77, et ex hoc altero capite requiritur ut congredientes *vinculo conjugali* existant ad invicem conjuncti: prolis namque edu-

---

(1) Ita etiam S. THOMAS, 1ª-2ªe, qu. 153, art. 2: « Sicut autem ad conservationem vitae unius hominis ordinatur usus ciborum, ita etiam ad conservationem totius humani generis, usus venereorum... et ideo sicut usus ciborum potest esse absque peccato, sit fiat debito modo et ordine, secundum quod competit saluti corporis; ita etiam et usus venereorum potest esse absque omni peccato, si fiat debito modo et ordine *secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae* ».

Item *C. Gentiles,* 1, III, cap. 122: « Quaeritur in semine ut emittatur ad generationis utilitatem *ad quam coitus ordinatur* ». Rursus, c. 123: « Inter naturales actus sola generatio ad bonum naturae ordinatur; nam comestio... ad individuum pertinet, generatio vero ad conservationem speciei ». Tandem, c. 126: « Secundum rationem est quod aliquis carnali conjunctione utatur secundum quod congruit *ad generationem et educationem prolis* ».

Alia testimonia multa videsis apud *Collat. Brug.,* t. VI, p. 472 ss.; t. VII, p. 476 et ss. cum ll. cc., quibuscum cf. ESMEIN, o. c., I, p. 241 et p. 249 s.; *Anal eccl.,* 1903, p. 231 ss.; SEHLING, *Die Unterscheidung,* p. 7 et 17. In contrarium sensum videsis TREUB, o. c., p. 36, ubi citatur testimonium Dris Pierson: « De schoone twee-eenheid van man en vrouw *kan* de bron zijn van nieuw leven en kan dat ook niet zijn: *zij heeft haar doel reeds in zich zelf* ». Cf. etiam scriptum CONSTANTINI WIELAND, *Das Sechste Gebot,* signanter p. 45-58, ubi acriter irridet doctrinam catholicam de fine proprio copulae et de ordinatione seminis ad generationem, ac impudenter conatur vindicare impunitatem fornicationis, onanismi necnon pollutionis solitariae.

catio per se exigit communem ac diuturnam curam et sollicitudinem patris simul et matris, quod per se et regulariter non obtinebitur, nisi ad hoc mutua inter se obligatione ligentur parentes (1).

Stat proinde propositio: *omnem* scil. et *solam* copulam inter *conjuges* peractam et *de se aptam generationi,* esse *objectivè* et *essentialiter* legitimam.

Quodsi ulterius quaeritur quaenam sit copula *de se apta generationi,* seu ad hoc per se ordinata, respondemus ad hoc requiri et sufficere ut copula *ex parte actus* sit *natura sua* ad procreationem ordinata: *ex parte actus,* ex parte scil. ipsius copulae, abstractione nempe facta a reliquis organis, *praeter copulae actum,* ad foecundationem requisitis; *natura sua,* i. e. quin attendantur illa quae possent, in ipsis copulae elementis, foecundationem impedire *per accidens,* prouti scil. sunt in tali vel tali individuo (2). Requiritur ergo et suficit ut copula rite peragatur a viro testiculos substantialiter integros habente, virga intromissa in vaginam perviam, et semine virili ibidem recepto. Cf. n. 550 ss., ubi de impotentia.

208bis Corollarium. **Corollarium**: 1° Copula a conjuge, post matrimonium evirato, instituta, vel generatim a persona cujus matrimonio *supervenit* impotentia *perpetua coeundi* (cf. infrà, ubi de impotentia), non est nec unquam esse potest legitima, saltem si excipias unam alteramve copulam evirationi immediate succedentem (3): quam tamen legitimitatem coguntur admittere illi qui tenent sedationem concupiscentiae esse finem operis copulae, fini generationis non subordinatum, siquidem et in plerisque talibus potest copula ordinari ad concupiscentiam sedandam, licet ad generationem sit de se inepta. (Cf. suprà, n. 83 ss. et infrà, n. 558). Caeterùm hujusmodi copulae liceitatem docent nonnulli Auctores, inter quos NOLDIN, *De usu,* n. 66; GENICOT-SALSMANS, o. c., n. 543; MARC, o. c., n. 2095; CAPPELLO, o. c., n. 370 s. et n. 814, necnon apud *Gregorianum,* 1921, p. 125; *Instr. pro confessariis de usu et abusu matrimonii* (Köln), p. 19 (4).

Quodsi praesto est impotentia *temporanea* dumtaxat, copula qui-

(1) Potest quidem extra matrimonium educatio recte informari, puta quando soluti coeuntes divites sunt et circa educationem prolis nascendae bene dispositi; sed hoc est *per accidens,* quemadmodum per accidens contingit quod in ipso matrimonio non potest educatio debitè fieri, v. gr. ubi omninò pauperes sunt conjuges.

(2) Cf. S. THOMAS, *C. Gentiles,* l. III, c. 122.

(3) Admitti posset non excludi unam alteramve veram copulam de se aptam generationi, ejaculato semine quod ante evirationem fuerit elaboratum et in vesiculis seminalibus conservatum.

(4) Hoc attento principio, si admittitur, juxta dicenda infrà, n. 550, certò impotentes esse reputandos viros qui non valent vaginam ullatenus penetrare, sed semen merè deponere possunt ad ostium vaginae, etiam dicendum esset conjuges, qui jam certo incapaces facti sunt vel minimae penetrationis vaginae, ab usu matrimonii esse removendos; quousque autem non certa est illa incapacitas, posset vir, quamdiu spes detur penetrationis, tentare copulam. — Cui posito principio adhaeret etiam VERMEERSCH, *Theol. mor.,* IV, n. 56, et apud *Periodica,* XIV, p. (63) s., conjugibus scil. impotentibus effectis, in specie ubi vir non potest penetrare vaginam et ad hujus

dem redditur illegitima, sed pro solo tempore quo perseverat impotentia. Cf. infrà, n. 558 (1).

2° Pariter illegitima est omnis copula a conjuge potente ita peracta ut in ipsa copula positivo modo impediatur aut cohibeatur foecundatio. Cf. infrà, 239 ss.

3° Tandem illegitima est copula quantumvis foecundationi apto modo instituta inter *non conjuges.*

Notetur autem copulam illegitimam in duplici priori casu inducere crimen quod vocatur *contra naturam,* quia inordinatio, in utroque casu priori secus ac in tertio, attingit ipsam *physicam* copulae naturam.

4° Ex alia parte, legitima habetur copula instituenda cum uxore laborante impotentia foecundandi, uti sunt mulieres excisae aut aliunde steriles (cf. infrà, n. 550); nec illicita redditur copula ex eo quod sterilitas fuerit malitiose et cum gravi alterutrius vel utriusque conjugis culpa procurata (2).

PROPOSITIO SECUNDA. *Ut copula sit legitima etiam subjective seu ex parte operantis, debet finis operantis fini generationis conformari saltem negativè.*

Explicatio et Probatio (3).

209. Ad honestatem, ex parte operantis, sufficit ut finis generationis non excludatur positivè.

1° *Positivam inordinationem* incurrit qui copulam exercet, generationem uti finem, sive immediatum sive mediatum, *excludendo positivè.*

In hac *positiva finis exclusione* (4) adesse positivam inordinationem sufficienter eruitur ex dictis; est autem inordinatio *levis* in supposito quod opus debitè peragatur quodque in alio fine intento non reponatur finis ultimus (5).

2° Ad *perfectionem* actus requiritur ut conjuges, in copula peragenda, *explicitè intendant generationem prolis tanquam finem* (6): tunc tantùm habetur perfecta conformitas inter finem operis et finem operantis. Cui actus perfectioni non nocet quod copulam exerceant

---

dumtaxat ostium semen valet deponere, copulam omninò interdici; et, si sententiae contrariae applicationem non damnat, id non est nisi favore extrinsecae probabilitatis quam dictae benigniori sententiae non denegat. Minus recte scripserat in opere *De Castitate,* n. 240, ubi haec habet: « certò impotentem habemus eum qui non potest nisi ad ostium vaginae deponere... sed minus certò usum illum conjugibus... prohibemus ».

(1) Quod spectat legitimitatem *actuum non consummatorum,* in casu impotentiae perpetuae supervenientis vel in casu impotentiae temporaneae, vide infrà, n. 211.

(2) Cf. VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 231.

(3) Pro hujus propositionis explicatione et probatione, cf. dicta suprà, n. 84 ss.

(4) Notetur aliud esse generationem positive *excludere,* et *optare* ut generatio non sequatur; ac aliud esse actum *ponere* excludendo finem, et ab actu *abstinere* ne finis sequatur: inordinatio restringitur ad ipsam positionem actus cum positiva exclusione finis.

(5) Si finis ultimus ponatur in fine intento, patet induci inordinationem *gravem.* Cf. *Collat. Brug.,* V., p. 171; t. X, p. 432 s.

(6) Hanc intentionem habebat junior Tobias, apud librum *Tobiae,* VIII, 9.

conjuges cum delectatione, ac imo delectationem intendant tamquam finem secundarium.

3° Ad *meram honestatem* actus potest principaliter intendi quicumque finis honestus, modò finis proprius generationis non excludatur *positivè*, seu positivo voluntatis actu, sed ab eo merè *praescindatur*.

Eo namque ipso quod *positive* non excludatur finis sed merè abstrahatur ab eo, nequit dici ordinem et relationem perverti *positive* (quod ad peccatum requiritur), vel opus detorqueri a fine suo, vel hominem in bono delectabili tanquam fine in se quiescere: non excludit namque illam relationem ad proprium finem, sed ab ea mere *abstrahit et praescindit*.

Imo ex eo quod non excludatur generatio, *implicita* intentione ab operante dirigitur opus in finem generationis tanquam in finem proprium. Etenim, uti docent SALMANT., o. c., Tract. IX, cap. III, punct. III, n. 24, quotiescumque aliquis in contrahendo (vel copulam habendo) negative se habet « circa finem proprium matrimonii, aut quia ad illum non attenderet vel non recordaretur, vel de eo non curaret sed non excludendo eum », hoc modo « vere talem finem retinet, quia qui contrahit (vel actum conjugalem exercet) non excludendo finem matrimonii, *in ipsa intentione operis* vult finem illius intrinsecum, quamvis ad illum non attendat; et sic, quamvis ob alios fines matrimonium vel copulam sollicitet, hoc fit retento fine proprio illius ». Cf. etiam BALLERINI-PALMIERI, o. c., VI, n. 551 et 552.

Pari ratione, qui actum ponit intendendo finem intermedium et subordinatum, praescindendo a fine ultimo et ulteriori relatione operis ad eum, honeste agit et implicite ordinat suam actionem ad illum finem ultimum. Cf. BOUQUILLON, *Theol. mor. fundam.*, ed. 2ª, 1890, n. 356. Unde bonus est actus,etsi a perfectione deficiens, sicut « actus bonus est si quis moderate comedat, non attendendo ad finem comestionis sed nec excludendo (positive) illum, etiamsi ex gustu et voluptate ad talem comestionem applicetur ». SALMANT., l. c., n. 33; cf. BOUQUILLON, o. c., n. 355 (1).

Supponitur delectationem in usu matrimonii quaeri *moderatè:* immoderatio namque importare posset peccatum,, utique veniale dumtaxat.

210. Corollarium.

Corollarium. Licitè, etsi minus perfectè, agunt conjuges copulam habentes ob *solam* sedationem concupiscentiae, vel ob *solam* delec-

(1) « Intentio boni proprii etiam delectabilis per se quidem nequaquam reddit actionem ratione finis malam, imo omnino cum recto ordine consentit, quamdiu voluntas in illo verum bonum prosequitur, nec in bono qua delectabili tamquam in fine in se quiescit. Nihilominus respectus voluntatis aedemonisticus, in actionibus caeteroquin bene ordinatis, gradum bonitatis moralis signat *non perfectum*, sed ratione finis *perfectibilem* ». TH. MEYER, *Institutiones Juris naturalis*, Friburgi-Brisgoviae, 1885, P. I, n. 191.

tationem *sensu praecisivo;* excusantur nempe non tantùm subjective, ratione bonae fidei, uti volunt THEOL. MECHL., o. c., n. 48, qu. 6; AERTNYS, *Theol. mor.*, II, n. 482; PRÜNER, o. c., I, n. 875, et alii, sed objectivè et materialiter, quia deficit materia peccati (1).

Damnatam autem propositionem Innocentii XI intelligimus sensu exclusivo, non praecisivo (2).

PROPOSITIO TERTIA. Quod spectat actus venereos *non consummatos mutuos* vel *actus solitarios apud conjuges:*

211. Quales et quousque liciti sint apud conjuges actus non consummati:

1° *Actus venerei mutui, pollutioni non aequivalentes, liciti sunt inter conjuges, ac liciti manent quousque conjuges potentiam servant ad copulam de se aptam generationi; nec illiciti evadunt ex eo quod causae per se existunt pollutionis, modò urgens et gravis praesto sit causa illos actus ponendi, nec pollutio intendatur, nec timeatur consensus in eam.*

2° *Actus venerei solitarii pariter licent in quantùm servatur ordo ad copulam, sive habendam sive habitam perficiendam; aliàs non videntur excusari a gravi, etiam secluso pollutionis periculo.*

Explicatio.

Moralitatem actuum *non consummatorum* determinat ordinatio quam habent ad actum consummatum: si nempe ordinantur per se ad actum completum legitimum, legitimi censentur, quod spectat legitimitatem objectivam essentialem. Jamvero

a/ *mutui: quod spectat legitimitatem objectivam essentialem;*

1° *Actus non consummati* **mutui** per se ordinantur ad actum consummatum *mutuum,* seu ad copulam, ratione matrimonii, in casu, legitimam. Ergo ex hac ordinatione suam legitimitatem mutuantur.

Supponitur autem a/ illos actus servare rationem actus *non consummati,* adeoque excluditur hypothesis quod aequivalenter importent actum consummatum contra naturam, i. e. pollutionem (3): quae

(1) Ita Conc. Mechlin. quartum, decr. 54: « Perfectionem sapit matrimonio uti sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen Dei; honestum tamen est illo usu sedationem concupiscentiae ac delectationis fruitionem in amoris signum quaerere ». Cf. BALLERINI-PALMIERI, o. c., VI, n. 551-591, ubi arguit contra *Vindices Alph.*, n. 480, docentes: « Qui in praedictis actibus (in actu conjugii, in actu manducationis vel potationis), alios fines *neque excludens neque intendens,* unicè quaerit delectationem, inordinatè profecto agit, et idcirco a culpa veniali non excusatur »; ad incurrendum culpae reatum, « necesse non est ut quis, voluptatem quaerens, ad quemlibet alium finem negativè se habeat ».

Circa severiorem doctrinam antiquorum, cf. FREISEN, o. c., p. 848 ss.; in specie, quod spectat S. Augustinum, cf. PETERS, o. c., p. 16 s.

(2) « Opus conjugii ob *solam* voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali ». DENZINGER, o. c., n. 1159.

(3) Hujusmodi actus plerumque, licet non semper, erit copula ante seminationem abrupta, cohibita seminis effusione: de qua fusè disputavimus apud *Collat. Brug.*, t. VI, p. 477 s. et 473 ss. Cf. etiam infrà, n. 245, coll. VERMEERSCH, *De Cast.*, n. 277.

Hanc autem indolem actus non consummati servari posse videtur in actu viri, quo, copulam incipiendo, penetret vas praeposterum uxoris, intendens copulam ritè perficere in vase debito.

pollutio constituit actum intrinsecè malum et ad copulam irreferibilem; et hoc valet de pollutione in femina procuranda non secus ac in viro (1), nec refert quod pollutionem sic procuratam immediatè sequatur copula (2).

Supponitur b/ copulam conjugalem legitimam, adeoque non esse factam *irremediabiliter generationi ineptam.* Et ideo non possunt uti legitimi haberi actus non consummati, inter conjuges instituendi, quorum alterutra pars laboratur impotentia coeundi consequente quidem, sed *perpetua* ac *certa:* inter hujusmodi namque conjuges jam non potest unquam admitti copula legitima, nec adeo possunt actus non consummati servare ordinationem ad copulam legitimam (3). Cf. suprà, n. 208bis, et infrà, n. 558, sub 2°, a/, coll. *ibidem,* sub b. Dictum est supponi copulam non esse factam *irremediabiliter* generationi ineptam: quia, in casu impotentiae *temporaneae,* censemus actus non consummatos mutuos posse legitimari, cum in illis actibus servetur ordinatio ad actum completum legitimum, quamtumvis hic et nunc impossibilem. Cf. infrà, n. 237.

Hac duplici conditione verificata, quod nempe servetur ratio actus non consummati, quodque copula non sit facta irremediabiliter generationi inepta, ex illa ordinatione intrinseca ad copulam accipiunt praefati actus mutui *objectivam* suam legitimitatem *essentialem,* non tantum quando immediatè praecedunt copulam instantem eamve comitantur, sed etiam aliter.

212. quod spectat legitimitatem subjectivam,

Dictum est: accipiunt *objectivam* suam legitimitatem *essentialem;* quia, supposita objectiva legitimitate essentiali, possunt descripti actus non consummati: a/ vitiari *subjectivè* seu *ex parte subjecti operantis,* signanter ratione finis, juxta principia posita sub n. 209 (4).

---

(1) Non est admittenda doctrina quorumdam Auctorum (NOLDIN, *De usu matrim.*, n. 30, coll. n. 29 et 93), docentium non esse distinctionem specificam inter actum consummatum feminae, seu usum completum membrorum genitalium plene satiativum, et actum non consummatum, adeoque aeque licere in casu actum completum sicut actum incompletum. Cf. ILL. WAFFELAERT, *De Temperantia,* Brugis, 1889, p. 163 ss.; GÉNICOT-SALSMANS, o. c., I, n. 396.

(2) Licet copula immediatè sequatur, actus venereus completus in femina procuratus, cum perfecta delectatione venerea, nihilominus constituit actum a copula distinctum, ejusque moralitas distincte est dijudicanda. Cf. tamen in contrarium BUCCERONI, *Casus conscientiae,* Romae, 1913, I, p. 261 ss., coll. NOLDIN, *De usu matrimonii,* n. 70, cujus doctrinae accedere miramur VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 240, ad 3^{m}, necnon GÉNICOT-SALSMANS, *Casus consc.*, n. 1125. Caeterum ipse *Bucceroni,* qui videtur a gravi excusare pollutionis femineae procurationem immediatè ante copulam, in sententiae suae explicatione ita mitigat doctrinam ut solam excuset pollutionem procuratam *in ipsa copulae inchoatione;* sententia autem *Noldin* nititur in opinione modò reprobata, quae pollutionem femineam habet uti actum non consummatum.

(3) Contrà REIFFENSTUEL, o. c., I. IV, tit. 15, n. 65, ubi legitimat, in casu, non quidem copulam, sed tactus, oscula et amplexus. Ipsum sequitur VERMEERSCH, apud *Periodica,* XIV, p. (64); item CAPPELLO, o. c., n. 814, coll. n. 370 s.

(4) In specie sic vitiari posset actus, de quo modò suprà, si nempe vir vas praeposterum uxoris penetret cum affectu sodomitico.

Possunt iidem actus β[accipere objectivam quamdam inordinationem *accidentalem,* ex circumstantia afficiente ipsum opus, a. v. possunt illi actus in se legitimi reddi *male sonantes,* ita ut indigeant causa cohonestante. *et accidentalem;*

Plures sunt hujusmodi circumstantiae, quarum inordinatio per causam proportionatam est abstergenda, ut omni ex parte liciti evadant actus illi; ita circumstantiae loci, temporis, de quibus infrà, sub n. 225 s., et maxime circumstantia illa, quod *causa* existunt *per se vel per accidens pollutionis* aut *distillationis.*

Si 1. causa sunt *per se pollutionis,* requiritur et sufficit quod ad illos urgeat *gravis* ratio. Hujusmodi ratio esset necessitas vitandi gravem infidelitalis suspicionem, vel speciale signum amoris praebendi, notando eo graviorem rationem requiri quo inhonestiores sunt actus admissi (1).

Quodsi 2. actus inter conjuges admissi sunt causae *per accidens* tantum pollutionis, quales aspectus, tactus, oscula, amplexus, minus turpia vel obiter facta, non inducunt nisi *levem* inordinationem, levi de ratione abstergibilem: quae ratio inter conjuges non deerit (2).

Item 3. levis est inordinatio, pari modo abstergenda, quae inducitur ex eo quod actus illi de se nati sunt provocare *distillationem* (3).

Juvat advertere in descriptis actibus *levem* posse incurri inordinationem, ratione laesae decentiae naturalis; adde pollutionem, si instet, esse per copulam praeveniendam, ubi fieri potest.

213.

2° *Actus non consummati* **solitarii** e contrario ratione sui ordinantur ad actum consummatum solitarium, i. e. ad pollutionem, tanquam ad naturale suum complementum. b/ *solitarii.*

Non censentur igitur legitimi ratione sui, sed tantum favore peculiarium adjunctorum, quibus a sua spontanea ordinatione detorqueantur et ordinentur ad copulam.

Inde: a/ licent illi actus solitarii qui, pro adjunctis in quibus admittuntur, diriguntur ad copulam habendam vel copulam habitam perficiendam: et ita posset uxor frigidioris naturae sese excitare tactibus solitariis, ad hoc ut perfecta excitatio venerea correspondeat momento seminationis virilis (4); quod concedi posse cense-

(1) Quando dicimus requiri causam gravem ad excusandos actus mutuos, pollutionis periculum inducentes, supponimus hoc pollutionis periculum non esse praeveniendum per copulam pollutione instante instituendam: tunc sane non requiritur illa causa gravis, cum dictum periculum aequivalenter deficiat.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 598 ss., coll. p. 535 s.

(3) L. c., p. 673 ss.

(4) Ita etiam contigisse novimus cum neo-nupta, eam nempe non posse a viro absque gravi dolore cognosci nisi postquam praevie, iteratis manipulationibus, vaginam dilatandam curaverit. Cf. STÖHR, o. c., p. 499-501, ubi notat simultaneitatem summae libidinosae excitationis in utroque congrediente multum favere foecundationi.

mus etiam ubi uxor praevidet virum sese retracturum; posset etiam, si hanc perfectam veneream excitationem praevenerit seminatio viri, inchoatam excitationem perficere et hac ratione actum, qui supponitur aliunde legitimus (1), complere et integrare (2).

b/ Reliqui actus solitarii, qui, ex adjunctis specialibus in quibus peraguntur, puta in compartis absentia, non detorquentur a nativa sua ordinatione ad pollutionem, non possunt legitimari nec a gravi reatu immunes declarari.

Non possumus proinde intrinsecam admittere probabilitatem sententiae, quam multi moderni Auctores (3) uti probabilem et practice tutam proponunt: actus nimirum non consummatos solitarios a conjuge admissos, *ratione ipsius status conjugalis,* cohonestari *universim et in omni hypothesi,* vel saltem excusari a gravi (4), etiam in casu absentiae diuturnae alterius partis, secluso utique periculo pollutionis.

Ad summum admitti posse nobis videtur sufficienter salvari in illis actibus ordinationem ad copulam, adeoque eos legitimari, praetercuam quando haberi possunt uti copulam praeparantes eamve perficientes, uti sub a/, etiam quousque conjuges ad invicem praesentes sunt aut facile convenire possunt et copulam instituere.

Adverte autem non posse permitti uxori quod sese excitet tali modo ut pollutio copulam praeveniat, quantumvis immediatè sequentem. Cf. modò dicta sub n. 211. Minus adhuc permitti posset viro, ut pollutionem in se provocet, si mulier, in copula, ante ipsum seminaverit.

(1) In specie illa copulae integratio solitaria non esset uxori permittenda post copulam onanistice peractam: quod indubitanter asserimus pro hypothesi copulae condomistice peractae (n. 239, coll. n. 243), cum actus complendus ab initio totaliter vitietur, id tamen etiam valere censemus pro copula cum retractu, siquidem, momento quo copula per tactus completur, ex parte uxoris, jam vitiatus existit actus complendus; quod non obtinet cum tactibus copulam praecedentibus et praeparantibus, de quibus modò. Cf. GÉNICOT-SALSMANS, o. c., ed. 7ª, II, n. 546, sub I, in nota; LEHMKUHL, o. c., II, n. 858; NOLDIN, l. c.; BUCCERONI, o. c., I, p. 266; TANQUEREY, o. c., *Suppl.*, n. 32; VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 267, ubi addit mulierem, in casu, relinquendam esse passim in bona fide. — CAPPELLO, o. c., n. 798, probabilem habet sententiam contrariam.

(2) Quae dicuntur licere circa actus solitarios ad praeparandam vel perficiendam copulam, valent a fortiori pro actibus mutuis.

(3) Ita inter alios: BALLERINI-PALMIERI, t. VI, n. 611; BUCCERONI, o. c., n. 1082; LEHMKUHL, o. c., II, n. 840; NOLDIN, *De sexto Praecepto et usu matrimonii,* n. 88; CAHAREL, *Agnologia et Asotologia,* Brioci, 1905, p. 204 s.; HAINE, *Theologiae moralis Elementa,* Lovanii, 1894, IV, p. 233; TANQUEREY, o. c., *Supplem.*, n. 33; MATHARAN, *Casus de Matrimonio,* Parisiis, 1893, n. 491; VERMEERSCH, *De Cast.*, n. 280, ac *Theol. mor.*, IV, n. 67; CAPPELLO, o. c., n. 808; GÉNICOT-SALSMANS, o. c., II, n. 547; MARC, o. c., II, n. 2113; AERTNYS, *Fasciculus,* n. 39, quaer. 3º: hi tamen tres ultimi, cum S. ALPH., o. c., l. VI, n. 936, alteram sententiam probabiliorem censent. Severiorem potius sententiam amplectuntur SALMANTICENSES, o. c., cap. XV, n. 87; PRUNER, o. c., I, p. 411; VAN DER VELDEN, *Principia theologiae moralis,* II, n. 399. PALMIERI, in nota ad Ballerini, dicit sibi rationes Auctoris esse captu difficiles; item *Instr. pro Confessariis* (Coloniensis), p. 21; VLAMING, o. c., n. 633; pariter PISCETTA, *De Luxuria et de usu matrimonii,* Augusti-Taurinorum, 1908, n. 101, monet animum in severiorem sententiam inclinare; item FERRUGIA, o. c., n. 272.

(4) Dicitur: *a gravi culpa...,* quia Auctores benigniori sententiae faventes passim illos conjuges levis peccati arguunt, ratione intentionis finem operis excludentis. Addunt: *modo absit periculum pollutionis,* quia pro illis actibus solitariis non reperitur, sicut pro mutuis, ratio sat urgens ut illi periculo se exponere possint conjuges. Cf. etiam huc spectans responsum S. Poenitentiariae, 2 Sept. 1904, apud BUCCERONI, *Supplem. alterum,* p. 41, n. 813.

Nihilominus, juxta principia generalia; siquidem benignior sententia a pluribus iisque egregiis Auctoribus habetur uti probabilis, potest confessarius, *cui intrinseca illius improbabilitas non est perspecta, auctoritate extrinseca niti,* ut severiorem solutionem non urgeat.

214. Quid de actibus internis.

Nota 1° Quod spectat *actus internos,* extra circumstantiam copulae, et sine ordinatione ad illam, puta absente comparte, admissos: possunt conjuges desiderare copulam futuram, voluntate probare copulam habitam, necnon *voluntate* sibi complacere in copula qua praesente cogitata (1); objectum namque variorum illorum actuum est res licita. Ab hisce autem sedulò distingue commotionem carnalem in ipso corpore, et delectationem ei adnexam, de cujus commotionis provocatione judicandum est sicut de actu venereo solitario (2).

2° In *dubio,* post examen perseverante, circa liceitatem copulae vel actuum non consummatorum, regula est ut ab illis non prohibeantur conjuges, permisso transitu a probabilitate speculativa ad practicam. Ita in specie, si dubium juris vel facti datur circa impotentiam, de quo cf. infrà, n. 558, sub 2° d/, attentis restrictionibus factis sub n. 237 s., ubi de usu matrimonii in casu quo dubium de liceitate oritur ex dubio circa validitatem matrimonii.

PARAGRAPHUS SECUNDA. *De jure et obligatione ad usum matrimonii.*

PUNCTUM I. EXISTENTIA JURIS ET OBLIGATIONIS.

215. Conjuges jus habent petendi et obligationem reddendi debitum.

Jus et **obligatio**, pro conjugibus, *exclusivè* utendi matrimonio, seu mutuò petendi ac respective reddendi debitum, in ipso vinculo matrimoniali continentur.

Vinculum enim conjugale praecise est in nexu illo morali qui constat variis juribus et obligationibus in ordine ad generationem prolis communi opera procurandam, adeoque praeprimis jus importat ad actum generationis seu copulam, et ad usum corporis compartis in hunc finem; juri autem unius correspondet *obligatio* alterius, et, cum sit jus *strictum,* utpote exoriens ex contractu bilaterali, obligatio erit *justitiae,* eaque de se *gravis,* siquidem agitur de re gravissimi momenti.

Quod sit jus *exclusivum,* adeo ut excludat quodcumque jus alterius cujuscumque personae ac *justitiam* graviter laedat carnalis commixtio a tertia persona attentata, id sequitur ex ipsa notione matrimonii (n. 75), coll. dicendis de *unitate* matrimonii, de qua infrà.

Est etiam jus et officium *aequale* utrique conjugi, adeo ut quoad

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 576 ss., ubi variae notiones actus interni proponuntur.
(2) Cf. resp. S. Poenit. 2 Sept. 1904, de quo modò, ad 1^{m}.

usum matrimonii aequo gradu existant ad invicem vir et mulier, aequali jure gaudentes et aequali obligatione adstricti. Can. 1111 (1).

216. Extenditur jus et obligatio ad omnem et solum usum matrimonii legitimum.

Ulterius sedulo notandum asserta jus et obligationem extendi ad *omnem* et *solum* usum matrimonii objective et essentialiter *legitimum*, seu de se ordinatum ad procreationem, in quo nempe usu nihil agatur contra finem generationis, quique ad illum finem maneat natura sua idoneus.

Unde *ex una parte,* nullum per vinculum conjugale acquiritur jus, ac nulla contrahitur obligatio ad copulam, modo generationi inepto peragendam, putà sodomiticam vel onanisticam (2); et *ex alia parte,* non restringuntur *jus et obligatio* ad copulam ex qua hic et nunc sequi possit generatio, sed extenditur ad omnem copulam *de se* aptam generationi, ad omnem scil. copulam quae ex parte actus sit natura sua ad generationem ordinata, juxta notionem datam sub n. 208.

Et sane non esset, stante humana concupiscentia in libidinem provocante, moraliter possibilis cohabitatio, ad rite informandam prolem de se necessaria, si conjuges tunc tantùm facultatem haberent coeundi quando generatio hic et nunc sequi potest; oportet ut utrique conjugi continuò praesto sit possibilitas copulae, supposita ejusdem legitimitate, ut illâ opportuno tempore utantur in remedium concupiscentiae: non possent autem ad illud remedium efficaciter recurrere, nisi jus habeant compartem ad copulam cogendi.

Doctrinam expositam confirmant can. 1111 et 1081, § 2, quo altero loco affirmatur consensum matrimonialem esse praecise in actu voluntatis « quo utraque pars trahit et acceptat jus in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem ».

217. Consectarium practicum.

Corollarium. « Conjux mediis illicitis se impotentem reddens ad debitum conjugale, lethaliter peccat contra *justitiam;* quia lex *justitiae* obligans ad redditionem debiti, etiam vetat ne quis mediis illicitis reddat se impotentem. Hinc vir qui, sive crebris pollutionibus, sive accessu ad alias feminas, reddit se impotentem (vel notabiliter minus aptum) ad persolvendum debitum, ultra peccatum pollutionis (adulterae) aut adulterii, committit (novam) specialem culpam contra legem justitiae, quae in confessione est exprimenda.

Imo graviter peccare posset conjux qui, operibus de se quidem licitis sed indiscretis et minimè necessariis, ut nimiis macerationibus, vigiliis, laboribus, redderet se notabiliter impotentem (seu minus idoneum) » (3).

Pariter gravis *injustitiae* reatum incurreret erga compartem maritus,

(1) Matrimonium sc. est contractus perfecte *synallagmaticus*, non quidem absolutè, quasi conjuges in omnibus aequale jus haberent et aequalem obligationem, sed quoad usum matrimonii, seu, uti habet can. 1111, « quod attinet ad actus proprios conjugalis vitae ». Cf. Triebs, o. c. I, p. 28 s., coll. p. 31 s., quo altero loco notat aequalitatem illam juris et obligationis matrimonio esse essentialem nec ab ipso Deo auferri posse.

(2) Cf. Conc. Mechlin. quartum, decr. 83, coll. infrà, n. 243.

(3) THEOL. MECHL., o. c., n. 43, qu. 1.

qui vario modo sese castrandum curaret, intellige extra casum quo dicta operatio chirurgica ad salutem corporis judicaretur necessaria. Idem valet de uxore quae, absque urgenti ad corporis salutem necessitate, excisionem faciendam provocaret ovariorum vel uteri, aut vasectomiam, quemadmodum contingit nonnunquam fieri, eum in finem ut praegnantiae periculis et incommodis aditus praecludatur (1). Cf. infrà, n. 239.

218. Nota.

Nota. Obligatio *justitiae debitum reddendi* incipit a momento quo altera pars debitum *jure petit,* illud in rigore juris exigendo (2); potest autem, extra illum casum, dari obligatio *charitatis* erga compartem. Cf. infrà, ad n. 236.

Non datur obligatio *justitiae* ad debitum *petendum;* sed facile ad hoc exsurgit obligatio *charitatis:* vel ad vitandam incontinentiam in comparte, praesertim si noscitur ex pudore a petendo debito timere, vel ad fovendum amorem mutuum periclitantem, vel propter bonum publicum cujus intersit ut proles nascatur.

PUNCTUM II. PRINCIPIA QUAE MODERANTUR EXERCITIUM JURIS UTENDI MATRIMONIO.

219. Distinctio inter jus utendi matrimonio et juris exercitium.

Jus ad copulam legitimam, cum ingrediatur ipsum objectum contractus matrimonialis ac vinculi conjugalis per contractum inducti, non potest a conjugibus, quamdiu manent conjuges, auferri, eisque inseparabiliter adhaeret, nec unquam potest efficaciter alteri cedi aut quomodocumque alienari (3).

Atvero potest fieri vel 1° ut ab uno aut utroque conjuge, sive in perpetuum sive ad tempus, *auferatur* dicti juris *actuale exercitium,* salvo jure *habituali;* a. v. fit ut, relicto jure *radicali,* auferatur vel suspendatur jus *expeditum,* i. e. ut, servato dominio in corpus compartis, tollatur aut suspendatur *dominii fruitio* (4); vel 2° ut *actuale juris exercitium prohibeatur* ob circumstantiam sese tenentem vel ex parte actus vel ex parte petentis; potest etiam contingere 3° ut, servato in uno conjuge juris exercitio ac seposita prohibitione jure utendi, alteri causa detur ab obligatione reddendi excusans. Unde

(1) Ovariotomiam proinde ob hujusmodi motivum peragere nefas est chirurgo; ad eam procedere tantum potest quando, ob infectionem aliamve causam, necessaria apparet ad vitae salutem.

(2) Vidimus quod obligatio justitiae *gravis* est, utique in supposito quod altera pars in rigore justitiae exigat ac denegationi censeatur graviter invita; meritò namque notat VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 246, quod « petenti negare debitum leve erit peccatum si alter graviter invitus non sit ». Aegre etiam gravis dicetur debiti denegatio, si semel tantum denegetur, praesertim si conjuges frequenter utuntur matrimonio; excipe si petens nosceretur versari in periculo incontinentiae.

(3) Ita adulteratur et injustitiae reatum incurrit vir qui carnaliter cognoscit uxorem alterius viri, licet hic in hoc plene consentiat.

(4) Ita ex una parte conjux, a jure suo decisus, non posset efficaciter debiti redditionem exigere, et ex alia parte injuria ipsi irrogaretur a tertia persona compartem carnaliter cognoscente.

220.

Potest exercitium juris auferri vel suspendi :

PRINCIPIUM PRIMUM. *Potest actuale exercitium juris petendi debitum vario modo auferri vel suspendi, sive in alterutro sive in utroque conjuge.*

Nimirum

A. **Per spontaneam conjugum renuntiationem:**

1° *per conjugum renuntiationem ;*

1° *mutuam:* quae renuntiatio potest fieri explicita vel implicita, qualis censetur contineri in voto castitatis mutuo consensu emisso (1). Patet mutua renuntiatione cessare, in utroque conjuge, jus expeditum ad petendum et obligationem justitiae ad reddendum debitum.

2° *unilateralem,* quatenus alterutra pars renuntiat exercitio juris quo respectu compartis gaudet in usum matrimonii: eo ipso pars renuntians amittit expeditum jus exigendi debitum, ita ut ei ex justitia reddere non teneatur altera pars (2); hujus tamen compartis jus manet integrum ac ipsi tenetur reddere pars quae renuntiavit.

221.

2° *per violationem fidei nuptialis ;*

B. **Per violationem fidei conjugalis.**

Frangenti fidem non est fides servanda, et ita decidit foedifragus a jure expedito petendi debitum, nec ei reddere tenetur compars. Id speciatim contingit in casu *adulterii* admissi ab una parte, quae ipso facto amittit jus exigendi debitum, nisi altera conjux « in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacitè condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit » (3), i. e. pariter adulteraverit aut simile crimen, puta bestialitatem aut sodomiam, admiserit (4).

222.

3° *per privationem rationis ;*

C. **Per privationem usus rationis.**

Nimirum oportet ut jus exerceatur *modo humano,* et ideo jus suum exercere nequit rationis non compos, sive privatio sit perpetua, sive momentanea dumtaxat, putá in casu perfectae ebrietatis.

223.

4° *per separationem a toro et a cohabitatione.*

D. **Per separationem** *a toro et a cohabitatione,* de qua infrà dicetur, sub art. 2°.

224.

Abrogatum est privilegium primi bimestris.

Nota 1. Causis enumeratis addendae sunt circumstantiae, usum matrimonii reddentes objectivè illicitum, circumstantiae scil. sese tenentes ex parte actus; de quibus infrà, n. 225 ss.

(1) Unaquaeque pars, consentiendo in votum compartis, practicè censetur cedere juri suo expedito in exigendum debitum ab illa. Cf. n. 229 s.

(2) Non impedit quominus conjux, cui ablatum est vel suspensum jus expeditum petendi, *roget* a comparte debitum, si aliunde petitio ipsi non est prohibita; sed non potest *in rigore juris* illud *exigere,* ita ut *obligatio justitiae* petitioni correspondeat.

(3) Can. 1129, ubi quae dicuntur de facultate separationem instituendi, a fortiori valent de debito reddendo.

(4) Per simile delictum ab altera parte commissum censetur prioris partis adulterium compensari; ad hanc tamen compensationem supponitur alterius partis delictum commissum ante separationem conjugum: si pars innocens post separationem in adulterium lapsa sit, hoc non videtur attendendum. Cf. VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 249.

2. Hucusque vigebat disciplina, vi cujus Ecclesia, *per duorum mensium spatium*, denegabat conjugibus jus expeditum exigendi debitum a comparte *deliberante de ingressu in Religionem stricte dictam*, hanc partem a correspondenti obligatione eximendo. Poterat nimirum, juxta c. 2 et 7, X, IV, 32, uterque conjux, invita licet comparte, a matrimonio *non consummato* recedere et per duos menses de ingredienda Religione deliberare, debitum recusando comparti.

Porro privilegium hoc *primi bimestris*, caeteroquin antiquatum ac parum practicum, censetur jam abrogatum, cum de illo taceat novus Codex, ac imo, sub canone 1111, statuat utrique conjugi *ab ipso matrimonii initio* aequum jus et officium esse quod attinet ad actus proprios conjugalis vitae; adde quod, juxta can. 542, n. 1, invalidè ad novitiatum admittuntur, absque restrictione, conjuges, durante matrimonio.

225. Potest juris exercitium reddi illicitum:

PRINCIPIUM SECUNDUM. *Potest exercitium juris evadere illicitum, sive ratione circumstantiae sese tenentis ex parte actus, sive ratione circumstantiae sese tenentis ex parte petentis.*

Explicatio.

A. CIRCUMSTANTIA SESE TENENS EX PARTE ACTUS.

1° ex circumstantia se tenente ex parte actus, puta

Agitur de circumstantia quae accedit actui substantialiter ordinato (n. 207), ex qua accipit copula inordinationem accidentalem, proportionata causâ abstergibilem; est nempe circumstantia quae reddit actionem non intrinsecè malam, sed *malè sonantem*.

Exempla.

ex circumstantia loci,

1° Circumstantia **loci**, puta sacri, in quo conjugibus non licet copulari nisi adsit admodum urgens ratio, v. gr. incontinentiam vitandi per diuturnam in tali loco commorationem, uti potest contingere tempore belli vel persecutionis.

modi,

2° Circumstantia **modi**, quatenus fiat coitus extra *situm* naturalem, putà sedendo vel stando, vel inter virum succubum et mulierem incubam, vel a latere aut a retro more pecudum, potius quam facie ad faciem, muliere succuba (1). Inde inducitur inordinatio *venialis*, quae facilè abstergitur si rationabilis adest causa dicto modo coeundi, v. gr. ob periculum abortus vitandum in uxore praegnante, propter obesitatem viri, vel ob frigiditatem vincendam alterutrius; supponitur autem servari essentialem copulae ad generationem ordinationem (2).

---

(1) Ille est *situs* pro norma servandus, quem natura indicat in ipsa membrorum genitalium dispositione, quique magis favet debitae seminis virilis susceptioni, cum ita intimius penetrentur corpora ac altius deponatur semen; coitus tamen alio sub situ institutus, modò fiat in vase debito et absque seminis profusione, potest esse generationis fini idoneus, perfectioris penetrationis defectui supplente motu vitali quo ad corporis muliebris penetralia ingredienda gaudent spermatozoida; et ideo in hujusmodi situ inordinatio est *secundum quid* dumtaxat et *venialis*. Cf. STÖHR, o. c., p. 502.

(2) Profectò essentialis foret defectus, copulam *substantialiter corrumpens*, si debi-

scandali,

3° **Scandalum**, ex eo quod copula peragatur coram adstantibus: quod scandalum adeo grave videtur ut vix ulla causa ab eo excusare valeat (1).

226. nocumenti tertiae parti imminentis;

4° **Nocumentum** ex usu matrimonii tertiae parti timendum.

Intenditur nocumentum imminens *tertiae parti,* comparti scil. vel proli conceptae. Nocumentum namque *proprium* ex copula vel ex futuro partu (2) oriundum non reddet debiti redditionem illicitam, cum conjugibus integrum sit, vel et laudabile, sese exponere sanitatis laesioni, ex motivo charitatis erga compartem, v. gr. ut in ea vitetur periculum incontinentiae aut adulterii (3); posset etiam conjux reddere debitum cum periculo ipsius vitae, si urgentis adsit necessitatis causa, qualis oriri posset ex gravibus admodum minis alterius partis.

Nocumentum imminens proli *conceptae* (4), puta periculum abortus,reddit redditionem illicitam, nisi gravi de ratione cohonestetur: quae ratio eo gravior postulatur quo majus est nocumentum ac propius imminet (5).

Quod autem spectat nocumentum *comparti* inferendum, puta ratione periculi contagionis, ob syphilim (n. 235), vel ex alia causa, v. gr. quia compars gravi morbo cardiaco afficitur: ab usu matrimonii esset abstinendum, quando compars est nocumenti inscia aut ipsi invita, nisi rursus proportionata causa excuset; quinimo etiam in casu quo compars est nocumenti conscia nec ipsi invita vel et ipsa debitum petit, matrimonio uti non licet nisi gravissima urgeat necessitas, saltem si periculum vitae immineat.

Ex quibus liquet, passim et seclusa positiva prohibitione, usum matrimonii *non esse illicitum:*

a/ tempore *praegnantiae,* nisi, per accidens et omnino exceptiona-

---

tum vas non fuit servatum, sodomitico congressu, vel semen fuerit penitus profusum. Ideo attendendum est confessario audienti poenitentem confitentem se copulam instituisse retrorsùm: cautè scilicet et prudenter inquirat utrùm salva fuerit essentialis aptitudo ad finem generationis, servato vase naturali nec profuso semine: de qua aptitudine si constat, abstineat sacerdos ab ulteriori inquisitione circa determinatum coeundi modum. Cf. infrà monenda de munere confessarii.

(1) Id potissimum valet respectu puerorum ac puellarum pubescentium; caeterùm urgenda est apud parentes providissima vigilantia ne, praesentibus liberis etiam junioribus, aliquid agant quo infantilis phantasia foedari queat.

(2) Si vitae periculum oritur non ex copula sed ex partu, ratio est habenda incertitudinis impraegnationis; notum etiam est saepe exaggerari hujusmodi periculum.

(3) Nocumentum proprium potest esse ratio excusans ab obligatione debitum reddendi. Cf. n. 235.

(4) Proles *concipienda* non debet attendi, cum nondum sit subjectum juris ipsique semper melius sit sic esse quam penitus non esse. Cf. *Rev. eccl. de Liége,* VIII, p. 395, s. Tenet tamen VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 224, periculum pro prole concipienda, quatenus v. gr. morbo gravi infecta praevidetur nascitura, periculum, inquam, illud non esse negligendum, adeo ut rationem excusantem ad reddendum, qualis est incontinentiae periculum, postulet: censet scilicet conjugibus officium positivum incumbere « ut ea ratione quam bonum speciei postulat nativitas fiat, ac proin ut fetus vitalis et sanus edatur ».

(5) Cf. SALSMANS, *Geneeskundige Plichtenleer,* n. 164.

liter, experientia constet extraordinarium ac imminens adesse periculum abortus (1), vel aliud periculum orientis gravioris nocumenti pro prole concepta, uti contingere posset in ultimis praegnationis temporibus (2).

nec b/ tempore *puerperii*, seu per primas inde a partu hebdomadas: datur quidem periculum pro muliere puerpera, tum ex virium debilitate (3), tum ex abnormi dilatatione uteri, paulatim ad pristinam molem redeuntis (4), et ideo favendum est usui differendi reassumptionem conjugalis consortii (5); sed regulariter non videtur satis urgens periculum ut ideo, saltem sub gravi, prohibeatur concubitus. Quod autem spectat convenientiam: profectò convenit admodum ut vir, seposito urgenti incontinentiae periculo, uxori puerperae, per primas a partu hebdomadas, amanter parcat (6).

nec c/ tempore *fluxus menstrui* (7), quia rursus periculum nocendi

---

(1) Cf. STÖHR, o. c., p. 504 s. Periculum abortus potissimum habetur tempore inchoatae praegnantiae; quod periculum practicè non est attendendum, cum de incoepta praegnantia non constet. Postquam autem impraegnatio certa evaserit, periculum abortus passim non est urgens, modò moderatè instituatur coitus quoad modum et frequentiam.

(2) A nonnullis medicis etiam commendatur usus moderatus matrimonii, tempore praegnantiae. Cf. VERMEERSCH, *De Cast.*, n. 41.

(3) « Mulier, gravissima vitae actione vix peracta, physiologicos quidem sed vehementissimos dolores in ipsis membris genitalibus pertulit, et vel robusta puerpera fatigatam ac debilitatam se sentit ». CAPELLMANN, o. c., p. 150. Cf. etiam GEMELLI, o. c., p. 67 s.

(4) « Puerperium multas res secum fert, quae quolibet alio tempore morbosae dicendae essent, quamquam hic physiologicae sunt. Reductio et restitutio uteri adeo dilatati fortiorem organismi actionem postulat, imo ex recentiorum observationibus fere integra resorptio et reconstructio uteri locum habet. Res quae hoc tempore in organis generationis aguntur, immutationes ac violationes graviditate productae, jam disponunt per se ad varios morbos: ad sanguinis profluvia, inflammationes, positiones uteri aberrantes. Quare in directa locali irratione qualem copula secum fert, atque etiam in universa commotione per copulam excitata, aliquid periculosum et damnosum esse, nemo non fatetur. Hoc autem damnum, ut patet, eo perniciosius erit quo partui propius ». CAPELLMANN, o. c., p. 150.

(5) Solent conjuges in nostris regionibus ad usum matrimonii redire inde a die introductionis in ecclesiam et benedictionis post partum. Et ideo bonum est ut parochi ad illam benedictionem ocius non admittant parturientes. Antiquitus in ecclesia recipiebantur, conformiter ad legem mosaicam, post 40 dies inde a nativitate prolis masculinae et post 80 dies inde a nativitate puellae; deinceps autem observatum est uniformiter spatium 40 dierum. Cf. FRANZ, o. c., p. 215 ss., ubi etiam curiosas praxes describit, per medium aevum usurpatas, in caeremonia benedictionis post partum.

(6) DAELS, *Voor moeder en zuigeling*, blz. 120: « met het geslachtsverkeer moet ten minste tot *vier weken* na de verlossing worden gewacht. *Zes weken* onthouding schenkt vollen waarborg ».

(7) *Fluxus menstruus* saepe confunditur cum decisione ovuli maturi ab ovariis transeuntis per uterum et vaginam: sunt tamen duo phenomena distincta, licet plerumque simul coincidant. « La maturation et l'expulsion de l'ovule, docet FOREL, o. c., p. 54, sont en général accompagnées chez la femme d'un phénomène nerveux, proche parent de l'érection chez l'homme. La muqueuse de la cavité de la matrice est très riche en vaisseaux qui ont la faculté de se dilater fortement et de se gorger de sang sous l'influence inhibitrice de certains centres nerveux. Comme la muqueuse est très fine... le sang transude au travers de la muqueuse et s'écoule sous forme de ce qu'on appelle les règles ou menstrues. Leur but est sans doute de préparer convenablement la muqueuse de la matrice à la fixation de l'œuf fécondé qui viendra se greffer à sa surface... Les deux phénomènes peuvent avoir lieu indépendamment l'un de l'autre, car les menstrues en elles-mêmes dépendent uniquement d'une irritation nerveuse, qui peut être, par exemple, provoquée ou arrêtée par la suggestion hypnotique ».

mulieri levius reputatur (1), et ex alia parte est circumstantia favens potius foecundationi (2).

Dicitur: « *de se et seclusa positiva prohibitione* », quia olim variae prohibitiones hinc inde erant latae vel consuetudine introductae (3).

227. non autem ex circumstantia temporis sacri;

Nota 1° Circumstantia *temporis sacri,* poenitentiae sive devotionis exercitiis peculiariter addicti, sub hodierna disciplina, non est ratio copulam conjugalem prohibendi; posset tamen interdum abstinentia *suaderi* ratione instantis s. communionis, ratione temporis quadragesimalis, vel ratione sollemnioris festivitatis (4), sed nonnisi prudenter et moderatè, ac ea dumtaxat lege ut non modo salva sint jura compartis ac seclusum incontinentiae periculum, sed etiam ut inde non gravetur altera pars, nec mutuo conjugum amori noceatur.

---

(1) Incommodum oriri potest ex levi irritatione per copulam tunc exercitam forsan provocanda, necnon ex verecundia cui mulier menstruata peculiariter est obnoxia, unde fit ut passim consortium fugiat. Cf. DAELS, *Voor moeder en zuigeling,* p. 26 s., ubi notat: « Het geslachtsverkeer mag niet plaats grijpen, wanneer, bij het begin of het einde der regels, bloed uit de vrouwlijke teeldeelen vloeit; op dat oogenblik is de baarmoederhals meer geopend en doet een besmetting van de baarmoederholte zich gemakkelijk voor ».

(2) Advertit tamen hîc VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 239, quod « superest naturalis quidam horror seu aversio, quae si contemnitur, virum prodit insolentis et parùm ordinatae concupiscentiae »; qua attenta naturali repugnantia, multùm suadetur abstinentia per illud tempus, nisi a medico proponatur ut tempus foecundationi magis idoneum.

(3) Similes *prohibitiones* refert MARTÈNE, o. c., L. I. P. 2ª, c. IX, art. IV, sub n. VIII-IX. Ita citat statutum Heraldi Turonensis: « Fideles se abstineant a coitu praegnantium uxorum et menstruo tempore »; in rescripto S. Gregorii ad consulta S. Augustini Anglorum apostoli legitur: « Ad ejus (uxoris) vero concubitum vir accedere non debet, quoadusque qui gignitur ablactetur ». Alibi statuitur: « Conjugales continere se debent... in illis diebus quibus uxor praegnans, hoc est a die qua filius in utero ejus motum fecerit, usque ad partus sui diem; item a partu per 36 dies, si masculus, si vero filia, per 46 dies ». Vulgata etiam erat opinio quod ex copula cum tali muliere monstrum gignetur, leprosus scil. foetus vel elephanticus, quatenus sanguis menstruatae esset infectus; cf. HIERONYMUM, *In Ezech.,* XVIII, 6 (*Migne,* XXV, col. 173), et *S. Augustinum,* mox infrà. Existebant etiam in medio aevo praescriptiones hinc inde vigentes, quibus menstruatae ab ingressu ecclesiae prohiberentur. Cf. FRANZ, o. c., p. 214 s., coll. MOY, o. c., p. 383 ss.

Severa in hac re erat *Lex Mosaica, Lev.* XVIII, 19, vetans omnem congressum cum menstrua patiente, et quidem, juxta c. XX, 18, sub poena mortis. Et ita *Ezech.,* XVIII, 6, quasi in justitiae signum tradit quod « uxorem proximi sui non violaverit et ad mulierem menstruatam non accesserit ».

(4) Cf. MARTÈNE, l. c., n. I-IX; FREISEN, o. c., p. 851 ss. Commendabatur olim vel praecipiebatur conjugalis abstinentia diebus et noctibus *dominicis* ac *festivis,* idque potissimum in reverentiam s. communionis suscipiendae, cum in textibus ibidem relatis addatur: « ut securius communicent », « ut sincera et secura conscientia ad altare Domini casto corpore et mundo corde praesumant accedere ». Ita etiam in *Catech. Conc. Trid.,* P. II, C. VIII, n. 34, commendatur triduana abstinentia ante s. communionem. Nonnunquam mentio fit poenae consequentis ex inobservatione, quatenus si « in ea (die dominica) conjuges simul convenerint, exinde aut contracti, aut epileptici, aut leprosi nascuntur ».

In majoribus festivitatibus Paschatis et Pentecostes, per integram octavam continentia erat servanda, ac in Natalibus Domini per 20 dies et noctes. Ulterius ab usu matrimonii abstinendum per Quadragesimam et per Adventum (in quibusdam locis: a festo S. Martini), ad instituendam praeparationem ad Pascha et Natalia Domini in oratione et poenitentia, a quibus removebat voluptas carnalis. Cf. etiam 1ª ad Cor., VII, 5. — S. Augustinus eo procedit ut moneat ex copula habita hujusmodi diebus leprosos, epilepticos aut forte daemoniacos pueros nasci, non secus ac ex congressu in profluviis instituto. Cfr. *Sermo 292,* coll. PETERS, o. c., p. 18 s.

Etiam diu mansit in usu ut, prima nuptiarum nocte, vel etiam biduo aut triduo post nuptias, ab usu matrimonii abstinerent neo-conjuges, ad exemplum Tobiae junioris, et in reverentiam benedictionis nuptialis acceptae. Cf. MOY, l. c.

2° Uti notavimus sub n. 224, circumstantia quae et in quantum reddit usum matrimonii *objectivè* (ratione scil. circumstantiae sese tenentis ex parte actus) illicitum, eo ipso auferet vel suspendet jus expeditum et obligationem ad illum, siquidem non datur jus et obligatio ad rem objectivè inhonestam, quousque talis manet (1).

B. CIRCUMSTANTIA SESE TENENS EX PARTE PETENTIS.

228.

2° ex circumstantia se tenente ex parte petentis, in specie :

Talis circumstantia obtinet in conjuge *voto castitatis* obstricto, vel utente matrimonio *ex prava intentione,* animo v. gr. adulterino (2), vel cui *prohibetur* ab Ecclesia *petitio* debiti in poenam, quemadmodum olim contingebat in casu contractae affinitatis illicitae supervenientis.

Porro quotiescumque usus matrimonii ex hujusmodi circumstantia existit illicitus, *illicitè* quidem debitum petit conjux quem afficit circumstantia, sed, nisi aliunde a jure suo sit decisus, *jure* exigit debitum, idque jure expedito, cum ipse actus in se non sit inhonestus; ac compars ex justitia tenetur ei reddere, obligatione justitiae praevalente cooperationi materiali; haec autem compars jure exigit debitum et licite, eique est ex justitia reddendum.

Applicatio *circa* **Votum castitatis.**

229.

ex voto castitatis, ante matrimonium emisso,

a/ Votum castitatis *ante matrimonium emissum,* et non dispensatum (3), ubi non dirimit matrimonium (4), praeterquam quod matrimonium prohibet contrahendum (5), insuper, contracto matrimonio, *voventem privat licentia, non jure stricto, petendi debitum.*

Dicitur: « *voventem privat licentia petendi, non jure* ». Nimirum

α/ pars vovens votum castitatis servare tenetur in quantum, salvo jure compartis, servari potest: non potest ergo *licitè* petere, cum a petendo possit, illaeso jure alterius partis, abstinere.

β/ conservat, nisi illud aliunde amiserit, *jus* petendi seu exigendi

(1) Supponitur copula non intrinsece vitiata, ac de se apta generationi; secus namque ad eam ne radicale quidem haberetur jus, uti vidimus sub n. 216.

(2) Circa congressum *animo adulterino* institutum, notat VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 240, quod conjux qui, « dum opus conjugale exercet, de fictitia copula cum alia persona delectatur, affectu adulterino graviter peccat ». Addit autem quod hujus peccati « reus non est maritus qui, ut quaesitum aestum facilius obtineat, pulchritudine alius personae (viventis vel depictae) propriam uxorem phantastice quasi exornet, et sic affectum ad propriam uxorem augeat ». Non deest tamen periculum in descripto processu adhibendo.

(3) De dispensatione super voto castitatis in ordine ad matrimonium contrahendum, infrà agetur, ubi de dispensationibus.

(4) Matrimonium irritat votum sollemne emissum in Religione stricte dicta; item votum simplex a scolasticis S. J. emissum post biennium novitiatus. Cf. infrà, ubi de impedimento dirimente Voti.

(5) Constituit scil. impedimentum matrimonii *prohibens* juris ecclesiastici (can. 1058, § 1), ac etiam regulariter juris naturalis divini. Dicitur: *regulariter,* quia prohibitio juris naturalis divini potest exceptionaliter deficere; et ita excipitur casus quo quis, gravi de causa, v. gr. ad legitimandam prolem, contraheret, consentiente comparte, cum intentione ingrediendi Religionem ante matrimonii consummationem. Cf. dicenda sub n. 489.

debitum, quia copula non est objectivè ac in se inhonesta, nec votum illud importat necessariò renuntiationem juri in matrimonio accipiendo; unde si conjux, contra voti obligationem, petit debitum, peccat quidem contra religionem, non autem contra castitatem.

γ/ potest *reddere,* idque debet, comparti *jure exigenti,* ad hoc ut hujus jus sit salvum; quodsi compars non habet jus exigendi (1), pars vovens non debet, adeoque non potest, reddere, nisi, in casu particulari, ratione instantissimi periculi, quod dispensatione praeveniri nequeat, voti observatio evaserit moraliter impossibilis (2).

Haec pro parte voto ligata. — Quod autem spectat *compartem voto non ligatam, potest* ac *debet,* attento jure stricto debitum exigendi penes partem voventem remanente, *reddere* debitum, cum obligatio justitiae praevaleat cooperationi materiali ad malam actionem voventis; *potest* etiam debitum *petere,* cum utatur jure suo, nec provocet compartem ad peccatum, siquidem haec reddere licitè potest conjugi jure petenti. Ad hoc autem ut pars libera reddere possit ac debeat, supponitur partem voto obstrictam *aliunde* non amisisse *jus* debitum petendi: aliàs non deberet pars libera debitum reddere, nec etiam strictè posset, ratione cooperationis ad peccatum compartis, nisi proportionata de causa (3).

230. vel post matrimonium nuncupato,

b/ Quod attinet castitatis votum *matrimonio succedens:* votum *privatum,* i. e. extra religionem emissum, in quantum a comparte non irritatur votum ejusve obligatio suspenditur, pariter privat partem voto ligatam *licentia petendi debitum.*

Dicitur: votum *privatum,* quia non potest votum (sive sollemne sive simplex) valide emitti *in religione,* cum ad novitiatum, qui ad validam professionem praerequiritur (c. 572), validè admitti nequeant conjuges, durante conjugio (can. 542, coll. infrà, n. 335); potest quidem obtineri dispensatio, sed, secluso casu matrimonii non consummati quod per votum sollemne dissolveretur (infrà, n. 335), dispensatio non concedetur nisi sub conditione et cum cautela efficaciter excludente omnem usum conjugii (infrà, n. 266, coll. n. 258) (4).

Dicitur: in quantum a comparte... Nimirum

α/ Quod spectat *obligationis suspensionem:* vi can. 1312, § 2, si conjux, durante matrimonio, votum castitatis emiserit, potest altera

(1) Ita si ipsa compars esset adulterata; vel si compars renuntiaverit juri suo, quae renuntiatio — quod nota — per se non necessario continetur in consensu quem praestitit in votum a parte vovente emittendum.

(2) Cf. DIGNANT, *De Virtute Religionis,* Brugis, 1921, n. 185; LEHMKUHL, o. c., I, n. 457, coll. tamen II, n. 846; S. ALPH., n. 225. l. III, collato etiam l. VI, n. 930.

(3) Talis causa facilè obtinet in uxore, cui saepe grave erit semper petere debitum.

(4) Caeterum, ad normam can. 592, religiosi tenentur obligatione qua tenentur clerici, ad majores ordines promoti, de qua can. 139, § 1, adeoque servandae castitatis obligatione. Cf. infrà, n. 576 s.

pars, utpote potestatem habens in voti materiam, voti obligationem suspendere (1), in quantum et quamdiu voti adimplementum ipsi praejudicium afferat; potest igitur efficere ut pars vovens licite reddat vel et etiam, ut videtur, debitum petat, cum praejudicium ex eo referatur quod ipsa debitum semper debeat petere, praesertim si pars non vovens est uxor.

Excipe si compars in votum consenserit vel a jure suo (puta per adulterium) fuerit decisa, aut juri suo renuntiaverit, ita ut jam cessaverit habere potestatem in voti materiam: quo altero casu omnis parti voventi *interdicitur* usus matrimonii, non tantùm ad petendum debitum, sed etiam ad reddendum (supponitur enim compars non habere jus exigendi redditionem); potest tamen pars vovens conservasse expeditum *jus,* attentis scil. modò dictis, necnon dictis sub n. 220.

β/ Quod spectat *voti irritationem:* sunt qui marito agnoscunt potestatem dominativam in voluntatem uxoris, ad modum potestatis patris in filios minorennes, adeoque potestatem irritandi, seu penitus auferendi votum castitatis ab uxore in matrimonio forte emissum. — Quae potestas valde dubia censetur; ejus tamen probabilitatem admittit VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 233.

Corollarium. Quod valet de debito stricte dicto seu de copula, valet de omnibus actibus venereis *non consummatis,* ad copulam ordinatis: pars vovens, positis ponendis, non potest illos licitè petere sed jure petit, ac eos reddere potest et debet comparti jure exigenti; compars autem libera potest ac debet dictos actus reddere parti voventi, jure petendi aliunde non privatae.

231. salva dispensatione.

Nota. a/ Amissa licentia petendi debitum potest ab auctoritate ecclesiastica *restitui* (2).

Nimirum, praeter S. Sedem, dispensare potest, *in ordine ad petendum debitum, α/ Ordinarius:* ex potestate *ordinaria:* super voto castitatis non reservato (3), *pro utroque foro,* ita disponente can. 1313,

---

(1) Dicitur: obligationem suspendere; haec enim terminologia adoptatur in can. 1312 § 2, quatenus actio, quae solebat vocari irritatio indirecta, nunc dicatur voti suspensio.

(2) Restitutio illius licentiae (vel, uti passim minus accuratè dicitur, juris petendi debitum) amissae ex voto, vocatur etiam dispensatio voti secundum quid, unicè scil. in ordine ad debitum petendum.

(3) *Reservatur* S. Sedi votum castitatis: a/ *privatum,* i. e. extra Congregationem religiosam emissum, si fuerit perfectae ac perpetuae castitatis, et emissum absolutè ac post completum decimum octavum annum (can. 1309); b/ *publicum,* i. e. in Congregatione religiosa aut in susceptione Ordinis emissum, etiam temporaneum. — In alium sensum cf. *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 491 (coll. p. 375), ubi sustinetur thesis contraria, non reservari scil. votum temporaneè emissum in Congregatione religiosa *juris dioecesani;* immerito autem provocat ad can. 638 et 640, § 1, n. 2, quatenus, vi prioris canonis, possit Ordinarius indultum saecularisationis dare in hujusmodi religionibus juris dioecesani, vi autem can. 640, saecularisatus liberatur a votis.

n. 1; item super voto castitatis reservato, in casu urgente, vi can. 81, coll. can. 1045, § 1; ex potestate *delegata:* dispensare potest *pro utroque foro,* vi indulti S. C. de Sacr. (infrà, n. 770), super voto reservato, etiam in congregatione religiosa simpliciter emisso (excepto voto scholasticorum Soc. Jesu) (1); ac valet, vi Pagellae S. Poenitentiariae, per se vel per delegatum dispensare, *pro foro interno,* super voto pariter reservato, « cum transgressore voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim (non in congregatione religiosa), post completum XVIII aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum matrimonii usum, quam si conjugi supervixerit » (2); β/ *Superior* religionis clericalis exemptae: super voto non reservato, *pro utroque foro,* vi can. 1313, n. 2 (3); γ/ *simplices sacerdotes* ab Ordinario delegati (4) vel subdelegati (5), vel etiam aliàs, vi can. 1045, § 3, in casu urgente, deficiente tempore ad Ordinarium recurrendi.

b/ Ubi matrimonium absque dispensatione est initum ab habente votum castitatis, saepe opportunum est illum relinquere in bona fide circa prohibitionem debitum petendi, donec impetrata fuerit dispen-

---

(1) Quod spectat usum potestatis, in concursu multiplicis potestatis ex diverso fonte orientis, cf. infrà, n. 785^{b1s}.

(2) Ita tenor indulti Ordinarii Metensis, 13 Febr. 1920, apud *Rev. eccl. de Metz,* 1920, p. 105 ss., necnon indulti Ordinarii Friburgensis, 17 Dec. 1918, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1919, p. 122 ss. Idem indultum accepit Ordinarius Brugensis, die 16 Sept. 1922, ad quinquennium, cujus indulti tenor refertur ad calcem Tractatus. Caeterum facultates S. Poenitentiariae pro foro interno olim concessae, non sunt per decr. S. Congr. Consist., 25 Aprilis 1918 (A. A. S., 1918, p. 190), abrogatae, uti expresse providetur ad 3^{m}.

(3) Illam potestatem agnoscebant non pauci Auctores omnibus sacerdotibus religiosis. Cf. infrà n. 796, ubi de potestate dispensandi super impedimentis, coll. *De Religiosis-Periodica,* V, p. (37); *Theol. u. Glaube,* 1912, p. 32 ss.

Rev. Bened., 1920, p. 196, opinatur illud privilegium religiosis hucusque agnitum adhuc sustineri, utpote non expresse revocatum a Codice. Opponitur quod, can. 1313, solos memorando superiores religionis clericalis, alios excludere censetur. Religio clericalis dicitur in qua plerique sodales sacerdotio augentur (can. 488, n. 4).

(4) In dioecesi Brugensi, delegantur ad *commutando-dispensandum* in foro sacramentali, super votis *non reservatis,* Decani necnon confessarii missionis et confessarii communes, in diebus in quibus, juxta *Libellum de Casibus reservatis,* p. 22, sub B, n. 2, 3 et 4, gaudent facultate absolvendi a reservatis episcopalibus. Cf. infrà, n. 798.

(5) Ab Episcopo Brugensi subdelegantur canonicus Poenitentiarius et Decani ad dispensandum, in foro sacramentali, « ad petendum debitum conjugale, cum transgressore voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim post completum XVIII aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si conjugi supervixerit ». Ita in Congr. Prosyn. anni 1923.

Quod spectat *formulam* adhibendam in dispensando vel dispensando-commutando (vi prioris facultatis), sequens adhiberi potest: post exceptam scil. confessionem et absolutionem a censuris, sed ante elargitam absolutionem sacramentalem, dicatur: « Insuper auctoritate apostolica mihi specialiter subdelegata (vel ex potestate episcopali mihi specialiter delegata), super voto castitatis quod emisisti, ad hoc ut debitum conjugale licitè exigere possis, tecum dispenso. In nomine P. et F. et Spir. S. ».

Ubi autem in casu dispensatur simpliciter, mitius potest procedere confessarius, pro *poenitentia* imponenda, ac in casu quo commutando dispensatur.

satio seu restitutio licentiae amissae. Idem valet, proportione servata, de casu quo imprudenter emissum est votum post matrimonium.

232. Quid de aliis votis.

c/ Quoad *reliqua vota vitae perfectioris,* si ipsis spretis matrimonium est initum illicitè: votum *virginitatis* (1) efficit ut pars voto ligata non possit licite petere debitum *ante consummationem,* dum altera pars licitè et jure petit; matrimonio autem consummato, jam ad nihil obligat, cum ejusdem observatio impossibilis evaserit. Ratione voti *coelibatus* ad nihil tenetur conjux, cum votum jam observari nequeat. Vota *Religionis* ingrediendae aut *ordines* suscipiendi practice jam non obligant, cum, attentis dictis sub n. 230 et dicendis sub n. 258 et 335, invalidè profiteretur conjux, durante matrimonio, et illicite susciperet ordines, nec ad dispensationem recurrere teneatur: sublata autem obligatione principali suscipiendi ordines, aufertur obligatio secundaria et consequens servandi castitatem.

Observa tamen, ubi dicuntur vota ad nihil jam obligare, id intelligi *respectu praesentis matrimonii:* soluto enim conjugio, sponte reviviscunt, solo excepto voto virginitatis. Aliis verbis, vota haec tria, coelibatus, ordinis et religionis, per initum matrimonium, non cessant, sed suspenduntur dumtaxat, quousque manet vinculum matrimoniale contractum (2). Cf. infrà, n. 490.

d/ Juvat animadvertere variam conjugis juridicam conditionem quoad usum matrimonii, in casu adulterii et voti castitatis. Per *adulterium* nempe amittit *jus* expeditum, et non licentiam petendi, seu potest licitè rogare sed non valet in rigore juris exigere debitum ad illudque cogere compartem; per *votum* privatur *licentia* et non jure (excepto scil. casu quo voti emissio importat renuntiationem juri), ita ut non possit licitè petere sed valeat rigorosè exigere. Olim, per affinitatem supervenientem amittebatur *jus* simul *et licentia.* Cf. statim infrà.

Scholion 1. De affinitate superveniente.

233. Disciplina abrogata circa affinitatem supervenientem.

Hucusque in poenam statuebatur ab Ecclesia prohibitio petendi debitum contra conjugem qui, per copulam incestuosam cum persona comparti consanguinea in 1° vel 2° gradu (3), contraxerat *affinitatem illicitam supervenientem* (4): quam poenam incurrens conjux nec jure nec licitè petebat debitum, sed poterat ac imo debebat illud reddere.

(1) Distinctionem inter vota coelibatus, virginitatis et castitatis etc., videsis apud ZITELLI, o. c., p. 98; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., p. 326 et 330, in nota. Nimirum « objectum voti *castitatis* est abstinentia ab omni delectatione venerea... sive externa, sive interna, sive licita... sive illicita; voti *virginitatis:* abstinentia a primo opere carnali consummato; *coelibatus:* abstinentia ab ineundo conjugio; *suscipiendi ordines:* susceptio sacri ordinis subdiaconatus; *ingrediendi Religionem:* ingressio Ordinis religiosi stricte dicti, scil. cum votis sollemnibus », vel et congregationis religiosae.

(2) Etiam reviviscunt vota ordinis et religionis, separatione conjugum definitiva interveniente, licet vinculum non solvatur. Ad reviviscentiam autem voti coelibatus, supponitur hoc votum absolutum et perpetuum.

(3) C. 1, 4, 6, 10, 11, X, IV, 13. Quod autem limitabatur ad affinitatem in 1° et 2° gradu, eruitur ex eo quod Conc. Trid., Sess. XXIV, c. 4, ad illos gradus restrinxerit, pro affinitate *illicita,* vim dirimendi matrimonium contrahendum, quae limitatio merito applicatur affinitati illicitae supervenienti, quoad vim auferendi licentiam petendi debitum, licet contradicat PILLET, *Dictionnaire de Théologie* v° *Affinité.*

(4) *Jure antiquo,* uti apparet ex vestigiis relictis apud *Comp.* I, c. 2 et 4, IV, 13 (coll. c. 8, X, IV, 13), *separandi* erant conjuges in casu incestus ab alterutro, saltem publicè, admissi; imo, in quibusdam locis, parti innocenti abusivè permissum fuit novum matrimonium, etiam vivente priori conjuge. Cf. Conc. Vermeriense, de quo infrà, n. 365; item, apud BURCHARDUM WORMACIENSEM, *Decretum,* l. XVII, c. 10 et

A poena incurrenda excusabat ignorantia legis, ac etiam, probabilius, solius poenae; semel autem incursa poena auferri poterat per dispensationem, auctoritative restituta licentia petendi debitum.

Jam nunc, sub nova disciplina, abrogata affinitate illicita (1), eo ipso cadit poena olim ipsi adnexa; caeterum abrogata censetur, vi can. 6, n. 5, ipsa poena.

Scholion II. De Cognatione spirituali superveniente.

234. Quid olim effecerit superveniens cognatio spiritualis.

Juxta antiquam disciplinam, ab invicem quoad torum et cohabitationem separandi erant conjuges, in matrimonio contrahentes *spiritualem cognationem* (2), quemadmodum olim statutum fuisse vidimus in casu supervenientis affinitatis; ac pariter parti impedimentum contrahenti absolute interdicebatur novum matrimonium, etiam soluto priore (3).

Deinceps moderatum est ac mitigatum pristinum jus:

a/ Separatio non fuit amplius praescripta casu quo *ignoranter* fuit contracta cognatio (4); neque ubi *in necessitate* fuit baptisma collatum (5); neque etiam, saltem probabilius, ubi cognatio *malitiosè* fuit contracta eo fine ut compars usu matrimonii privaretur (6);

b/ recessit a jure poena privans partem, cujus culpa impedimentum erat inductum, facultate ineundi unquam novum matrimonium, soluto priore;

c/ separatio, si non ex juris dispositione (7), saltem ex interpretatione Auctorum, restricta est, ad analogiam cum casu incestus, ad poenam privationis licentiae debitum petendi, pro conjuge cognationem contrahente, salvo jure petendi apud compartem innocentem, ac salva mutua cohabitatione.

Quibus attentis moderationibus inductis, descriptae poenalitati raro locus adhuc erat in praxi, licet, abstractè et theoreticè loquendo, ejus

---

11 (*Migne*, P. L., t. 140, col. 921). Hoc profectò non fuit admissum in jure communi, a quo interdicebatur utrique conjugi ab invicem separato novum conjugium, stante priore vinculo, ac imo parti noxiae erat prohibitum, absque clausula irritante, novum futurum matrimonium, etiam post mortem prioris compartis.

Postea, in gratiam partis innocentis concessa est cohabitatio cum conjuge incestuoso, huic permisso usu matrimonii, in quantum id exigebat pars innoxia.

Poena autem urgens conjugem delinquentem ab omni futuro matrimonio abstinendi, etiam post solutionem prioris vinculi, adhuc inserta reperitur in jure Decretalium (c. 1, 2, 8, X, IV, 13), sed in desuetudinem abierat. Et ita non amplius injungebatur a S. Sede, dispensante super petendo debito, clausula de non transeundo ad novas nuptias, quam clausulam diu consueverant SS. Romanae Congregationes in rescriptis suis inserere contra partem incestuosam.

(1) Affinitas, juxta canonem 97, § 1, non jam contrahitur copula, sed matrimonio; adeoque non est amplius locus affinitati illicitae.

(2) C. 2, Causa XXX, qu. I. Cognatio a conjuge contrahebatur prolem compartis baptizando vel suscipiendo in Baptismate aut Confirmatione.

(3) *Ibidem*, et c. 5 h. qu. Cf. infrà, n. 476.

(4) L. c., c. 6; et c. 2, X, IV, 11.

(5) C. 7, C. XXX, 1.

(6) C. 4 et 5, C. XXX, 1, et maximè c. 2, X, IV, 11: « Ideoque nobis videtur, ait Alex. III, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint (vir vel mulier contraxerint cognationem), non sunt ab invicem separandi, nec alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: quia, si ex ignorantia factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus ». Cf. SCHMALZGRUEBER, o. c., ad h. l., n. 46 ss.; FEYE, *De Imp.*, n. 426 s.; WERNZ, o. c., IV, n. 498, signanter nota 81 et 85; SANTI, o. c., ad h. l.

(7) Omnes textus *Decreti*, in Causa XXX, loquuntur de *separatione* imponenda conjugibus; similiter decretalis Alex. III, modo relata. *Rituale Romanum*, Tit. II, cap. 1, n. 14, non dicit cognationem privare jure petendi, sed usum matrimonii simpliciter impedire, licet non dicat separationem instituendam.

existentia, sub descripta disciplina, non videatur neganda (1), uti plures eam negabant (2).

d/ In nova tandem disciplina Codicis, cognatio spiritualis, ad normam can. 768, jam non contrahitur a baptizante vel patrino nisi cum ipsa prole baptizata, adeo ut conjux baptizans vel suscipiens propriam prolem jam non contrahat cognationem cum comparte.

Unde jam vix aut ne vix quidem foret attendenda poenalitas illa antiqua, etiam in hypothesi quod servaretur in jure, et non esset, attento canone 6, n. 5, pro abrogata habenda. Cf. modò suprà, n. 233 (3).

235. Causae conjuges a reddendo debito excusantes.

PRINCIPIUM TERTIUM. *Ubi aliunde expeditum jus adest ac liceitas, penes unam partem, petendi debitum, possunt praesto esse, penes alteram, causae ab exequenda justitiae obligatione reddendi excusantes.*

Hujusmodi causae practice reducuntur ad **nocumentum** aut incommodum *proprium* (4), ex ipsa copula vel ex partu oriundum. Intenditur autem nocumentum *grave:* in cujus nocumenti gravitate dijudicanda ratio est habenda personarum et adjunctorum, atque praesertim attendendum gravius nocumentum requiri ad debitum absolutè denegandum quam ad ejusdem redditionem differendam aut restringendam.

Ita *debilitas uxoris* potest esse pro ipsa ratio ad redditionis dilationem, vel ad eam denegandam adeo frequentem qualis a viro expetitur. Ipsa etiam *immoderata frequentia* in debito petendo potest esse ratio excusans uxorem etiam bene valentem, ut interdum debitum reddere detrectet (5). Pariter non videtur uxori deesse motivum

---

(1) Ita FEYE, o. c., n. 476; LEITNER, o. c., p. 238; THEOL. MECHL., o. c., p. 132; HEINER, o. c., ed. 6ª, p. 98 s.

(2) Ita SCHERER, o. c., p. 320; SCHNITZER, o. c., p. 428; SCHEICHER-BINDERS, o. c., p. 101; DE BECKER, o. c., p. 224 s.; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., p. 176; WERNZ, o. c., IV, 2, p. 373 (n. 498).

Videntur supponere laudati AA. quod semper vel erat casus necessitatis, vel casus ignorantiae aut malitiae, quodque adeo non dabatur locus incurrendae poenae amissi juris debitum petendi. Quod admitti posset si *malitia* est sumenda in sensu malae fidei universim; sed ex contextu restringitur malitia ad hypothesim conjugis agentis restrictive *in fraudem compartis.*

(3) Ad hoc ut reperiri possit aliqua applicatio possibilis poenalitatis, excogitanda foret hypothesis matrimonii initi inter cultu dispares, et baptismi a parte fideli collati comparti.

(4)De nocumento scil. tertiae personae imminente, vidimus, sub n. 226, illud facilius posse usum matrimonii reddere illicitum.

(5) Id tamen rarò continget, cum aegre determinetur norma, quam variam proponunt varii Auctores, quaeque variatur pro diversa corporum complexione. Porro non displicet regula quam suggerit *Die Ehe,* p. 119, quatenus, infra aetatem 50 annorum, passim non noceat sanitati copula bis repetita in hebdomada; ultra 50 annos, restringatur usus matrimonii et vix non abstineatur ab illo inde ab aetate 60 annorum. Caeterum, uti ibidem notatur, p. 118, experientia docet quaenam frequentia unicuique individuè conveniat, prouti quis experiatur copulam corpori esse in refocillationem vel potius in fatigationem. Cf. etiam NYSTRÖM, o. c., p. 122 ss.; BAUR, o. c., p. 89 s., ubi pro norma concedit, initio vitae conjugalis, ut singulo altero die coeant nupti. *Instr. pro confessariis* (Coloniensis), p. 28, proponit normam a Noldin insinuatam, quatenus passim « usus matrimonii, qui fiat bis in hebdomada, non nocet, et, si conjuges sint valentes firmaeque constitutionis, etiam ter quaterve eo uti possunt ». Cf. etiam VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 41. Ex sua parte, severius circa copulae frequentiam judicat Prof. Dr Daels, ubi scribit: « Dagelijksch geslachtsver-

procrastinandi copulam expostulatam a viro *in ebrietate* versante, licet rationis usum non amiserit; meritò nempe grave haberetur onus hujusmodi pro muliere honesta, eo vel magis quod gravamini facilè accedat fundatus timor ne ebriosus ille status mariti noceat proli ex tali coitu forte concipiendae (1).

Quodsi nunc quaeratur quodnam nocumentum uxoris possit pro ipsa haberi uti sufficiens ad *absolutè denegandum debitum:* respondetur hujusmodi nocumentum et incommodum esse in *proximo periculo morbum contrahendi contagiosum,* puta syphilim (2), per contagionis periodum (3), vel phtysim, pulmone jam in corruptionem abeunte (4), vel lepram (5); item in extraordinario periculo quod, experientia teste vel de prudentis medici judicio, timetur *ex partu* (6).

Contrà pericula ordinaria, dolores et molestiae, quae praegnantiam

---

keer is geslachtelijke ontaarding. De gezondheidsleer vraagt dat hier voorzichtig gehandeld worde evenzeer in het belang van onze eigen gezondheid en het bewaren van onze lichaams- en geesteskrachten, als in het belang van ons kroost. Het *minste* dat moet geeischt worden is, dat een reeks dagen verloopen tusschen iedere geslachtsgemeenschap, in elk geval meer dan eene week ». *Voor moeder en zuigeling,* blz. 26.

(1) Cf. GREIDANUS, *Geneeskundig onderzoek,* p. 13.

(2) Circa *syphilim* ejusque naturam et originem, symptomata, evolutionis stadia ejusque triplicem periodum, cf. DAELS, *Voor onze jongens,* Leiden, 1918, blz. 41-61; KNOCH, apud *Rev. eccl. de Liége,* VIII, p. 383-390. Cf. etiam *Rev. clergé fr.,* t. LXXI (1912), p. 513 ss., ubi notatur hanc luem multum propagari inter milites: « En cinq ans, de 1902 à 1906, l'armée allemande compta 51.093 vénériens, dont 14 °/° de décès, contre 67.570, dont 21 °/° de décès, chiffres de l'armée française de l'intérieur ».

(3) Cf. KNOCH, l. c., p. 390 s. et 395, ubi disserit de contagionis periculo, quod docet imminere infra periodum, uti aiunt, primariam et maximè secundariam per trium annorum ad minus spatium, ita ut practicè non cesset ex integro ante quinque annos revolutos. Caeterum non est cogendus conjux ad reddendum debitum comparti hoc morbo infectae, antequam medici testimonio de periculi absentia constet. Juxta Drem DAELS, *Voor onze jongens,* p. 61, non est permittendum matrimonium nec usus matrimonii ante quartum annum inde ab incaepto morbo revolutum, et ea posita conditione ut inde a duobus annis immunis sit ab omni morbi symptomate. Cf. etiam VERMEERSCH, *De Cast.,* n. 48.

Notetur hîc, juxta *Th. Pr. Quartalschr.,* 1910, p. 853 ss., coram jure Germanico, medicum non adstringi secreto professionali erga compartem conjugis malè affecti, quatenus scil., quotiescumque urgens habetur periculum contagionis, de hoc monere possit illam compartem. Cf. SALSMANS, *Geneesk. plichtenl.,* n 105 et 106, coll. infrà, n. 699, ac suprà, n. 68.

(4) Notetur tamen periculum ob phtysim magis oriri ex cohabitatione et lecti consortio quam ex copula.

(5) Curiosum est notare quanta severitate olim judicaretur de causis a reddendo debito deobligantibus, ut videre est in decretali Alexandri III, c. 2, X, IV, 8: ibi nempe decrevit quod « si virum sive uxorem *leprosum* fieri contigerit, et infirmus a sano carnale debitum exigat, generali praecepto Apostoli, quod exigitur est solvendum; cui praecepto nulla in hoc casu exceptio invenitur ». Cf. etiam ESMEIN, o. c., II, p. 12 s.

Idem docet S. THOMAS, *Suppl.,* qu. 64, art. 1, ad 4m, ubi apparet S. Doctoris sententiam niti in falso conceptu, quatenus putabat contagionem ex lepra non esse ex coitu, sed ex cohabitatione, ad quam dicit non teneri compartem.

(6) Principium juxta quod conjux a reddendo debito excusatur ob grave periculum in sanitate, egregie proponitur a S. THOMA, *Suppl.,* qu. 64, art. 1, in corpore, et ad 2m: « Hic est ordo naturalis, ait, ut prius aliquid in seipso perficiatur, et postmodum alteri de perfectione sua communicet; et hic est etiam ordo charitatis quae naturam perficit. Et ita, cum uxor in virum potestatem non habeat, nisi quantum ad generativam virtutem, non autem ad ea quae sunt de conservatione individui ordinata, vir tenetur uxori debitum reddere, in his quae ad generationem prolis spectant, *salva tamen prius incolumitate* », et vice versa.

et partum comitantur et consequuntur, non possunt invocari ut debitum denegetur. Frustrà etiam praetextaretur multitudo prolium, nisi forsitan magna egestas immineat, praesertim si agatur de uxore respectu viri omnem prolium curam abjicientis (1).

236. Notanda.

Nota 1° Ubi adest causa a reddendo excusans, ita ut *ex justitia* non teneatur conjux ad copiam praestandam corporis, potest, supposita peragendae copulae liceitate, *ex charitate* ad debiti redditionem obligari, uti sub n. 218 monuimus, notatim ad vitandum apud compartem periculum incontinentiae.

Prudenter igitur sese gerat confessarius ne incautè excuset conjugem ab omni obligatione, ubi sola deficit obligatio *justitiae*. Caeterum, etiam ubi deest *quaevis obligatio*, prudenter silebit nonnunquam vel et suadebit reddendum debitum, quando secus praevidentur graviora mala; aliàs laudandus foret conjux qui, non obstante causa excusante, sponte consentit in debiti redditionem (2).

2° Ubi jure exigitur debitum et deficit causa àb obligatione reddendi excusans, possunt tales adesse circumstantiae, quarum intuitu, in gratiam compartis, ab exigendo debito *convenienter* abstineant conjuges. Ita summoperè *convenit* ut maritus non urgeat jus suum, quousque illud urgere valet, sed ut, variis in circumstantiis, moderate agat cum uxore eique amanter morem gerat, potissimum quando mulier minus valet, vel tempore praegnantiae aut puerperii (3), necnon fluxus menstrui (4): hoc suadet amor quo vir diligere debet uxorem, idque natum est adaugere amorem uxoris in ipsum. Cf. infrà, n. 698, cum ll. cc.

Scholion I. DE USU MATRIMONII DUBIE VALIDI.

237. De usu matrimonii dubie validi,

In casu matrimonii dubiè validi, inquirendum est circa dubium, interea abstinendo a debiti petitione non autem a redditione; dubio probabili perseverante, regulariter licet matrimonio uti, petendo et reddendo debitum.

(1) Hanc causam egestatis ex crescente prolium numero imminentis uti probabiliter sufficientem admittit CAPPELLO, o. c., n. 811, modò ab utroque conjuge excludatur incontinentiae periculum; meritò autem addit: « practicè tamen, quia tale periculum vix aberit, sunt potius hortandi (conjuges) ut matrimonio utantur, divinae Providentiae sese committentes, quae nunquam deerit ».

(2) Ita in casu periculi contrahendi contagionem ex redditione debiti: quo casu videtur ipsi non esse illicitum adhibere remedia prophylactica ad removendum, aut saltem minuendum, contagionis periculum, puta injectiones peragendas, licet hae injectiones, simul ac destinantur ad delenda morbi semina, etiam occisivae existant pro spermatozoidis: habemus scil. hîc causam cum duplici effectu aeque immediato, uno bono, altero malo, ita ut solus bonus effectus intendatur.

(3) Optandum est, seposito instanti periculo incontinentiae, ad parcendum uxori et proli conceptae, ut vir non exigat concubitum per tres menses partúi praevios. Pariter bona esset conjugibus abstinentia a sexuali congressu per sex hebdomadas inde a partu. Cf. suprà, n. 226.

(4) Seponitur utique casus quo a medico suadetur copula tempore profluvii instituenda, in ordine ad foecundationem securius obtinendam.

Nimirum

1° Illicita est *petitio* debiti, ex parte conjugis dubitantis, antequam dubium circa matrimonii valorem excutiatur, quia nemo potest temere et inconsideranter sese exponere periculo fornicandi; potest autem conjux ac debet *reddere,* quia secus se exponeret periculo laedendi jus compartis, nisi etiam haec altera pars in dubio versetur aut jure suo privata existat (1);

2° Si, inquisitione facta, *dubium probabile perseverat,* nec per dispensationem ad cautelam et convalidationem matrimonii removeri potest, jam licet *regulariter* conjugibus, favore probabilitatis, uti conjugio, etiam debitum petendo, quia agitur de mera liceitate actus, adeoque regulariter nihil obstat quominus a probabilitate speculativa transitus fiat ad practicam. Quae norma eo vel magis valet quod, juxta can. 1014, standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur (infrà, n. 472bis et n. 719).

Dicitur: *regulariter,* quia locus est triplici huic exceptioni (2): a/ quando nempe dubium est publicum nec absque scandali periculo potest cohabitatio continuari (3); b/ quando dubium oritur circa antecedentiam vel perpetuitatem impotentiae, supposita impotentiae hic et nunc existentis certitudine: si nimirum certò datur impotentia perpetua, dubiè antecedens, omnis usus matrimonii interdicitur, non obstante dubio circa matrimonii validitatem; si vero certò occurrit impotentia, saltem temporanea, dubiè perpetua, prohibetur exercitium ipsius copulae, non autem actuum inconsummatorum (4); c/ quando dubium de valore oritur ex dubio circa existentiam *anterioris* vinculi, saltem si certo superstes est prior conjux et dubium versatur circa solam validitatem anterioris matrimonii: quo tertio casu ratio est habenda probabilis juris prioris conjugis superstitis: Et quidem

238. mala fide, α/ si *ambo* conjuges contraxerunt *mala fide,* conscii scil. dubii circa praevium matrimonium, non possunt petere nec reddere debitum, ac separandi sunt: praevalet enim, propter eorum malam fidem, jus probabile conjugis viventis juri praesentium conjugum.

vel bona fide contracti. β/ si *uterque bona fide* contraxit, non est ipsis interdicendus usus conjugii, quia, attenta eorum bona fide, censetur jus ipsorum praevalere juri probabili prioris conjugis.

γ/ si *una* pars *bona fide* contraxit, *altera* autem *mala fide,* prior potest petere debitum et altera non, uti patet ex ratione modò allata;

---

(1) Cap. 44, V, X, 39.

(2) A regula sub 2° posita non excipitur casus quo conjuges aut alteruter eorum, non obstante dubio, mala fide contraxerunt matrimonium. Cf. infrà, n. 470-472.

(3) Cf. exemplum infrà, n. 608.

(4) Cf. suprà, n. 211, coll. n. 208bis, et infrà, n. 558, sub B, 2°.

potest tamen haec altera pars et debet reddere, cum jus praesentis compartis praevaleat juri anterioris conjugis.

Dictum est: saltem si..., quia, si dubium afficit, non quidem prioris matrimonii validitatem, sed prioris conjugis vitam superstitem, sunt qui usum matrimonii universim permittunt (1). Videtur tamen eadem solutio tenenda quae modò est proposita (2).

Nota. In supposito quod, matrimonio contracto, innotescat alterutri conjugi existentia impedimenti dirimentis non dispensati, quam existentiam ignorat altera pars, quin possit, absque gravissima compartis infamatione, circa illam existentiam moneri: si illico urget ineluctabilis necessitas, pro parte conscia, debitum reddendi, deficiente tempore matrimonium convalidandi, videtur quod posset debitum reddere, saltem si agatur de impedimento in quo solet ab Ecclesia dispensari: praesumitur namque Ecclesia in casu non urgere suum impedimentum. Ad cautelam tamen procuranda foret postea matrimonii convalidatio. Cf. infrà, n. 837 s., et n. 469.

Scholion II. DE ONANISMO.

Infrà, sub fine Partis 2ae hujus libri, n. 675 ss., ex professo agetur de officio parochi et confessarii in instruendis nupturientibus et nuptis circa usum et abusum matrimonii. Attamen opportunum duximus quaedam peculiariter notanda proponere circa *onanismum:* inter peccata namque conjugum, in usu matrimonii a propositis normis deflectentium, non datur gravius, nec eheu! frequentius.

I. Notio.

239. Onanismi notio,

Diversimodè intelligitur *onanismus:*

1° *Stricte dictus,* nempe copula habita in vase debito *cum retractu completo* ante seminationem, semine effuso extra vas. Nomen habet ab *Onan,* filio Judae, qui, *Gen.,* XXXVIII, 9-10, legitur illud crimen commisisse (3).

variae speciei,

2° *Late dictus,* scilicet copula habita in vase debito, quae perficitur *absque retractu,* sed adhibito vario artificio ut foecundatio

(1) Ita VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 235, sub 4, coll. n. 237, ubi agit de dubio prioris speciei.

(2) In eumdem sensum solvit *Instr.,* S. C. de P. F., anni 1792: «Si qui jam nova conjugia contraxerunt, et quidem in bona fide existimantes se per interitum conjugis a priori conjugii vinculo absolutos, relinquendi sunt in bona fide... Si eorum alter dubius et anceps est, reddere quidem debitum potest, non autem petere. Si denique uterque mala fide contraxit, jam sunt omnino separandi». *Collectanea,* n. 1366. Item C. S. O., 22 Martii 1865, *ibidem,* n. 1369. Cf. casum solutum apud SICA, o. c., p. 427 ss.; GENICOT-SALSMANS, *Casus conse.,* n. 1004 et 1005.

(3) Medici passim onanismum vocant, quod theologi masturbationem dicunt. Cf. GEMELLI, o. c., p. 70.

impediatur, nempe: a/ ope *pallioli,* uti vocatur, *anglici* (vulgò cap. angl. seu condom), quod consistit tenui quodam involucro quo induitur penis et intra quod semen recipitur; b/ ope *pessarii occlusivi,* « quo nomine intelligitur parvum instrumentum, quod in vagina mulieris introducitur prope os uteri et quo introitus seminis virilis in uterum praecluditur » (AERTNYS, *Fasciculus,* p. 88); c/ ope *pseudo-vaginae,* disposita scil. in vagina subtili membrana in quam semen emittitur quaeque post copulam cum semine excepto extrahitur; d/ ope *siphunculi* seu irrigatorii, quo immediate post copulam semen e vagina eluitur: quod artificium non raro gallicè nominant « moyen de propreté » (1); e/ ope pulveris cujusdam, *poudre anticonceptionnelle* nuncupati, quod in vaginam insufflatur ante coitum aut immediatè post copulam, ad delenda spermatozoida, aut ope pastillorum (pastilles) quae pariter in vagina introducuntur in eumdem finem, et ideo *spermathanaton* vocantur (2).

Nonnunquam *abusive* onanismi arguitur copula peracta cum retractu *incompleto,* ita ut semen non profundatur sed in anteriori parte vaginae deponatur. Hujusmodi copula non potest dici onanistica, cum vera copula instituatur, nec foecundatio impediatur. Quod idem valet de *copula dimidiata,* instituta scil. cum penetratione vaginae pro dimidia vel tertia parte. Utraque tamen praxis, ex eo quod foecundationi, si non impediatur, equidem noceatur eaque difficilior reddatur (3), sibi adnexam habet aliquam inordinationem,

(1) Circa *lotiones* post copulam haec notat GENICOT-SALSMANS, o. c., n. 549: « Ut hujusmodi lotiones, etiam cum mera aqua, fiant sine periculo expellendi seminis vel fetus concepti, plures medici requirunt duodecim horas post ultimam copulam; quod tempus omnino exigendum antequam fiant lotiones *uteri;* lotiones autem *vaginae* post quatuor horas fieri possunt sine culpa, utpote sine periculo expellendi omnis seminis, eae autem fetui concepto non nocent ». Post quae addit: « Parum vero ad semen expellendum confert quod mulier statim post copulam surgat vel mingat; quare, si quando paenitens se de talibus conatibus accuset, monenda est eos esse satis irritos, ac proinde, seclusa prava intentione, nihil graviter illiciti in hac agendi ratione reperiri ».

Cf. circa hanc quaestionem DAMEN, apud *Ned. kath. stemmen,* 1922, p. 45 ss., ubi notat post tres horas inde a peracta copula jam abesse omne periculum expellendi semen per lotiones vaginales; ibidem ostendit imminens ex illis lotionibus oriri periculum semen expellendi, si fiunt immediatè post copulam, eas tamen, seposita prava intentione malthusiana, licitas declarat in casu copulae coacte habitae cum viro syphilitico aut contagioso morbo infecto: quod ultimum assertum in dubium vocari posset.

(2) Cf. descriptionem praxium illarum apud FOREL, o. c., p. 469-474; cf. etiam KNOCH, *L'Onanisme conjugal et le Tribunal de la Pénitence,* apud *Rev. éccl. de Liége,* 1909, p. 349 ss.; VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 45.

(3) Cf. *Ned. kath. stemmen,* 1923, p. 199, ubi notatur huic thesi favere novissima scientiae genaecologicae experimenta. Nimirum, uti ibidem observatur juxta Dem Van Rooy, « recensioribus experimentis constat, spermatozoida nonnisi in secretionibus quae *alcalicè* reagunt vitam, agilitatem et foecundandi aptitudinem servare; in secretionibus vero *acidè* reagentibus statim pro magna parte agilitatem et vigorem, deinde brevi intervallo vitam ipsam amittere. Porro secretiones alcalicè reagentes habentur tantùm in collo uteri, quod cum fundo vaginae ita intimè connectitur, ut semen in fundo vaginae depositum statim per collum in uterum introeat. Secretiones autem quae in ipsa vagina inveniuntur acidè reagunt, et spermatozoidis quam maxime nocivae sunt ».

saltem venialem, nisi haec proportionata causa abstergatur et sic actio ipsa cohonestetur: aliis verbis non est actio intrinsecè mala, sed *malè sonans,* quatenus effectum malum inducat qui possit effectu bono aeque immediato compensari, puta in casu vaginismi, in quo incompleta penetratio potest reddere copulam possibilem aut minus dolorosam (1).

Praxis onanistica non rarò *Neo-Malthusianismi* nomine designatur, eo quod adulterata applicatio sit theoriae quam olim proposuit Malthus (1766-1834), in opere anno 1798 primum edito, « *Essay on the principle of population* (2). Nimirum Malthus, ut cohiberet propagationem generis humani, quam nimium exuberantem verebatur, suadebat continentiam conjugalem (moral restraint), signanter matrimonii procrastinationem, ad minuendum numerum prolium (3); eumdem autem finem prosequuntur onanismi fautores, conjuges inducendo, non ad abstinendum ab usu matrimonii, sed ad utendum matrimonio contra naturam (4).

II. **Malitia.**

240. *malitia.*

Essentialis inordinatio est in hoc quod onanismus directe contrariatur fini operis intento a Creatore, dirigente copulam ad finem procreandae et informandae prolis (suprà, n. 207 s.); inde inducit *peccatum luxuriae contra naturam,* eo quod copula in ipsa sua natura pervertitur, illudque admodùm grave, cum agatur de negotio summi momenti, in quo quasi in fundamento nititur integra res publica (5).

---

(1) Cf. *Ephem. theol. Lovan.,* 1924, p. 564 ss., coll. responso C. S. O., 22-23 Nov. 1922, de quo infrà, n. 245.

Quod spectat copulam *absque ulla penetratione* institutam, semine deposito *ad os vaginae,* probabiliter est intrinsecè inordinata (n. 157, n. 208bis et n. 550), adeoque sub gravi prohibetur, ubi alius congrediendi modus est possibilis, nec unquam permitti potest nisi quando aliter coiri nequit. Cf. declarationem Episcoporum Hollandiae, in expositis ad decr. anni 1922.

(2) Evolutionem malthusianismi ad neo-malthusianismum descriptam videsis apud BUREAU, *Indiscipline,* p. 140-150.

(3) Cf. CARD. MERCIER, *Lettre Pastorale,* p. 423 ss.; *Vie diocésaine-Documenta,* 1911, p. 191 ss.; VERMEERSCH, *La Peur de l'Enfant,* p. 11 s. et latius CASTELEIN, o. c., p. 601 ss.; *Le Mouvement de la population et le Malthusianisme;* GREIDANUS, *De Leer van Malthus;* NUYENS, *Malthusleer.* Hisce in locis refellitur argumentum, a Neo-Malthusianistis, post Malthus, invocatum, ex periculo nimiae prolificationis. Juxta *Malthus,* normaliter crescit populatio juxta proportionem geometricam (1, 2, 4, 8), dum subsistentiae adminicula crescunt juxta proportionem arithmeticam tantum (1, 2, 3, 4). Pro tempore praecedente Malthus, cf. VAN HOUTTE, *Avant Malthus,* apud *Mélanges Moeller,* Louvain, 1914, II, p. 420 ss.

(4) Multum etiam vulgata est denominatio: *prophylaxie anticonceptionnelle.* Cf. sub fine num. 248. In eumdem etiam finem tendit praxis non parum usurpata *ovariotomiae,* seu exsectionis ovariorum, vel *vasectomiae. Vasectomia* consistit, pro *viro,* in hoc quod, facta incisione per scrotum, vas deferens seu canale semen a testiculis elaboratum deferens ad vesiculas seminales, resecetur, et sic semini abrumpatur via ad ejaculationem; pro femina, *consistit* in resectione oviducti, seu canalis ab ovariis ducentis ad matricem et ovula matura deferentis: in femina peracta dicitur *oophorectomia.*. Cf. chirurgicam descriptionem Dris O'MALLEY, apud *Eccles. Review,* t. XLIV, p. 687 ss., coll. GEMELLI, apud *La Scuola cattolica,* XXI, p. 403 ss.; cf. etiam infrà, n. 560 ss. et n. 438 ss., necnon *Collat. Brugen.,* XVII, p. 534. Recentius in praxim etiam deducta est methodus virum vel mulierem sterilizandi ope radiorum, Röntgen dictorum. Cf. WILHELM, *Beseitigung,* p. 11 s.

(5) Hoc non applicatur praxi quam modò diximus abusive onanismum vocari, quae

Haec malitia est ipsi actui *intrinseca,* adeo ut nulla causa, quantumvis urgente, cohonestari valeat; nec eam malitiam aufert status conjugalis, cum vinculum conjugale legitimet quidem, uti vidimus, copulam inter conjuges admissam, sed eam solam quae per se ordinata existit ad finem generationis; ad hanc etiam solam copulam jus acquiritur ab uno conjuge erga compartem.

Huic essentiali inordinationi accedit *grave nocumentum* quod immineat conjugibus onanistis, imprimis uxori, tum ex eo quod ad organismi sexualis excitationem violenter subtrahatur naturale complementum, receptio nempe virilis seminis (1), tum ex laesione quae facilè consequitur applicationem variarum praxium onanisticarum, signanter pessarii occlusivi (2); potissimum lugenda apparet sequela in multiplicatione abortuum et fornicationum (3), necnon in decrescentia populationis apud gentes apud quas viget abominanda illa

---

non est *contra* naturam, siquidem generationem non impedit, sed *praeter* naturam, levem inducens inordinationem, levi ratione cohonestandam. — Est etiam distinctio facienda inter copulam onanisticam, quae in ipso actu pervertitur, illam scil. quae fit cum retractu, vel ope pallioli, pessarii aut pseudo-vaginae, et copulam quae in ipso actu non pervertitur nec a fine detorquetur, sed cui rite peractae succedit artificium, ad semen debito modo introductum expellendum vel sterilizandum; in hoc altero casu, artificium quidem dirigitur contra finem naturae, sed ipsa copula non est contra naturam (cf. suprà, n. 208bis); per hanc etiam copulam, secus ac per illam, consummatur matrimonium, uti notavimus sub n. 157.

(1) Cf. ESCHBACH, *Disputationes,* p. 573 s.; SURBLED, *La morale dans ses rapports...,* t. I, p. 192: « Les excitations répétées de l'uterus, sans conclusion naturelle, amènent les troubles les plus graves de cet organe (métrites, déviations, tumeurs, etc.). D'autre part, la vie purement sensuelle, privée de repos et de détente, ébranle à la longue le système nerveux de la femme et la conduit aux troubles variés de l'hystérie, et quelquefois au désastre de la folie ». Item DE VAY, *Traité spécial d'hygiène des familles,* Paris, 1858, p. 180 ss.; DESPLATS, o. c., p. 42 ss.; FERRERES, *De Vasectomia,* n. 39 ss.; PAYEN, o. c., n. 276.

Cf. PINKHOF, *Pro et Contra,* p. 25 ss., ubi enumerat varias disturbationes physiologicas et morales ex onanistica praxi sequi natas. Cf. etiam KOUWER, o. c., p. 18, ubi docet praxim onanisticam ut minimum esse anti-physiologicam, adeoque *merito timeri* quod sit novica, licet forsan id scientificè probari nequeat. NYSTRÖM, o. c., p. 167 et 281 nocivum fatetur onanismum strictè dictum, retractu peractum, id autem negat de onanismo ope pallioli alteriusve artificii instituto.

(2) Cf. Dr DAMEN, o. c., p. 113 s.; ubi contra *Treub* vindicat existentiam hujus periculi, non quidem ex ipsa pessarii applicatione, sed ex applicatione, qualis plerumque contingit, defectuosa. Cf. etiam VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 46.

(3) Experientia docente, abortus numero crescunt cum divulgatione doctrinae Neo-Malthusianae. Ita Leodii, in Belgio, ubi doctrina haec valde sparsa est, testatur Dr Dejace praegnantias pro tertia parte criminosè abrumpi; cf. *N. R. th.,* 1911, p. 601; LÉMOZIN, l. c., p. 783 s. Juxta Drem Lacassagne, professorem Universitatis Lugdunensis, numerantur abortus in Gallia circiter 500.000 (100.000 in sola civitate Parisiensi), et in pluribus civitatibus (signanter Lugduni) eorum numerus excedit numerum nativitatum. Connexio cum Neo-Malthusianismo in hoc esse apparet quod praxes anticonceptionales non rarò inefficaces sunt, ita ut equidem sequatur praegnantia, contra quam, ne proles nascatur, inducitur abortus. Cf. POURÉSSY, *Immoralité et Malthusianisme,* Bordeaux, p. 17 ss.; BUREAU, *Crise,* p. 33 s. et *Indiscipline,* p. 31 et 82; NUYENS, *Malthusleer,* p. 140-153. Multiplicantur etiam fornicationes, minuente timore impraegnationis. Cf. FORSTMANN EN AUSEMS, o. c., p. 59 ss.; PINKHOF, l. c.; GREIDANUS, *De leer van Malthus,* p. 26 ss.; KISELSTEIN, apud *Rev. eccl. de Liége,* XVII, p. 214 ss.

plaga (1), ac tandem in gravi detrimento quod inde accipiunt dignitas familiae ac moralitas publica (2).

Nefandam etiam illam praxim graviter reprehendit S. Scriptura (3), ac iteratò reprobavit S. Sedes (4).

241. Officium confessarii:

III. **Officium Confessarii** (5).

A. Officium **interrogandi.**

1° interrogare;

Si conjuges nihil confitentur circa peccata in usu conjugii ad-

(1) Cf. *Etudes Religieuses,* t. XCIII (1898), p. 111 ss.; *Réforme sociale,* t. XXXI (1896), p. 338 ss., quo altero loco refertur, in aliqua communitate Galliae, cui nomen La Parade, sequenti ratione constitui familias pro prolium numero: « La commune compte 170 ménages réguliers... et ces 170 ménages se décomposent ainsi: ménages sans enfants, 48; ménages ayant 1 enfant, 80; ayant 2 enfants, 18; ayant 3 enfants, 16; ayant 4 enfants, 6; ayant 5 enfants, 1; ayant 7 enfants, 1; ces 170 ménages ont 248 enfants, ce qui met la moyenne des enfants au-dessous de 2 par ménage »; infrà additur: « l'histoire démographique de La Parade est celle de la plupart des localités de la région (département de Lot-et-Garonne) ». Cf. etiam COPPENS, o. c., p. 100 ss.,apud quem reperies testimonia dictum vitium attestantia in America, saltem in familiis heterodoxis: « c'est un fait, la famille américaine qui a plus d'un ou deux enfants est une exception »; BUREAU, *Crise,* p. 53-63 et praesertim *Indiscipline,* p. 171 s., ac p. 177 ss.; DESPLATS, *De la Dépopulation par l'infécondité voulue,* Annales de la Société scientifique de Bruxelles, 1907-1908, Supplément. Tandem cf. Card. MERCIER, o. c., sub initio; KNOCH, *L'Onanisme,* l. c., p. 328-338; DE BIE, o. c., p. 129 ss.; LEMAIRE, *La Wallonie qui meurt,* Bruxelles, 1920, ubi variae statisticae exhibentur; PAQUET, l. c., p. 258 ss.; *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1912, p. 155 ss.; *Rev. prat. d'Apolog.* (1912), t. XIV, p. 623 ss.; LÉMOZIN, l. c., p. 771 ss., ubi nota, p. 778, testimonium Doctoris Labat circa infaustum influxum quem onanismus exercet in indolem moralem populi huic vitio addicti. — In *Gallia,* proportio natalitatis, anno 1910, descenderat ad 19,5 pro 1000 incolis et, anno 1913, ad 18.8; in periodo 1896-1905, pro 1000 uxoratis mulieribus inter 15 et 49 annos, non exstant nisi 134 proles; anno 1907 et 1911, numerus defunctorum excedebat, numero 19.920 et 34.869, numerum prolium natarum. In *Belgio,* proportio natalitatis, anno 1912, fuit 22,6 pro 1000 incolis, dum, anno 1880, erat 32; in periodo 1896-1905, exstant, pro 1000 mulieribus uxoratis, 213 proles; in provincia Namurcensi, proportio pro mille incolis, anno 1912, erat 19,2, in provincia de Hainaut dicta, 18,3 et in provincia Leodiensi, tantùm 17,3 et in ipsa civitate Leodiensi, 14,7. Circa natalitatis diminutionem in *Germania,* cf. KNOCH, *Der Geburtruchgang....* coll. *Stimmen der Zeit,* 1916, p. 174 ss., et 281 ss.

(2) Cf. PAYEN, o. c., n. 278.

(3) In S. Scriptura, Gen., XXXVIII, 6-10, ubi narratur quod Onan, « introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur », additur: « et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret »; ex textu tamen et contextu videtur reprehensio sacri Auctoris minus directè et minus formaliter afficere profusionem seminis, quam defraudationem, per hoc ab Onan intentam, legis leviratus. Cf. etiam verba S. AUGUSTINI, *De nuptiis et concupiscentia,* cap. XV, n. 17 (*Migne,* t. XLIV, col. 423 s.), coll. PETERS, o. c., p. 18 s.

(4) C. S. O., die 21 Maii 1851, ad 1^{m}, propositionem: « ob rationes honestas conjugibus uti licet matrimonio eo modo quo usus est Onan », declaravit esse « scandalosam, erroneam et juri naturali matrimonii contrariam ». Cf. etiam eamdem declarationem ad 2^{m}, apud *N. R. th.,* XVIII, p. 537. Ad quaestionem autem « an usus imperfectus matrimonii, sive onanistice sive condomistice fiat, prout in casu, sit licitus », respondit, die 19 Aprilis 1853: « Negative, est enim intrinsecè malus ».

Juvat etiam memorare dispositionem Decreti S. C. de Sacr., 7 maii 1923, ubi, in regula 11, providetur quod, in causa matrimonii rati non consummati, si constiterit matrimonium non fuisse consummatum ex praxi onanistica conjugum, « tunc orator vel uterque conjux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi causam non posse institui vel ad ulteriora produci ». Cf. infrà, n. 331.

(5) Quod attinet officium *parochi* in hac re, remittimus ad n. 690 ss., ubi ex professo agitur de officio parochi cum sponsis et conjugibus: quo loco etiam exponentur principia generalia, etiam hic attendenda, quae munus regant confessarii erga nupturientes et nuptos.

Officium autem parochi et confessarii determinatur juxta *Instructiones contra vitium onanismi,* anno 1909 ab Episcopis Belgii parochis et confessariis propositas.

missa, et in specie circa onanismum, et non datur specialis ratio vitium suspicandi, non sunt interrogandi, nisi sub generali formula, utrum nempe officia status rite adimpleverint: a qua etiam generali interrogatione opportune abstinebit confessarius cum illis poenitentibus qui, ex ipsius confessionis indole vel aliunde, probe noscuntur ab hoc vitio alieni.

Quodsi, attentis conditione vitae poenitentis vel aliis indiciis prudenter dijudicandis, fundata sit onanisticae praxeos suspicio (1), *regulariter* tenetur confessarius intimius scrutari ac magis determinatè urgere interrogationes: « quaeri potest v. gr. num poenitens in matrimonio vere christiane vixerit, vel num, quoad officia matrimonii, nihil conscientiam remordeat, vel etiam explicitius et generatim melius, an se conformet divinae voluntati circa filiorum numerum, an se committat totaliter Providentiae divinae circa filiorum generationem » (2). Quam doctrinam confirmant S. Sedis oracula (3).

Dicitur: *regulariter,* quia *exceptionaliter* potest contingere conjuges in bona fide versari circa malitiam onanismi, eosque in ea opportune relinqui a confessario.

Nimirum locus esse potest *bonae fidei,* licet admodùm rarius hodiè et passim ad breve dumtaxat tempus; haud difficulter namque menti occurrit intrinseca onanismi inordinatio (4), vitium importans contra naturam, eo vel magis quod nunc temporis adeo insistatur in illius peccati malitia, quodque tam evidenter appareant lugendae illius

---

(1) « Haec fundata suspicio facilius aderit si poenitens mundanam ac parum devotam vitam agat, si alia peccata gravia contra castitatem declaret,... si rarò, imo rarissime, ad sacramenta accedat, praesertim si multùm in loco viget pessima praxis. Contrà minus erit timendum, si poenitens jam numerosam prolem habet, si aliunde christianè vivit, si magna cum cura omnia et singula peccata declarat, si frequentius sacramenta suscipere solet ». *Collationes Tornacenses,* 1910, p. 411.

(2) *Instructiones,* l. c., p. 458. Cf. KNOCH, *L'onanisme,* p. 51. Ubi autem peculiaria adjuncta majorem suadent prudentiam, et cautius videtur procedendum ne poenitens offendatur, potest spontanea confessio provocari, suadendo conjugi ut matrimonii leges sanctè servet, benedictionem a Deo impetret super prole suscepta et suscipienda, utque prolis nascendae, quasi divini pignoris, curam sollicitè in se suscipiat.

(3) Ita responsum S. Poenitentiariae diei 10 Martii 1886, in quo, ad 1^{m} quaesitum: « Quando adest fundata suspicio, poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario liceat a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos, multosque sacramenta deserturos esse? — annon potius teneatur confessarius prudenter et discretè interrogare? » ; respondendum censuit: « regulariter negative ad primam partem, affirmative ad secundam ».

Integrum tenorem exhibet *N. R. th.,* XVIII, p. 539 ss.; refertur autem, p. 537, declaratio C. S. O., 21 Maii 1851, (de qua suprà), ad 3^{m}, docens propositionem, juxta quam « nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur ne conjuges, sive vir sive mulier, abutantur matrimonio », esse « falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam ».

(4) « En effet ce péché met l'époux en opposition flagrante, directe et radicale, *avec la fin première et principale du mariage:* la procréation de l'enfant, l'existence et le développement de la société humaine. Engagé dans le mariage, placé dans des conditions normales d'intelligence et de discernement, un homme, à moins de fermer volontairement, obstinément, les yeux à la lumière, ne peut se méprendre sur l'obligation primordiale, de droit naturel, qu'implique l'exercice des rapports conjugaux ». Ita KNÖCH, l. c., p. 40 s.: quo loco et pag. seq. egregie disserit circa bonam fidem exceptionaliter existentem, et circa causas unde oriri queat.

sequelae. Ubi autem praesto est bona fides nec praevidetur illico disturbanda, potest nonnunquam confessarius ab interrogatione abstinere, quando nempe meritò timet interrogationem ac monitionem non esse profuturam.

Atvero prudenter et cautè est admittenda haec derogatio ad regulam generalem: timor malae dispositionis non est fingendus; quinimo, etiam ubi poenitens praevidetur non obtemperaturus, non rarò praestat equidem interrogare, quia, praeterquam quod bona fides non diu manebit, natum est fieri, in praesentis praesertim temporis adjunctis, in quibus attentio ad haec plurimum movetur, ut silentium confessarii habeatur pro tacita approbatione, tum penes ipsum poenitentem, tum penes alios id audituros: unde grave discrimen pro bono publico (1).

B. *Officium* **monendi et docendi.**

242.
2° monere et docere :

Quod spectat conjuges, quos confessarius ex spontanea cordis aperitione vel ex prudenti interrogatione novit onanismi praxi addictos, distinguenda est *duplex* hypothesis: vel agitur de *uxore* virum habente onanistam, cui *mere materialiter cooperatur;* vel agitur de conjugibus qui *scienter et volenter* onanismum exercent.

Quaeritur proinde *primò* utrum conjuges, qui in ipsa confessione reperiuntur onanismum exercere, semper debeant moneri de gravitate peccati, etiam ubi in bona fide versantur circa ejusdem malitiam; *secundò* quomodo docendae sint dictae uxores onanismo merè cooperantes.

Jamvero *ad primum:*

a/ *conjuges onanismum exercentes ;*

Conjuges, *quos confessarius in confessione audit onanismum exercentes,* debent severissimè moneri de malitia admodum gravi illius peccati, juxta normam ab ipsa S. Sede inculcatam (2).

Quae norma absoluta est et nulli omninò exceptioni obnoxia,

(1) Huc spectat monitum Episcoporum Belgii (*Instructiones*): « Concedendum videtur, in casu rarissimo et ad breve tempus, ignorantiam a mortali excusantem sive in viro sive facilius in muliere obvenire. Quodsi in aliquo poenitente haec ignorantia deprehenditur et si simul prudenter timetur ne monitio facienda non succedat ad emendationem, sed potius ad peccatum formale, liceret confessario tacere; nisi tamen praesumatur ipsius silentium pervulgatum iri atque ita versurum contra bonum commune ».

(2) S. Poenitentiaria, die 10 Martii 1886, l. c., ad 2m quaesitum, utrum « confessarius qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione, cognoscit poenitentem esse onanistam, teneatur eum de hujus peccati gravitate monere... eumque paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet eumdem dolere de praeterito, et habere propositum non amplius onanisticè agendi », rescripsit: « *affirmative, juxta probatos Auctores* ».

Quam normam jam proposuerat S. Poenitentiaria, die 14 Dec. 1876, apud *N. R. Th.*, XVIII, p. 536 ss., ubi docet non satisfacere muneri suo confessarios qui, « quando poenitens solummodo accusat onanismum, altum silentium servant, et, finita confessione peccatorum, illum verbis generalibus ad contritionem excitant, illique asserenti se detestari omne peccatum lethale, sanctam absolutionem impertiuntur ».

quotiescumque de moralitate dictae actionis directè interrogatur confessarius, vel quando anceps haerere apparet poenitens.

Quodsi agatur de poenitente, cujus praxis onanistica innotescit confessario, sed qui bona fide reputat praxim illam sibi licere, nec speretur monitio profutura: re abstracte spectata, potest, etiam in hac hypothesi, stricto jure permitti ut in bona fide relinquatur; at-vero, rem practice et in concreto sumendo, vix vel ne vix quidem huic agendi rationi erit locus.

Et sane hypothesis bonae fidei passim excluditur quotiescumque onanismus innotescit ex spontanea declaratione poenitentis, cum eo ipso meritò supponatur dubitationibus saltem premi; insuper, ubi admitti potest hypothesis bonae fidei, nempe quando confessarius ex discreta interrogatione onanismum detegit, rationes, quas sub A induximus contra silentium servandum et abstinentiam ab interrogando, hic instantius omnino urgent: facilius enim in hoc casu silentium confessarii, actionem *suo judicio aequivalenter subjectam* non reprobantis, aequivalebit approbationi, ac valde magis timenda erit hujus confessarii silentii divulgatio, cum gravissimo boni publici discrimine (1).

Quibus attentis, severe interpretandam et applicandam ducimus praxim in *Instructionibus* Episcoporum Belgii propositam, quatenus scil., *in casu rarissimo,* liceat poenitentem, qui in confessione reperitur vitio addictus, relinquere in bona fide: quam caeteroquin praxim non permittunt ipsae *Instructiones* nisi hac salva conditione, vix obtinente, quod non praesumatur confessarii silentium pervulgatum iri. Et in hac severa interpretatione eo vel magis est insistendum, quod plerique confessarii in benigniorem partem solent inclinari (2).

---

(1) « Ce silence ne restera pas longtemps le secret du confessional. Nombre de pénitents, soit bavardage, soit désir de s'excuser, en saisiront leur entourage; l'erreur s'accréditera, la contagion fera de nouvelles victimes ». KNOCH, l. c., p. 47. Cf. etiam VERMEERSCH, *Un grave péril,* p. 43; STANDAERT, apud *Collat. Gandav.*, V, p. 302 ss.

(2) Cf. Conc. Mechlin. quartum, decr. 85. — Ideo modo suprà diximus vix vel ne vix quidem locum fore silentio confessarii in casu. Et sane tale ac tantum bonum sperari licet ex uniformi omnium confessariorum severitate in reprobando hoc crimine in confessione detecto, ut merito praetermitti posse videatur rarissimus omnino casus in quo, ob bonum individui, posset forsitan delictum silentio premi. Provocabit fortasse hujusmodi severior norma, penes unum alterumve poenitentem, sacramentorum desertionem, quae indulgenti silentio potuisset aliquatenus differri; ex alia autem parte maxime salutarem influxum exercebit in fidelium turmas universim, ac, omni remota discrepantia in confessariorum praxi, intimam apud omnes inducet persuasionem, onanismum scilicet immisericorditer damnari nec pacem haberi posse cum eo. « Ce à quoi il faut arrrver, c'est que l'on sache que le prêtre, non pas vous tout seul, mais tout prêtre, l'Eglise enfin, tient pour péché grave l'onanisme. Là dessus viendra encore à confesse qui voudra, mais au moins ceux qui y viendront avec sincérité seront prévenus qu'ils auront à s'accuser de cette misérable pratique et à s'en abstenir. Les gens de foi et de religion chancelante pourront déserter; les chrétiens resteront ». *Collat. Tornac.* l. c., p. 413; KNOCH, o. c., p. 46 s.; coll. *Collat. Gandav.*, t. V, p. 305 s.

Monendi etiam sunt poenitentes de peccati *reservatione*, ubi viget, quemadmodum viguit in dioecesi Brugensi, in qua, inde ab anno 1919, introducta fuit reservatio onanismi conjugalis, « sive per retractum instituti sive ope instrumenti foecundationem impedientis », cum hac tamen notanda restrictione quod agatur « de poenitente recidivo et in anteriori confessione de gravitate delicti ejusque reservatione jam monito ». Congr. Prosyn. anni 1919, n. 5 (1).

Ad secundum:

243. b/ uxorem onanismo cooperantem;

Si quaeratur de docenda et monenda *uxore materialiter cooperante* onanisticae copulae (2), en normas pro opportunitate applicandas:

1° *Nunquam* ex justitia *obligatur* uxor ad reddendum debitum conjugale viro petenti copulam quomodocumque onanisticam (3). Ratio est quia, juxta superius dicta (n. 216), non cessit dominium in corpus nisi in ordine ad copulam de se aptam generationi.

2° *Non potest* debitum *reddere* viro ipsam sollicitanti ad copulam exercendam *condomisticè*, ope pallioli seu involucri: immediate namque participaret uxor in actione intrinsece mala, in quantum est inordinata.

Oporteret igitur ut mulier in casu positivè et physicè resistat pro posse, non secus ac puella quam invaderet stuprator: non potest scil. mulier cedere nisi coram violentia physica (4).

3° Si novit maritum coiturum *cum retractu:* a/ potest *reddere* debitum *gravi* de causa, et salvis cautelis adhibendis; b/ potest *petere* debitum, sed *graviori* tantum de causa (5).

Quod *possit* gravi de causa *reddere* debitum, inde est quod « in proposito casu mulier, e sua quidem parte, nihil contra naturam agat, detque operam rei licitae, tota autem actus inordinatio ex

---

(1) In Conc. Mechlin. quarto, n. 205, decretum est quod « casus hucusque ab Ordinariis (Belgii) reservati amplius non subjacent reservationi ».

(2) Supponitur cooperatio materialis; seponitur igitur casus quo ipsa mulier adhibet instrumentum praeservativum, puta pessarium occlusivum, vel infusione liquidi seu pulveris occisivi utitur; seponitur etiam omnis consensus in copulam onanisticam, ac quaevis excitatio ad eam, sive directa, sive indirecta, quatenus conqueratur uxor de liberorum numero, de periculo partus etc.: esset enim cooperatio formalis, eique principia sunt applicanda quae posita sunt sub *primo*.

(3) Id nitidè docet Concilium Mechl. 4m, n. 83. — Contrarium docent NOLDIN, *De Usu*, n. 74; FERRUGIA, n. 279. Cf. etiam VLAMING, o. c., n. 628.

(4) Cf. KNOCH, o. c., p. 56, ubi citatur decretum C. S. O. 19 Apr. 1853, in quo ad dubium: « utrum uxor sciens in congressu condomistico possit passive se habere? », respondetur: « *negative*, daret enim operam rei intrinsecè malae ». Quam doctrinam confirmat et determinat responsum S. Poenit., 3 Junii 1916 (*Ned. kath. Stem.*, 1918, p. 373), in quo affirmative respondetur ad quaestionem; « Utrum mulier, casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, *ad positivam resistentiam* teneatur »; quod responsum, ad 1m datum, adhuc urget solutio ab eadem S. Poenitentiaria data ad 3m, ubi affirmative respondet ad quaestionem: « Utrum, ut tutiori tramite tota haec materia evolvatur et edoceatur, vir, talibus utens instrumentis, oppressori vere debeat aequiparari: cui mulier proinde eam resistentiam opponere debeat quam virgo invasori ». Cf. etiam resp. 3 Apr. 1916, de quo mox infrà.

Conc. Mechlin. quartum, decr. 84, haec habet: « ob timorem gravissimi mali, puta mortis vel alius aequiparandi, ipsi (uxori scil., in casu) licet non resistere oppressori ».

(5) Cf. Conc. Mechlin. quartum, l. c.

viri malitia procedat, qui loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit » (1); eo ipso cooperatio non est immediata, sed mediata dumtaxat, a qua excusat gravis ratio; charitas autem, qua illud peccatum viri impedire teneretur uxor, cum tanto incommodo non obligat.

Quod requiratur *gravis causâ,* sequitur ex eo quod, *ratione cooperationis mediatae* stricte dictae ad peccatum mariti, requiratur ratio compensans malum effectum ad quem cooperatur uxor: est nempe actio male sonans, cujus inordinatio est abstergenda per causam proportionatam (2).

Causa sufficiens est « si ex ejus (debiti) denegatione, male habenda sit a viro suo et grave inde incommodum sibi timere possit » (3). *Responsum S. Poenitentiariae,* 15 Nov. 1816, l. c.

Cautelae autem sunt a/ ut *scandalum* amoverit, coram viro protestando, in quantum opportune fieri potest, contra hujusmodi nefandum scelus; b/ ut ex una parte maritum non tantum nec directe nec indirecte ad onanismum excitaverit, sed ipsum, omni qua par est zelo, a nefario hoc opere revocare conata sit, et ex altera parte ut ipsum opus detestetur nec ullo modo consentiat copulae qua est onanistica, nec ejus *qua talis* delectationi, quamvis possit delectari de copula simpliciter, imo et de effectu secuto, detestata causa (4).

Quod ad *petendum* debitum *gravior* causa requiratur patet, siquidem cooperationi stricte dictae quae inest redditioni, accedit cooperatio late dicta, quatenus petitione sua influit in virum ut copulam exerceat quam praevidet fore onanisticam. Hujusmodi causa esset periculum imminens incontinentiae (5).

---

(1) Resp. S. Poenitentiariae, diei 23 Apr. 1822, apud THEOL. MECHL., o. c., p. 140 s.; coll. responso ejusdem S. Poenitentiariae diei 15 Nov. 1816, l. c., et apud *N. R. th.,* t. IX, p. 326.

(2) Principia circa cooperationem quae hic applicantur, exponuntur ab III. ac Rev^mo^ WAFFELAERT, *Etude de Théologie morale sur la coopération,* Bruges, 1883, p. 1-13. — VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 266, negat requiri causam gravem.

(3) « Tunc autem... grave incommodum subiret uxor 1/ si mors, verbera aut graves saevitiae timendae sint, quae ex circumstantiis personarum dijudicandae sunt;... 2/ si fundate timeat ne maritus concubinam in domo conjugali habeat et cum illa maritaliter vivat vel etiam eam alibi frequentet vel ad meretrices accedat; 3/ si certo sciat virum, ex repulsu iratum, blasphemias in Deum et in religionem vel verba scandalosa coram famulis vel liberis pronuntiaturum; 4/ si timendum sit divortium vel separatio aut infamia aut grave scandalum; 5/ si timenda sunt jurgia, rixae, dissensiones frequentes... ». *N. R. th.,* IX, p. 326.

(4) Non videtur etiam, uti notatum sub n. 213, uxorem posse copulam onanistice peractam a viro in seipsa complere, inchoatam excitationem perficiendo. Posset tamen, attenta cujusdam dubii possibilitate, facilius relinqui in bona fide circa hoc.

(5) Doctrina sub 2° et 3° proposita luculenter confirmatur, salvis responsis sub 2° relatis, per resp. S. Poenit. 3 Apr. 1916 (*Ned. kath. Stem.,* 1918, p. 373 s.). Nimirum ad dubium: Utrum mulier alicui actioni mariti qui, ut voluptati indulgeat, crimen Onan aut sodomitarum committere vult, illique sub mortis poena aut gravium molestiarum minatur, nisi obtemperet, cooperari licitè possit », respondetur:

a/ « Si maritus in usu conjugii committere velit crimen Onan, effundendo scil. semen extra vas post incoeptam copulam, idemque minetur uxori aut mortem aut graves molestias, nisi perversae ejus voluntati sese accommodet, uxor, ex probatorum theologorum sententia, licitè potest hoc in casu sic cum marito suo coire: quippe

« Etiam in hoc casu (uxoris scil. materialiter cooperantis), monent *Instruct.*, erga ipsam (uxorem) severitati propendendum potius quam laxitati, ne ad hoc deveniatur quod, viris a sacramentis rejectis, subtili distinctione mulieres onanismo indulgentes passim admittantur »; in specie severè monenda est uxor circa alterius cautelae descriptae observantiam, ut scil. probè sciat sese gravem reatum incurrere, non modò si quaeremoniis suis virum ad onanismum adducat, sed etiam si non nitatur, omnibus quibus par est viribus, ipsum a nefanda praxi removere. Cf. *Collat. Gandav.*, V, p. 304 s.

244. Nota.

Nota. Eadem principia possent cum proportione applicari marito bene disposito, uxorem habenti onanistam. Potest nimirum reddere debitum et petere ab uxore, quam novit expulsuram esse vel destructuram semen, et quidem id potest ex causa minus urgente ac uxor respectu viri, cum cooperatio viri remotior sit in casu. Videtur autem quod maritus non posset reddere debitum uxori hermetice obturanti vaginam ex parte uteri, aut pseudo-vagina utenti: in tali enim copula censetur vir participare in ipsa actione intrinsecè mala, non secus ac uxor debitum reddens viro condomisticè congredienti (1). Cf. infrà, n. 550.

C. *Officium* **Medendi.**

245. 3° Mederi.

1° *Persuasio ingeratur de gravi malitia:* ostendendo quomodo, ad tramites dictorum suprà, luxuria committatur contra naturam ac directè destruatur finis a Deo intentus (2).

2° *Incutiatur timor salutaris:* provocando ad vindictam divinam quam in se attrahunt onanistae per vitium contra naturam (3). Quem salutarem metum excita in illis praesertim qui, egoismo ducti, ad onus nascendae prolis effugiendum legibus generationis renituntur: qui « timeant ne duriora et graviora aliquando incurrant, cum saepenumero in prole nata nimis dilecta, jam in terris, vindice manu Dei puniantur » (4).

---

cum ipsa ex parte sua det operam rei et actioni licitae, peccatum autem mariti permittat ex gravi causa, quae eam excusat; quoniam caritas, qua illud impedire teneretur, cum tanto incommodo non obligat.

b/ At si maritus committere cum ea velit sodomitarum crimen: cum hic sodomiticus coitus actus sit contra naturam ex parte utriusque conjugis sic coeuntis, isque omnium Doctorum judicio graviter malus, hinc nulla plane de causa, ne mortis quidem vitandae, licitè potest uxor hac in re impudico suo marito morem gerere. Miraturque vehementer S. Poenitentiaria quod opposita sententia, cum humanae naturae dedecore, in quorumdam sacerdotum animis (ut refertur) insistere potuerit ».

(1) Hoc ultimum non admittebat VERMEERSCH, *De Castitate*, n. 268; ad hanc autem sententiam accessit apud *Periodica*, XIV, p. (65) s., ubi, in aliam partem, citat verba Instructionis pro confessariis Episcoporum Germaniae. Cf. pariter *Theol. mor.*, IV, n. 69, sub 5.

(2) Contra illos qui conantur inficiari doctrinam illam theologicam, egregie arguit VERMEERSCH, *Le Problème de la natalité*, p. 50 ss.

(3) Exemplum notissimum est in punitione terribili Onan, suprà relata.

(4) *Instruct.*, p. 456 s. Etiam prudenter allegari poterit « media quibus utuntur non esse ad ipsorum scopum infallibiliter efficacia; unde suspiciones infidelitatis, animorum divisiones, et alia hujusmodi ». *Ibidem*, p. 456 s. Imo bonum est interdum

3° *Praetextus refellantur:* qui « ad duplex genus apte referuntur, cum alii quidem nolint onus numerosae prolis assumere, alii vero velint gestationis et praesertim partus periculum uxori cavere » (1).

Quodsi a/ praetendant conjuges *numerosiorem prolem* vel *egestatem,* magnam fiduciam excita in paternam Dei providentiam, quae sollicitè curat vel de ipsis volâtilibus coeli: quam Providentiam caveant ne mutent in maledictionem.

« Provocandum insuper ad factum quotidiana experientia confirmatum, numerosas familias generatim loquendo esse aliis feliciores; in illis enim naturales energiae membrorum splendidè exeruntur; in illis regnat major unio et virilis amor » (2). Caeterum experientia docet « que le mouvement de la natalité est généralement en raison inverse de l'aisance » (3).

Ulterius sciant conjuges matrimonium non esse habendum tanquam voluptatis institutum, in quo fruendum, sed in illo statu gravissima imponi onera et officia; conjuges quidem liberè posse communi consensu abstinere ab usu conjugii, sed, si eo uti velint, eos stricte teneri ad usum legibus naturae conformem, voluptatem non posse quaeri nisi simul suscepto onere ipsi adnexo.

Quod spectat b/ *alterum praetextum,* nimirum *periculum ex partu:* « reponi potest verbis generalibus hunc periculum rarò adesse illudque a nonnulis medicis nimis facilè exaggerari; insuper artem obstetricam atque chirurgicam hodiedum ita progressam esse ut mortis periculum aptis remediis vix non possit caveri: caeteroquin ex alia parte sterilitatem voluntariam onanismi vitio procuratam non esse sine detrimento sanitatis » (4).

Quodsi verum praesto est nec excogitatum periculum, excitandus est animus ad illud discrimen viriliter sustinendum, memoria invocata illius adagii: « potius mori quam foedari », prae oculis etiam posito aeterno praemio promisso martyribus officii sui. Quibus autem animus deficiat ad actum illum heroicum, non manet nisi ut consulatur continentia usque ad tempus menopauseos mutuo consensu servanda, suggeratis prudentiae adminiculis; cautè etiam suggeri potest uxori, si in continentiam consentire renuat maritus, eam, in tantis angustiis, a redditione debiti excusari, juxta principia, sub n. 235 proposita.

---

provocare ad malas sequelas physiologicas, de quibus suprà. Cf. *Lettre Pastor. du Card. Mercier,* p. 415 ss.

(1) *Instr. Episc. Belgii,* l. c., p. 455.

(2) *Instr.,* l. c., p. 456; coll. *Epistola Pastorali Card. Mercier,* p. 420 ss.; VERMEERSCH, *La Peur de l'enfant,* p. 41.

(3) PAQUET, l. c., p. 262 s., coll.. NUYENS, o. c., p. 42-47, ubi statisticas invocat.

(4) *Instruct.,* l. c., p. 456. Cf. etiam DESPLATS, o. c.. p. 45 ss., coll. p. 40 s., ubi insistit in salutari effectu quem praegnantia, eaque multiplex, physiologicè excercet in femina.

4° Juxta responsum S. Poenitentiariae, 16 Junii 1880 (1), potest nonnunquam caute insinuari poenitenti, ut non utatur matrimonio nisi *tempore ageneseos* (2); sed hoc non potest indiscriminatim proponi, nec tanquam medium *certum* foecundationis vitandae (3).

Quinimo non videntur reprobandi confessarii, qui in desperatis adjunctis, per modum ultimi effugii, permittunt conjugibus tanquam minus malum, ut copulam exerceant ea lege ut eam incoeptam abrumpant ante seminationem, hanc cohibendo: supponitur utique conjugibus experientia constare, hujusmodi copulationem pro ipsis non aequivalere pollutioni (4).

Quod autem spectat *copulam dimidiatam,* de qua suprà, sub n. 239: Attenta notione ibidem proposita et solutione dubiorum a C. S. O., die 22-23 Nov. 1922, data Episcopis Hollandiae (5), non possent confessarii poenitentes onanismo addictos, quantumvis aliàs a detestabili illo abusu removeri nequeant, illam praxim docere, nec illis praxim aliunde notam, *saltem promiscue et passim,* suadere tanquam minus malum, ut pejora praecaveantur. Obstat nimirum, quominus illud principium de minori suadendo malo in casu universim applicetur, obstat, inquam, scandalum ex hujusmodi primiscua applicatione oriundum, obstat quoque detrimentum boni publici. Non vero reprehendendus foret, ut videtur, confessarius qui dictam dimi-

---

(1) « Conjuges praedicto modo matrimonio utentes (temp. ageneseos) inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis conjugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit».

(2) Tempus *ageneseos*, uti nomen indicat, est tempus foecundationi minus idoneum: decurrens scil. inter 14^{m} vel 15^{m} post incoeptum fluxum menstruum et 3^{m} vel 4^{m} diem ante profluvium sequens.

(3) Ex una parte non est negandum copulam, per tempus illud peractam, esse physiologicè a foecundatione magis remotam, siquidem fluxus menstruus regulariter est cum ovulatione connexus: quod experientia comprobatur, juxta computationem factam a BROUARDEL, o. c., p. 173. Ex alia parte exceptionaliter contingit ovulatio extra fluxus menstrui tempora, ac potest per ipsum coitum provocari; semen etiam potest per plures dies manere in utero foecundum; unde dicti remedii efficaciae non est plenè fidendum. Cf. ESCHBACH, o. c., p. 81-84; CAPELLMANN, o. c., p. 138-140; *N. R. th.*, XXXI, p. 599; VERMEERSCH, o. c., n. 10.

(4) Cf. suprà, n. 211; *Collat. Brug.*, t. VII, p. 485 s., coll. t. VI, p. 478.

(5) Ad quaestiones:

« I. An tolerari possit confessarios sponte sua docere praxim copulae dimidiatae, illamque suadere promiscuè omnibus poenitentibus qui timent ne proles numerosior nascatur.

II. An carpendus sit confessarius qui, omnibus remediis ad poenitentem matrimonio abutentem ab hoc malo avertendum frustrà tentatis, docet exercere copulam dimidiatam, ad peccata mortalia praecavenda.

III. An carpendus sit confessarius qui, in circumstantiis sub II, copulam dimidiatam poenitenti aliunde notam suadet, vel poenitenti interroganti num hic modus licitus sit, respondet simpliciter licere, absque ulla restrictione seu explicatione? »

Respondetur: « Ad I dubium: negative; ad II et III: affirmative ».

diatam copulam uti minus malum (1) cautè suggereret ac suaderet *in casu rariori et efficaciter remoto scandalo* (2).

Quodsi, omnibus remediis ac zeli industriis frustra exhaustis, non succedat confessario poenitentem, malitiae conscium, a praxi onanistica avertere, non remanet nisi ut dimittatur tanquam indispositus, absolutione denegata. In qua norma adhibenda et principiorum severa applicatione, multum importat ut unanimes existant confessarii et animarum directores (3).

246. Nota.

Nota. Multùm juvat ut confessarius poenitentes a longe praemuniat contra periculum labendi in onanismum, causas in ipsis expugnando ex quibus solet onanismus procedere (4), prae caeteris materialisticum vitae conceptum (5) necnon voluntatis mollitiem: provocando in conjugibus altiorem conceptum de matrimonio, eosque compellando ad strenuum exercitium virilitatis christianae ac moderatam voluptatum fruitionem (6).

247. Officium Status;

Scholion. Hucusque de officio *confessarii,* remissis ad n. 695 dicendis de officio *parochi* et sacerdotis, extra confessionale.

Specialem etiam obligationem habet *Status civilis,* ut pestiferam illam praxim cohibeat et abominandam in ejus favorem propagandam, cum in periculum ducatur ipsa societatis existentia (7).

---

(1) Dicitur: *tanquam minus malum;* manet enim, in casu, malum, quia, si copula illa dimidiata, quemadmodum notavimus sub n. 239, potest objective legitimari, malum effectum compensante bono effectu aeque immediato, id sanè non obtinet ubi sicut hic ad hoc exercetur ne proles numerosior nascatur, ac adhibetur tanquam remedium ad vitandam foecundationem: ex hoc scil. intento fine, nedum actio (malè sonans) cohonestetur, inordinationi objectivae nova accedit malitia subjectiva, ratione finis operantis. — Nec juvat inducere quod non intendatur prolium diminutio propter se, sed propter bonas sequelas inde provenientes, puta quod egestatis periculo occurratur aut matris debilitati parcatur; hae enim sequelae mediante malo effectu consequuntur et hic applicandum est adagium: non sunt facienda mala ut eveniant bona.

(2) Cf. principia latius proposita apud *Ephem. theol. Lovan.,* I, p. 564 ss. — Ibidem ostenditur a S. C. S. O. reprobari praxim confessarii, qui « poenitenti (onanismum exercenti) interroganti num hic modus (copulae dimidiatae) licitus sit, respondet simpliciter licere, absque ulla restrictione seu explicatione ».

(3) Conc. Mechlin. quartum, decr. 85. Cf. etiam BUREAU, *Indiscipline,* p. 165 s., ubi refert modum agendi quorumdam sacerdotum principiis minus conformem.

(4) Hoc potissimum spectat officium parochi, ut, occasione data, illud vitium impugnet in instructionibus publicis et privatis, juxta infrà proponenda, sub n. 690 ss.

(5) Experientia constat cum decrescentia sensus religiosi augeri onanisticae praxeos extensionem. Cf. PAQUET, l. c., p. 279; NUYENS, o. c., p. 22-33, coll. etiam p. 57 ss.

(6) Cf. rescriptum C. S. O., 30 Martii 1889, ad quemdam episcopum Galliae (apud TANQUEREY, *Supplem.,* n. 54), in quo monet commendanda esse media quibus effrenata libido dometur, « qualia sunt arduus et improbus labor, moderatae corporis castigationes, temperantia in cibo et potu, vitatio occasionum quae libidinem excitant, vigilantia mentis et cordis, statim expellendo lubricas cogitationes pravaque desideria, oratio assidua, frequens novissimorum cogitatio: breve enim quidquid delectat, aeternum quod cruciat ».

(7) Cf. BUREAU, *Indiscipline,* p. 151 ss.; SALSMANS, *Geneesk. plichtenl.* n. 158. Cf. etiam *Lettre Pastorale du Card. Mercier,* p. 408, quo loco referuntur decisiones Tribunalium contra onanismi promotores; cf. etiam decisiones 1 Aug. 1909 (Cour d'Appel de Pau), apud *Pasicrisie,* 1909, IV, p. 44 s. et *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 365 s.; item decisiones Curiae Leodiensis et Bruxellensis (in causa Dris Mascau), 18 Oct. 1909 et 26 Febr. 1910, respective apud *Pasicr.,* 1910, II, p. 171 ss. et 169 ss. Cf. etiam propositionem legis inductam coram coetu legislativo Belgii, die 25 Aprilis 1913, apud *Documents parlementaires — Chambre des Représentants,* 1912-

Nec etiam indifferentes sistere decet ipsos *cives* gregarios, coram ingravescente periculo communi, sed contra coetus a Neo-Malthusianis erectos eorumque infandam propagandam (1) conatus suos generosè coadunent, ac associationes viriliter opponant (2). Parentes et propinqui juniorum conjugum hisce animum addant, occasione novae impraegnationis aut instantis iterati partus, potius quam videantur id aegre ferre, quemadmodum id non rarò contingit (3).

248. medicorum.

Tandem *medicus* singulares in hoc negotio obligationes habet, uti monent *Instructiones* Epp. (4). Et quidem imprimis non modò abstineant medici a commendanda praxi onanistica — quod facere non pudet quosdam medicos (5) — sed deterreant ab ea clientes, invocato etiam sanitatis discrimine; data etiam opportunitate energicè urgeant ordinatum usum matrimonii, et futilem ostendant esse timorem a praegnantia et a partu etiam multiplici, cum potius faveat uxoris

---

1913, p. 967 ss. et p. 1241 ss., quo altero loco adnectuntur documenta circa legislationes extraneas in hac materia, signanter in Pensylvania (1897), in Canada (1900), in Anglia (1910) et Hollandia (1911); etiam in Italia energicè impugnavit pornographiam minister regni Luzzati (cf. *XX^e Siècle*, 21 Aug. 1910). Cf. NUYENS, o. c., p. 61-83 et 165-183; item LEMOZIN, l. c., p. 788-794, ubi referuntur variae propositiones coram legislatione Gallica inductae contra pornographiam et voluntariam depopulationem. Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 100 ss., ubi successive proponit remedia adhibenda in ordine oeconomico et legislativo.

Quocirca juvat notasse utiles quidem esse et commendandas sanctiones a lege statutas contra pornographiam et anticonceptionalis prophylaxiae promotores, utilitatem etiam habere (cf. VERDIER, o. c., p. 13 s) favorum concessionem et exonerationes in gratiam numerosarum familiarum, illa autem et similia remedia fore manca et inefficacia, nisi simul excitetur et firmetur moralitatis ac religionis sensus. Cf. hîc GIBIER, o. c., p. 129 ss.

(1) Extant plures associationes ad promovendum Neo-Malthusianismum, sub vario titulo, cum ephemeridibus et diariis. Ita, in Hollandia, *De Nieuw-Malthusiaansche Bond;* in Anglia, *The Malthusian-League;* in Germania, *Der harmonische Verein;* pro Gallia et Belgio, *La Ligue de la régénération humaine,* promotore Robin, cum ephemeridibus: *La Régénération,* et *La Génération consciente.* Cf. PAQUET, o. c., p. 265 s.; *N. R. th.,* 1911, p. 596 ss.; LEMOZIN, l. c., p. 782 s. Circa propagationis media adhibita, cf. NUYENS, o. c., p. 52 ss.

(2) Extant hujusmodi associationes in variis regionibus. Ita in Belgio: *La Ligue nationale contre la licence des étalages et l'immoralité;* in Gallia: *La Fédération française des sociétés antipornographiques* (Paris, Rue Pasquier, 8^e), cum periodico *Bulletin d'informations antipornographiques* (Bordeaux, Rue Laporte); *Ligue populaire des pères et mères de familles nombreuses en France,* in qua coadunantur familiae tres ad minus proles habentes; societas *Pour la vie,* cum periodico ejusdem tituli; *Alliance nationale pour l'accroissement de la population française,* ac tandem *La plus grande famille,* cujus coetus, anno 1915 erecti, uti membra admittuntur solae familiae cum quinque prolibus; in Germania: *Verband der Männervereine zur Bekampfung der öffentlichen Unsittlichkeit,* cum periodico *Volkswart,* (Cöln); in Hollandia: *Voor eer en deugd,* cum periodico *Mannenadel en Vrouweneer* (Rolduc). Cf. LEMOZIN, l. c., p. 785-788.

(3) Cf. *N. R. th.,* 1923, p. 47 ss.: *Le scandale et les familles nombreuses.*

(4) *Instruct.,* p. 461. Cf. DESPLATS, o. c., ubi egregie et data opera officium medici in hoc negotio describit; BOULE, *La Responsabilité du médecin dans la prophylaxie anticonceptionnelle et l'avortement thérapeuthique, apud N. R. th.,* 1911, p. 591 ss.; VINCENT, o. c., p. 118 ss.; SALSMANS, *Geneesk. plichtenl.,* n. 157 ss.

(5) Cf. KNOCH, l. c., p. 347 s.; *Lettre Pastorale,* p. 407; SURBLED, *Autour du Mariage,* p. 8-12, ubi referuntur consultationes in hac re plurium medicorum. Cf. etiam FOREL, o. c., p. 469 ss., ubi impudenter proponit et describit media onanismum adhibendi; item NYSTRÖM, o. c., p. 269 ss. Juvat tamen referre factum recentis congressûs medicorum, die 7 Aprilis 1910, Parisiis habiti, in quo congressu energice invexerunt medici etiam increduli contra theorias et praxes neo-malthusianas. Cf. etiam DESERS, *La Lutte contre la pornographie,* apud *Rev. du clergé fr.,* t. LXXI, p. 513 ss.; BÖCKENHOFF, *Reformehe,* p. 86 et *Rev. du clergé fr.,* t. LXXIII, p. 502 s.; LE BEC, *Avortement et Neo-Malthusianisme,* S^t Etienne, p. 14 ss.

sanitati quam noceat. Ulterius, si suspicetur, attentis determinatis adjunctis, periculum grave imminere ex novo partu, caveat ne leviter hoc periculum manifestet; sed sedulò prius inquirat utrum periculum illud reale sit et urgens, nec aliter praecaveri possit. Quodsi, dira necessitate cogente, judicet se ad monitionem teneri, instanter urgeat conjuges ne ad onanismum recurrant; suadeat continentiam, ubi possibilis apparet, usque ad tempus menopauseos, vel doceat usum conjugii restringendum ad tempus ageneseos, licet hoc remedium non possit uti infallibile proponi: addendo praestò adhuc esse, in casu impraegnationis equidem succedentis, partum acceleratum vel operationem caesaream, jam non adeo timendam.

Neque dicant medici, uti in ore habent etiam optimi caeteroquin catholici, sese esse medicos solius corporis, non animae: ipsis utique incumbit cura corporis, sed corporis humani, quod non est curandum quasi corpus pecudis, sed ratione habita animae ante omnia salvandae; sunt medici, non veterinarii (1).

ARTICULUS 2ª. **De Cohabitatione.**

Cohabitatio conjugalis importat tum *consortium tecti*, seu consortium mensae et vitae domesticae sub eodem tecto, et haec est cohabitatio strictè sumpta, tum *consortium tori* seu lecti.

PARAGRAPHUS PRIMA. *De jure et obligatione ad cohabitationem.*

I. Consortium tecti.

249. Jus et obligatio

Vinculum conjugale importat jus et obligationem mutuam ad consortium vitae domesticae sub eodem tecto. Et sane hoc jus et haec obligatio correspondens continentur in vindicato jure et obligatione parentum ad informationem et educationem prolium (cf. suprà, n. 206, coll. n. 83 et n. 77); educatio namque haec, tam moralis et religiosa quam physica, indiget, uti ll. cc. vidimus, communi ac constanti cura et opera utriusque parentis: ad quam *per se et regulariter* non sufficit quod parentes sociali vinculo ad invicem existant devincti, dum aliunde separatim vivant, sed oportet ut continuò, diu noctuque, intimo vitae consortio fruantur, ac sibi invicem praesto sint in educationis officio, ac sibi mutuò solatium conferant et robur in variis ac gravibus oneribus subeundis, quibus prolium informatio est obnoxia (2).

1º ad consortium tecti,

(1) Quae dicta sunt de medicis, valent, proportione servata, pro *obstetricibus* et *pharmacopolis*. Hos omnes opportune monendos vult Conc. Mechlin. quartum, decr. 87, « ne graviter a munere suo deficiant, praxim onanisticam quovis praetextu commendando, eive operam praestando, pharmaca ministrando aut methodum adhibendam suggerendo... Noverint se stricta obligatione teneri clientes ab hujusmodi scelere deterrendi ». — *Ibidem* autem utiliter additur: « Graviter etiam delinquunt quicumque, sive publicatis nuntiis, sive nefandis instrumentis venditioni oblatis, ad illa peccata provocant ».

(2) Illud intimum consortium attendebat Jus Romanum, in definitione matrimonii,

Dicitur: *per se et regulariter,* quia per accidens utique posset educatio rite peragi absque dicto vitae consortio inter parentes; sunt autem, juxta superius invocatum principium, respicienda ea quae sunt per se, et non ea quae sunt per accidens.

Hanc etiam cohabitationem suadet nativa quae ad illam habetur inclinatio inter virum et mulierem, necnon mutua indigentia unius respectu alterius in ordinanda vita domestica.

In hunc etiam sensum interpretanda sunt verba *Gen.,* II, 24: « propter quod relinquet homo... et *adhaerebit* uxori suae ».

Eamdem obligationem sancit canon 1128: « Conjuges servare debent vitae conjugalis communionem, nisi justa causa eos excuset ».

Assertam autem obligationem cohabitandi agnoscit et urget *Codex civilis Belgicus,* art. 214: « La femme est obligée d'habiter avec le mari » (1).

Nota. Quodsi uterque conjux jus habet et obligationem respectu compartis ad cohabitationem, in *viri* tamen arbitrio est domicilium eligere, ita ut eum *regulariter* sequi debeat uxor. Ita etiam can. 93: « uxor, a viro legitimè non separata, necessario retinet domicilium viri sui ». *arbitrio viri eligendi;*

Dicitur *regulariter,* quia uxor a marito sequendo excusatur a/ si maritus, absque praevio consensu, intendit vagabundam ducere vitam; b/ si ex longo itinere grave damnum imminet; vel etiam c/ si vir absque necessitate vult remotam valde regionem petere (2).

II. **Consortium tori.**

250.
2° ad consortium tori.

Consortium *tori* potest sumi stricto sensu, quatenus conjuges eodem constanter lecto utantur, uti plerumque est in usu, vel minus stricto sensu pro consortio thalami, distincto passim adhibito lecto.

Porro non est urgendum jus nec urgenda obligatio ad consortium tori presse sumptum, sed ad solum consortium thalami.

Ratio namque ob quam exigitur tori consortium est in hoc quod conjuges jus habeant ad debitum conjugale, quotiescumque illud, ad normam principiorum suprà descriptorum, legitimè petunt; ad hoc

---

quod dicebat: « consortium omnis vitae, divini et humani juris communicatio » (L. 1, Dig., XXIII, 2), ac: « viri et mulieris conjunctio, individuam vitae consuetudinem retinens » (§ 1, Inst., I, 9).

(1) Circa modum urgendi illam obligationem cf. *Pasicrisie,* 1907, IV, p. 52 s., ubi statuitur in causa viri postulantis ut uxor manu militari ad domum conjugalem reducatur. Cf. etiam PLANIOL, o. c., I, n. 894; THIRY, o. c., n. 327; *Pasicrisie,* 1910, III, p. 268 s., ubi refertur decisio (Tribun. de Verviers), 12 Jan. 1910, quatenus non possit recurri à la contrainte personnelle. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 331 s. Idem admitti in jurisprudentia Hollandica, testatur VLAMING, o. c., n. 275, in nota.

(2) In *Codice civili,* art. cit. 214, statuitur uxorem teneri ad sequendum maritum, « partout où il juge à propos de résider ». Quod statutum ita videtur interpretandum ut uxor virum comitari debeat etiam in exteram regionem, positis utique ponendis; et ita oportet, juxta alteram partem art. 214, ut vir, in quemcumque locum tendat, uxori praebeat « tout ce qui est nécessaire pour les besoins de la vie, selon ses facultés et son état ». Cf. etiam ROGUIN, o. c., n. 138.

autem non est opus ut eodem lecto constanter utantur, modò in eodem thalamo pernoctare consuescant, adeoque pro lubitu convenire queant (1).

Caeterùm medici dissuadent unius ejusdemque lecti perenne consortium, utpote valetudini nocivum, ac passionis nimium incentivum (2).

251. Notanda.

Nota. **1°** Jus ad cohabitationem et tori communionem, juxta GASPARRI, o. c., n. 859 et 1074, contra alios, potius ad *integritatem* spectat vinculi conjugalis quam ad ejusdem substantiam.

2° Consortium mensae et vitae domesticae, necnon communis cura prolium, necessariò important quamdam *communionem bonorum temporalium;* hanc autem moderari solet nunc (3) *jus civile* (4), cujus dispositiones, si aliunde justae sint et salvis juris naturalis principiis statutae, observari debent.

3° Juvat attendere ad logicum nexum dictorum, ne videamur circulum vitiosum incurrere. Suprà, n. 216, ad vindicandum jus illud radicale matrimonio pro lubitu utendi, quod conjugibus vidimus agnoscendum, arguimus non ex consortio tori, sed ex consortio mensae ac tecti, quod consortium modò ostendimus ad ipsum finem matrimonii necessarium: ex amplo illo jure ad debitum eruimus jus et obligationem ad consortium tori.

PARAGRAPHUS SECUNDA. *De separatione a toro et cohabitatione.*

I. SEPARATIO A TECTO SEU A COHABITATIONE.

A. **Doctrina Ecclesiae circa separationem.**

252. 1° Separatio a tecto:

Ecclesia docet **1°** separationem seu divortium (5) *quoad torum* et *cohabitationem* (seu mensam, seu mutuam servitutem) posse, positis ponendis, institui inter conjuges, manente vinculo; **2°** eamdem separationem posse fieri *ob multas causas.*

Doctrina Ecclesiae

Utrumque urget Concil. Tridentinum, Sess. XXIV, can 8° (6),

(1) Imo, juxta GASPARRI, o. c., n. 1077, « communio tori formaliter habetur, si, prouti in multis familiis in usu est, uxor et maritus habent quidem distinctum torum et cubiculum, sed cubiculum est contiguum, et cuique in alterius cubiculum et torum liber et facilis patet accessus ». — Hunc usum improbat VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 208, quia « non tantùm faciliores praebet, praesertim marito, adulterii in ipsa domo conjugali patrandi occasiones, sed etiam de se mutuam personarum unionem et quasi fusionem minuit vel impedit; separatio cubiculorum, sic dici potest, mox evadit separatio animorum ».

(2) SURBLED, *La morale,* I, p. 177 ss.

(3) Olim etiam in jure canonico varia de hac re statuebantur. Ita in l. IV. Decr., tit. 20, *De donationibus inter virum et uxorem.*

(4) In codice Belgico, l. III, tit. V, qui titulus inscribitur: *Du contrat de mariage et des droits respectifs des époux.*

(5) Divortium dissolvens ipsum foedus nuptiale dicitur divortium quoad vinculum, seu divortium stricte dictum, plenum, perfectum, dum separatio tori et cohabitationis dicitur divortium latè dictum, imperfectum. Cf. infrà, n. 309. — PETRUS LOMBARDUS, l. IV, Dist. XXXI, B, divortium a vinculo vocat separationem sacramentalem, dum divortium quoad torum et cohabitationem dicit separationem corporalem.

(6) « Si quis dixerit Ecclesiam errare quum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum seu cohabitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse

contra Protestantes, qui ex una parte solam admittunt solutionem vinculi, separationem a toro et cohabitatione, absque vinculi solutione et novi matrimonii ineundi facultate, exhibentes uti novitatem moralitati contrariam; et ex alia parte Ecclesiam accusant quod, contra sententiam Matth., V. 32 et XIX, 9, permittat dissociari conjuges ob alias causas quam ob fornicationem. Eadem doctrina continetur in novo Codice, can. 1129 et 1131.

253. circa separationis honestatem,

Quod spectat *primum* doctrinae punctum: infrà ostendetur matrimonium ratum et consummatum quoad vinculum esse prorsus indissolubile, nec aliam induci posse disjunctionem conjugum praeterquam a toro et cohabitatione; hanc autem separationem a novitatis nota egregie vindicat PERRONE, o. c., III, p. 398 ss.

Porro haec praxis, nedum moralitati sit contraria, sola existit solutio moralitatem salvans, utpote quae sola intactum servat indissolubilitatis principium, ad morum ac socialis vitae incolumitatem adeo necessarium, quemadmodum ex infrà, ad n. 311 ss., dicendis magis innotescet. Profectò durum esse potest conjugi a comparte separato continentiam servare, sed, destructa indissolubilitatis integritate, pejora sequentur mala pro republica (1); caeteroquin vitari non possunt hujusmodi circumstantiae in quibus conjugi aliquando continenter est vivendum ad tempus vel etiam in perpetuum, puta infirmante vel insaniente comparte; nec desunt, in ordine supernaturali, efficacia contra passionis aestum remedia.

254. ejusque causas;

Quod spectat *alterum* punctum, quod Ecclesia scil. alias praeter fornicationis crimen admiserit vel adhuc nunc admittit *causas separationis,* notatim electionem perfectioris vitae, vel haeresim aut provocationem ad peccatum, id non contradicit sententiae evangelicae. Nimirum *S. Matth.,* l. c., loquitur de dimissione ob crimen, non ob causam perfectionis, ob quam matrem vel uxorem dimittenti alibi (2) promittitur centuplum accipiendum et vita aeterna possidenda; inter crimina autem solam recenset fornicationem, quia haec

---

decernit, anathema sit ». « Cujus canonis 8, sicut praecedentis canonis 7, objectum *directum* est damnatio falsae doctrinae de errantia Ecclesiae..., *indirectum* vero sunt *perversae assertiones* pseudoreformatorum de separatione a thoro et cohabitatione ». Ita WERNZ-VIDAL, o. c., n. 644, nota 126.

Cf. THEINER, o. c., II, p. 313 ss., ubi discussiones refert de hoc negotio habitas in Concilio, ac tenorem canonis successive reformati (p. 335, 387 et 425); in prima redactione (p. 313), canon octavus simul comprehendebat canonem qui nunc inscribitur sextus. Cf. ESMEIN, o. c., II, p. 308 ss.

(1) « Le fait est incontestable; le veuvage perpétuel qu'entraine la séparation de corps peut être pénible. Mais à cette considération on a répondu: La législation dans sa marche impitoyable rencontre bien des situations individuelles dignes d'intérêt et de sympathie; elle passe, et en passant souvent elle broie, elle écrase; elle représente l'intérêt de tous, et il y a des misères auxquelles elle ne peut donner que sa compassion ». ALLÈGRE, o. c., t. I, p. 176. Cf. etiam SALSMANS, *Recht. plichtenleer,* n. 116 et infrà, n. 311 ss.

(2) Mt., XIX, 29.

sola causa est separationis de se perpetua, matrimonio propria (1), eique intrinseca (2). Caeterum, juxta interpretationem non spernendam, quae infrà, sub n. 363, proponetur in pericopen S. Matthaei, ibidem nihil docetur circa separationem tecti, sed unice agitur de separatione a vinculo, quae docetur non posse institui nequidem ob fornicationem.

Protestantibus etiam opponi potest: a/ ipsos in jure suo aequivalenter admisisse separationem a toro et cohabitatione, cum diu viguerit statutum a Luthero vindicatum (postea relaxatum), novas nuptias prohibens parti adulterae, quousque vixerit pars innocens (3); ipsos admittere plures causas divortii a vinculo, praeter causam adulterii, non obstante textu S. Matthaei, quatenus imprimis inter causas adnumeraverint malitiosam desertionem, casum Apostoli extendendo ad matrimonia christiana (4), et deinceps successive alias causas, pro variis locis, introduxerint (5).

B. **Causae separationis.**

1° *Adulterium.*

255. determinantur causae :

a/ *adulterium ;*

a/ Quod *in adulterio* habeatur causa separationis, id expressis verbis urget can. 1129 (6); idque suadet jus naturale, cum directe contradicat fidei conjugali.

b/ Requiritur adulterium *α/ consummatum.* Unde non sufficiunt actus non consummati quivis, quantumvis turpes, qualis actus censetur etiam copula attentata, ante seminationem abrupta (7); ex alia parte, sufficit actus completus etiam sodomiticus et bestialis, vel et onanisticus: licet enim per adulterium directe intendatur normalis copula cum tertia persona instituta, huic tamen aequiparanda censetur congressus sodomiticus aut onanisticus, vel bestialitas consummata, cum in hisce habeatur divisio carnis in aliam carnem, adeoque fides conjugalis violetur non minus injuriosè quam in stricte dicto

(1) Reliquae causae sunt aliis confoederationibus communes, et sic ob periculum perversionis foret quaecumque societas deserenda.

(2) « Per illam enim (fornicationem) matrimonii ipsius bonum, quod in fidelitate consistit, directe impeditur atque prorsus destruitur; hinc merito adultera dimittitur juxta illud: frangenti fidem fides non est servanda; caeterae vero causae eidem conjugio sunt extrinsecae ». PERRONE, l. c.

(3) Cf. ROEDENBECK, o. c., p. 115-127. Cf. etiam *ibidem,* p. 71 s., ubi contendit A. etiam nunc juri protestantico conforme esse ut suadeatur ipsi parti innocenti, quod, recedens a parte noxia, maneat innupta, et ultra separationem tecti non procedat. — Caeterum, in Ecclesia Anglicana, in praesentibus admittitur illa separatio tecti, uti videre est apud WATKINS, o. c., p. 427 ss.

(4) ROEDENBECK, o. c., p. 72 ss., coll. infrà, n. 369.

(5) *Ibidem,* p. 112-115; VERING, o. c., par. 263, p. 943 ss., coll. infrà, n. 369.

(6) Item c. 4 et 5, X, IV, 19.

(7) Minus placet, theoretice loquendo, sententia quam tuetur CAPPELLO, o. c., n. 826, quatenus causam separationis inducat copula adulterina absque seminatione. Dicimus: « theoretice loquendo », quia cum laudato Auctore consentimus in hoc quod practicè satis erit passim ut constet de copula, utpote quae praesumitur per seminis effusionem completa.

adulterio (1); non sufficeret autem sodomiticus congressus, etiam violenter peractus, cum propria uxore.

β/ *formale,* ita ut non sufficiat adulterium merè materiale, putà si vir fuerit deceptus, vel bona fide ad mulierem accesserit non suam, neque sufficiat adulterium coactum, putà si uxor fuerit oppressa; debet autem esse adulterium formale, quia separatio conceditur contra delinquentem in poenam.

γ/ compartis adulterio *non compensatum:* haec scilicet exceptio, quae sponte intelligitur, cum paria crimina compensatione mutua deleantur, in antiquo jure c. 4, X, IV, 19 et c. 7, X, V, 16, jam inserta (2), explicitè admittitur in canone 1129, § 1 (3); item valet de casu quo altera pars in crimen consenserit aut eidem causam dederit, juxta eumdem can. 1129, § 1, coll. c. 6, X. IV, 13, puta directe ad adulterium incitando vel uxorem prostituendam tradendo.

δ/ *non condonatum,* quia compars, delictum expressè vel tacitè condonando, censetur juri suo adulterum dimittendi renuntiasse; tacitè autem condonat, alteram partem, quam novit ream, sponte admittendo ad usum matrimonii (4).

2° *Apostasia vel haeresis,* matrimonio superveniens (5).

256. b/ *apostasia vel haeresis;*

Causa haec, in antiquo jure jam admissa (c. 6, X, IV, 19), inseritur in novo jure, can. 1131, § 1, sub hoc tenore quod alteruter conjux nomen dederit sectae acatholicae. Causa illa censetur a jure inducta partim ex analogia cum fornicatione, quatenus defectio ad haeresim esset fornicatio spiritualis (6); partim ex analogia cum casu Apostoli, in quo parti fideli effectae licet deserere partem infidelem, ac imo, positis ponendis, novum matrimonium inire. Cf. c. 7, X, IV, 19.

257 c/ *periculum grave animae vel corporis;*

3° *Periculum grave pro anima vel corpore.*

Periculum obtinet *pro anima,* si una pars ab altera provocatur ad peccatum, nec efficaciter provocationi illi sese substrahere potest aliter quam per separationem, uti facilè obtinebit in casu quo vir

(1) Cf. c. 11, C. XXXII, 4 et c. 5 ac 6, C. XXVIII, 1, ubi Gratianus, in hoc sequens S. Augustinum, adulterio, quod spectat praesens negotium, aequiparandum (immerito) ducit non modò omnem illicitum concubitum, sed et omnem illegitimum usum membrorum genitalium, ac etiam fornicationem spiritualem, uti apostasiam, haeresim, provocationem ad malum. Cf. FREISEN, o. c., p. 836 s. — Jam HERMAS, *Mandatum IV,* cap. I, 9 (FUNK, *Patres Apostolici,* I, p.395), moechiae aequiparat apostasiam, et ob hanc causam, non secus ac ob illam, indulget separationem: « non solum adulterium est si quis carnem suam coinquinat, sed etiam quicumque similia facit ac gentiles adulter est ».

(2) Cf. jam C. XXXII, qu. 6, ubi varii textus antiquiores adducuntur a Gratiano.

(3) Non ita liquet utrum adulterium ab altera parte admissum, postquam sententia fuerit lata contra priorem partem adulteram, ab illa auferat jus recedendi.

(4) Ita can. 1129, § 1 et § 2, ubi additur condonationem *praesumi,* « nisi sex intra menses conjugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit ».

(5) Sane infidelitas vel haeresis, nuptiis praevia et ab altera parte nota, non praebet causam separationis.

(6) Cf. modò suprà, in nota 1.

non vult abstinere a copula cum palliolo (1); item in casu supervenientis impotentiae, quotiescumque per solam separationem tecti vitari potest proximum incontinentiae periculum. Et sanè Christus Dominus urget omnia esse derelinquenda quae scandalo sunt, etiam oculum eruendo, si opus sit, vel manum abscindendo. Id explicite admittit can. 1131, § 1.

Grave periculum *pro corpore* potest provenire ex saevitiis aut gravibus minis mortis, vel ex insania aut contagione morbi (2): cui ultimo periculo si efficaciter occurri potest per separationem a solo toro, non est abrumpenda cohabitatio. Periculo autem corporali aequiparari posset grave admodum detrimentum uni parti imminens in bonis fortunae, ob nimiam compartis prodigalitatem; sed hîc passim satis erit recurrere ad separationem bonorum, de qua Cod. civ., art. 1443.

d/ *educatio acatholica prolium;*

4° *Educatio acatholica prolis* a comparte procurata. Can. 1131, § 1.

e/ *vita criminosa et ignominiosa;*

5° *Vita criminosa et ignominiosa,* a comparte ducta. *Ibidem.*

Nota. 1° Causae propositae non proponuntur taxative, sed exemplative potius, cum, in can. 1131, § 1, post factam enumerationem, addatur: « haec aliaque id genus... ».

258. jam non electio vitae perfectioris.

2° *Hucusque* a matrimoniali consortio recedere licebat intuitu amplectendae vitae perfectioris, intuitu scil. ingrediendae religionis vel suscipiendi ordinis sacri, quatenus a/ *mutuo consensu,* et salvis cautelis mox (n. 266) describendis, conjugibus licebat vitam perfectiorem amplecti, separatione instituta; quatenus b/ uni conjugi, *invita etiam comparte,* integrum erat, per primum bimestre, quousque matrimonium non fuerit consummatum, deliberare de ingredienda religione eamque reipsa ingredi; quod ipsi etiam concedebatur post matrimonii consummationem vi aut dolo extortam.

Sub nova disciplina Codicis vix locus adhuc est huic separationis causae. Praeterquam enim quod in canone 1131, ubi separationis causae enumerantur, illius mentio non occurrit, statuitur, in can. 542, invalide ad novitiatum admitti, adeoque, attento can. 572, § 1, num. 3, invalide profiteri conjugem, durante matrimonio; in canone autem 987, inter simpliciter impeditos ab ordine, enumerantur (n. 2) viri uxorem habentes. Potest tamen a S. Sede obtineri, in casu exceptionali, dispensatio apostolica (de qua can. 132, § 3) ad majorum ordinum susceptionem, et tenor can. 1119 supponit conjugi posse permitti professionem sollemnem: quae dispensatio non concedetur nisi sub conditione et cum cautela efficaciter excludente omne maritale consortium. Cf. infrà, n. 266, coll. suprà, n. 230. Quodsi conjugatus « sine dispensatione apostolica ordines majores, licet

(1) *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 702 s.

(2) In *Instructione pastor. Eystetten.*, n. 553, citatur « lepra-maligna, phtysis confirmata, pulmone jam in corruptionem abeunte, morbus gallicus » seu syphilis; nota tamen quod syphylis periculum oritur potius ex copula quam ex cohabitatione. Cf. suprà, n. 235.

bona fide, suscepit, ab eorumdem ordinum exercitio prohibetur ». Can. 132, § 1.

259. Observationes practicae.

Scholion 1^m. Posita causa separationis, pars innocens (1) *per se potest,* salva cautela sub n. 260 ss. indicanda, recedere a comparte eamve dimittere; passim autem *non debet* (2), nisi casu exceptionali quo compartis consortium, pro ipsa vel prolibus, proximo esset periculo perversionis, aut scandalum pareret.

Per accidens nonnunquam potest conjux innoxius, saltem secluso adulterii casu, ad non utendum jure suo obligari *ex charitate,* sive erga compartem resipiscentem, sive erga proles, puta ne in paupertatem redigantur vel notam infamiae incurrant: imo, etiam ubi deest charitatis obligatio, plerumque praestat (ac in hunc sensum prudenter, et omnibus rite perpensis, est adlaborandum a parocho et confessario) ut ad separationem non deveniatur, cum tot ac tanta mala soleant exinde oriri, tum pro conjugibus, tum pro prolibus et integra utriusque conjugis cognatione.

2^m. *Adulterium* (in sensu et intra limites sub n. 255 descriptos) est causa separationis *de se perpetuae,* ita ut non sit cogenda pars innocens derelictam compartem, etiam emendatam, unquam reassumere (3).

Aliae causae sunt *de se temporaneae,* et, si cessant, puta si pars in haeresim lapsa convertatur, vel si provocans ad peccatum resipiscat, restauranda est vitae communio (4). Excipe casum quo separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus: tunc « conjux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore ». Can. 1131, § 2.

3^m. In supposito quod *matrimonia infidelium* subsunt jurisdictioni Principis civilis, quemadmodum probabilius asserendum infrà ostendetur, obnoxia etiam sunt dicta conjugia causis separationis in jure civili admissis.

C. Cautela.

260. Cautela adhibenda de adeundo judice ecclesiastico :

Cautela spectat *interventum auctoritatis ecclesiasticae.* Nimirum

1° *Ex jure communi:*

a/ *attento jure communi,*

Regula est conjuges *non posse* instituere separationem tecti privata auctoritate et *absque Ordinarii interventu.* Can. 1131, § 1.

Ratio est quia negotium separationis spectat forum externum, adeoque tractandum est a judice fori externi, qui est Ordinarius.

---

(1) Pars *rea* non potest recedere; imo, a parte innocente derelicta, debet sese paratam habere ad reinstaurandum vitae consortium.

(2) Olim, in quibusdam regionibus, *vir* non *poterat* conservare uxorem *adulteram,* nec etiam emendatam reassumere, uti eruitur ex citatis textibus apud ESMEIN, o. c., II, 91, s. Cf. etiam S. BASILIUM, in epist. 188 (canonica 1ª), can. 9 (*Migne* XXXII, col. 674), ubi refert illam consuetudinem, simul ac alteram, quam fatetur S. Scripturae minus consentaneam, quatenus mulier virum cum tertia persona innupta fornicantem retinere debeat. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 639, nota 105.

(3) Can. 1129, § 1 et can. 1130, ubi enuntiatur conjugem nulla unquam obligatione teneri compartem adulteram rursus admittendi ad vitae consortium; posse tamen eamdem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu illa compars statum matrimonio contrarium susceperit.

(4) Can. 1131, § 2. Cf. apud *Canon. Contemp.,* 1908, p. 157, causam separationis ob saevitias viri institutae, in qua uxor fuit a Curia episcopali coacta ad reinstaurandum consortium conjugale.

Distinctio inter causam separationis perpetuae et causam separationis temporaneae non est inducta nisi post Decretistas. Cf. FREISEN, o. c., p. 837.

Excipitur a/ casus *adulterii.* Canon enim 1129, § 1, simpliciter affirmat adulterium comparti conferre jus solvendi vitae communionem, quin exigat interventum Ordinarii, dum can. 1131, § 1, causas alias separationis determinat, addendo eas discessum legimitare « auctoritate Ordinarii loci », extra casum urgentem (1). Ulterius tenor can. 1130 et can. 1129, § 2, manifestè supponit partem innocentem separationem a parte adultera instituere posse propria auctoritate (2). Supponitur autem adulterium esse certum et etiam, ut exigentiis fori externi fiat satis, publicum (3).

b/ Extra casum adulterii: *urgens necessitas,* supposita certa praesentia alius (praeter adulterium) causae legitimae separationis. Can. 1131, § 1, in fine.

Salva igitur hac duplici exceptione, recurrendum est *ad Ordinarium,* qui declaret vel judicet locum esse separationi: quotiescumque scil., extra casum urgentem, alia praeter adulterium causa invocatur (4), vel quando adulterium incertum est vel occultum (5). Imo practicè loquendo praestat ad separationem definitivam non procedere nisi praevio judicio Ecclesiae, etiam ubi adulterium certum videtur et publicum, eo vel magis quod facilè locus est errori ac exaggerationi.

261.
b/ *attento jure particulari Brugensi.*

2° *Ex jure dioecesano Brugensi :*

« *Nulli conjugum* licet, cum proposito separationis, domum conjugalem deserere proprio marte et *inconsulto parocho* » (6).

Nempe, seposito casu urgentis periculi, in quo sane licita est privata separatio provisoria, semper *consulendus est parochus,* antequam a conjuge instituatur separatio a toro et a cohabitatione, dimissa vel derelicta comparte, *etiamsi publicè constet de adulterio.*

Parochi autem est causam instruere, non vero judicaliter dirimere: judicium pertinet ad *Ordinarium,* judicem scil. fori externi, ad quem, *extra casum adulterii certi ac notorii* (7), res est deferenda, ea tamen lege ut *decani,* sic disponente Episcopo (8), possint permittere *provisoriè,* « pro

(1) Textus juris quos adducit ESMEIN, o. c., II, p. 89, ad vindicandam necessitatem interventus judicis ecclesiastici, spectant divortium a vinculo.

(2) Confirmatur ex c. 9, X, IV, 1, ubi docetur non posse (propria auctoritate) dimitti compartem sine manifesta fornicationis causa.

(3) C. 2, X, II, 16; c. 9, X, IV, 1; c. 4, X, IV, 19.

(4) Docebat GASPARRI o. c., n. 116, *temporaneam* separationem proprio marte fieri posse ex causa haereseos vel apostasiae. Addit autem GENNARI-BOUDINHON, o. c., 1re Partie, I, p. 384, casum quo quis non valeret in foro externo probare existentiam causae sufficientis.

(5) Vix intelligitur quomodo a nonnullis Auctoribus dicatur posse, in casu adulterii certi sed occulti, separationem propria auctoritate institui *in foro conscientiae:* separatio enim semper interest fori externi.

(6) Decretum Congreg. Prosynodalis Brugensis anni 1893, in qua eadem Congregatione praescriptum est parochis, in locis ubi istiusmodi separationes frequentiores sunt, in hunc sensum fideles monere, maximè appropinquante tempore Paschali, praelecta formula quam exhibet *Liber manualis,* p. 101. Cf. *Acta Congr. Prosyn.,* tom. V.

(7) *Acta Congr. Prosyn.* anni 1908 apud *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 431.

(8) *Statuta dioec.,* p. 69.

fidelibus sui districtus, separatonem a toro et cohabitatione, cum relatione ad Ordinarium, *si intra duos menses* non fuerint reconciliati ».

Quibus attentis, en *normam* in praxi servandam: *262. Norma practica.*

a/ Conjuges qui putant sibi praesto esse causam separationis instituendae debent, in omni casu non urgente, *adire parochum*, eique negotium exponere; ac in hunc sensum sunt monendi a confessario.

b/ Parochus causam instruet; et, si reperit adesse causam adulterii certi ac notorii, declarabit separationem posse institui, absque ullo recursu. Contrà, si alia invocatur causa, debet rem deferre coram Episcopo vel decano, nec potest separationem a toro et cohabitatione permittere, nisi praevie obtenta licentia ab Episcopo, vel provisoriè a decano: ad hunc recurratur tunc praesertim quando brevis praevidetur separatio, vel tempus deest Episcopum adeundi.

c/ Si Episcopus separationem concessit *perpetuam*, sufficit licentia semel obtenta; si vero *ad tempus* est concessa, v. gr. ad annum, vel ad sex menses, tempestive est renovanda. Ad hoc habeant parochi elenchum conjugatorum, qui in parochia, cum licentia Episcopi, ad tempus separati vivunt, eumdemque elenchum tempore debito ad Ordinarium remittant, pro licentia, si opportunum judicetur, confirmanda et proroganda, sedulò notando utrum ipsorum conditio respectiva mutationem subierit vel non (1).

d/ Si contingat conjugem propria auctoritate separationem jam instituisse, ac cohabitationem reinstaurare renuere, debet *parochus*, salva exceptione facta, ipsius statum coram Episcopo, vel, si brevi desinitura speratur separatio, coram decano exponere, ejusque decisionem exspectare; *confessarius* autem eosdem absolvere non potest nisi eos praevie monuerit (2) de obligatione adeundi parochum, cui extra-sacramentaliter vitae conditionem exponant, eosque paratos reperit injunctam obligationem exequendi.

Nota. Parochus cui competit causam instruere intelligitur parochus *proprius* conjugum seu utriusque conjugis, i. e. parochus domicilii vel quasi-domicilii conjugalis, si agitur de separatione *instituenda;* si agitur de separatione *jam instituta*, intelligitur parochus proprius partis quae separationem peregit, si forte domicilium vel quasi-domicilium elegerit extra parochiam conjugalis habitationis.

263. Casus conjugis derelicti;

Scholion 1^m^. Casus *conjugis derelicti* dicto statuto dioecesano non comprehenditur, adeoque ex principiis generalibus est solvendus.

Non deberet proinde parochus adiri, sicut nec Ordinarius, quando conjux quae compartem dereliquit, reus est adulterii certi ac notorii. Extra vero hunc casum, deferri deberet negotium ad Ordinarium et ab eo obtineri sententia separationis, idque etiam in casu notae *malitiosae* desertionis. Quod alterum eruitur ex collatione

(1) Attendant etiam hospitiorum rectores utrum, inter senes hospitio receptos, fortè non dentur quorum uxor in alio quodam instituto seorsim degat: sunt tractandi hujusmodi tanquam conjuges a cohabitatione separati, et de eorum conditione referendum est ad Ordinarium.

(2) « Seponitur casus bonae fidei, quo praevidetur futurum ut poenitens monitus nollet acquiescere, et aliunde absit scandalum ». *Collat. Brug.*, t. I, p. 634.

cum canone 93 solutionis datae ad dubium I, a *Comm. Pont. pro interpret. Codicis* diei 14 Julii 1922 (A. A. S., XIV, p. 526): inde apparet uxorem malitiosè desertam non censeri legitimè separatam « nisi a judice ecclesiastico obtinuerit separationem ».

264. conjugis absentis.

Scholion 2^m^. *Absentia* a domo conjugali *regulariter* non importat separationem a cohabitatione, et potest ab uno conjuge, de consensu alterius, institui *absque ullo auctoritatis interventu;* imo potest abesse *vir,* rationabili de causa, ad breve tempus, absque uxoris consensu, puta officii aut commercii gratia.

Potest tamen absentia veram separationem inducere a cohabitatione, puta quando alterutra pars in dissitam regionem abire intendit non reversura, comparte eam sequi detrectante; quo casu normae descriptae forent observandae circa necessitatem causae canonicae necnon recursus habendi ad parochum et ad Ordinarium: conjux scilicet recedens esset tractandus tamquam separationem instituens, altera autem pars esset habenda tamquam derelicta, eaque culpabilis vel inculpabilis, prouti, juxta dicta sub n. 249, compartem sequi debeat necne.

265. Quid de cura prolium.

Scholion 3^m^. Juxta canonem 1132, « instituta separatione, filii educandi sunt penes conjugem innocentem, et, si alter conjugum sit acatholicus, penes conjugem catholicum, nisi, in utroque casu, Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, aliud decreverit ».

Scholion 4^m^. In memoriam revocatur dispositio can. 93, quatenus uxor legitimè separata, separatione perpetua aut in indefinitum, possit acquirere proprium domicilium facti; quousque vero non est legitimè separata, necessariò sequitur domicilium viri. Cf. suprà, n. 46.

266. Olim servanda cautela circa amplexum status perfectioris.

Nota. Specialis *olim* observenda erat cautela in casu separationis, *perfectioris vitae intuitu* peractae.

Exigebat Ecclesia ut, quotiescumque conjuges *mutuo consensu* separari cupiebant, a/ vel ambo Religionem ingrederentur stricte dictam, vel b/ unus eam amplecteretur ac sollemniter profiteretur, dum altera pars, senex et de incontinentia non suspecta (1), aut ordines susciperet, aut castitatem voveret, sive in congregatione religiosa, quae non sit Ordo stricte dictus, sive etiam in saeculo servandam (2).

Hanc tamen juris dispositionem nonnunquam dispensando mitigabat Ecclesia ut v. gr. viro aetate florenti permitteret, post uxoris sollemnem professionem, ordinum susceptionem, vel ut sineret, viro Religionem pro-

(1) Episcopi erat de hoc judicare; generatim in hac re senex censebatur mulier 50, et vir 60 annorum.

(2) Votum illud emittendum erat coram Ordinario ejusve delegato et duobus testibus, ut de eo rite constaret.

fitente, uxorem juniorem in saeculo vovere castitatem, vel etiam, marito ad ordines ascendente, uxorem senescentem votum castitatis extra Religionem emittere (1). — Nunc, in novo jure, non est locus huic cautelae adhibendae, cum, attentis dictis sub n. 258, coll. n. 230, jam non admittatur separatio conjugum intuitu perfectioris vitae, nisi in casu omnino exceptionali quo ex dispensatione apostolica permittitur susceptio ordinis sacri vel religionis ingressus: quae dispensatio non concedetur nisi efficaciter excluso omni maritali consortio.

II. SEPARATIO A TORO.

267.
2° Separatio a toro.

Separatio a solo toro *per se* fieri *potest,* praeterquam in casibus in quibus institui licet divortium a toro et cohabitatione, quotiescumque in hoc mutuò conveniunt conjuges, vel etiam, invita comparte, quotiescumque alterutra pars jus habet denegandi debitum juxta limites suprà delineatos; separatio autem illa potest institui *privata auctoritate,* cum consortium lecti non pertineat ad forum externum.

Ubi autem conjux potest tori separationem instituere, ad id *non tenetur,* nisi casu quo usus matrimonii utrique conjugi factus est illicitus, v. gr. ratione supervenientis impotentiae; imo, salva memorata exceptione, saepe praestat ad dictam separationem non procedere ob varia incommoda vitanda, ac fieri etiam potest ut ab illa separatione instituenda prohibeat *charitatis* praeceptum, putà ad incontinentiae periculum vitandum in comparte. Quod vero spectat separationem mutuo conjugum consensu instituendam: non est ad eam procedendum nisi remoto omni penes utramque partem incontinentiae periculo; qua supposita periculi remotione, hujusmodi separatio tori, intuitu continentis vitae degendae, laudanda est et a confessario prudenter promovenda.

Scholion. Legislatio civilis.

268.
Legislatio civilis.

Supprà vidimus, n. 249, a legislatore nostro civili agnosci ac urgeri jus et obligationem ad cohabitationem, in viri arbitrio relicta domicilii electione.

Quod spectat *separationem* a toro et cohabitatione (2), quam vocat « séparation de corps », ita disponit art. 306: « *Dans les cas où il y a lieu à la demande en divorce* pour cause déterminée, *il sera libre aux époux de former demande en séparation de corps* ».

Nimirum lex civilis non permittit separationem corporum ex mutuo

(1) Cf. BENED. XIV, *De Synodo dioec.,* l. XIII, c. XII, n. 16; FEYE, o. c., n. 500-513 et n. 524; ROSSET, o. c., t. VI, n. 3932-3944. Exemplum concessionis, sub ultima relata forma peractae, exhibent *Anal. eccl.,* 1904. Cf. etiam LEITNER², *Lehrb.,* p. 199. Erant etiam qui ad hoc ut uxor senescens posset in saeculo vovere, marito ad ordines ascendente, non requirebant dispensationem, censentes hujusmodi votum, in dictis adjunctis emissum, constituere impedimentum matrimonii dirimens, adeoque professioni sollemni aequiparari (cf. SANTI, o. c., in l. III, tit. 32, n. 9; OJETTI, *Synopsis,* II, n. 1858, V° *Divortium*); sed hoc non videtur admittendum, uti dicetur ad n. 570.

(2) Circa separationem a solo toro nihil statuitur in jure civili.

conjugum consensu, qui sufficit, juxta tenorem art. 233, ut obtineatur, positis ponendis, sententia sic dicti divortii a vinculo; requiritur existentia unius alteriusve ex *causis determinatis,* quae postea fusius describentur, quaeque reducuntur ad adulterium (1), necnon ad excessus, saevitias et injurias graves, sic providentibus articulis 229, 230 et 231.

Porro ad legitimam corporum separationem opus est sententia judicis, quemadmodum ex tenore citati art. 306 liquet.

ARTICULUS 3[s]. **De mutuo amore et adjutorio.**

269. Plura urgent conjuges ad mutuum amorem,

Ex primario fine matrimonii eruendum vidimus quod vinculum conjugale importat, pro conjugibus, jus et obligationem ad debitum conjugale, ad educationem prolis conceptae, necnon ad consortium tecti ac tori.

Porro non intelligitur adeo intima ac individua vitae consuetudo, quae exinde inter conjuges inducitur, quatenus sibi invicem ad exclusionem alterius personae adhaereant, diu noctuque sub eodem tecto viventes, eodem toro utentes, ac communi conatu et consorti industria ejusdem prolis educationi adlaborantes, non intelligitur, inquam, nec, teste experientia, firma consistet illa vitae consuetudo absque intima plane unione animorum, per constantem amorem solidata, absque mutuo etiam adjutorio ad invicem praestando in variis vitae domesticae necessitatibus.

In dictam caeteroquin mutuam dilectionem *inclinat natura,* qua movente vir sponte sua rapitur in amorem mulieris, et vicissim; sub cujus amoris influxu quaerent sibi invicem subsidio esse et adjutorio.

Hunc etiam amorem fovet et *nutrit* ipsa maritalis *copula,* qua una caro efficiuntur nupti, illumque vehementer promovet et firmat proles ex mutua unione concepta, et quasi amoris fructus et pignus existens.

Ad illam etiam dilectionem conjuges compellat *S. Paulus, ad Eph.,* V, v. 23 ss., ut se mutuo qua seipsos diligant, utpote in unam carnem convenientes: « Viri, ait, (et vicissim mulieres) debent diligere uxores suas ut corpora sua; qui suam uxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam ».

270. eumque sanctum ac supernaturalem.

Quem tandem amorem ut, inter christianos, *sanctus sit et supernaturalis,* eloquenter urget S. FRANCISCUS SALESIUS, o. c., P. III, c. 38: « Nihil est, o conjuges, si quis vobis dicat naturali amore invicem diligere, nam et turtures conjugati id faciunt: ut nec si quis diceret humano quodam amore vos mutuô amare, cum et ethnici hunc amorem habuerint; sed, praeeunte mihi magno Apostolo, vobis dico: viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et, viceversa, uxores, diligite maritos vestros sicut Ecclesia suum Salvatorem. Deus fuit qui Evam ad primum generis nostri parentem adduxit, eamque illi in conjugem dedit; Deus quoque est, charissimi, qui sacrum matrimonii vestri vinculum ac nodum invisibili sua manu convinxit, et unum donavit alteri: cur ergo amore quodam sanctissimo, sincerissimo ac divinissimo invicem non complectimini? » (2).

---

(1) Sufficit *adulterium uxoris* ut vir possit separationem provocare; a parte *viri,* ut contra illum uxor valeat ex capite adulterii separationis sententiam obtinere, *requiritur,* in codice nostro, *ut concubinam retinuerit in domo conjugali;* videbimus tamen adulterium, absque concubinae retentione in domo conjugali, posse inducere causam divortii, adeoque et separationis, ratione gravis injuriae quam importat.

(2) Juvat hic etiam referre dicta J. L. VIVIS, *De officio mariti,* Brugis, 1529: « Terrestris amor coecus est, abjectus, obscoenus, circa vilia et spurca; nam praestantiora illa nunquam intuetur, coelestis vero amor oculatus, virtutis rerumque vere pulcher-

Profectò *maritus,* uti jam notavimus, *princeps est familiae,* et caput mulieris. Uxor debet esse subdita marito (1), cui competit regimen familiae, assumpto simul onere protegendi uxorem, eique de honesta sustentatione providendi; principatus autem viri optimè consistit cum amore mutuo, imo mutua dilectione temperatur: non est habenda uxor ut ancilla, sed ut dilecta socia, ut amica conciliatrix, omnibus vitae domesticae negotiis et arcanis miscenda (2).

271. Jus civile.

Nota. In *jure nostro civili,* juxta art. 212: « Les époux se doivent mutuellement fidélité (3), secours (4), assistance (5) »; et juxta art. 213: « Le mari doit protection à sa femme, la femme obéissance à son mari » (6).

---

rimarum et coelestibus similium cognatarumque affectator. Mariti qui uxorum vel formam vel pecuniam amant terrestri amori sunt subditi et excoecati, nec in amando rationem neque modum ullum norunt; qui vere mariti sunt et animas et virtutes diligunt, ii non carent judicio in amore, et coelestis illius amoris vi et spiritu quodam inflati prudentissime amant, amorque ille purus et sanctus non impellit illos aut praecipitat, quod facit terrenus violentia, sed sapienter persuasos molliter quo oportet adducit. Amat sapiens maritus uxorem et quidem validissime, sed ut parens filium, ut caput corpus, ut animus carnem, ut Christus Ecclesiam ». Cf. etiam EHRLER, o. c., p. 27 ss., ubi insistit in inanitate amoris, qui solum nitatur in corporali specie aut unice passionis aestu nutriatur.

(1) *Ep. 1ª Petri,* III, 1; *1ª ad Cor.,* XI; *ad Eph.,* V, 22 ss.; *ad Coloss.,* III, 18 et *1ª ad Timoth.,* II, 10. Caeterùm est « res plusquam evidens, virum, per se loquendo, mulieri longe praestare, sive physiologicè sive psychologice consideretur quoad corporis et animi dotes, inspecta praesertim maturitate consilii et constantia voluntatis, quae duo ad ceteros regendos omninò requiruntur ». SCHIFFINI, o. c., n. 391, sub III, ubi notat S. Paulum, in *1ª ad Tim.,* l. c., ad urgendam subjectionem uxoris provocare ad naturalem imbecillitatem mulieris, quatenus « Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit ».

Nec obstat quod quaedam mulieres aptiores sunt ad regimen quam viri, cum hoc sit per accidens.

(2) Cf. Encyclicam *Arcanum* Leonis XIII: « Vir est familiae princeps et caput mulieris; quae tamen, quia caro est de carne illius et os de ossibus ejus, subjiciatur pareatque viro in morem non ancillae sed sociae; ut scilicet obedientiae praestitae nec honestas nec dignitas absit. In eo autem qui praeest, et in hac quae paret, cum imaginem uterque referant, alter Christi, altera Ecclesiae, divina charitas esto perpetua moderatrix officii ». Cf. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 189; *Catech. Conc. Trid.,* P. II, c. VIII, n. 26 s.

Cf. etiam Conc. Mechlin. quartum, decr. 82, ubi additur: « Laudandi porro sunt conatus illorum qui, apta ipsius juris civilis reformatione, uxoris dignitati magis consulere proponunt. Limites vero excedunt ac ordinationi divinae adversantur, qui omnimodam aequalitatem inter virum et uxorem prosequuntur, omni subjectione mulieris ad maritum repudiata ».

Consulatur etiam circa mutuam viri et uxoris relationem in matrimonio, et connexum problema *feminismi,* coram lege *naturali et christiana,* S. THOMAS, *Suppl.,* qu. 64., art. 5; C. WILLEMS, *Philosophia Moralis,* Treviris, 1919, p. 368 s.; CASTELEIN, o. c., p. 540 ss., et p. 562 ss.; SERTILLANGES, *Feminisme et christianisme,* Paris, 1908, p. 243-277; SALSMANS, *Recht. plichtenleer.* n. 231; LEITNER, *Lehrb.,* p. 558 ss., collatis p. 38 ss, quo altero loco ostendit quantum inferiori gradu olim habita sit mulier apud gentes.

(3) Huic officio opponitur *adulterium,* quod in cod. poenali, a. 387 ss., gravibus poenis plectitur, praesertim ex parte uxoris sed unice in casu quo poenam infligendam postulat compars in jure suo laesa.

(4) « Le devoir de *secours* consiste dans l'obligation... de fournir à son conjoint tout ce dont il a besoin pour vivre ». PLANIOL, o. c., I, n. 904.

(5) « L'*assistance* ne se confond pas avec le secours: elle consiste dans *les soins personnels* à donner au conjoint malade ou infirme ». *Ibidem,* n. 917.

(6) Vi principii, articulo 213 asserti, vir est princeps familiae, ipsique obnoxia est uxor et ab ipso protegenda: constituitur in statu quasi-minorennitatis respectu viri et quasi sub ejus tutela. Porro *uxoris subjectio* potissimum apparet in obligatione sequendi mariti domicilium (de qua suprà, n. 249), in participatione legali nominis et nationalitatis mariti (art. cod. civ. 12 et 19), et maximè in incapacitate juridica uxoris, quatenus, de regula generali, non queat actus juridicos exercere validè absque licentia viri (art. 215 ss.). Jam non existit jus correctionis corporalis olim vigens, de quo videsis PLANIOL, o. c., I, n. 922; LOTTHÉ, o. c., p. 27 ss.

Illam uxoris incapacitatem fusè describit PLANIOL, o. c., I, 930 ss. Cf. ulterius

ARTICULUS 4°. **De cura et educatione prolium.**

272. Jus et obligatio educandi prolem.

I. **Jus** et **obligatio** pro parentibus liberos educandi immediatè deducitur ex natura matrimonii ejusque fine primario generandi et *informandi* prolem, hoc attento quod proles non valeat propriis viribus consequi corporis et animae incrementum ac perfectionem.

Ipsa autem naturae inclinatio vehementer urget parentes ut filios sicuti seipsos foveant, ac omni cura circumdent; urget etiam infantes ut ad parentes quasi ad naturales suos educatores recurrant (1).

Caeterum si ad parentes non spectaret informatio prolium, haec negligeretur ac rueret Providentiae ordo: illud enim onus frustrà committeretur hominibus indeterminatè, cum onus omnibus incumbens a nemine assumatur, ac illogicè diceretur illud officium incumbere societatis principi, cum societas civilis praesupponat societatem domesticam ritè constitutam, siquidem ex praeexistentibus familiis coalescit (2). Non remanet igitur nisi ut parentibus illud officium demandetur.

Obligationem illam prolem educandi urget can. 1113: « Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi ». Item Conc. Mechlin. quartum, decr. 88 (3).

II. Educatio importat

A. Circa **corpus:**

273. Quid importet educatio corporis;

1° Quod proles *concepta* ab omni nocumento servetur immunis, quodque curetur ut sana et valida in lucem edatur; quare matri praegnanti abstinendum est ab hujusmodi laboribus qui abortus periculum inducere, vel conceptae proli utcumque nocere sunt nati.

VAN BIERVLIET, *Ons Burgerlijk Wetboek*, Antwerpen, 1904, ubi ostendit hunc conceptum esse mutuatum ex antiquo jure germanico; p. 2, suggerit in hoc mutationem introductum iri in jure Belgico, mediante coetu revisioni codicis civilis praeposito, ac notat jam inductam esse moderationem favore legis 10 Martii 1900 (SERVAIS ET MECHELINCK, *Les Codes Belges*, p. 1014 ss.). Cf. etiam DEVOS, *De Gehuwde Vrouw;* SERTILLANGES, l. c.,; CASTELEIN, o. c., p. 576 ss. Comparationem inter regimen Codicis Napoleonis et regimen Codicis novi Germanici, in quo capacitas juridica vix non integra servatur uxori, comparationem, inquam, illam egregie instituit CRÉTINON, o. c., p. 169-171; cf. etiam SALEILLES, *La condition juridique de la femme dans le nouveau Code civil allemand*, apud *Réf. Soc.*, t. 42, p. 717 ss.; necnon *Rev. eccl. de Metz*, 1901, p. 203 ss.; ac TERLINDEN, l. c., circa disciplinam novi codicis civilis in Helvetia, p. 19 ss., signanter p. 30-38, coll. etiam duobus articulis, in *Revue cath. de droit* (1911), p. 205-256 ,circa moderandum systema vigens « du régime matrimonial ».

(1) Idem sancit lex nostra civilis, art. 203: « Les époux contractent ensemble, par le fait seul du mariage, l'obligation de nourrir, entretenir et élever leurs enfants ».

(2) « Nequit ergo, salvo ordine logico, munus educandi, quod, *intuitu finis interni et essentialis familiae,* immediatè naturaliter necessarium esse intelligitur, *postero* alicui instituto sociali, praesenti necessitati nondum coexistenti, nec omnino possibili, nisi huic antecedenter satisfactum fuerit, naturali providentia esse commissum ». MEYER, o. c. n. 106.

(3) Lege, circa jus et officium educandi prolem, titulum IX, in sectione morali, ejusdem Concilii.

2° quod proles *nata* (1) etiam debitè sustentetur (2), ipsi praestitis alimentis et physicae educationis adminiculis, quae parentum conditioni et fortunae conveniunt, in hoc adhibita mutua utriusque parentis industria (3).

3° quod parentes pro viribus provideant proli ut postea possit sibi victum et honestam sustentationem comparare, sive ope haereditatis ipsi relinquendae, sive ope artis manualis quam didicerit, sive ope instructionis quam acceperit.

274.

B. Circa **animam**: educatio importat *animae.*

1° *In ordine naturali:*

Quod parentes indefesso labore et communi industria promoveant educationem prolis, tum intellectualem, tum moralem et religiosam, intellectum ornando ac voluntatem informando, in prolibus, ab ima infantia (4), opere et sermone, verbis et exemplis, inculcando principia sanae moralitatis, odium peccati, amorem virtutis ac sanctum timorem Dei, sedulò invigilando ut a filiis diligenter avertantur omnia quae candidam ipsorum mentem maculare queant, eosque religiosis magistris tradendo, nec aliis quam honestis ac morigeris famulis et ancillis curandos committendo (5).

---

(1) Monet BENED. XIV, *De Syn. dioec.*, l. IX, c. VII, n. 9 ss., matrem ad prolem proprio lacte nutriendam teneri, ab eo tamen munere excusari posse, signanter ratione infirmae valetudinis: « idcirco, concludens addit, Episcopus, ne novatoris notam obtineat, abstinere debet a praefato praecepto ferendo, sed potius nobiles et divites mulieres, a quibus dumtaxat solent filii lacte enutriendi nutricibus tradi, serio monebit, atque hortabitur ut sanctissimas feminas imitentur, quae suis uberibus filios lactarunt, uti Sara Isaac... ac ipsa Dei Genitrix Virgo Maria Filium suum Christum Dominum ». Cf. etiam STÖHR, o. c., p. 484.

(2) Cf. GREIDANUS, *Geneeskundig onderzoek*, p. 27 s., ubi optandum notat ut neonuptis libellus tradatur in quo docetur modus enutriendi proles, ac varia vitandi nociva earum sanitati, jam ante nativitatem. Hujusmodi opellam egregiam conscripsit Prof. Dr DAELS, *Voor moeder en zuigeling*, Leuven-Leiden, 1918.

(3) Circa educationem corporalem prolium Cf. BAUR., o. c., p. 78 ss. et 113 ss.

(4) Hortatur S. FRANCISCUS SALESIUS, *Introductio ad vitam devotam*, ed. latina, Lovanii, 1701, p. III, cap. 38, ut parentes conceptam prolem jam ante nativitatem devoveant ac divinae Majestati offerre non omittant. Cf. *Collat. Brug.*, t. IX, 191, s.

(5) Cf. hîc GUTTMANN, *Erziehungslehre*. Huc spectat instructio sic dicta *sexualis*, quam absque sufficienti delectu et prudentia instituendam urgent opellae magno numero sparsae, quales eduntur in collectione *Sexeséries* (de quibus cf. sententiam S. C. Indicis, apud *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 601.), auctoribus *Sylvano Stall* et *Mary Wood Allen;* item cf. WILHELM, *Das Sexuelle Leben unt seine Bewertung in der Erziehung der Kinder*, Donauwörth, 1906; LEROY-ALLAIS, *Comment j'ai instruit mes filles*, Paris, 1908, et alios plures.

Dantur tamen libri qui, licet non in omnibus probandi, utilia et opportuna monita suggerunt parentibus et magistris circa instructionem prolium. Ita KNOCH, *L'Education de la chasteté*, Liège 1914; *Le jeune homme chaste*, Liège, 1914; FONSAGRYVES, *Conseils aux parents et aux maîtres sur l'éducation de la pureté*, Paris, 1902; FOERSTER, *Jungendlehre*, Berlin, 1906; ERNST, *Elternpflicht*, Kevelaer, cujus opellae versio hollandica non parum emendata prodiit sub titulo *Ouderplicht*, Venloo, 1906. Cf. etiam *Vie diocésaine, Documenta*, 1910, p. 56 ss.; SALSMANS, *Geneeskundige Plichtenleer*, n. 136 s.

Juvat hic sapientissima monita referre Conc. Mechlin. quarti, decr. 56. Nimirum, postquam praemonuerit valido interdum ad servandam castitatem subsidio esse juventuti revelationem mysteriorum vitae sexualis, dummodò opportuno tempore, decenter, gradatim et individuatim instituatur, ita prosequitur :

« Intempestive peracta hujusmodi initiatio valde nociva esse potest. Passim ad illam non est recurrendum nisi quando adolescens aut adolescentula, ratione peculiarium, in quibus versatur vel in eo est ut versetur, adjunctorum, probabili perversionis aut improvidae instructionis periculo exponitur, vel quando signa dat turbati ac inquieti animi, circa vitae mysteria curiosè scrutantis. Semper utendum est decenti ac casto sermone, omni levitate seposita, cuncta referendo ad Deum, auctorem cujuscumque boni; potissimum ita res proponatur ut juvenes, agnito arctissimo vinculo quo cum parentibus, maxime cum matre colligantur, ejusdemque auditis laboribus, majore affectu et fiducia parentes, matrem praesertim foveant. Nonnisi progressive proce-

2° *In ordine supernaturali:*

Quod parentes *christiani* filiis procurent educationem non modò fini naturali consentaneam, sed etiam fini supernaturali convenientem, adeoque in eis foveant christianas virtutes, et observantiam praeceptorum Novae Legis, sub ductu Ecclesiae a Christo constitutae, promoveant, simul ac frequentationem sacramentorum, et imprimis tempestivam susceptionem sacramenti Baptismi (1). Eos etiam erudiant vel erudiri curent in religione catholica et catechetica institutione Can. 1335 et 1372, § 2 (2).

275. Notanda.

Nota 1° Educationis opus *utrumque* parentem spectat, et ad utrumque pertinet jus et obligatio proles informandi, ita tamen ut, in moderanda educatione, sicuti in ordinanda integra societate domestica, primatum gerat maritus ac potiores habeat partes. Cf. suprà, n. 270 (3).

2° Parentibus competit, in ordine ad debitae educationis opus, *vera potestas* in filios, in quibus correspondet subjectionis et obedientiae officium; est potestas jurisdictionalis, cum coactione exercenda, quae tamen exerceri debet unicè in bonum filiorum eorumque educationis intuitu, non vero in parentum utilitatem; non extenditur etiam propriè dicta illa potestas nisi ad *minorennes*, cum, juxta can. 89, majorennis habeat plenum jurium suorum exercitium; non potest etiam exerceri in materia status eligendi, in qua materia vera potestate destituuntur parentes, licet ipsis insciis vel rationabiliter invitis matrimonium licitè inire nequeant filii minorennes (infra, n. 518). — Descripta potestas pertinet ad utrumque parentem, ita tamen rursus ut potiores, in ejusdem exercitio, partes habeat pater.

3° Circa quaestionem utrum et quousque parentibus *exclusivè* competat jus illud liberos educandi, tum in ordine ad finem naturalem, tum in ordine ad finem supernaturalem, cf. MEYER, o. c., II, n. 107 ss.; LECLER, apud *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 152 ss.; VLAMING, o. c., n. 663.

4° Habent etiam parentes *naturales*, extra matrimonium liberos procreantes, jus et obligationem proles curandi et educandi ex illegitimo commercio natas, idque ratione paternitatis et maternitatis; sed parentes matrimonio juncti, vi ipsius vinculi matrimonialis, speciali titulo hujusmodi jus et obligationem contrahunt.

5° Subsunt excommunicationi latae sententiae Ordinario reservatae a/ catholici parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos tradunt; b/ qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt; c/ qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam. Can. 2319, § 1, n. 2, 3 et 4. — Sunt etiam, attenta par. 2, suspecti de haeresi.

---

datur, evitando ut totum mysterium uno tractu reveletur, nec instructio detur turmatim aut collectivè, sed individuatim, ratione habita singulorum dispositionis, evolutionis, culturae ac sensibilitatis. Illi tamen adolescentes humilioris conditionis qui, nihil jam ignorantes, in officinis vel viis publicis maximae exponuntur perversioni, prudentia christiana non prohibet quominus interdum collective moneantur de luxuriae luctuosissimis tam pro corpore quam pro anima sequelis. In hac autem re sacerdotibus magna commendatur circumspectio, praesertim quod adolescentulas spectat, quarum informatio potius matri vel alii personae gravi committatur ».

(1) Cf. nostram dissertationem *de baptizandis nonnatis, abortivis et monstris* apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 492 ss., ubi fusè exponitur praxis providè servanda in casu abortus vel partus periculosi.

(2) Circa electionem scholae, cf. VLAMING, o. c., n. 668 ss.

(3) Haec potestas patria mariti, intrà justos limites coarctata, nititur in jure naturali.

Scholion. Dispositiones juris nostri civilis.

276. Dispositiones juris civilis :

Quod spectat curam habendam a parentibus et **obligationes erga proles** legitimas vel illegitimas, codex noster civilis Belgicus (1) determinat jura parentum potius quam obligationes; jura autem prolium spectant educationem et signanter bona parentum et participationem in nomine et familia parentum. Nimirum.

a/ *circa proles legitimas ;*

A. Proles **legitime natae** vel **legitimatae** pleno jure constituuntur membra familiae parentum et cognati fiunt cum parentum cognatis, jus obtinent ad educationem physicam (2) et moralem a parentibus procurandam, ac haeredes constituuntur parentum (3) horumque, intra limites assignatos, cognatorum.

277.

b/ *circa illegitimas : praenotanda ;*

B. Quoad proles **illegitime natas** et **non legitimatas** (4).

Praenota 1. Proles *simpliciter naturales* a/ possunt *legaliter agnosci* a parentibus naturalibus vel ab alterutro eorum, idque sive per spontaneum actum ipsorum (5), sive per sententiam judicis (6), actione scil. coram judice inducta in recognitionem paternitatis vel maternitatis, vel utriusque: quae actio, determinatis in adjunctis, proli simpliciter naturali (ejusve locum tenenti) a lege conceditur (7); b/ ubi sponte non agnoscuntur nec ipsis conceditur actio in recognitionem judiciariam, admitti possunt, supposita probata filiatione matris, ad urgendam actonem, uti vocant, *alimentariam,* erga virum scil. qui « a eu des relations avec sa mère, pendant la periode légale de la conception », i. e. inter 300^{m} et 180^{m} diem ante nativitatem, modò illae relationes probentur ad normam legis (8).

---

(1) Livre I, tit 9, *De la puissance paternelle.*

(2) Quocumque tempore vitae suae, si egentes sint, jus habent ut a parentibus alimenta accipiant.

(3) Datur etiam pars haereditatis quam ab ipsis auferre nequeunt parentes.

(4) Quaenam sint, coram foro civili, proles legitime natae, quaenam illegitime natae, quaenam legitimatae, quaenam simpliciter naturales, quaenam adulterinae, dicetur infrà, sub. n. 294.

(5) A. 334: « La reconnaissance d'un enfant naturel sera faite par un acte authentique, lorsqu'elle ne l'aura pas été dans son acte de naissance »; potest contra illam agnitionem fieri oppositio (a. 339), et proli non prodest agnitio nisi respectu parentis eam agnoscentis (a. 336).

(6) « Le jugement qui déclare la filiation naturelle produit les mêmes effets que la reconnaissance ». A. 341 c.

(7) Quod spectat *paternitatem:* vi legis anni 1908, art. 340a, « la recherche de la paternité est admise... 1/ s'il y a possession d'état d'enfant naturel dans les conditions prévues par l'article 321; 2/ si, pendant la période légale de la conception, il y a eu enlèvement par violence, ruse ou menace, détention, séquestration arbitraires ou viol ».

Quoad *maternitatem:* « la recherche de la maternité est admise 1/ s'il y a possession d'état dans les conditions prévues par l'art. 321; 2/ si l'accouchement de la mère prétendue et l'identité du réclamant avec l'enfant dont elle s'est accouchée sont rendus vraisemblables par un commencement de preuve par écrit conforme aux dispositions de l'art. 324, ou par les énonciations de l'acte de naissance »; a. 341a.

Circa paternitatis inquisitionem et novam nostram legem anni 1908, cf. LECLERCQ, o. c.; CLAEYS-BOUÜAERT, o. c., PLANIOL, o. c., I, n. 1520 ss.; *Rev. cath. de droit,* 1908-1909, p. 277 ss.; *Pasicrisie,* 1919, III p. 404 ss., et 1910, III, p. 379 s.; coll. GIGOT, *La Séduction et la recherche de la paternité,* apud *Réforme sociale,* t. 43 (1902), p. 189 ss. Cf. etiam TERLINDEN, o. c., 128 s., circa codicem Helveticum in hac re.

(8) Loi du 6 Avril 1908, a. 340b, ubi additur: « La *preuve* de ces relations ne peut résulter que de l'une des circonstances suivantes: 1/ de leur aveu dans les actes ou les écrits émanés du défendeur; 2/ de leur caractère habituel et notoire; 3/ de l'attentat à la pudeur, consommé sans violence sur la personne d'une fille de moins de 16 ans accomplis; 4/ de la seduction de la mère par promesse de mariage, manœuvres frauduleuses ou abus d'autorité ». Cf. decis. Tribunalis Brugensis, 9 Martii 1910, *Pasicrisie,* 1912 III, p. 223 s.; item decis. Tribun. Huttensis (Huy), 2 Maii 1912 et Arlon, 19 Dec. 1912, apud *Pasicrisie,* 1913, III, p. 49 s. et 57 s.; necnon Tribun.

2. Proles *adulterinae* et *incestuosae* non possunt legaliter agnosci, neque spontaneo parentum actu (a. 335), neque per sententiam judicis, ipsis ad hoc denegata omni actione judiciaria (a. 342a); nec possunt etiam actionem alimentariam inducere (*ibidem*) (1).

Quam legalis agnitionis prohibitionem sic intellige, proles scil. ex adulterio vel incestu conceptas non posse agnosci nec filiationis declarationem exquirere, quotiescumque agnitio illa vel filiationis declaratio importat manifestationem filiationis adulterinae seu incestuosae; nihil autem impedit quominus agnoscatur vel a judice declaretur earum filiatio respectu alterutrius parentis, in quantum illa agnitio non importat filiationem incestuosam vel adulterinam. Unde rarissime, et nonnisi accidentaliter, constare potest de filiatione adulterina vel incestuosa qua tali, nempe: « au cas où un mariage se trouve annulé pour inceste ou bigamie » (2); et etiam in casu « où une action en désaveu est exercée par le mari: si le juge déclare que l'enfant né d'une femme mariée n'a pas pour père le mari, la décision rendue se trouve constater une filiation adultérine ». CRÉMIEU, o. c., p. 178. Cf. CLAEYS-BOUÜAERT, l. c., p. 282 s., necnon decis. Tribunalis de Verviers, 23 Febr. 1910, apud *Pasicrisie*, 1910, III, p. 265 s.

Jamvero, hisce praenotatis,

278. dispositiones legales.

1° Proles *simpliciter naturales*,

a/ *legaliter agnitae*, coram lege reputantur cognatae respectu unius vel utriusque parentis a quo fuerunt legaliter agnitae, non autem, salvis restrictionibus, de quibus in art. 161 s. (quod spectat prohibitiones matrimoniales) et 766 (quod spectat successionem), respectu cognatorum parentum; de caetero patris vel respective matris nomen deferunt, paternae auctoritati subsunt, ac mutua cum patre et matre intercedit successibilitas, ea tamen lege ut intra strictos limites coarctetur, utque dictae proles non sint haeredes sensu legali sed successores irregulares (a. 756 ss. et 908) (3). Recognitionis effectus retrotrahuntur ad diem nativitatis prolis recognitae (4).

Bruxellensis, 25 Jan. 1913, Tribun. Tongrensis, 17 Dec. 1912, apud *Pasicrisie*, 1913, III, p. 117 s. et 119, et Tribun. Tornacensis, 23 Julii 1913, *Pasicrisie*, 1914, III, p. 11 ss. et II. cc. Item cf. decisionem tribunalis de Neufchâteau, 11 Febr. 1914, *Pasicrisie*, 1914, III, p. 165 s.; Curiae Bruxellensis 10 Mars 1920 (*Pasicr.*, 1920, II, p. 80 s.). Cf. suprà, n. 71.

Nota illam actionem alimentariam non posse institui contra matrem prolis naturalis non legaliter ab ipsa agnitae, sed contra solum patrem (*Pasicrisie*, 1919, III, p. 200).

(1) Juxta art. 335, « la reconnaissance ne peut avoir lieu au profit des enfants nés d'un commerce incestueux ou adultérin »; juxta art. 342a, « dans les cas où, suivant l'art. 335, la reconnaissance ne peut avoir lieu, l'enfant ne sera jamais admis soit à la recherche de la paternité ou de la maternité, soit à la réclamation d'aliments prévue à l'article 340b »; disponit autem a. 342: « les prohibitions des articles... 335 et 342a ne concernent pas les enfants nés de personnes parentes ou alliées, entre lesquelles le mariage pouvait être autorisé par dispense ».

(2) Arrêt de la Cour d'appel de Bruxelles, 10 Juillet 1912, *Pasicrisie*, 1912, II, p. 226 s.

(3) Cf. CREMIEU, o. c., p. 81 ss.; cf. tamen LECLERCQ, o. c., p. XXVIII s.; item a. 337 a lege 1908 emendatum. Juxta novum codicem Germanicum «l'enfant illégitime et son père ne sont pas réputés parents (art. 1589); contrà « dans ses rapports avec la mère et avec les parents de sa mère, l'enfant naturel a la même position juridique que l'enfant légitime ». Art. 1705. Est applicatio pristini juris Romani. Cf. GENESTAL, o. c., p. 105.

(4) Cf. decisionem Curiae Gandav., 17 Julii 1915 et 29 Martii 1923 (*Pasicrisie*, 1915-1916, II, p. 22 et 1923, II, p. 121); item Trib. Tenerem., 23 Maii 1925 (*ibid.*, 1925, III, p. 174).

b/ *non legaliter agnitae :*

α/ proles quibus, vi art. 340b, concessa est a judice annua alimentaria (pension alimentaire), non possunt titulum filii exquirere, sed *jus* habent ad « une pension annuelle pour leur entretien et leur éducation jusqu'à l'âge de 18 ans accomplis »; *possunt* etiam, juxta jus commune, accipere liberalitates a parentibus, nec ipsis nocet dispositio art. 908, de qua sub a/; ac ipsis applicantur dispositiones legales circa impedimenta matrimonii (1).

β/ reliquae proles reputantur, coram nostro foro civili, tamquam merè extraneae respectu parentum, si fortè cognoscantur, nec jus legale habent ab eis quidquid exigendi (2). Attamen nihil impedit quominus ipsis applicentur dispositiones juris communis, eisque in specie a parentibus donationes fiant inter vivos vel post mortem (3).

2° *Proles adulterinae* et *incestuosae,* de quorum filiatione accidentaliter constat, possunt a parentibus, vi art. 762, exigere *alimenta;* sed, attenta simul dispositione art. 908 (ipsis applicabili), non possunt quid ultrà accipere, nequidem per modum liberalitatis, adeo ut, in odium adulterii et incestus, priventur beneficio juris communis; hisce prolibus applicantur dispositiones art. 161 et 162, circa prohibitiones matrimoniales (4). Cf. CRÉMIEU, o. c., p. 178 s.

Nota. Uti ex dictis eruitur, solae proles legaliter agnitae censentur coram foro civili filiationem adeptae, seu in filiationis probationem sola admittitur legalis agnitio. *Nota.*

Attamen videtur quod, in casu art. 340b, jus, quod proli agnoscit judex, exquirendi annuam alimentariam, nitatur in praesumpta a judice filiatione et respectiva paternitate (vraisemblance de paternité), cui tamen filiationi non plenus sed restrictus ac partialis effectus legalis tribuatur. Non imponitur scil. illa annua solvenda quasi in sanctionem et poenam actionis viri, sese discrimini exponentis incurrendi paternitatem, uti nonnulli volunt (théorie du risque-paternité), sed ob praesumptionem paternitatis reipsa existentis; quod confirmat modò invocata dispositio art. 340c, circa prohibitiones matrimoniales. Cf. LECLERCQ, o. c., p. VI, XXXI ss., et XLV s.; CLAEYS-BOUÜAERT, l. c., p. 276 s.

---

(1) Art. 340c: « Le jugement qui condamne le défendeur au paiement d'aliments, en vertu de l'art. 340b, produit les mêmes effets que la reconnaissance en ce qui concerne les empêchements de mariage ».

(2) Non obstante actu nativitatis (acte de naissance), hujusmodi proles nemini adscribuntur, tanquam patri vel matri. Uti namque dicitur in *Pasicrisie,* 1910, III, p. 243: « La filiation naturelle n'existe que lorsqu'elle est constatée par une reconnaissance. L'acte de naissance d'un enfant *naturel* ne prouve qu'une chose, c'est que l'enfant est né; il ne prouve pas sa filiation ». Dispositio art. 319 spectat solas proles *legitimas.* Cf. exemplum agnitionis a matre apud *Pasicrisie,* 1914, III, p. 307.

(3) Ipsis non applicantur articuli 161 et 162, circa nubendi prohibitiones, adeo ut frater posset ducere propriam sororem, ac imo pater filiam. Fas esset tamen procuratori regio actionem ex officio inducere ad provocandam agnitionem maternitatis vel paternitatis, in adjunctis in quibus actio a lege conceditur; est enim matrimonium res « d'ordre public », et adeo potest ex officio procedere ut impediat infandum hujusmodi matrimonium. Cf. LAURENT, *Principes,* II, n. 350; THIRY, o. c., n. 242.

(4) Ex praenotatis sub 2° liquet rarò locum esse applicandae huic severae disciplinae, cum rarissimè legaliter constet de filiatione adulterina vel incestuosa qua tali: proles reipsa natae ex adulterio vel incestu, sed qua tales non legaliter recognitae, tractantur sicut proles simpliciter naturales, ad tramites dictorum sub 1°.

CAPUT II

DE EFFECTIBUS VINCULI CONJUGALIS.

279. Effectus vinculi :

Praeter obligationes et jura, de quibus modò egimus, quae potius constituunt ipsum vinculum conjugale, dantur effectus juridici ad ipsum consequentes. Hîc etiam spectamus matrimonium abstractione facta a ratione sacramenti (1).

1° *distinctio familiae ;*

Primus effectus est **constitutio familiae distinctae,** quatenus vir et mulier nubendo quasi excardinantur e propria familia, et novam independentem ac in se consistentem familiam creant, cum intima et reciproca relatione conjugum ad invicem et cum prolibus, cujus familiae principatum gerit maritus (2). Unde in *Gen.* II, 24, dicitur: « relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae ».

2° *partici patio uxoris in statu mariti ;*

Secundus effectus est in **participatione uxoris in statu mariti** quatenus scil., ad normam can. 1112, « nisi jure speciale aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti ». Est hic effectus a jure inductus, qui quidem conformis est naturae vinculi conjugalis, ipsum tamen non essentialiter ingreditur.

Vi dictae status mariti participationis, uxor particeps efficitur, coram foro ecclesiastico, nominis, dignitatis et privilegiorum mariti; sequitur domicilium mariti (quousque non est legitime ab eo separata) — ita can. 93, § 1 (3); « pro uxore attenditur sepulcrum viri », nisi ipsa aliud elegerit (can. 1229, § 2, coll. can. 1223). Uxori etiam « integrum est... ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel durante matrimonio, transire ». Can. 98, § 4 (4).

---

(1) Codex, in capite IX, inscripto de matrimonii effectibus, considerat matrimonium in fieri, seu ipsum contractum matrimonialem, non autem, uti hîc, matrimonium in facto esse, seu vinculum conjugale. Unde meritò inter effectus recenset vinculum conjugale (can. 1110), adeoque et jura ac obligationes quibus constat dictum vinculum (can. 1111 et 1113). Etiam gratiam numerat uti effectum, quia considerat contractum matrimonialem, etiam in quantum est sacramentum.

(2) Haec familiae distinctae constitutio sancitur in codice civili nostro, juxta quem planè distincta constituitur familia, muliere penitus subtracta auctoritati patris et propriae familiae, ita ut per ipsum matrimonium emancipetur, proprium nomen exuat, ac nomen accipiat viri ejusque domicilium sequatur, uti vidimus.

In *jure Romano* non ita. Nimirum filius-familias, qui non erat sui juris, manebat, matrimonio contracto, sub potestate sui patrisfamilias, sub cujus potestate cedebant proles in matrimonio natae. Filia autem, nubendo *in manu,* transibat quidem in domum et familiam mariti, ast non constituebatur sub viri potestate, sed sub potestate patrisfamilias mariti; nullam etiam habebat auctoritatem super prolibus nascendis, respectu quarum erat quasi-soror, et erat respectu mariti loco filiae (LEFEBVRE, o. c., p. 61, 64 et 67); nubendo autem *sine manu,* manebat sub potestate proprii patrisfamilias, et pertinebat ad aliam familiam quam maritus et quam proprii liberi, quibus erat quasi extranea, ita ut proles non fuerint matris agnatae in ejusque successionem non venerint (*ibidem,* p. 72 ss. et 82 ss.).

In *jure Germanico antiquo,* familia distincta exsurgebat ex matrimonio, et intima relatio intercedebat inter conjuges ad invicem ac inter parentes et proles; auctoritas tamen mariti super uxore et liberis temperabatur per constitutionem cujusdam *coetus parentum,* coalescentis ex unione omnium virorum majorennium de cognatione. Cui coetui aliquatenus correspondet hodiernum *Vormundschaftgericht,* quod nunc in Germania existit, juxta codicem anni 1900, de quo cf. CRÉTINON, l. c., p. 175.

(3) Juxta can. 93, § 2, potest uxor non separata acquirere quasi-domicilium proprium ; et, post legitimam seperationem, etiam proprium domicilium. Cf. suprà, n. 46, 249 et 265.

(4) « Matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi jure particulari aliud cautum sit ». *Ibidem.*

Dictum est: « nisi jure speciali aliud cautum sît »; quod intellige de jure *ecclesiastico,* non de civili, cum hîc agatur de sola participatione status quoad effectus *canonicos.*

280. 3° peculiaris propinquitas;

Tertius effectus, postea latius evolvendus, est specialis **propinquitas** exsurgens inter conjugem et compartis cognatos, quatenus nempe a/ ex matrimonio valido, etiam non consummato, contrahitur *affinitas,* matrimonium dirimens, cum compartis consanguineis in linea recta, et, in linea collaterali, usque ad secundum inclusivè gradum; b/ ex matrimonio invalido oritur *publica honestas,* matrimonium dirimens, inter unum conjugem et consanguineos compartis in 1° et 2° gradu lineae rectae.

Inducitur etiam inter proles et utriusque parentis consanguineos, usque ad tertium gradum, vinculum et impedimentum consanguinitatis: quod vinculum et impedimentum diversae indolis est ac vinculum et impedimentum consanguinitatis extra matrimonium contractum, licet, in jure canonico, eosdem effectus legales producat (1).

Quartus effectus est **legitimitas prolium.**

281. 4° legitimitas prolium:

Circa hunc effectum exponenda occurrit *disciplina canonica,* ostendendo quomodo coram ea matrimonium sit *fons legitimitatis,* et in specie quomodo 1° *legitimas reddit* proles ex eo conceptas seu natas; 2° quomodo ac quousque *legitimare* valet proles jam illegitimè natas. Nimirum

PROPOSITIO PRIMA. **Legitimi** (quos alii vocant *legitimos et naturales*) *sunt coram foro ecclesiastico, « filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti ».* Ita can. 1114.

Explicatio.

1° *Norma* est legitimos esse filios qui *concepti* sunt aut *nati ex matrimonio,* eoque *valido* vel *putativo.*

282. legitimae sunt proles conceptae aut natae ex matrimonio;

Dicitur a/ « *concepti aut nati ex matrimonio,* i. e. procreati ex copula conjugali, habita scil. inter virum et mulierem matrimonio junctos. Praesumitur autem proles ex copula conjugali procreata, si mater erat, tempore legali conceptionis, matrimonio juncta, quatenus scil., momento nativitatis, matrimonium erat saltem a sex mensibus celebratum, nec erat a decem mensibus dissolutum, sive quoad vinculum (puta per mortem viri) sive quoad cohabitationem:

(1) Quomodo, etiam in jure nostro civili, matrimonio nitatur cognationis regimen, exponit LEFEBVRE, o. c., p. 41 s.; cf. etiam suprà, n. 276 s., et hîc modò dicta, ubi notatur, in jure Romano, uxorem *sine manu* nequidem agnatam fuisse propriae prolis, nec etiam, in matrimonio *cum manu,* proles fuisse agnatas respectu maternorum parentum, sed tantum respectu parentum patris.

eo ipso nimirum praesumitur proles procreata ex copula habita a matre cum marito suo, ad normam can. 1115, § 1, juxta quem « is pater est quem justae nuptiae demonstrant » (1).

Dictum est: *praesumitur* prolem esse procreatam ex copula conjugali, a matre scil. habita cum marito; est autem praesumptio, non juris et de jure, sed juris tantùm, quae semper admittit probationem in contrarium, sed solam probationem evidentibus argumentis nitentem (2).

Qua notione prolis legitimae attenta, notetur ad legitimitatem *non sufficere* et *non requiri* quod proles nascatur ex muliere quae sit matrimonio juncta *momento nativitatis*. Et quidem *non requiritur,* cum satis esse viderimus matrimonium non fuisse dissolutum plus quam decem mensibus ante nativitatem. *Non sufficit,* siquidem, ad tramites canonis 1115, § 2, ut praesumatur legitimus filius, debet esse natus « saltem post sex menses a die celebrati matrimonii »; caeterùm non dicitur in can. 1114: nati *in* matrimonio, sed: nati *ex* matrimonio; adde quod, juxta modo dicta in nota, ex natura rei legitimitas sequatur legitimam conceptionem, non nativitatem (3).

283. vero vel putativo;

Dicitur b/ « ex matrimonio *valido vel putativo* ».

Quod ad legitimitatem prolis *sufficiat* matrimonium *putativum,* seu bona fide contractum, id expressis verbis enuntiatur in canone

---

(1) Legitimitas, in quantum agnoscitur proli ex copula conjugali reipsa conceptae, est effectus juris naturalis; in quantum vero agnoscitur proli vi praescriptionis, in tantùm pendet a jure positivo; item pendet a jure positivo quod proles, ex valido matrimonio reapse procreata, non agnoscatur uti legitima in casu scil. de quo sub n. 284.

(2) Can. 1115, § 1. — Siquidem favendum est proli et matrimonio, non evincitur praesumptio per merum dubium, quantumvis probabile, sed per argumentum dumtaxat convincens et evidens; et ideo non sufficit quod mater fuerit adultera, vel et ipsa fateatur sub fide juramenti prolem ex adulterio esse conceptam, vel quod puer in facie assimiletur adultero et non marito, sed requiritur ratio evidenter cogens, quatenus v. gr. constat maritum, tempore legali conceptionis, seu inter 300^{m} et 180^{m} ante nativitatem diem, fuisse absentem (licet non intervenerit separatio a cohabitatione) vel ratione infirmitatis impotentem. Cf. SCHMALZGR., l. c., n. 39-40; REIFFENST., n. 10-12; GASPARRI, o. c., n. 1069; cf. etiam *Causam* solutam apud *Acta S. Sedis* XVII, p. 378 et seq.

Pro praxi igitur, quando baptizanda offertur proles nata ex matre, tempore legali conceptionis, conjugata, inscribatur in registro baptismali more solito, ad instar prolis legitimae, etiamsi eam adulterinam declaret maritus vel et ipsa mater, solo excepto casu praefatae absentiae vel impotentiae certo cognitae; absentiae autem, ubi est locus, mentionem faciet in registro parochus, testans se baptizasse prolem N., natam ex N., uxore legitima N., absentis inter 300^{m} et 180^{m} ante nativitatem diem.

(3) Plerique Auctores censent, et nos ipsi hucusque censuimus, prolem haberi ab Ecclesia uti legitimam, modò *nata* fuerit *matrimonii tempore:* retrotracto scil. per fictionem juris matrimonio, momento nativitatis existente, usque ad momentum conceptionis. Cf. REIFFENST., in tit. XVII, n. 17 et seq.; SCHMALZGR., *ibidem,* n. 9 et 10; BÖCKHN, *ibidem,* n. 10. Quam sententiam non possumus componere cum citato tenore can. 1115, § 2, uti notatur in textu. Caeterùm multùm olim controversiae obnoxia fuit illa quaestio, cum, juxta dictum BENEDICTI XIV, in Const. *Redditae Nobis,* n. 3, « invenirentur textus textibus contrarii, et doctores doctoribus, tribunalia tribunalibus adversarentur ».

1114. Jam idem etiam eruebatur ex c. 2, X, IV, 17 (1), necnon ex c. 8, 11 et 14 ejusdem tituli (2).

Porro matrimonium putativum est illud quod ab una saltem parte fuit bona fide celebratum et pro valido habetur (can. 1015, § 4, coll. suprà, n. 158); nec refert utrum bona fides oriatur ex ignorantia sive facti sive juris, modò non sit affectata: quod utrumque ex capitis 3, X, IV, 3, tenore eruitur (3), collata interpretatione juris canonici peritorum (4); jam non refert etiam, ut videtur, quod matrimonium non fuerit in facie Ecclesiae celebratum (5), quemadmodum requirebatur in disciplina anteriori (6).

Nota prolem legitimè natam ex matrimonio putativo servare suam legitimitatem, etiam ubi postea liquet matrimonium fuisse nulliter contractum. Id apparet ex textibus in notis citatis. Cf. c. 2 et 14, X, IV, 17.

284. salva excep tione.

2° *Exceptio* ad normam inducitur, legitimitatem recusans proli conceptae vel natae ex matrimonio, quotiescumque parentibus, ob sollemnen professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum, prohibitus fuerit, tempore conceptionis, usus matrimonii antea contracti (7): tempore conceptionis, i. e. inter 300^{m} et 180^{m} diem ante nativitatem.

Hanc exceptionem jam continebant c. 1 et 14, X, I, 17.

---

(1) « Cum inter virum et mulierem divortii (quoad vinculum) sententia canonice sit prolata (seu nullitas matrimonii sit declarata), filii eorum non debent exinde sustinere jacturam, cum parentes eorum publicè sine contradictione Ecclesiae inter se contraxisse noscantur. Ideoque sancimus ut filii eorum, quos ante divortium habuerunt, et qui concepti fuerant ante latam sententiam, non minus habeantur legitimi ».

(2) Cf. ESMEIN, o. c., II, p. 33-37, quo loco describitur hujus juris dispositionis introductio, ac notatur prima vice agitari dubium apud Petrum Lombardum, I. IV Sent., deinde apud Magistrum Rolandum qui, Pontifex factus, rem diremit.

(3) « Si quis vero hujusmodi *clandestina vel interdicta* conjugia inire praesumpserit, in gradu prohibito, *etiam ignoranter*, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus *illegitima* censetur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium: cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae vel saltem affectatores ignorantiae videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si *ambo parentes* impedimentum *scientes* legitimum, praeter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiae contrahere praesumpserint ».

(4) Nullatenus enim *in tenore* restringitur bona fides ad ignorantiam facti, sed ab ea soli excluduntur affectatores ignorantiae; et vi decreti non est illegitima nuntianda proles nisi *ambo* parentes noverint impedimentum seu malae existant fidei. Attende tamen non sufficere bonam fidem tempore matrimonii contracti, sed debet « bona fides, saltem ex parte unius, etiam tempore conceptionis adhuc adesse ». REIFFENSTUEL, in tit. XVII, n. 5; *Il Monitore*, 1912, p. 42 s.

(5) Cf. suprà, n. 158, ubi notavimus non facilè salvari bonam fidem apud catholicos clandestinè contrahentes.

(6) Ante Codicem id requirebatur, uti constat ex adducto capite 2, X, IV, 17, necnon ex cap. 3, X, IV, 3.

Unde requirebatur ut proclamationes fuerint factae, et servata fuerit forma Tridentina, saltem pro matrimoniis clandestinitatis legi obnoxiis. Cf. SCHMALZGRUEBER, in tit. XVII, n. 42-43; DE BECKER, *De Matrim.*, p. 371-372, cum nota; FREISEN, o. c., p. 859 s. — Id negat TRIEBS, o. c., p. 64.

(7) Can. 1114. — Attentis can. 572, § 1, num. 3, et can. 542, num. 1, exinceps invalide profitetur conjux, durante matrimonio; item ab ordinibus prohibetur, vi can. 987, n. 2. — Non potest igitur jam esse locus inductae exceptioni, nisi quando quis professus est aut ordines suscepit ex dispensatione pontificia (can. 132, § 3). Unde liquet parum in praxi attendendam esse illam exceptionem.

285. Illegitimorum variae species.

Nota 1° **Illegitimi,** seu *illegitimè nati* (bastaards), quemadmodum ex modò data notione logicè sequitur, sunt illi qui *non sunt procreati ex matrimonio,* valido vel putativo, ad normam dictorum sub n. 281 ss., vel qui nati quidem sunt ex matrimonio, sed ex parentibus quibus, ob sollemnem professionem religiosam vel ob susceptum ordinem, prohibitus fuerit, tempore conceptionis, usus matrimonii antea contracti. Sunt vel

a/ *naturales,* nempe qui extra matrimonium procreati sunt a parentibus qui habiles extiterint ad matrimonium inter se *contrahendum* tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis;

vel b/ *spurii,* qui nati sunt ex parentibus qui inhabiles fuerint ad matrimonium contrahendum toto tempore quod a conceptione currit usque ad nativitatem, propter existentiam impedimenti *dirimentis* (1).

Inter *spurios* autem alii sunt *adulterini,* « qui videlicet ex adulterio gignuntur...; alii *sacrilegi,* qui scil. ex religioso aut moniali vel clerico in sacris constituto generantur (2); alii *incestuosi,* nati nempe ex parentibus affinitate vel consanguinitate collaterali conjunctis; alii *nefarii,* et sunt illi qui ex patre et filia aliorumve ascendentium et descendentium copula procreantur ». REIFFENST., l. c., n. 28.

286. Quid importet legitimitas.

2° Legitimitas, *in foro ecclesiastico* (3), importat habilitatem ad licitam tonsurae et ordinum susceptionem, necnon ad beneficia ecclesiastica et praelaturas. Illegitimi autem sunt ad haec inhabiles, seu irregulares existunt, sive illegitimitas sit publica sive occul-

(1) Nati ex matrimonio, cui obstabat impedimentum merè prohibens, non sunt illegitimi nec spurii.

(2) Uti modò monuimus, *sacrilegi* censentur non tantum filii ex descriptis personis, extra matrimonium concepti, sed etiam illi qui sunt concepti ex parentibus, legitimo matrimonio junctis, postquam eorum alteruter, consummato matrimonio, votum emiserat sollemne aut ordines susceperat.

(3) Legitimitas coram foro Ecclesiae, in quantùm immediatè sequitur tanquam effectus naturalis matrimonii, absque fictione juris et extra positivam juris dispositionem, nata est efficaciam habere *etiam in foro civili et quoad effectus temporales,* quatenus agnoscenda sit illa legitimitas in foro civili, quodque sic legitime natis tribuendi sint effectus civiles legitimitati sponte et natura sua adhaerentes. Contrà, ubi ab Ecclesia legitimae declarantur proles, vi fictionis seu dispositionis juris, hujusmodi legitimitas non videtur a Statu civili *per se* agnoscenda quoad effectus civiles, sed tantum *per accidens,* in quantum scil. contingit eamdem juris dispositionem statui in codice civili: haec scil. dispositio juris civilis esset applicanda matrimonio canonice valido, utpote soli vero matrimonio, adeoque coincideret cum dispositione juris canonici. Idem valet a contrario cum illis illegitimis coram Ecclesia, de quibus sub n. 284: hi scil. non sunt habendi, coram jure civili et quoad civiles effectus, uti illegitimi.

Quod autem per se non valeat nec efficaciam habeat, in foro civili et quoad effectus temporales, statutum Ecclesiae, legitimam aut illegitimam enuntiantis prolem quae, solo attento matrimonio, talis non esset, inde est quod Ecclesiae potestas directe, et salva invocatione potestatis indirectae (a qua hîc abstrahitur), non spectat forum civile nec effectus temporales. Cf. WERNZ, o. c., n. 664 et 687; GASPARRI, o. c., II, n. 1152; DE BECKER, o. c., p. 406 ss.; coll. c. 13, X, IV, 17.

ta (1); quod vero spectat impedimenta matrimonii, eodem modo tractantur ac legitimi.

287. *Proles legitimantur :*

PROPOSITIO SECUNDA. *Proles illegitimae sed naturales* **legitimantur** (2) *per subsequens matrimonium, inter ipsarum parentes contractum.*

Propositionem enuntiat ipse tenor can. 1116: « Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis », i. e. dummodò proles non sit spuria. Idem jam inserebatur principium in c. 6, X, IV, 17 Alexandri III: « *Tanta est vis matrimonii ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimonium, legitimi habeantur* ».

Nimirum « contractus matrimonii subsequens, *fictione juris, retrotrahitur* ad tempus, quo proles nata aut concepta est, ita ut, sublata macula et purgato vitio antecedentis turpitudinis, proles perinde habeatur ac si suscepta illa esset ex matrimonio jam tunc inter parentes inito... (3). *Ratio* sic statuendi fuit favor tum liberorum tum matrimonii: *liberorum* quidem, quia sic evadunt culpae alienae poenam, et consequuntur legitime natorum jura; *matrimonii* autem, quia hoc modo illegitime copulati amore liberorum alliciuntur ad conjunctionem legitimam seu matrimonium » (4).

Explicatio.

288. *naturales,*

Dicitur 1° proles *naturales:* quia erga spurios hoc privilegio non gaudet matrimonium subsequens; quod aperte constat ex can. 1116, parentum habilitatem requirente ad matrimonium, et jam erue-

---

(1) Can. 984, num. 1. Infrà tamen, sub n. 291, dicetur proli illegitime natae posse, per legitimationem, acquiri vix non perfectam illam habilitatem.

(2) Flandrice dicitur: wettigen, echten.

(3) Ut juridica explicatio, ex retrotractione matrimonii per fictionem juris, plenè valeat, deberet retrotractio fieri usque ad momentum legalis conceptionis, ac non sufficeret retrotractio usque ad nativitatem, siquidem, uti vidimus sub n. 282, legitimitas supponit legitimam conceptionem, ex copula conjugali. De facto tamen extenditur, in jure, legitimationis beneficium ad matrimonium subsequens quod, per fictionem juris, non possit, ob praesentiam impedimenti dirimentis, retrotrahi nisi usque ad momentum nativitatis.

(4) SCHMALZGR., ad. h. tit., n. 49. — Prima exempla legitimationis per subsequens matrimonium *in Ecclesia* concessa reperiuntur ab Alexandro III, in relato titulo 17, juxta principium statutum ab eodem S. Pontifice, in cap. 6. Cf. ESMEIN, o. c., II, p. 39 ss. Cf. etiam POTHIER, o. c., n. 480 ss.

Hic modus legitimationis erat mutuatus ab Ecclesia e jure Romano, in quo virtus legitimandi, justo matrimonio subsequenti agnita, restringebatur ad prolem natam non ex quacumque unione parentum, sed ex solo, quem vocabant, *concubinatu,* de quo egimus suprà, n. 147. Cf. POTHIER, o. c., 7 ss.; VIOLLET, *Histoire du droit,* p. 471-473; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 609, et prae caeteris GENESTAL, o. c., p. 150 ss., ubi evolutionem juris latè expositam reperies.

batur, quoad adulterinos, ex citato cap. 6° (1), necnon ex Constitut. Bened XIV, *Redditae Nobis,* paragr. 2ª; exinceps autem dispositio adulterinos excludens fuit ad reliquas proles spurias extensa, huic extensioni favente invocata juris fictione: legitimatio nempe censetur, per fictionem juris, referri ad nativitatem vel conceptionem, seu potius matrimonium nunc contractum censetur retrotrahi usque ad momentum nativitatis vel conceptionis, ac proinde oportet ut tunc potuisset existere, adeoque ut illo momento non extiterit inter parentes naturales impedimentum dirimens matrimonii.

Porro dictum subsequentis matrimonii privilegium suffragari censetur omnibus prolibus quae, juxta datam notionem, veniunt nomine prolium *naturalium:* non tantum illis scil. quae conceptae sunt tempore quo parentes nullo infer se afficiebantur impedimento dirimente, sed etiam illis quarum parentes inhabiles quidem erant ad matrimonium, conceptionis momento, habiles vero sunt effecti *ante nativitatem* (2); id expresse statuit can. 1116, idque jam antea docebant, propter favorem prolis, canonistae melioris notae (3), cui doctrinae aperte faverat S. Poenit., in responso 21 Apr. 1908, relato apud *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 97 ss.

Acris autem viget *controversia* inter AA. circa proles *putative naturales,* et reipsa spurias, quae nempe procreatae sunt a parentibus impedimento ligatis, *alterutri parti bona fide ignoto;* et potius favendum videtur sententiae neganti hujusmodi liberos legitimari per subsequens matrimonium, saltem si agatur de prole putative naturali, sed reipsa *adulterina.* Cui interpretationi magis adaptatur tenor can. 1116, vel et etiam modo invocati capitis 6 (4), eique suffragantur non pauci juris interpretes, citati apud SCHMALZGR., l. c., n. 59, qui ipse tamen affirmativam sententiam opinatur tenendam (5).

---

(1) « Si autem vir, vivente uxore sua, aliam cognoverit, et ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eamdem duxerit, nihilominus spurius erit filius »; in fine addebatur in primitivo textu Compilationis Primae (tit. 18): « quoniam matrimonium legitimum inter se conrahere non potuerunt ». Cf. ed. *Friedberg.*

(2) « Infertur, docet REIFFENST., l. c., n. 40 41, « quod si vir, vivente uxore sua, aliam impraegnet, et uxor deinde moriatur, antequam adultera partum edat, proles ex tali adulterio concepta (utpote naturalis) legitimatur per subsequens parentum matrimonium ». Similiter quando aliud impedimentum, ex quo parentes ad nubendum erant inepti *tempore prolis conceptae,* per dispensationem contingit auferri *ante nativitatem,* naturalis nascetur proles et per subsequens matrimonium legitimari poterit.

(3) SCHMALZGR., l. c., n. 64-68, cum AA. allatis; REIFFENST., l. c., n. 39; SANCHEZ, *De Matrim.,* l. VIII, cap. VII, n. 19; BARBOSA ad h. t., n. 27 et seq.; BÖCKHN, ad h. tit., cap. *Tanta,* n. 30-31; FERRARIS, *Prompta Biblioth.,* v° *Filius,* n. 23, 32, 39-42; quibus favent FEYE, *De Imped.* n. 741; SANTI, ad h. t., n. 5; GASPARRI, o. c., n. 1123; DE BECKER, *De Matrim.,* p. 378; PUTZER, o. c., n. 120.

(4) Id urget ratio addita in tenore decreti, uti habetur in *Compilatione Prima,* in qua vidimus addi rationem cur adulteri non legitimantur: « quoniam matrimonium legitimum inter se contrahere non potuerunt ». Aliter tamen decretalem interpretatur FREISEN, o. c., p. 861 ss., in hoc insistens quod exclusio prolis adulterinae a beneficio fuerit lata in poenam parentum adulterii, adeoque non sit urgenda in adulterinos bonae fidei.

(5) Cf. FEYE, *De Imp.,* n. 741; *Acta S. Sedis,* XXVI, p. 419 424; DE BECKER, *De Matr.,* p. 378; PUTZER, o. c., n. 119 et seq.; WERNZ, o. c., IV, 686; ESMEIN, o. c., II, p. 44; WERNZ-VIDAL o. c., n. 614, nota 51.

289. *per subsequens matrimonium,*

Dicitur 2° *per subsequens matrimonium,* nempe per matrimonium legitimum quodvis, etiam ratum tantùm et non consummatum, quandocumque fuerit contractum, etiam in ipso mortis articulo, omissis licet, citra dispensationem, publicationibus antenuptialibus; sive matrimonium immediate sequatur, sive mediate, generationem prolis illegitime natae (1), uti nitidè exponit REIFFENST., l. c., n. 30-34. Sufficit etiam matrimonium convalidatum. — Antiquam disputationem, utrum legitimandi virtus insit matrimonio putativo vel non (2), sustulit tenor canonis 1116; in hoc scil. canone legitimandi virtus expressis verbis adscribitur matrimonio tam putativo quam vero.

290. *inter parentes naturales initum ;*

Dicitur 3° per matrimonium *inter parentes prolis illegitimae initum;* dicitur nempe, in tenore can. 1116: « Per subsequens *parentum* matrimonium ».

Nimirum *ex una parte,* matrimonium, *inter parentes* prolis natae contractum, hanc prolem ipso jure legitimat, quin ullo opus sit consensu parentum vel ipsius prolis, quin etiam requiratur, quemadmodum id requiritur in jure nostro civili Belgico, ut parentes expresse agnoverint filium uti suum, sive ante matrimonium, sive in ipsa nuptiarum celebratione.

Ex alia vero *parte,* nullatenus valet ad legitimationem *matrimonium initum a matre cum alio viro* ac illo ex quo suscepit prolem legitimandam; unde, quotiescumque in foro externo juridice constat de filiatione prolis ex alieno patre, non potest qua legitima admitti nec inscribi a parocho, non obstantibus declarationibus matris ejusque sponsi, non obstante etiam decreto legitimationis in foro civili lato. Donec autem aliena probetur, praesumitur paternitas viri cui nubit mater, et, spretis suspicionibus in contrarium, declarationi nupturientium libere factae fidem adhibebit parochus et legitimationem in registris inseret (3). Cf. *Collat. Brug.,* t. XI, p. 276 s., ubi

(1) Proinde legitimaretur proles, si hujus pater non statim cum matre, sed cum alia prius contraheret, et deinceps, hac defuncta, matrimonium cum dicta matre iniret.

(2) Contra REIFFENST., l. c., n. 35-36; BÖCKHN, l. c., n. 21; BARBOSA, l. c., n. 41-43, et alios, affirmabat SCHMALZGR., l. c., n. 56-58, cui favebant, prae caeteris, PIRHING, ad h. t., n. 39; FERRARIS, l. c., n. 37, cum AA. citatis; SANTI, l. c., n. 9; FEYE, *De Imp.,* n. 741; PUTZER, o. c., n. 120; DE BECKER, *De Matr.,* p. 376. — Caeterùm, cum putativo matrimonio jus agnosceretur legitima reddendi natalia, non videtur cur illi virtus denegaretur subsequenter legitimandi proles illegitimas naturales.

(3) Circa inscriptionem haec monet *Pastor. Brug.,* p. 278 et 279: « Si proles ante matrimonium fuerit nata ex eis, sollicite curet parochus ut ejusdem legitimatio actui inseratur, addendo: insuper sponsus N. declaravit filium sponsae suae S., natum die... mensis... anni..., suam esse prolem, quam per matrimonium legitimare intendit ». In registro autem baptismali, ubi proles illegitima per subsequens matrimonium legitimatur, ad marginem fiat hujusmodi legitimationis mentio, remittendo ad registrum conjugatorum. Quod ut in omni casu certò servetur, praescriptum est in Congreg. Prosynod. Brugensi, anni 1871, art. 6°, « ut, si proles extra parochiam matrimonii fuerit baptizata, parochus baptismi de legitimatione per litteras certioretur ».

quaedam notantur circa modum quo constare potest de facto quod contrahentes sint parentes naturales, qui modus ordinariè consistet in declaratione nupturientium, libere declarantium suam paternitatem respectu prolis extra matrimonium natae.

291. proles vero spuriae per rescriptum Pontificis

Nota. 1° Proles *spuriae,* seu illegitimae non naturales, non legitimantur quidem per subsequens matrimonium sed possunt, positis ponendis et exceptis passim adulterinis ac sacrilegis (can. 1051), legitimari per *rescriptum Principis* (1), seu R. Pontificis, siquidem ab ejus voluntate, saltem ex parte, pendet legitimationis beneficium: illud autem rescriptum legitimationis maximè occurrit in dispensationibus matrimonialibus, et ideo remittimus ad hunc locum (2). Cf. n. 786 et n. 849.

Efficacia legitimationis.

2° Quod autem *efficaciam* spectat *legitimationis* in foro ecclesiastico: si acquiritur *per subsequens matrimonium,* principium est, canone 1117 enuntiatum, quod filii sic legitimati « in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit » (3). Cavetur autem, canone 232, § 2, n. 1, quod a cardinalatus dignitate arcentur « illegitimi, etiamsi per subsequens matrimonium fuerint legitimati » (4); item, can. 331, § 1, n. 1, statuitur sic legitimatos non esse idoneos ad episcopatum, nec pariter, juxta can. 320, § 2, ad praelaturam *nullius* (5). Si vero legitimatio est concessa *per rescriptum Pontificis,* potest quidem eadem amplitudine conferri (6), sed de facto nonnunquam limitatur ad quosdam effectus (7).

---

(1) De *origine* legitimationis per rescriptum Principis civilis, in jure Romano, et per rescriptum S. Pontificis, in jure ecclesiastico, vide WERNZ-VIDAL, o. c., n. 609, sub III; VIOLLET, *Histoire du droit,* p. 473 ss.; GENESTAL, o. c., n. 182 ss.

(2) Huc spectat casus propositus a SALSMANS (*Casus conscientiae,* ed. 4ª, n. 985, coll. *Pastor Bonus,* 1922, p. 115); nimirum, matrimonio invalide inito (et prole nata) ante Codicem inter parentes inter quos existebat affinitas illicita, nunc, suppresso dictae affinitatis impedimento, convalidatur matrimonium absque dispensatione (infrà, n. 475 et 730), ac sine rescripto Pontificis. Quaeritur utrum illa proles spuria (est enim talis) legitimetur per subsequens matrimonium, an vero opus sit rescripto Pontificis. Jamvero hoc alterum requiri urgere videtur tenor can. 1116.

(3) Legitimatio sic acquisita censetur, per fictionem juris, *referri ad nativitatem;* quod jam antea docebant jurisperiti, cum REIFFENSTUEL, ad tit. XVII, n. 60, collatis n. 42 et 43, docente quod sic legitimati « per omnia aequiparentur (salva restrictione modò facta) legitime natis..., comprehendanturque in statutis hominum requirentibus ut quis sit legitime natus ».

(4) Exceptio illa est inducta a Sixto V, in Constitutione *Postquam,* diei 3 Dec. 1586, § 12.

(5) Possent per subsequens matrimonium legitimati assumi in superiores majores, cum in can. 504 expresse non excludantur, quemadmodum in can. 1117 vidimus id requiri. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, I. n. 480.

(6) Exemplum habemus in sanatione in radice, ubi proles solent legitimari etiam cum retroactivitate usque ad nativitatem.

(7) Dictum est de legitimationis efficacia *in foro ecclesiastico.* — Quod autem spectat efficaciam legitimationis *in foro civili* et *quoad effectus temporales,* sufficit applicare principium positum suprà, n. 286, in nota. Nimirum, cum legitimitas, quae procedit ex legitimatione, sive per subsequens matrimonium sive per rescriptum Pontificis (in sanatione in radice vel extra illam), non consequatur ad matrimonium sponte sua et tanquam effectus naturalis, sed nitatur in positiva dispositione juris canonici, et quidem in fictione juris, nata non est dicta legitimitas per se efficaciam habere in

3° Inhabilitas ex illegitimis natalibus exorta potest, saltem partim, auferri aliter quam per legitimationem: sive per medium a jure inductum, uti contingit pro *professione sollemni* (1), qua illegitimis, ablata irregularitate ex defectu, confertur habilitas ad ordines, exclusa praelatura (2); sive per viam *dispensationis*, in casu particulari habilitatem restituentis (can. 991, § 3).

292. Ritus antiqui legitimationis.

4° *Ritus legitimationis* olim adhibebantur varii: a/ proles legitimandae ponebantur, momento benedictionis nuptialis, sub pallio extenso super parentibus naturalibus in matrimonium conjungendis; quo ritu symbolicè significabatur proles illas esse habendas quasi natas ex matrimonio, quae significatio eo magis apparet in sententia quae tenet per velamen repraesentari torum conjugalem, ita ut proles exhiberentur quasi ortum ducentes e thalamo conjugali (3);

b/ vel proles legitimanda, momento celebrandi matrimonii, ponebatur *sub mantella matris vel patris:* quae caeremonia mutuata est ex ritu adoptionis Romanae (4);

c/ aliae etiam usurpari solebant, variis in regionibus, legitimationis caeremoniae: sub ipsa scil. matrimonii celebratione prolem conjungendo cum parentibus mediante cingulo, vel prolem ponendo super genibus vel in sinu matris (5); in aliis locis proles legitimandae sistebantur, sub caeremonia nuptiali, juxta parentes et ponebatur super illarum capite liber in quo sacerdos legebat benedictionis nuptialis formulam: unde vocabantur proles illae *Buchkinder.*

Scholion I. Legislatio civilis Belgica.

293. Quaenam proles, in foro civili, censeantur legitimae,

Coram legislatione civili Belgica: 1° *legitima* seu *legitime nata* (6) habetur proles:

a/ *concepta* tempore matrimonii; censetur autem tunc concepta si nata

foro civili, quoad effectus legitimitati adnexos. Si efficaciam habet in foro civili, eam non habet nisi per accidens, propter concordantiam scil. statuti civilis cum dispositione juris canonici: quae concordantia apud nos nulla datur pro legitimatione per rescriptum Principis (cf. tamen infrà, sub n. 294, in nota), sive in sanatione in radice sive extra illam, datur autem, saltem partim, pro legitimatione per subsequens matrimonium, hoc attento quod subsequens matrimonium sit intelligendum pro matrimonio canonicè valido.

(1) Ita, in novo Codice, can. 984, num. 1, irregulares dicuntur illegitimi, « nisi fuerint legitimati *vel vota sollemnia professi* ». Cf. GENESTAL, o. c., p. 80 ss. Professio est species quaedam legitimationis, vel ad minus aequiparatur legitimationi, hujusque effectus saltem partim habet.

(2) Accessus ad praelaturam, illegitimis de norma interdictus, potest sollemniter professis concedi ex speciali concessione, quae nonnunquam indulgetur, salva restrictione passim inserta: « non tamen ad generalatum ».

(3) KOGLER, o. c., 55-64; cf. etiam supra, n. 204.

(4) KOGLER, o. c., p. 64-76, ubi Auctor conatur ostendere per illam caeremoniam symbolicè significari prolem ex illis conjugibus esse procreatam, quemadmodum docet in ritu adoptionis hanc significationem contineri, ut appareret adoptatum cedere adoptanti in proprium, quasi carnalem filium. Ex illo ritu factum est ut proles per subsequens matrimonium legitimatae vocarentur filii *mantellati, mantelkinders, enfants de manteau.*

(5) *Ibidem,* p. 77 ss.

(6) Notetur quod, ut constet de legitimitate prolis, praevie supponitur constare de *filiatione,* seu de facto prolem esse natam ex illa matre quae noscitur conjugata. Porro probatur filiatio prolis legitimae, juxta a. 319 et 320, « par les actes de naissance inscrits sur les registres de l'état civil », et, « à defaut de ce titre, la possession constante de l'état d'enfant légitime suffit »; coll. art. seq. et PLANIOL, o. c., I, n. 1384-1410.

est post diem 180^{m} inde a contracto matrimonio et ante 300^{m} diem inde a conjugii dissolutione (1), sive matrimonium validum fuerit sive putativum (2).

Potest autem ab uxoris marito repudiari hujusmodi proles, ita ut illegitima evadat, si probatur filium *physica* necessitate ex alio viro esse conceptum, nempe si probat (maritus) « que, pendant le temps qui a couru depuis le trois-centième jusqu'au cent quatre-vingtième jour avant la naissance de cet enfant, il était, soit par cause d'éloignement, soit par l'effet de quelque accident, dans l'impossibilité *physique* de cohabiter avec sa femme » (3).

b/ *nata* tempore matrimonii, licet ante matrimonium concepta, utpote nata ante diem 180^{m} inde a celebrato matrimonio; praesumitur namque ex matrimonio concepta, juxta adagium juris, in jure ecclesiastico pariter admissum: « is pater est quem nuptiae demonstrant », coll. suprà, n. 282 (4). Potest autem repudiari a marito, et quidem per simplicem declarationem non-paternitatis, excepta tamen triplici hypothesi inserta art. 314, nempe « 1° s'il a eu connaissance de la grossesse avant le mariage; 2° s'il a assisté à l'acte de naissance, et si cet acte est signé de lui, ou contient sa déclaration qu'il ne sait signer; 3° si l'enfant n'est pas déclaré viable ». Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1366, 1417 s., 1559 et n. 1429 et 1439 ss. (5).

quaenam illegitimae;

2° Reliquae proles censentur *illegitimae,* seu *illegitime natae,* et quidem, pro diversa qualitate parentum, *simpliciter naturales,* si nempe parentes, tempore legali conceptionis, nulli impedimento dirimenti erant

(1) 300 dies correspondent spatio 10 mensium, et 180 spatio 6 mensium, juxta computum in usu tempore redactionis Codicis civilis. Codex germanicus ponit limites extremos inter 302^{m} et 181^{m} diem.

(2) Art. 201 et 202. Matrimonium *putativum,* coram foro civili, est matrimonium, bona fide utriusque vel alterutrius partis initum, et ob vitium annulatum. Quod autem spectat effectum matrimonii putativi, legitimi censentur filii et haeredes etiam respectu partis malae fidei, si putativum fuerit ex una tantum parte. Cf. decisionem Supremae Curiae Parisiensis, 5 Jan. 1910, apud *Pasicrisie,* 1910, IV, p. 101. Cf. THIRY, o. c., n. 303, collata decisione Curiae Bruxellensis, 27 Dec. 1911, apud *Pasicrisie,* 1912, II, p. 57 ss.

(3) Art. 312. Cf. etiam art. 313, ubi, in casu uxoris natam sobolem occultantis, potest maritus eam repudiare et illegitimam reddere, licet *moralem* dumtaxat impossibilitatem suae paternitatis invocare possit. Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1435 ss.; decis. Curiae Gandav., 3 Jan. 1908, *Pasicrisie,* 1909, II, p. 371 ss.; decis. Tribun. Gandav., 15 Jan. 1913, apud *Pasicrisie,* 1913, III, p. 345 ss.; decis. Tribun. Brugensis, 19 Martii 1913, *Pasicrisie,* 1914, III, p. 27-32.

(4) Hoc eruendum censemus ex tenore articuli 331 et 314, necnon ex tenore inscriptionis capitis primi, sub titulo VII Codicis civilis: « de la filiation des enfants légitimes ou *nés* dans le mariage ». Non pauci tamen Auctores contradicunt, contendentes prolem non conceptam sed natam in matrimonio non esse legitimè natam, sed ipso facto legitimatam per matrimonium subsequens parentum; sed illam legitimationem coguntur limitare intra terminos articuli 331, et sic uti adulterinam habere debent prolem natam ex parentibus quorum unus, tempore conceptionis legali, erat cum tertia persona matrimonio junctus, nec huic proli agnoscere possunt, id prohibente articulo 331, privilegium legitimationis.

(5) Coram Senatu Belgico, 16 Martii 1911, inducta est ab Alex. Braun propositio legis, huc spectans ut articulo 313 addatur paragraphus sequens: « En cas de jugement ou même de demande en divorce ou en séparation de corps, le mari pourra (par simple déclaration de non-paternité) désavouer l'enfant né 300 jours après la décision qui aura autorisé la femme à avoir un domicile séparé, et moins de 180 jours depuis le rejet définitif de la demande ou depuis la réconciliation. L'action en désaveu ne sera pas admise si la femme prouve qu'il y a eu réunion de fait entre les deux époux ». *Annales parlementaires* — Sénat, 16 Martii 1911, p. 244, coll. *Coltat. Brug.,* t. XI, p. 329 s. Cf. etiam COULON, *Le Divorce,* p. 279, ubi refertur tenor legis Gallicae, 6 Dec. 1850: in hoc habetur differentia quod, juxta votum Alex. Braun, probatio facti cohabitationis incumbit uxori.

obnoxii, aut *incestuosae* vel *adulterinae:* natae scil. ex parentibus qui, tempore legali conceptionis, erant, intrà gradus prohibitos, cognati vel affines (1), absque dispensatione, vel quorum alteruter erat cum tertia persona matrimonio junctus. Cf. suprà, n. 277.

294. quomodo legitimentur.

3° Filii *illegitime nati sed naturales* (exclusis adulterinis et incestuosis) (2) *legitimari* (3) possunt « par le mariage subséquent de leurs père et mère, lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou qu'ils les reconnaîtront dans l'acte même de célébration » (4). Ita art. 331 cod. civ. (5).

---

(1) Attende quod, juxta legem 11 Febr. 1920, jam non habentur uti incestuosae proles natae « de relations hors mariage entre beaux-frères et belles-sœurs, après le décès du conjoint qui produisait l'alliance ».

(2) Vi legis 8 Aprilis anni 1908, art. Cod. civ. 342b, illa exceptio inducta contra proles *incestuosas* non applicatur liberis, « nés de personnes parentes ou alliées entre lesquelles le mariage *pouvait* être autorisé par dispense », et ita practice abrogatur illa exceptio. Inde a lege 11 Febr. 1920, jam non est locus illi dispositioni legis 8 Apr., 1908, in quantum spectat proles affinium. Cf. etiam CARON, o. c., p. 235-242, coll. p. 262; item PLANIOL, o. c., I, n. 1553, ubi refertur et reprobatur mutatio, per legem 7 nov. 1907, inducta in legislatione Gallica, in favorem prolis *adulterinae,* quae deinceps, in nonnullis adjunctis, legitimari valet per subsequens matrimonium. Nimirum dicta lege permittitur ut proles adulterina, a marito repudiata, legitimetur per matrimonium matris cum complice; possunt pariter legitimari per subsequens matrimomium parentum naturalium, proles natae « 300 jours après l'ordonnance autorisant, dans une instance en divorce ou séparation de corps, la femme à avoir un domicile séparé, lorsque la procédure aura abouti soit au divorce soit à la séparation de corps, ou aura été interrompue par le décès du conjoint trompé »; tandem « tout enfant issu d'un père ou d'une mère séparé de corps et dont la conception se place entre le jour où la séparation est devenue définitive et celui où elle cesse, soit par la réconciliation de l'un ou de l'autre auteur avec son conjoint, soit par la dissolution du mariage, pourra être légitimé ». Cf. NAQUET, *Vers l'union libre,* p. 270 ss., ubi notat novam motionem esse factam ad auferendas restrictiones in dicta lege appositas. De facto ampliata est concessio facta, anno 1907, per legem 25 Aprilis 1924 (*Docum. cath.,* 1924, p. 954), signanter in hoc quod legitimari possint per subsequens matrimonium: « les enfants nés du commerce *adultérin* du *mari*... s'il n'existe pas d'enfants ou de descendants légitimes issus du mariage au cours duquel l'enfant adultérin a été conçu ».

(3) *Legitimati* iisdem favoribus fruuntur (coram lege) ac proles legitime natae, sed illis non fruuntur nisi inde a momento matrimonii contracti. Art. 333.

Proles naturales *legaliter agnitae,* sed non legitimatae, non possunt « réclamer les droits d'enfants légitimes », a. 338; recognitio namque probat illarum conditionem prolis naturalis respectu determinatae personae, eam vero non mutat. Cf. n. 277 s.

Notetur etiam civilem legitimationem concedi posse, vi art. 332, « en faveur des enfants *décédés* qui ont laissé des descendants; et, dans ce cas, elle profite à ces descendants ».

(4) Huic dispositioni, recognitionem exigenti ante matrimonium aut in ipsa matrimonii celebratione faciendam, *derogationem* induxit lex Belgica diei 7 Aprilis 1922 (*Mon.,* 30 Apr. 1922), quatenus scil. « les enfants naturels non reconnus, dont le père et la mère ont contracté mariage *à l'étranger entre le 4 Août 1914 et le 30 Sept. 1919,* seront légitimés par la reconnaissance faite par leurs auteurs soit antérieurement à la présente loi, soit dans le délai d'une année à partir de l'entrée en vigueur de cette loi ». Art. 1ª; art. autem 2ª addit: « La legitimation acquise en vertu de l'article 1er... produira ses effets à la date du mariage ».

(5) Sola viget legitimatio per subsequens matrimonium; modus autem legitimandi *per rescriptum Principis* evanuit a legislatione civili nostra, sed olim fuit in usu, uti notavimus, remittentes ad VIOLLET, *Histoire du droit,* p. 473 ss.; PLANIOL, o. c., I, n. 1550 s. Adhuc in usu est in Hispania, Italia et Hollandia.

Speciem quamdam legitimationis *per rescriptum Principis* induxit lex Belgica diei 29 Julii 1921 (*Mon.,* 5-6 Aug. 1921), quatenus a tribunali primae instantiae legitimari possit « tout enfant dont le père présumé a été sous les drapeaux pendant la guerre et est décédé des suites d'un combat, des blessures reçues ou des maladies contractées ou aggravées pendant sa présence sous les drapeaux »; item « tout enfant présumé issu d'un citoyen Belge ayant été détenu ou déporté soit pour services rendus à la Belgique ou à un pays allié ou associé à la Belgique, soit pour résistance à l'ennemi, si le décès est survenu soit pendant la détention ou la déportation, soit au plus tard deux mois après le retour au foyer ».

Requiritur autem ut constet de facto quod parentes voluerint inire matrimonium

Circa quem articulum attende hujusmodi filios *non legitimari ipso facto matrimonii subsequentis*, vi ipsius juris dispositionis, uti in jure canonico, sed eos *posse* legitimari, accedente scil. libera parentum recognitione, sive ante matrimonium locum habuerit, sive in ipsa celebratione matrimonii obtineat (1). Ulterius, idque sedulò nota, requiritur, sicut in jure canonico, subsequens matrimonium *inter parentes naturales prolis legitimandae:* contra quod statutum saepe saepius agunt officiales civiles, quamcumque prolem, a nupturientibus ipso officiali non raro ad id cogente agnitam, inscribentes qua legitimam, etiam ubi constat eam alienam esse (2); caveat autem sacerdos, ne in hoc errantem officialem civilem sequatur pro inscribenda legitimatione in registro baptizatorum (3).

Sententia communior jurisperitorum admittit proles ante matrimonium natas, per matrimonium *putativum* legitimari; cui interpretationi favet generale principium enuntiatum sub. art. 201, licet tenor art. 202 difficultatem aliquam habeat (loquitur de liberis « issus du mariage »). Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1109; THIRY, o. c., n. 304; collato CARTERON, o. c., qui fusè disserit de matrimonio putativo ejusque effectibus, collata etiam decisione Curiae Bruxellensis, 27 Dec. 1911, modò relata in nota, quae apertè favet legitimationi per matrmonium putativum.

295. Jus Romanum.

Scholion II. Jus Romanum.

In *jure Romano antiquo,* matrimonium non erat, sicuti in jure canonico et jure civili hodierno, *fons unicus legitimitatis;* poterat namque paterfamilias filium vel nepotem, filium scil. sui filii-familias, ex matrimonio natum, rejicere et illi alium per adoptionem substituere (4).

Quod spectat *legitimationem:* anno 336, Constantinus, severam disciplinam inducendo contra proles illegitime natas, indulgebat ut transitorie legitimarentur per subsequens matrimonium proles ante novae legis promulgationem illegitime natae naturales. Justinianus hanc dispositionem

---

et prolem legitimare, utque constet de filiatione respectu patris et matris. — Proles sic legitimata « jouira de tous les droits d'un enfant légitime, avec effet rétroactif au jour de sa naissance ». Ita art. 1-9. Hujus autem legis beneficium restringitur, in art. 22, ad spatium duorum annorum inde a legis promulgatione: quod spatium fuit prorogatum favore legis 29 Martii 1925 (*Mon.,* 25 Apr. 1925), ita ut novum spatium duorum annorum concessum sit, inde ab hac ultima lege promulgata currendum.

(1) Recognitio illa, uti disponit art. 331, debet fieri ante matrimonium, vel saltem in ipso actu celebrationis matrimonii. « La reconnaissance faite postérieurement à la célébration du mariage n'entraine pas la légitimation. — Le législateur a craint que la reconnaissance postérieure ne soit pas l'expression de la vérité ». Ita Tribun. de Louvain, 22 Junii 1910, *Pasicrisie,* 1910, III. p. 243 s., coll. Cour d'Appel de Chambery, 18 Déc. 1911, *Pasicrisie,* 1912, IV, p. 62. Ex alia parte contra légitimationem, per matrimonium et recognitionem rite inductam, non admittitur oppositio ex eo quod proles dicatur falso fuisse agnita. Cf. Cour d'Appel de Bruxelles, 22 Nov. 1910, *Pasicrisie,* 1911, II, p. 34 ss.

(2) Quando sponsus libere agnoscit ut suam prolem natam ex sponsa, officialis civilis debet prolem ut legitimatam inscribere, etiam quando ipse pro falsa habet declarationem sponsi. Potest tamen, ad tramites art. 339, contra illam recognitionem oppositio fieri ab interesse habentibus. Cf. *Revue d'admin. et de droit administratif,* 1908 (LV), p. 341 ss.; decis. tribun. Brug., 15 Dec. 1915, apud *Pasicr.,* 1908, III, p. 222 s.

(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 122; XI, p. 726; XII, p. 766, ubi referuntur varia exempla hujusmodi inscriptionis abusivae in registris status civilis, quatenus v. gr. inscriptus est qua pater nupturiens qui, conceptae prolis tempore, nondum attigerat undecimum annum.

(4) « Le paterfamilias pouvait exclure de sa *domus* ses enfants ou ses petits-enfants *ex nuptiis,* les dépouiller même de toute *agnatio;* d'autre côté, il pouvait introduire dans sa *domus* et au même titre, avec pleine *agnatio,* des enfants de provenance étrangère, par l'adoption ». LEFEBVRE, o. c., p. 59.

transitoriam reddidit definitivam, et ulterius proles, quae per subsequens matrimonium legitimari non valebant, admisit ad legitimationem per rescriptum Principis, exceptis incestuosis et adulterinis. Circa alios legitimationis modos in jure civili admissos cf. FREISEN, o. c., p. 861 s.

Jus Romanum in hoc adoptasse non videtur Ecclesia ante saeculum XII. Non apparet, uti jam notavimus (n. 288), legitimatio in jure canonico ante Alexandrum III; sed inde ab illo tempore sanciuntur per decretales dispositiones juris Romani, hac inducta moderatione seu determinatione ut ad legitimationem per subsequens matrimonium admitterentur solae proles illegitimae canonicè naturales.

CAPUT III

DE PROPRIETATIBUS VINCULI CONJUGALIS.

ARTICULUS 1[s]. **De Unitate vinculi conjugalis.**

296. Unitati matrimonii opponuntur variae species polygamiae.

Praenotanda. 1° Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas. Can. 1013, § 2.

2° Unitati matrimonialis vinculi opponitur *polygamia* (pluralitas nuptiarum), quatenus vel unus vir habeat plures uxores, et tunc dicitur *polygynia,* seu polygamia stricte dicta, vel una mulier plures viros, et tunc dicitur *polyandria.*

Polygamia autem vel est *successiva,* vel *simultanea;* successiva polygamia dicitur potius bigamia (1), trigamia, tetragamia et ita porro.

297. Recoluntur principia circa jus naturae ejusque praecepta : primaria,

3° In ordine ad hujus et sequentis quaestionis tractationem, recolenda sunt quaedam principia circa *jus naturale* et *dispensationem* in illo.

Nimirum distinguuntur praecepta juris naturalis *primaria* et *secundaria.* Contra *primaria* praecepta sunt illa quae vel ipsum finem ultimum directe excludunt, relationes destruendo Deum inter et homines, vel penitus pervertunt ordinem societatis ac bonum convictus humani. Contra *secundaria* vero principia sunt illa quae quidem ordinem statutum non destruunt, sed ipsi nocent vel minus conveniunt in generalitate casuum. Prouti autem ordini nocent aut minus conveniunt, prohibentur a jure naturae vel ab eo dissuadentur dumtaxat (2).

Dicitur: *prohibentur,* si non tantùm minus conveniunt ordini, sed ipsi nocumentum afferunt. Equidem illa non nocent ordini nisi *in generalitate casuum,* ac possunt exceptionaliter et per accidens cum

(1) Bigami tamen etiam dicuntur duas uxores simultanée habentes. Ita can. 2356. Quare opportune distinguuntur successive bigami a simultaneé bigamis.

(2) Cf. S. THOMAS, *Suppl.,* qu. LXV, 1 et 2; PALMIERI, o. c., p. 111, 117 et 119.

ordine componi; attamen, cum lex naturalis spectet ea quae sunt per se et generatim contingunt, manent tamen universim prohibita. Cf. S. THOMAS, 1ª 2ªe, qu. CLIV, art. 2° (1), coll. *Contra Gent.*, l. III, c. 122.

Porro a/ permittere aliquid quod est contra praecepta *primaria* juris naturalis, in nullius est potestate, nequidem ipsius Dei, generali saltem statuto (2): non potest enim Deus ordinem constitutum destruere.

298. et secundaria.

b/ Permittere aliquid quod est contra principia *secundaria,* etiam stricte prohibentia, id valet Deus (generali etiam statuto), non autem homo; ad Deum nimirum exclusive pertinet dispensare in lege, a se constituta, et determinare casus in quibus per accidens derogationem admittit (3).

Deus autem id valet non modò *immediatè* per seipsum, sed etiam, saltem ubi agitur de obligationibus consequenter ad hominis factum inductis, *per mediam Ecclesiam* (4): ipsi scil. suam divinam potes-

(1) « Id quod cadit sub legis (naturalis) determinatione, judicatur secundum id quod communiter accidit, et non secundum id quod in aliquo casu potest accidere ».

(2) Dicitur: *saltem generali statuto:* quia docet S. THOMAS, *Suppl.*, qu. LXVII, a. 2, quod « potest dispensatio esse divinitus etiam contra prima praecepta legis naturae...; tales autem dispensationes non fiunt communiter ad omnes sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam in miraculis accidit ».

Quam doctrinam enucleans BILLOT, *De Ecclesiae sacramentis,* 1896, II p. 368, distinguit primaria juris naturalis praecepta *in duplicem speciem:* « Primo quidem loco veniunt quaecumque *directè et immediatè* repugnant ultimo fini, utpote immediate ac directe contra Deum existentia, et ista nullam omnino, et ne de potentia quidem absoluta, dispensationem patiuntur... Secundo loco occurrunt ea quae ideo prohibentur quia sunt naturaliter destructiva boni convictus humani, ac per hoc *mediatam habent* oppositionem cum fine ultimo, ad cujus prosecutionem humana societas est apprimè necessaria, de quibus satis superque constat quod non patiuntur dispensationem aliquam *generalem,* quae integrae cuidam communitati daretur et veluti in ordinarium transiret privilegium...; verumtamen nihil prohibet quominus, *in particularibus quibusdam et omnino extraordinariis casibus,* actus praedicti eximantur per divinam dispositionem a naturali conditione secundum quam ultimo fini repugnant, dum scilicet altiori quodam ac veluti miraculoso modo, praeter ordinem causarum secundarum, ad Deum referuntur ».

(3) S. THOMAS, *Suppl.*, qu. LXV. art. 2, loquens de illis quae sunt «contra legem naturae, non quantum ad prima praecepta ejus, sed quantum ad secunda, quae quasi conclusiones a principiis derivantur », sic arguit: « Quia actus humani variari oportet secundum diversas conditiones personarum, et temporum, et aliarum circumstantiarum, ideo conclusiones praedictae a primis legis naturae praeceptis non procedunt ut semper efficaciam habentes, sed in majori parte;.... et ideo, ubi eorum efficacia deficit, licite ea praetermitti possunt. Sed quia non est facile determinare hujusmodi varietates, ideo illi, ex cujus auctoritate lex efficaciam habet, *reservatur* ut licentiam praebeat legem praetermittendi in illis casibus, ad quos legis efficacia non extendere se debet, et talis licentia dispensatio dicitur ». Addit etiam mox infra quod lex naturalis, nitens in secundariis principiis, « non est humanitus sed divinitus instituta », et « ideo in hoc *a solo Deo* dispensatio fieri potuit ».

(4) Cf. BILLOT, o. c., II, p. 402 et seq., ubi apte distinguit inter duplicem quam Ecclesia exercet potestatem, et simul rationem reddit cur Ecclesia opportune acceperit quamdam auctoritatem in relaxandas nonnullas obligationes juris divini vel naturalis, illas nimirùm quae consequuntur factum ab homine ponendum: « Quaedam sunt obligationes impositae a Deo Auctore naturae vel gratiae per dispositionem legis *antevertentem omnem deliberationem humanae voluntatis,* quaedam vero aliae sunt quae non inducuntur nisi *consequenter ad ipsius hominis factum et determinationem,* sicut patet in voto, in juramento aliisque ejusmodi.

Est autem inter hos duos obligationis modos, quod ad rem praesentem attinet, evidens *differentia.* Etenim humana deliberatio nequit omnia circumspicere, nec prae-

tatem communicando, quam exerceat Ecclesia non qua propriam et proprio nomine, sed qua potestatem *ministerialem* seu *instrumentalem,* nomine et auctoritate Dei (1).

299. Nota.

Nota. Attenta explicatione intelligitur quomodo, ex una parte, aliquid quod est contra jus naturae secundarium sit jure naturae prohibitum, et quomodo, ex alia parte, derogatio admittatur, quin jus naturale mutetur. Nimirum illud quod est contra jus naturae secundarium, a jure naturae non prohibetur absolute, sed salva dispensatione divina; unde, ex una parte, quousque dispensatio non intervenerit, urgetur juris naturalis prohibitio, et, ex alia parte, dispensatione divinitus interveniente, jam licitum evadit et legitimum, immoto permanente jure naturali. Cf. SCHIFFINI, o. c., n. 159, obj. 3[1a], ad 2[m] et 3[m], coll. n. 379 (2).

300. Polygamia successiva nunquam fuit prohibita :

PROPOSITIO PRIMA. *Polygamia successiva neque lege divina, neque lege ecclesiastica communi, fuit unquam damnata, licet fuerit minus probata.*

Explicatio et probatio.

nec jure divino,

A. Quod spectat *prohibitionem* **juris divini,** nullum invocari potest fundamentum quo nitatur, et gratuitò fuit a quibusdam Orientalibus asserta (3).

---

videre omnes circumstantias in quibus contingere poterit ut minus opportuna sit vel congrua observatio ejus quod voto promittitur, vel juramento firmatur, vel contractu sancitur. Unde ad bonum christianae societatis expediebat ut in his, per Christi vicarios, dari posset quandoque, pro exigentia particularium adjunctorum, dispensatio; nec valet eadem ratio pro obligationibus quae a sola dispositione divinae voluntatis dependent, quia cum Dei providentia omnia circumspiciat et non habeat incertum eventum, necessitas medendi defectui praevisionis humanae nullo pacto hic applicatur ». Cf. S. THOMAS, 2[a] 2[ae], qu. LXXXVIII, art. 10, ad 2[m].

(1) SUAREZ, in tractatu *De Legibus ac Deo legislatore,* l. II, c. 15, aliam explicationem proponit, ad quam accedunt plures. Cf. ESSER, o. c., p. 35-49, ubi comparat varias solutiones.

(2) Apud Auctores medii aevi, Sancto Thomae anteriores, signanter apud Decretistas ac priores Decretalistas, diu exstitit incertitudo ac nutatio circa jus naturae, maxime circa ejusdem extensionem. Per longum temporis intervallum habebantur ut ad jus naturae pertinentia praecepta moralia et prohibitiones contenta in Lege et Evangelio, imo, saltem a nonnullis, statutum generale Ecclesiae et canones priorum conciliorum, praesertim quatuor priorum, quae quatuor evangeliis comparabant; unde factum est ut, illis applicando vulgatum tunc principium indispensabilitatis juris naturalis, varia uti indispensabilia haberent praecepta et prohibitiones, quae reipsa dispensari possunt et dispensatione sunt relaxata. Et ita plures Auctores indispensabilem dicebant consanguinitatem in secundo, vel et in tertio gradu, ex eo quod in Lege Moysi prohibebantur matrimonia in illo gradu. Cf. textus citatos apud FREISEN, o. c., p. 897 s. Exinceps pedetentim, sub influxu mitioris effectae praxeos Ecclesiae in dispensationis oeconomia, praesertim sub Alexandro III, mitigatio inducta est in doctrina. Nimirum, ex una parte, coepit doceri non omnia praecepta vel prohibitiones in Lege aut Evangelio contenta esse de jure naturae, sed illa dumtaxat quae ad fidem spectant; ex alia autem parte, jam coepit mitigari principium indispensabilitatis juris naturae, quatenus nempe id quod noscitur esse de jure naturae, non possit quidem ex integro auferri, possit autem in determinato casu particulari relaxationem admittere. Cf. BRYS, o. c., p. 80-83; 126-132 et 195-226; LOTTIN, *Le droit naturel chez S. Thomas et ses prédécesseurs,* apud *Ephem. theol. Lovan.,* I (1924), p. 369-388, et II (1925), p. 32-53 ac 345-366.

(3) Ita Nicolaus Patriarcha Constantinopolitanus, in controversia circa tetragamiam Leonis VI, quartas nuptias juri divino contrarias contendit. Cf. JUNGMANN, *Dissertationes in histor. eccles.,* Ratisbonae, 1884, IV, p. 135 ss.

B. Quod attinet **jus ecclesiasticum:**

301. nec jure ecclesiastico,

1° Profectò, re in se et absolutè spectata, Ecclesia non praestitit favorem pluralitati nuptiarum, ac polygamiam successivam habuit uti *statum imperfectum,* casta viduitate minus honorabilem (1), quatenus nempe tum minus perfectè repraesentat unionem unius Christi cum una Ecclesia, tum passim intemperantiae defectum arguit (2); saepe etiam nocent iteratae nuptiae prolibus ex priori matrimonio natis necnon paci familiae.

Porro in dictae inperfectionis nota, maximè ob incontinentiae suspicionem, praecipua ratio reperitur cur quidam SS. Patres, signanter Orientales, adeo severè judicaverint secundas, et praesertim tertias ac quartas nuptias (3). Inde etiam explicatur quare poenitentia injungi solebat successivè bigamis (4), nec poterant sacerdotes assistere secundarum nuptiarum convivio (5); quare etiam non benedicebantur sollemniter sponsi successivè bigami (6); quare tandem bigami ab ordinibus suscipiendis sunt removendi (7).

302. jure saltem communi.

Attamen 2° nunquam *de jure communi* lata fuit *prohibitio stricte dicta.* Et sane S. PAULUS, in *epist. 1ª ad Corinth.,* VII, 39: « Mulier, ait,... si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat »; item, in *ep. ad Rom.,* VII, 2, 3; in Concilio autem *Florentino,* in decreto pro Armenis, « declaramus, inquit *Eugenius IV,* non solum secundas nuptias, sed etiam tertias et quartas atque ulteriores, si aliquod canonicum impedimentum non obstat, licitè contrahi posse » (8);

---

(1) Can. 1142, coll. decreto 55 Conc. Mechlin. quarti.

(2) Ita CLEM. ALEXANDR., *Strom.,* 1. III, c. 12 (Migne, VIII, col. 1183): « Si cui Apostolus, propter intemperantiam et ustionem, veniam concedit secundi matrimonii,... non implet autem summam illam vitae perfectionem quae agitur ex Evangelio ».

(3) In hunc sensum scribit S. GREGORIUS NAZIANZENUS, *Oratio 37,* n. 8, cujus verba non sine grano salis sunt intelligenda: « Primum (matrimonium) lex est, secundum, venia et indulgentia; tertium, iniquitas; qui autem hunc numerum excedit, porcinus planè est ». *Migne,* XXXVI, col. 291. Item BASILIUS, *Epistola 188* (canonica 1ª), dicit unionem trigami non amplius appellari conjugium, sed polygamiam, vel potius moderatam fornicationem. *Migne,* XXXII, col. 674. Cf. hic FREISEN, o. c., p. 668 s., ubi varii textus citantur et ad invicem comparantur.

(4) C. 8, C. XXXI, qu. 1: De his qui frequenter uxores ducunt, et de his quae saepius nubunt, tempus quidem poenitentiae his manifestum constitutum est ». — Circa varias dispositiones librorum Poenitentialium, cf. FREISEN, o. c., p. 669 s., ubi etiam ostendit Gratianum et Decretistas mitiorem disciplinam fovere.

(5) *Ibidem:* « Presbyterum vero convivio secundarum nuptiarum interesse non debere; maximè cum praecipiatur secundis nuptiis poenitentiam tribuere ».

(6) Cf. suprà, n. 203; cf. etiam CASTAN, o. c., ubi notat in Gallia, sub veteri regimine, populum contra secundas nuptias reluctasse, et harum occasione in pluribus locis movisse « charivari ». Cf. etiam *Conférences de Paris,* III, p. 94. — Quod spectat disciplinam praesentem, cf. n. 198.

(7) Juxta novum Codicem, can. 984, n. 4, irregulares sunt ex defectu *bigami,* « qui nempe duo vel plura matrimonia successive contraxerunt ».

(8) Citari etiam potest Concilium Nicaenum, quod, in canone 8, doctrinam Montanistarum ac Novatianorum proscripsit, necnon praxis in Ecclesia Africana introducta, ut Episcopus promovendus, ante consecrationem, inter alia interrogaretur: « si nuptias non improbet, si secunda matrimonia non damnet ».

tandem, in canone 1142, simul cum viduïtatis laude, affirmatur honestas secundarum et ulteriorum nuptiarum (1). Item Hermas (2), S. Ambrosius (3), S. Hieronymus (4), S. Augustinus (5), aliique SS. Patres (6), non laudant quidem, sed non damnant iteratas nuptias.

Quinimo non raro contigit Ecclesiam iteratas nuptias commendasse, non utique in se et absolute spectatas, sed in quantum remedium praebent ad vitandam incontinentiam. Ita *Instr.* S. C. de P. F., 8 Sept. 1869: « Emi Patres... praeceperunt ut missionarii moneant fideles de memoratis nuptiis (secundis), eas non esse neque ab ecclesiastica lege improbatas, nisi aliud obstet, proindeque viduas ob incontinentiam ad iteratas nuptias hortentur » (7).

Dictum est: « *de jure communi* » non extitisse prohibitionem; quia non negamus, in quibusdam ecclesiis *particularibus*, notatim Orientalibus, excessivam severitatem fuisse admissam, uti novimus, inter alia, ex memorata controversia de tetragamia Leonis Imperatoris. Cf. STIEGLER, o. c., p. 240 ss.; PALMIERI, o. c., p. 102 ss.; VERING, o. c., p. 914 (8).

Nota 1. Ad tramites can. 1142, supponitur quod, in transitu ad novas nuptias, servetur praescriptum can. 1069, § 2, quatenus scil. transitus ille non fiat « antequam de prioris matrimonii nullitate aut solutione legitimè et certò constiterit ». Cf. infrà, n. 564.

2. Convenit ut alterum matrimonium non citius prioris matrimonii solutionem excipiat, ac praesertim vitetur periculum turbationis sanguinis; nulla tamen in jure canonico (9) datur dispositio juris

---

(1) « Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae validae et licitae sunt ».

(2) « Dic, inquit. — Si mulier, inquam, Domine, aut invicem vir aliquis dormiverit, et nupserit aliquis eorum, numquid peccat nubens? Non peccat; si autem secum quis manet, abundantiorem honorem et magnam gloriam sibi comparat apud Dominum... ». *Mandatum* IV, c. 4, V, 1-2 (Edit. *Funk*).

(3) « Non prohibemus secundas nuptias, sed non probamus saepe repetitas ». *De Viduis*, c. 11 (*Migne*, XVI, col. 254).

(4) « Non damno bigamos et trigamos, et, si dici potest, octogamos ». *Epist. 48 ad Pammachium*, n. 9 (*Migne*, XXII, col. 499).

(5) « De tertiis et quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Unde et breviter respondeam: nec ullas nuptias audeo damnare nec eis verecundiam numerositatis auferre ». *De Bono Vid.*, c. 12 (*Migne*, XI, col. 439).

Item, in c. 15: « Nec contra humanae verecundiae sensum audeo dicere, ut quoties voluerit, viris mortuis, nubat femina; nec ex meo corde, praeter Scripturae S. auctoritatem, quotaslibet nuptias audeo condemnare ».

(6) Cf. PESCH, o. c., VII, n. 838; PALMIERI, o. c., p. 98 ss.

(7) *Collectanea*, n. 1378, coll. n. 1377.

(8) Usque ad haec ultima tempora prohibebat legislatio civilis Russica, sub influxu Ecclesiae orthodoxae, quartas nuptias. Cf. CASTAN, o. c., p. 16 s.

(9) Quod autem spectat *jus civile Belgicum*, prohibetur viduae matrimonium inire ante finem decimi mensis inde a morte mariti. Cf. infrà, n. 479. — Jus Romanum viduae imponebat dilationem integri anni. Apud judaeos, vidua non poterat alii viro nubere nisi post 90 dierum spatium, et, si impraegnata fuerit aut recens natum habuerit, debebat expectare per duos annos.

communis (1), inducias imponens viduis nec unquam exstitisse videtur (2).

PROPOSITIO SECUNDA. *Contra jus naturae est polygamia simultanea, ea lege ut polyandria opponatur praeceptis primariis, polygynia vero praeceptis contradicat secundariis dumtaxat.*

Explicatio et probatio.

303. Simultanea polyandria est contra jus naturae primarium.

I. **Polyandria** simultanea (3) est contra *primaria* praecepta juris naturae. *Ratio est* quia nata est polyandria destruere ipsam oeconomiam matrimonialem, adeoque ipsam rempublicam ac bonum convictus humani, utpote quae in matrimonio ac familia tanquam in fundamento nititur. Et sane matrimonium sub regimine polyandrico funditus destrui, patet ex eo quod consecutio finis primarii matrimonii per se redditur impossibilis, cum ex hujusmodi unione procreari quidem possint proles, licet difficilius, sed de se *penitus impediatur earum educatio.* Ad debitam namque prolium informationem, uti suprà arguimus, per se requiritur opera et industria non matris tantùm, sed et patris; haec autem efficax cura et providentia patris practicè deficiet, siquidem in polyandrico consortio incertum erit quisnam pater existat susceptae sobolis (4). Unde primariis juris naturae praeceptis prohibitum est ac irritum matrimonium a muliere initum cum secundo simultaneè vel tertio viro.

304. Polygynia est contra jus naturae secundarium.

II. **Polygynia** simultanea est contra *praecepta* juris naturae *secundaria,* eaque stricte prohibitiva, non autem contra praecepta primaria.

---

(1) Hinc inde occurrunt hujusmodi dispositiones juris particularis. Ita *Poenitentiale Theodori,* 1. II, cap. XII, par. 9, haec habebat: « Muliere mortua, licet viro post mensem alteram accipere; mortuo viro, post annum licet mulieri alterum tollere virum ». In statutis autem dioecesanis Brugensibus, ab Episcopo Caimo conditis, inseritur dispositio sequens: « Non admittant pastores ad sponsalia *viduas,* nisi octo aut novem menses in viduitate fuerint elapsi, vel nisi ex testimonio obstetricis, viduam cognoscentis, aut aliunde ipsis constet viduam non esse gravidam ». Cf. *Statuta dioecesis Brugensis.* Brugis, 1765, tit. III, par. 33.

(2) Cf. FREISEN, o. c., p. 658-665, coll. ESMEIN, o. c., I, p. 401 s.

(3) WESTERMARCK, o. c., p. 114 s., coll. p. 426 s., varias refert formas polyandriae; item PEYTEL, o. c., p. 26; cf. etiam *Revue sociale catholique,* VIII, 1904, p. 49 ss., ubi notatur in Thibeto existere polyandriam, eamque sub forma peculiari, quatenus nempe pluribus fratribus habeatur una eademque uxor, ea tamen lege ut natu major proprium jus habeat in ipsam, et, ipso defuncto, natu secundus; vocatur hoc regimen nomine *punaluan,* juxta AVIGDOR, o. c., p. 31. Cf. etiam HOWARD, o. c., I, p. 68 s. et 81.

(4) S. THOMAS, in *Suppl.,* qu. LXV, art. 1, ad 8^{m}: « Unam uxorem habere plures viros, est contra prima praecepta legis naturae, eo quod per hoc quantum ad aliquid totaliter tollitur, et quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod est principalis matrimonii finis. In bono enim prolis intelligitur non solùm procreatio, sed etiam educatio; ipsa autem procreatio prolis, etsi non totaliter tollatur, quia contingit post impraegnationem primam iterum mulierem impraegnari..., tamen multum impeditur...; sed *educatio totaliter tollitur,* quia ex hoc quod una mulier plures maritos haberet, sequeretur incertitudo prolis respectu patris, cujus cura necessaria est in educando ».

Revera ex una parte *non destruit* matrimonium, nec adeo societatis ordinem ac bonum convictus humani; salvatur namque *finis primarius* matrimonii, cum nec procreatio nec etiam educatio exinde reddatur impossibilis, et ideo non contradicit praeceptis primariis. Ex alia autem parte polygynia simultanea nata est *nocere* matrimonio *in generalitate casuum,* quippe in quibus non leve detrimentum affert educationi prolium: ex eo scil. quod, pacem turbando in familia ac mutuum conjugum solatium (1), admodum arduam reddit conjugum cohabitationem, quam ad debitam prolium educationem vidimus necessariam (2); unde eruitur polygyniam, *coram ipso jure naturae* et abstractione facta a positiva lege, *stricte prohiberi,* et non tantùm dissuaderi qua minus congruam, ac matrimonium contra dictam prohibitionem attentatum irritum esse ac nullum (3).

Id etiam clare docet C. S. O., in *Instruct.* 20 Junii 1866 (4), ubi notat « exploratissimum esse principium, matrimonium infidelitatis tempore a viro cum femina celebratum, vivente alia cum qua anteriori se conjugio obstrinxerat, *nullum et irritum* (adeoque a fortiori *prohibitum*) esse tum lege divina, *tum naturali* ». Quod confirmat can. 1013, § 2, Codicis, ubi inter essentiales matrimonii proprietates enumerat unitatem. Accedit auctoritas BENED. XIV, *De Syn. dioeces.,* l. XIII, c. 21, n. 9: « Docent, ait, Durandus et Abulensis juri naturae polygamiam non repugnare. Quamvis autem singularis haec eorum opinio dici non possit a Tridentino Concilio fuisse proscripta..., censuram tamen non fugit doctrinae improbabilis et alienae a communi sententia aliorum theologorum, docentium polygamiam divino aeque ac *naturali juri...* esse contrariam ». Cf. WERNZ, o. c., IV, n. 361, cum notis 34 et 35.

Nota 1° Polygyniam esse contra jus naturae *confirmatur* ex pari numero virorum et mulierum, quatenus per totum orbem generatim uterque sexus eumdem approximativè numerum habeat (5).

---

(1) Vix solatium et adjutorium accipiet uxor ex consortio mariti polygami: hujus enim amor et sollicitudo, inter plures uxores divisa, erga singulas minuuntur, idque passim adeo ut, teste experientia, uxores suas habeat hujusmodi vir ceu servas et ancillas.

(2) Cf. S. THOMAS, *Suppl.,* LXV, art. 1, in corpore.

(3) Cf. MARTIN, o. c., I, p. 149-155, ubi varia proponit argumenta in favorem theseos, deducta ex natura matrimonii necnon ex mutuis relationibus conjugum ad invicem. Ita, p. 153 s.: « Justitia, ait, jurisve aequalitas necessario requirit nullum teneri in commutationibus plus dare quam accipit, aut minus accipere quam tradit. Ergo et necessario Deus voluit virum et mulierem, conjugium contrahentes, non teneri minus accipere quam tradunt, nec proinde teneri utrumlibet, pro toto quod tradit corporis sui dominio ac jure, accipere partitum et incompletum jus atque dominium in corpus alterius. Ergo non potest vir... pro integro, quod accipit in mulieris corpus corpori suo aequale, jure ac dominio, partitum corporis sui aut in alias uxores dividendum tradere jus et dominium ». Cf. etiam ZIESCHÉ, *Die Sakramentenlehre des Wilhelm von Auvergne,* Wien, 1911, p. 41 s., ubi egregie proponuntur rationis argumenta contra polygyniam.

(4) *Collectan.,* n. 1354.

(5) Cf. ZIESCHÉ, l. c.; ex alia parte cf. WESTERMARCK, o. c., p. 434.; HOWARD,

2° Ex dictis apparet prohibitionem polygyniae ex jure naturali esse prohibitionem *irritativam*, adeo ut viro uxorem habenti non tantum illicitum sit alteram sibi assumere, sed et etiam nullum et irritum foret matrimonium cum hac altera muliere attentandum. Id explicite docet citata Instructio C. S. O. anni 1866; caeterum inefficax foret mera prohibitio non irritativa. Quod idem valet de prohibitione mox vindicanda ex jure positivo divino.

PROPOSITIO TERTIA. *Jure positivo divino, probabilius saltem, ab initio prohibita fuit polygynia simultanea; in hac autem prohibitione juris divini, simul ac juris naturae secundarii, concessa est, in antiqua Lege, dispensatio, a Christo Domino universim sublata.*

Explicatio et probatio.

305. Lex monogamiae a Deo primitus statuta,

I. Quod, *in primaeva matrimonii institutione*, Deus praeceperit monogamiam ac polygyniam prohibuerit, probabilius eruitur tum ex ipso facto creationis unius viri cum una femina, tum maximè ex verbis ab Adamo *ex divina inspiratione* prolatis: « *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* » (1).

Haec namque verba interpretando, arguit *Innocentius III*, c. 8, X, IV, 19: « non dixit (S. Scriptura) tres vel plures sed duo, nec dixit: adhaerebit uxoribus sed uxori; nec *ulli unquam licuit* insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, quae mos quandoque interdum etiam fas censetur, per quam... Patriarchae, et alii viri justi, qui plures leguntur simul uxores habuisse, ab adulterio excusantur ».

Concilium etiam *Tridentinum*, Sess. XXIV, *De sacram. matrimonii*, supponit in illis Adami verbis doceri matrimonii unitatem, ubi dixit: « hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus *apertius* docuit, cum postrema illa verba (erunt duo in carne una), tanquam a Deo prolata referens, dixit: itaque jam non sunt duo, sed una caro »; « jamvero, uti notat *Palmieri* (2), si verba Adami, quae sunt verba Dei, explicans Christus *apertius* docuit unitatem matrimonii, ergo eamdem satis aperte docuerat, h. e. jusserat ab initio Deus ». Pariter *Catech. Conc. Trid.*, P. II, c. VIII, par. 19: « Quibus verbis planum fecit (Christus Dominus) matrimonium ita a Deo institutum esse, ut duorum tantùm, non plurium, conjunctione definiretur ». In hoc tandem con-

o. c., I, p. 136 ss.; *Die monogame Ehe im Lichte der Moralstatistik*, apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1912, p. 536 s.; RIBBING, o. c., p. 43 ss.

(1) Gen., II, 24.

(2) O. c. p. 166.

venit *Nicolaus M.*, in responso *ad consulta Bulgarorum*, c. 51 (*Migne*, CXIX, col. 999): « Duas tempore uno habere uxores *nec ipsa origo humanae conditionis admittit*, nec lex christianorum ulla permittit ».

Accedit etiam ratio deducta ex significatione mystica, quatenus matrimonium, etiam non sacramentum, repraesentat unionem Christi cum Ecclesia: haec namque unio est unius Christi cum una Ecclesia.

306. sub lege veteri est relaxata,

II. Quod, in Veteri Lege, *dispensatum sit* super dicta prohibitione juris divini ac naturalis secundarii, luculenter apparet 1° ex *Deuteron.*, c. XXI, v. 15-16 (1), qui textus manifeste supponit polygyniae liceitatem; 2° ex *exemplo Patriarcharum* qui, absque S. Scripturae reprehensione, pluribus usi sunt uxoribus (2); 3° ex modò relatis verbis *Innocentii* III, c. 8, X, IV, 19.

Dispensatio autem illa a plerisque Auctoribus docetur inducta post diluvium in favorem populi Judaici (3), ac notificata fuit, juxta S. Thomam, per divinam inspirationem (4). Ratio autem cur a Deo concessa fuerit illa dispensatio, passim dicitur fuisse ad multiplicandum populum fidelem, per diluvium nimis imminutum (5).

Attamen, licet asserta dispensatio *directe fuerit* concessa in gratiam *Hebraeorum, indirecte* et quasi per concomitantiam profuit etiam *Gentilibus*. « Infideles namque... arbitrari facilè poterant sibi licere quod justi et sancti faciebant; his autem conditionibus existentibus, si Deus voluisset solis fidelibus (Hebraeis) hoc privilegium concedere, exclusis prorsus aliis, id clarè declarasset, ne turpis concubinatus, praetextu aliquo rationabili ex ipsa concessione Dei orto, concederetur » (6). Unde etiam videmus quomodo Esther, ad id movente Mardochaeo, patiatur se jungi Assuero regi uxorem habenti.

307. ac a Christo restituta,

III. Christum Dominum *matrimonium ad pristinam monogamiae legem*, eamque praeceptivam et irritantem, *reduxisse*, varia probant argumenta. Et quidem.

---

(1) « Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus...., non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae ». Cf. etiam XXV, 5 ss.

(2) Inter uxores una eminebat, et aliae saepe vocabantur *concubinae*, non quasi essent illegitimae, sed quia non eodem consortii gradu habebantur. Cf. PESCH, o. c., n. 832 ss.

(3) Notetur autem in lege Mosaica, *Deut.*, XVII, 17, limites imponi pluralitati uxorum. Cf. *Collat. Brug., t.* XIII, p. 260 s. Cf. etiam *Realencyklop.*, t. V, p. 744, ubi ostenditur monogamiam in votis fuisse legislationis Judaicae; item WATKINS, o. c., p. 46 ss.; CASTELEIN, o. c., p. 531.

(4) « Lex autem de unitate uxoris non est humanitus sed divinitus instituta, nec unquam verbo aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut et alia quae ad legem naturae qualitercumque pertinent; et ideo in hoc a solo Deo dispensatio fieri potuit *per inspirationem internam*, quae quidem principaliter Patribus facta est, et per eorum exempla ad alios derivata est ». S. THOM., *Suppl.*, qu. LXV, art. 2.

(5) Cf. S. THOMAS, l. c.: « ut major esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandae ».

(6) PALMIERI, o. c., p. 118 ss.

1° Ex *Matth.*, V, 32; XIX, 9, ac locis parallelis Marci, X, 11, et Lucae, XVI, 18, sequitur eum adulterari qui, stante matrimonio cum una muliere, alteram ducere praesumit; unde invalidum est et illicitum alterum conjugium, stante priore, initum. Et sane si, uti fit in textu evangelico, adulterii damnatur vir qui, uxore dimissa, alteram ducit, ejusdem criminis reus est declarandus ille qui, uxore domi retenta, alteram sibi assumit.

2° Ex testimoniis *SS. Patrum* et scriptorum ecclesiasticorum, inter quos ATHENAGORAS, *Legatio pro christ.*, n. 33 (*Migne*, VI, 967); S. THEOPHILUS ANTIOCHENUS, *ad Antolyc.*, l. III, n. 5 (*Migne*, VI, 1142); MINUTIUS FELIX, *Octav.*, c. 31 (*Migne*, III, 337); CLEMENS ALEXANDR., *Stromat.*, l. III, c. 12 (*Migne*, VIII, 1183); S. AMBROSIUS, *De Abraham*, l. 1, c. 7 (*Migne*, XIV, 442), quibus accedit textus, sub n. 305 citatus, *Nicolai Magni.*

3° Ex aperta doctrina *Conciliorum: Lugdunensis II*, ubi, in confessione fidei Michaelis Palaeologi, declaratur: « De matrimonio tenet (sancta Romana Ecclesia) quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros » (1); item *Tridentini*, Sess. XXIV, in qua, canone 2°, anathema dicitur contra illum qui tenuerit « licere christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum ».

Quibus addi licet declaratio C. S. O., in modò memorata *Instructione* anni 1866, necnon in *Instructione* 28 Martii 1860 (2).

308. etiam pro infidelibus.

Quod autem legis monogamiae restitutio, a Christo facta, afficiat non tantum christianos, sed *etiam infideles*, id in documentis S. Sedis, et speciatim in citatis Instructionibus C. S. O., nitidè inculcatum vidimus.

Ratio est, uti arguit *Billot* (3), *primo* « quia illimitatè tenditur illud: *quicumque dimiserit* etc. (ex S. Matth.); *secundo*, quia legi naturae eadem ratione subduntur baptizati pariter et non baptizati, et ideo, sublata dispensatione per quam indulta fuerat polygamia, eo ipso quoad omnes naturalis juris plenum redit robur (4); *tertio* denique, quia solos fideles directe respiciebat concessa dispensatio, caeteros vero nonnisi per quamdam concomitantiam » (5).

---

(1) DENZINGER, o. c., n. 465.

(2) *Collectanea*, n. 1297: « Certissimum est *polygamiam* jure evangelico esse omnino illicitam; unde, postquam Jesus Christus matrimonium ad pristinam reduxit sanctitatem, unitatem et indissolubilitatem, addita pro baptizatis sacramenti dignitate, nec infidelibus, nec Judaeis, nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter divinitus sic restituta monogamia, nonnisi unam uni legitimo validoque conjugio devinciri posse inconcussum fidei dogma habetur ».

(3) O. c., p. 378 et seq.

(4) « Dicendum quod habere plures uxores est contra legem naturae, cui etiam infideles sunt adstricti; et ideo non est verum matrimonium infidelis nisi cum illa cum qua primò contraxit ». S. THOM., *Suppl.*, qu. LIX, art. 3, ad 4^m.

(5) *De facto* polygamia viget etiamnum apud plures gentes paganas et infideles, imo

Manet igitur polygamiam, sub praesenti oeconomia, universim esse prohibitam *jure naturali* et *jure positivo divino,* idque *cum vi irritativa,* tam pro infidelibus quam pro fidelibus. Nec ulli dispensationi seu derogationi jam obnoxia est lex monogamiae (1): ex una namque parte abrogata est dispensatio olim a Deo immediatè concessa, et ex altera parte Ecclesia sibi non agnoscit — quod satis eruitur ex declarationibus invocatis — potestatem ministerialem dispensandi in illa monogamiae lege, quemadmodum eam mox videbimus hujusmodi potestatem sibi vindicare respectu legis indissolubilitatis (2).

Nota 1. Circa poenalitates latas aut ferendas contra simultaneè *bigamos,* cf. infrà, n. 408.

2. Quod spectat dispositiones *Codicis civilis Belgici,* vide infrà, n. 478 et 479; ibi notabitur invalidum esse matrimonium, stante priori vinculo, attentatum (art. 147, coll. art. 391 Codicis poenalis).

ARTICULUS 2^us^. **De Indissolubilitate vinculi conjugalis.**

309. Praenotandum.

Praenotandum. Ex dictis sub n. 75 habemus matrimonium importare consortium *stabile,* non vagum concubitum nec momentaneum consortium. Sub hoc articulo ulterius urgetur matrimonium inducere vinculum omninò perpetuum, vinculum, durante amborum

---

etiam apud quamdam sectam christiano nomine utentem, *Mormonum* scilicet, uti notat C. WILLEMS, o. c., p. 389.

Porro juvat advertere quod, apud plerasque gentes polygamas, tali modo ordinatur polygamia ut ad monogamiam accedat: quatenus nempe una emineat uxor quae principatum exerceat et jura legitimae uxoris sibi vindicet, quatenus etiam unaquaeque uxor separatim habitet, et distinctam quasi familiam constituat. Cf. LEROY, *Religion des Primitifs,* p. 101 s.; HOWARD, o. c., p. 134.

Quod spectat *Protestantes:* notum est quomodo *Luther* et *Melanchton* non admiserint polygamiam esse jure evangelico prohibitam, ac bigamiam concesserint Philippo Hessensi. Eam etiam suaserunt Henrico VIII, regem hortando ut, potius quam nullitatis matrimonii cum Catharina declarationem provocaret, uxoremque dimitteret, novam assumeret uxorem priore retenta. De quibus cf. GRISAR, *Luther,* II, p. 374 ss., coll. p. 213 ss. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 243.

(1) Videtur Clemens VII, in causa Henrici VIII, haesitasse circa hoc, utrum polygynia stricta lege evangelica prohiberetur, vel saltem utrum monogamiae lex non admitteret dispensationem Ecclesiae. Cf. GRISAR, l. c.

(2) Facta quibus contenditur ab Ecclesia catholica concessam fuisse polygamiam simultaneam, pro figmentis sunt habenda. Cf. hîc VLAMING, o. c., n. 279, ubi duo invocat opposita facta: « *Primum,* quod Gregorio IX adscribitur, est fabula Comitis de Gleichen cui, e captivitate sarracenorum liberato, dictus Pontifex, in praemium christianae audaciae, permisisset ut in secundam uxorem, simul cum prima adhuc vivente, sibi retineret filiam sultani, cujus adjutorio e captivitate liberari et fugam capere potuerat. Quae fabula originem duxisse videtur a phantastica interpretatione alicujus monumenti sepulchralis in quo dictus comes inter duas mulieres repraesentatur, unam germanicis, alteram turcicis vestibus indutam. *Alterum,* quod attribuitur Pio VI, est dispensatio quam hic Pontifex per Breve S. Poenitentiariae concessisset nobili cuidam viro in Helvetia, ut nempe huic, vivente licet prima uxore calvinistica, nihilominus secundas nuptias cum catholica muliere inire liceret. Sed Breve illud esse merum figmentum authentice demonstravit ipse Poenitentiarus Major, Card. Antonelli, in epistola 25 Maii 1807 ». Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 243, in nota 18 et nota 21.

vita, *indissolubile*. Ad quod exponendum, successive agemus, in paragrapho *prima* et *secunda*, de lege indissolubilitatis generatim spectata coram jure naturali et coram jure positivo divino; in paragrapho *tertia*, de variis derogationibus in lege indissolubilitatis, ac tandem, in paragrapho *quarta*, de absoluta indissolubilitate matrimonii rati et consummati. Adnectetur, praeter *scholion* circa bona matrimonii, *parergon* de divortio civili.

Notetur autem hîc agi de indissolubilitate vel dissolubilitate *vinculi* conjugalis, seu de inseparabilitate vel separabilitate conjugum *quoad vinculum*, non autem de inseparabilitate vel separabilitate conjugum *quoad torum et cohabitationem*, de qua suprà, sub n. 252 ss. Dissolutio vinculi importat dissolutionem ipsius matrimonii, cum facultate ad nova vota transuendi; vocatur divortium *stricte dictum, plenum, perfectum* (1). Contrà separatio tori et cohabitationis intactum relinquit vinculum, adeo ut sine adulterii reatu non possint sic separati novum matrimonium attentare; vocatur divortium *late dictum, imperfectum*. Cf. suprà, n. 252.

Supponitur, in tota hac tractatione de indissolubilitate vinculi, vinculum esse validum: matrimonium invalidum non dissolvitur, sed declaratur nullum (2).

Paragraphus Prima. *De indissolubilitatis lege coram jure naturae.*

310. Dissolubilitas matrimonii arbitraria est contra jus naturae primarium.

Propositio. *Matrimonium est jure naturae indissolubile, hac scilicet ratione ut dissolubilitas arbitraria, mero conjugum arbitrio relicta, sit contra jus naturae primarium, dissolubilitas autem intra certos limites restricta censeatur contra jus naturae secundarium stricte prohibitivum.*

Explicatio et probatio.

I. *Dissolubilitas* **arbitraria**, ad placita eorum qui unionem sic dictam liberam vel amorem liberum ac vagum concubitum extollunt, est contra jus naturae *primarium*. Destruit enim ipsum convic-

(1) Pressius adhuc loquendo, vox « divortium » reservatur, nostra aetate, dissolutioni vinculi illegitime ac criminosè attentatae, dum legitima relaxatio vinculi, puta per privilegium Paulinum aut dispensationem Pontificam, dicitur dissolutio vinculi. — In Decretalibus, l. IV, sub eodem titulo 19, qui inscribitur « De divortiis », agitur de dissolutione legitima; ita c. 8.

(2) In eodem libro IV Decretalium, sub dicto titulo 19, ubi de dissolutione vinculi, agitur (c. 3) etiam de declaratione nullitatis vinculi nulliter contracti; declaratio autem intelligitur authentica, praesupposita specie matrimonii.

tum humanum, cum destruat societatem matrimonialem, in qua fundatur respublica. Quod autem destruatur matrimoniale foedus, ex eo est quod, sub hujusmodi dissolubilitatis oeconomia, *finis principalis* matrimonii, procreatio nempe et debita prolium educatio, *prorsus impossibilis redderetur.* Hujus namque finis assecutio, quod spectat prolis educationem, de se postulat, per diuturnum temporis spatium, constantem ac concordem sollicitudinem et curam *utriusque* parentis, ac proinde existentiam exigit vinculi inter conjuges, si non perpetui, saltem stabilis ac permanentis, adeo ut alterutri parti non sit integrum illud pro lubitu et quocumque momento solvere (1).

311 Dissolubilitas restricta est contra jus naturae secundarium;

II. Quod autem attinet dissolubilitatem quamdam **certis limitibus restrictam**, propter causas scilicet determinatas, ac certis in adjunctis:

1° Non repugnat *primis* juris naturalis principiis. Ipsa enim existentia societatis matrimonialis, adeoque convictus humani, non exigit *omnimodam* indissolubilitatem; potest nempe cum restricta dissolubilitate consistere matrimonium ejusque finis primarius, generatio scil. et educatio prolis, quae non impediretur, si, infra certos limites, liceret a matrimonio recedere, puta post perfectam prolium educationem.

Atvero 2° repugnat *secundariis* juris naturae principiis. Nimirum, si dicta dissolubilitas matrimoniale foedus, ac consequenter societatis ordinem, non destruit, ipsi tamen, generatim loquendo, graviter nocet. Natum est namque fieri ut, extra strictae indissolubilitatis regimen, minus provida reddatur filiorum educatio, minus stabilis evadat unio conjugum eorumque mutua fidelitas ac minuatur uxoris dignitas: unde matrimonium adeoque et socialis ordo detrimentum accepiet.

312. argumenta;

Et quidem a/ ex perspectione novae unionis conjugalis ac novae forsan familiae condendae, *minus provida reddetur parentum sollicitudo* pro praesentis prolis educatione; maximè autem lugenda erit conditio prolium, postquam parentes divortio erunt separati ac ad nova vota transgressi (2).

b/ *Infirmior* reddetur *mutuus* inter parentes *amor* et *debilior mutua fidelitas,* sine quibus educatio rite institui nequit.

---

(1) Cf. suprà, n. 75, ubi statuitur matrimonium ex ipsa notione importare consortium *stabile.*

(2) Cf. COMBIER, o. c., p. 437 s.; DIDON, o. c., p. 31-34; MONSABRÉ, o. c., p. 65-67; SALSMANS, o. c., p. 30 ss.; BÖCKENHOFF, o. c., p. 68 s.; DE SMET, *Over de echtscheiding,* p. 8 ss. Cf. etiam COULET, *L'indissolubilité du lien conjugal,* apud *Etudes,* 1925 (5 avril), p. 30 ss., coll. p. 28-30, ubi ostendit quomodo dissolubilitas vinculi noceat, secus ac volunt divortii patroni, ipsi foecunditati matrimoniorum.

Et sane *per se* quo firmius est vinculum et quo minus solutioni obnoxium, eo intimior erit unio animorum, eoque efficacior amor quo inter se devinciuntur conjuges, eo etiam libentius sufferentur mutui defectus et providius removebuntur discordiarum semina (1). Contrà minus intimè conjungentur animi ubi praevidetur separatio, ac maxime frigescet amor in praesentem compartem ex praevisione conjunctionis cum altera persona, et facilè, vel ex leviori praetextu, dilectioni succedet taedium ac odium (2). Ipsa etiam dissolutionis possibilitas efficiet ut levius contrahantur vincula nuptialia, absque sufficienti mutua probatione, antequam mutuus amor animas pervaderit (3). Possibilitas tandem novi matrimonii minus retrahet ab illicitis fovendis amoribus et perniciosiora infidelitati incitamenta suppeditabit (4).

c/ Facile menti occurrit quomodo matrimonii dissolubilitas dignitati detrahat uxoris, eamque exponat opprobrio et egestati (5).

313. conclusio. *Conclusio* igitur est dissolubilitatem *etiam restrictam,* utpote ordini sociali generatim nocentem, esse contra principia *secundaria* juris naturae, et quidem non tantum ut huic minus convenientem, sed ut *graviter prohibitam* a secundaria lege naturae, respiciente scil. quae sunt per se et generatim contingunt.

Cum autem ordini non noceat dissolubilitas restricta nisi gene-

(1) « Erit fidelior amor unius ad alterum, dum cognoscunt se indivisibiliter conjunctos; erit etiam utriusque sollicitior cura in rebus domesticis, dum se perpetuo commansuros in earumdem rerum possessione existimant ». S. THOMAS, *C. Gentiles,* l. III, c. 123. Pariter *Catech. Conc. Trid.,* P. II, c. VIII, par. 21: « Cum fideles secum cogitant, quamvis etiam conjugii convictu et consuetudine careant, se tamen matrimonii vinculo constrictos teneri, omnemque alterius uxoris ducendae spem sibi praecisam esse, ea re fit ut ad iracundiam et dissidia tardiores esse consueverint ».

(2) « Le divorce est un obstacle à l'union des âmes, à l'affection mutuelle, à la confiance réciproque qui font la dignité du mariage; il s'oppose à l'attachement véritable des époux l'un pour l'autre, car on ne s'attache véritablement que quand on est sûr de pouvoir être toujours attaché ». COMBIER, o. c., p. 431. Cf. etiam DIDON, o. c., p. 41-44, et MONSABRÉ, o. c., 59-61, eloquenter extollentes amoris conjugalis perpetuitatem et indefectibilitatem; SALSMANS, o. c., p. 29 s.

(3) SALSMANS, o. c., p. 28 s.

(4) Multiplicarentur, dicit S. THOMAS, *C. gent.,* l. III, c. 123, adulteriorum occasiones, « si vir uxorem dimittere posset, aut e converso; per hoc enim daretur via facilior sollicitandi matrimonia aliena ». « Le mariage, dit Balmès, en assignant à la passion un objet légitime, ne tarit pas cependant la source d'agitation que le cœur récèle. La passion affadit, la beauté se fane, les illlusions se dissipent, le charme disparaît. L'homme en présence d'une réalité qui est loin des rêves auxquels se livrait son imagination de feu, sent naître dans son cœur des désirs nouveaux... Lâchez alors la bride aux passions de l'homme; permettez-lui d'entretenir le moins du monde l'illusion qu'il peut chercher le bonheur dans de nouveaux liens; laissez-lui croire qu'il n'est pas attaché pour toujours à la compagne de sa vie: vous verrez que le dégoût s'emparera de lui plus promptement..., les liens commenceront à s'user à peine formés et se rompront au premier choc . Ita apud COMBIER, o. c., p. 440. « A celui que tourmente une passion adultère, elle (la loi de l'indissolubilité) dit: Prends garde: tu ne t'appartiens plus. Le divorce, au contraire, encourage le cœur infidèle et lui dit: Va où l'amour t'appelle, tu peux te reprendre ». Ita MONSABRÉ, o. c., p. 90. Cf. BUREAU, o. c., p. 41 s.

(5) Cf. DE SMET, *Over de echtscheiding,* p. 11 s.; MORIZOT-THIBAULT, *La Femme et le divorce,* apud *Réforme sociale,* t. 42, p. 195 ss., coll. PEYTEL, o. c., p. 187 ss.; et BÖCKENHOFF, o. c., p. 72-76. Contrà NAQUET, *Vers l'union libre,* cap. 5°, conatur vindicare divortii necessitatem in gratiam mulieris.

ratim loquendo, et de communiter contingentibus, potest, uti vidimus suprà, sub n. 297 s., *dispensatio* induci *a Deo,* Auctore naturae, cujus est judicare quousque, divortium certis in adjunctis concedendo, ordini non noceatur graviter.

Haec autem dispensatio, uti vidimus ibidem, concedi nequit *a mere humana* auctoritate. Caeterum — et hoc luculenter confirmat conclusionem in principiis n. 297 s. expositis contentam — auctoritas humana non est capax divortium intra limites restrictos continendi. Spectata namque hominum inconstantia, cupiditate necnon molestiarum impatientia, sponte fieret ut divortii licentia continuò ampliaretur ac tandem duceret ad *unionem liberam,* ac imo *amorem liberum* (1), seu ad *ipsius stabilis consortii suppressionem:* quam consequentiam, experientia confirmatam (2), meritò opponunt indissolubilitatis vindices (3), eam vero ultrò agnoscunt ac prose-

(1) *Unio libera* est conjunctio inter virum et mulierem absque ulla auctoritatis socialis interventu contracta et ad lubitum partium dissocianda. Ultra procedit *amor liber:* dum enim unio libera servat adhuc speciem matrimonialis consortii, et prolium curam parentibus agnoscit, amor liber supponit communismum cum prolium cura communitati relicta et cum regimine matriarcatus. Cf. LOSLEVER, o. c., p. 24 ss.

(2) Quod spectat fata divortii apud Romanos et in Gallia sub Perturbatione Gallica, cf. infrà, n. 371 ss., coll. Encycl. *Arcanum.* Pro praesentis autem temporis experientia, cf. KNOCH, *Rev. ecclés. de Liége,* 1905-1906, p. 326-336; et, prae caeteris, DE BIE, o. c., p. 13 ss., et JACQUART, o. c.; ex computu ibidem instituto apparet, in Belgio, numerum divortiorum quotannis pronuntiatorum, anno 1870, fuisse 81, anno 1890, 373 et anno 1907 jam attigisse 841 (p. 14 s.) et anno 1908, 892, et 1089, anno 1910, fuerunt, anno 1913, numero 1207, et anno 1924, 2956; comparat etiam idem auctor sub hoc respectu varias regiones, unde innotescit in Gallia jam passim pronuntiari, per annum, circiter 30,000 divortia (14269, anno 1910 et 16335, anno 1913, 29.156, anno 1920 et 32557, anno 1921 (inde a quo anno abnormis ille numerus nonnihil decrevit); in Imperio Germanico 13,000 circiter anno 1908, et 17835, anno 1916; in Statibus autem Foederatis Americae numerus divortiorum attigit 72062, anno 1906, 112036, anno 1916 et 148.551 in anno 1924; et 100.000 in Japonia (*Rev. pr. d'apol.,* 1913, p. 522). Cf. etiam C. WILLEMS, o. c., p. 398 s.; *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1909, p. 756 s.; SCHULZE, o. c., p. 769 ss.; *The Cath. Encycl.,* V° *Divorce,* V. 6ª; DETREZ, o. c., ubi, p. 280, refert specimen litterarum divortium non secus ac matrimonium nuntiantium.

(3) Monet LEO *XIII, Arcanum,* « frenos nullos fore tantos, qui concessam semel divortiorum facultatem valeant intra certos, antea provisos, limites coercere »; ubi addit: « Magna prorsus est vis exemplorum, major cupiditatum; hisce incitamentis fieri debet, ut divortiorum libido latius quotidie serpens plurimorum animos invadat, quasi morbus contagione vulgatus, aut agmen aquarum, superatis aggeribus, exundans ». In quo denuò insistit, in allocutione 16 Dec. 1901: « continere divortia intra provisos terminos tam difficile factu est quam sistere in medio cursu acerrimarum flammas cupiditatum » (*Collat. Brug.,* VII, p. 169 s.).

« En opposant la liberté individuelle à l'indissolubilité du mariage, vous ne tarderez pas à aller plus loin que la loi de 1803, plus loin que la loi de 1792, vous arriverez à la doctrine de l'union libre, c.-a-d. la ruine de la société domestique ». Discours de *Mgr. Freppel,* 13 Juin 1882, apud RIBEROLLES, o. c., p. 103. Ipse etiam *Brisson,* uti refert idem auctor, p. 96, simili modo arguebat, inquiens: « Ne vous contentez pas du divorce par consentement mutuel, mais introduisez dans la loi le divorce par volonté unilatérale; car c'est par là seulement que vous pourrez parvenir à affranchir les époux des véritables douleurs du mariage; mais alors, si vous demandez le divorce par volonté unilatérale, mieux vaudrait rendre l'union libre et abolir le mariage lui-même ». Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 167 s.; DIDON, o. c., p. 67-70; BUREAU, *Crise,* p. 113, ubi refertur citatio *De Herme;* « Ayant établi le divorce, nous sommes dans l'obligation de l'élargir. Et l'élargissant aujourd'hui juqu'au divorce par consentement mutuel, nous devrons l'élargir demain jusqu'au divorce par la volonté d'un seul, et après jusqu'à l'union libre. C'est fatal! ».

314. Notanda.

quuntur divortii fautores (1), eamque promovet motus popularis (2).

Nota 1° Divortia bono societatis generatim nocent, non tantùm ratione nocumenti afferendi matrimonio, sed etiam aliunde, nempe ex eo quod divortia fovent immoralitatem, citra etiam nuptialium legum violationem, quemadmodum ostendere conatur incredulus auctor MORSELLI, *Per la polemica sul Divorcio* (Gênes, 1903) (3), notando quomodo cum multiplicatis divortiis numerus augeatur omnis generis criminum, prae caeteris suicidii, prostitutionis et ita porro (4).

2° Lex naturalis dissolutionem matrimonii graviter prohibens est lex *irritativa*, sicut lex vetans polygamaim (n. 304 et 308), cum liqueat legem mere prohibitivam fore inefficacem. Unde viro non modò illicitum est uxorem dimittere, sed dimissio, si fiat, est inoperans nec vinculum solvit. Quod idem valet de prohibitione mox vindicanda ex jure positivo divino, uti caeteroquin ibidem eruetur

(1) Ita *Naquet*, cujus opera divortium, anno 1884, reintroductum est in Gallia, crudè fatetur ad unionem liberam vel et liberum amorem tamquam ad optatum finem esse deveniendum; et ita, in *Le Journal*, 8 Junii 1908, scripsit: « Je suis convaincu que nous marchons vers l'union libre, c.-à-d. vers l'abandon de toutes les formalités administratives et de toutes les entraves judiciaires qui obstruent à cette heure les portes d'entrée et de sortie du mariage ». Cf. AVIGDOR, o. c., p. 290; cf. etiam NAQUET, *Vers l'union libre*, passim; RIBEROLLES, o. c., p. 152 ss.; ABRAM, o. c., p. 109 ss.; NYSTRÖM, o. c., p. 231 ss. et 257 s. Eumdem scopum prosequuntur *socialistae* ac hujusmodi unionem liberam practice jam instaurant quidam divortii abusores, divortia multiplicando ad modum illius mulieris Americanae, Loadiae de Brighton, quae, anno 1895, annos nata 42, jam 28 divortia instituerat.

Alii non pauci, si putant unionem liberam, et signanter amorem liberum, praesenti rerum ac morum conditioni nondum esse adaptatum, omni conatu adlaborant ut latissimam viam aperiant divortiis ac obviam et promptam reddant matrimonii solutionem etiam ex unius partis voluntate. In qua infausta tendentia eminent Paulus et Victor MARGUERITE, quorum videsis oppellam *L'Elargissement du divorce*, ac opus *Les Deux Vies:* ipsorum formula est non *unio libera* sed *matrimonium liberum*. Cf. BÉCHAUX, *Réforme sociale* (1903), t. 45, p. 111 ss.; BUREAU, *Indiscipline*, p. 122 ss.; legas etiam HAMBURGER, o. c.; ABRAM, o. c., ubi, p. 208 ss., proponit propriam sententiam. Cf. etiam BESSE, l. c., p. 343 ss.; SCHAUB, o. c., p. 28 ss.

In eumdem sensum patroni scholae Germanicae, sic dictae « *Neue Ethik* »; matrimonium nempe, juxta ipsos, regit ac moderatur solus amor, seu intima animorum unio; quo amore perseverante sponte remanebit consortium conjugale, quo verò cessante, necessariò abrumpendum est vinculum matrimoniale, utpote quod anormalem statum ac immoralem sancit. Cf. BÖCKENHOFF, *Die Unauflosigheit*, p. 22 s.; LICHTENBERGER, o. c., p. 210-225; KNOCH, *L'Education de la chasteté*, p. 18 ss.

(2) Motus popularis in hunc sensum magis magisque evolvitur, illum impudenter excitantibus libellis ac etiam theatralibus repraesentationibus, descriptis apud AVIGDOR, o. c., p. 239-310; ABRAM, o. c., p. 121 ss.; BUREAU, *Indiscipline*, p. 126 ss., coll. BÖCKENHOFF, o. c., p. 20, ubi notat « dass von 80 modernen Romanen 17 die Ehe als eine überlebte Institution lächerlich machen, 11 von der Nützlichkeit der Ehescheidung handeln, 22 die freie Liebe verteidigen, 7 sich über die eheliche Treue lustig machen, und 23 sogar von der Ehe in geradezu skandalöser Weise sprechen ». Cf. BÖCKENHOFF, *Reformehe*, p. 13-24, necnon discussiones quae locum habuerunt in Comitiis Belgicis anno 1904-1905 et 1905-1906, Cf. *Le XX^e Siècle*, 19 Nov. 1904 et 3 Febr. 1907.

(3) *Rev. du Clergé Français*, tom. 45, p. 166 ss. Cf. etiam BESSE, l. c., p. 347.

(4) « La statistique ascendante des divorces est le thermomètre de la moralité »: sic scripsit nuper *Vooruit*, id referente *Le Patriote*, 31 Dec. 1904. Cf. JACQUART, o. c., p. 55-64 et 78-84, ubi comparationem instituit inter frequentiam divortiorum ac frequentiam suicidii necnon legitimae prolis diminutionem; ex qua comparatione eruit: « on constate que la fréquence du divorce coïncide dans l'ensemble avec un taux élevé de suicides et une faible natalité »; p. 57, coll. p. 78. Cf. etiam KNOCH, *L'Éducation*, p. 40 s., necnon BUREAU, o. c., p. 35 ss. et 112 ss.

ex ipso textu evangelico, adulterii reum declarante eum qui dimissam ducit.

315.

Objectiones fieri solitae ab illis qui liceitati favent coram jure naturali divortii, sive arbitrarii sive saltem restricti. *Objectiones :*

1° Prima objectio est in adagio: *per easdem nempe causas rem dissolvi per quas nasci contingit,* ita ut mutuo conjugum consensu possit solvi matrimonium, quemadmodum mutuo sponsorum consensu constituitur. *1a objectio ;*

Ad quod argumentum apposite *respondet* BILLOT, o. c., p. 389: « Illi soli contractus qui ad *privatum* paciscentium bonum ordinantur, hac via rescindibiles existunt, quatenus liberum unicuique est renuntiare juri suo, ac per hoc liberare fidem sibi a comparte datam. Nunc autem conjugii obligatio ordinatur ad bonum *commune,* id est, ad convenientem speciei humanae propagationem; ergo, etsi a libera duarum partium voluntate pendeat in fieri, non tamen in esse, quia, si suscipitur haec obligatio, necessario suscipitur conformiter ad naturam suam, prout scilicet ab ipsa lege, quae communi bono intendit, firmitatem habet et omnes conditiones suae permanentiae » (1).

316.

2° Injuriose vinculatur libertas humana vinculo indissolubilitatis. *2a objectio;*

Resp. Cum libertas non sit homini finis, sed medium ad finem, eo perfectior est libertas quo securius ducit ad finem hominis. Vidimus autem quomodo indissolubilitatis vinculum juvet, imo necessarium sit, ad juris naturalis tutelam, quomodo illo vinculo indigeat conjugum libertas tanquam freno, ne facilius cedant taedii ac impatientiae motibus et jugum conjugale levius excutiant (2).

317.

3° Unio inter conjuges eo intimior erit et proinde stabilior quo magis spontanea nec ulla lege coacta. *3ia objectio;*

Resp. Profecto ut unio intima exsurgat inter conjuges, debet esse spontanea in sui inchoatione, nullo scil. coactionem exercente circa electionem personae cui mutuo adhaereant. Ad hoc autem ut intimitas *perseveret* et *stabilis* evadat, non sufficit illa spontaneitas, sed indiget vinculis unionem praemunientibus contra transeuntes motus passionis et difficultates momentaneas (3).

---

(1) Simili modo difficultatem solvit SCHIFFINI, o. c., n. 380, ostendens quomodo, in vinculo conjugali, considerari possit duplex modus dependentiae a sua causa efficiente: *quoad esse* scil. et *quoad fieri* dumtaxat. Primo modo, procedit a Deo, vinculum instituente ipsique constituente suam propriam essendi rationem; altero modo, causam suam propriam habet in mutuo consensu.

Quo attento, apparet vinculum conjugale, si per mutuum consensum contrahitur et accipit existentiam, suum esse proprium, a Deo constitutum, in specie indissolubilitatem, conservare independenter a mutuo illo consensu.

(2) Idem valet pro votis perpetuis, quibus sese ligant religiosi, ut securius et constantius semitis perfectionis inhaereant, nec taedio momentanee victi ab incoeptis recedant.

« J'ai fait des vœux, moi, inquit DIDON, o. c., p. 151, des vœux éternels, eh bien, dans ma foi d'honnête homme, mes vœux me gardent, mes promesses me lient. Et vous croyez que si on avait des vœux d'un jour, on résisterait!.... Au premier vent qui souffle, on aurait besoin d'aller voir ce qui se passe sur ces plages embaumées vers lesquelles nous invite la brise. Mais non, on résiste, lié par cette chaîne terrible du serment irrévocable, suprême garantie contre la faiblesse de l'homme doutant de lui-même ». Cf. etiam BONOMELLI, o. c., p. 50 s.; BESSE, l. c., p. 332 ss.

(3) « Et vous oseriez dire, inquit laudatus DIDON, o. c., p. 150 s., que dans le contrat conjugal, lorsqu'on s'unit sans y mettre ce ciment indestructible, l'union sera plus intime! Quoi! on se séparera moins aisément, parce qu'il sera permis de se quitter! ».

318.
4a objectio ; 4° Ipsa matrimonii dissolubilitas frenum erit et mutuae conversationis adminiculum; potius quam indissolubilitas, qua scil. conjux facilè potest abuti ut securius torqueat compartem, ad remanendum in conjugio coactam.

Resp. Non est negandum quod, in quibusdam adjunctis peculiaribus, aliquis conjux indissolubilitatis lege abutatur ut male tractet compartem, cui potius morem gereret, si nosset eam posse, facto divortio, recedere. Atvero, praeterquam quod contra invocatum inconveniens remedium habetur in separatione corporum, rarus admodum casus, in quo divortii licentia faveret unioni et mutuo conjugum consortio, vix esset attendendus coram innumera multitudine casuum in quibus contrarius influxus exerceretur: natum est enim fieri, quod caeteroquin quotidiana experientia observatur, ut, concessa recedendi facultate ac novi connubii possibilitate, minori patientia tolerentur mutui defectus, necnon amoris vinculum citius relaxetur, uti ostendimus in thesi.

319.
5a objectio ; 5° Non desunt conjugia in quibus intolerabilis evaserit mutua conversatio et urgeat necessitas ut divortio abrumpatur (1).

Resp. Locus est in hujusmodi adjunctis separationi a toro et cohabitatione, quo remedio magna ex parte incommodis invocatis obviatur.

Quodsi *instas* et dicis duram esse nimis conditionem partis innocentis, ita ad coelibatum coactae, idque ob malitiam et inordinatam vitam compartis: non diffitemur miserandam esse ejus conditionem et optandum videri in tali casu recurri posse ad alias nuptias; ast rursus lex non spectat casus individuos, sed casus communiter contingentes, attendens quae sunt per se et non quae sunt per accidens, ac bonum privatum cedere debet coram bono publico, strictam indissolubilitatem exigente (2); si enim lex in descriptis adjunctis non sustineretur, non posset efficaciter urgeri (3).

Similiter caeteroquin contingit in aliis negotiis: et sic lex de non occidendo innocente potest urgere ad ipsius vitae sacrificium, puta in casu matris ex praesentia foetus periclitantis.

Adde quod divortii licentia, si daretur, non parum multiplicaret hujus-

---

(1) Haec est objectio quam frequentiorem reperies apud divortii patronos, commiserationem excitantes in sortem innocentis conjugis, quae sit misera pessimae compartis victima. Quam objectionem egregie refert MONSABRÉ, o. c., p. 83-84: « Ici, la révélation inattendue de répugnantes infirmités ou d'un dèshonneur que l'on avait tenus cachés; là, l'explosion soudaine de passions et de vices habilement contenus; ici, des défauts qui se hérissent à la moindre contradiction et découragent la plus robuste patience; là, des habitudes dégradantes qu'on ne sait comment dissimuler, et quelquefois des infamies publiques que la loi châtie; ici, des haines sourdes qui complotent sans cesse; là, des colères qui éclatent comme la foudre; ici, des injures, des menaces, des querelles, des violences, des brutalités; là, d'abominables perfidies; ici, l'infidélité enveloppée de ruse et de mensonge; là, les trahisons de l'amour insolemment installées au foyer domestique: tout ce qu'il faut enfin pour diviser les esprits, déchirir et désespérer les cœurs, tuer à jamais l'amour. N'est ce pas ce que l'on rencontre en une foule de ménages? Et dans ces bagnes de misères morales et de crimes, vous voulez que l'homme et la femme restent enchainés l'un à l'autre, comme deux forçats trainant le même boulet? ».

(2) « In legibus matrimonii magis attenditur quid omnibus expediat quam quid uni competere possit ». S. THOMAS, *Suppl.*, qu. LXVII, art. 1, ad 4m.

(3) « Qu'il y ait des inconvénients à maintenir l'indissolubilité des unions mal assorties, des ménages malheureux par incompatibilité d'humeur ou d'intérêts, nul ne songe à le nier; mais la question est de savoir si les intérêts supérieurs de l'ordre religieux et social ne sont pas plus grièvement lésés par le divorce que par le mariage perpétuel ». JAUGEY, *Dictionnaire apologétique*, p. 882. Cf. etiam BOURGET, *Un divorce*, p. 26 ss.; COMBIER, o. c., p. 448 s.; SALSMANS, o. c., 32 s.

modi uniones infelices: oblata namque divortii facultate, levius et inconsideratius ad nuptias accederent nupturientes, absque sufficienti mutuae indolis probatione.

320.

6° Abnorme quid est et immorale vita conjugalis absque mutuo inter conjuges amore; adeoque, irremediabiliter destructo amore mutuo, vinculum esset disrumpendum (1). *6ª objectio;*

Resp. a/ Indissolubilitas, uti vidimus, praecise praesidium est perseverantis amoris conjugalis: praevisio namque vinculi assumendi indissolubilis praecavet a matrimoniis ineundis leviter et inconsideranter, ex mera passione, absque intimo veri amoris sensu; matrimonio autem contracto, conscientia indissolubilitatis vinculi amoris stabilitatem tuetur contra mobilitatem animi ac inconsiderantis passionis motus; b/ quodsi, in casu particulari, irremediabiliter destructo amore conjugali, intolerabilis evaserit conversatio ad invicem, redit solutio data sub 5°.

321.

7° *Bonum prolis* exigit ut matrimonium dissocietur quotiescumque parentes continuis jurgiis implicantur (2). *7ª objectio;*

Resp. Remedium est potius in separatione tecti quam in divortio a vinculo; incommodo namque invocato aeque efficaciter obviatur, ac melius providebitur prolium educationi a patre vel matre, si separati maneant innupti, quam si, favore divortii, ad novas nuptias transierint.

322.

8° Saltem permittendum esset divortium casu quo proles non dantur in matrimonio: bonum namque prolium, in quo nititur indissolubilitatis lex, eo ipso non est attendendum. *8ª objectio.*

Resp. a/ Bonum prolis non est unicum argumentum in favorem indissolubilitatis vinculi; b/ etiam ubi deficit proles, equidem attendendum est illud argumentum: considerandum est enim matrimonium juxta ea quae sunt per se et non juxta ea quae sunt per accidens, per accidens autem est quod proles non detur; c/ si prolium defectus facultatem praestaret divortium instituendi, possent conjuges adduci ut, divortii intuitu, prolis conceptionem vitent (3).

Quodsi instando dicatur: Non modò non potest bonum prolis invocari in favorem indissolubilitatis, sed bonum prolis invocari potest contra indissolubilitatem; est enim, in casu « contra bonum prolis, quia... aliquis vir non potest ex aliqua femina prolem accipere, qui tamen ex alia accipere posset » (4); *responderi* potest, cum S. THOMA, l. c.: « In legibus matrimonii magis attenditur quod omnibus expediat, quam quod uni competere possit; quamvis ergo matrimonii inseparabilitas impediat bonum prolis *in aliquo homine*, tamen est conveniens ad bonum prolis *simpliciter* », uti ex argumentis in thesi allatis liquet.

323

Corollarium. Si indissolubilitas matrimonii ex jure naturae modo explicato intelligitur, meritò damnatur propositio 67ª *Syllabi* Pii IX (5), etiamsi *in sensu diviso* sumatur, ita ut prior ejusdem pars, in qua negatur *Propositio 67ª Syllabi.*

(1) Hanc objectionem, juxta placita « *Neuer Ethik* », egregiè proponit BÖCKENHOFF, o. c., p. 79 s. Cf. etiam LOSLEVER, o. c., p. 167-181.

(2) Id prae caeteris urget NAQUET, *Vers l'union libre*, cap. 4.

(3) Cf. BÖCKENHOFF, o. c., p. 71.

(4) S. THOMAS, *Suppl.*, qu. LXVII, art. 1, ad 4^m.

(5) Propositio damnata desumpta est ex Litteris Apostolicis Pii IX, 22 aug. 1851, *Ad Apostolicae Sedis*, et sic habet: « Jure naturae matrimonium non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest ». DENZINGER, o. c., n. 1767.

indissolubilitas juris naturae, falsa sit seorsim sumpta ab altero inciso.

Praeposterè igitur docet P. VIOLLET, propositionem illam non esse damnatam nisi *in sensu composito:* posse nempe dici quod matrimonium non sit jure naturae indissolubile, non autem posse asseri quod matrimonium coram jure naturali sit dissolubile *ita ut* divortium ab auctoritate civili sanciri queat (1).

Nec magis opus est recurrere ad explicationem quam suggerit BOUDINHON (2), quasi tunc tantum veritatem saperet propositio indissolubilitatem matrimonii ex jure naturae repetens, quando restringitur ad matrimonium ratum et consummatum, quippe cui soli competit *absoluta et indispensabilis* indissolubilitas (3).

PARAGRAPHUS SECUNDA. *De indissolubilitatis lege coram jure positivo divino.*

PROPOSITIO. *Indissolubilitatis principium, jure naturae nitens, sancitum est a jure divino positivo, tam sub regimine primaevae matrimonii institutionis quam sub oeconomia evangelica.*

Probatio.

324. Matrimonium est jure divino indissolubile :

A. Matrimonium **ex primaeva sua institutione** vinculum inducere indissolubile, constat ex verbis ab Adamo prolatis, et suprà jam invocatis, in maritali sua conjunctione cum Eva, *Gen.*, II, 24: « *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* ».

a/ *juxta primaevam institutionem ;*

In quibus verbis indissolubilitatis legem inculcari liquet:

1° ex ipsis *terminis;*

2° ex *interpretatione Christi Domini,* apud *Matth.*, XIX, v. 3 ss. Nimirum interrogantibus Pharisaeis, utrum liceat homini dimittere uxorem quacumque ex causa, respondit: « Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? Propter hoc dimittet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una; itaque jam sunt duo sed una caro; *quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* ». Instantibus autem Pharisaeis et arguentibus ex libello repudii, addidit Dominus: « Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: *ab initio autem non fuit sic* ».

---

(1) *L'Infaillibilité du Pape et le Syllabus,* Paris, 1904; item *Etudes religieuses,* 1905, (tom. 83, p. 255-260), quo altero loco scribit: « J'avais eu soin, quant à moi, de faire entendre que, si la proposition 7 est examinée et étudiée tout entière *sicut jacet,* et non par morceaux découpés, elle accuse son caractère erroné, parce qu'on sent de quelle manière la première partie de la proposition doit être entendue: cette première partie sera dès lors considérée comme servant à justifier le divorce ».

(2) *Revue du clergé français,* 1905 (tom. 42), p. 419-420.

(3) Et sane, uti ex dictis liquet, ipsum indistinctim matrimonium merito dicitur *jure naturae* indissolubile, licet indissolubilitas, excludens dissolubilitatem restrictam, nitatur in solo jure naturae *secundario,* nec adeo sit absoluta et indispensabilis. Cf. hîc VERMEERSCH, *De Cast.*, n. 128.

3° ex interpretatione *Concilii Tridentini,* Sess. XXIV, *Doctrina de sacramento matrimonii:* « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens, *divini Spiritus instinctu, pronuntiavit,* quum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una ».

Accedit etiam ratio quam suggerit significatio mystica matrimonii, quatenus repraesentat unionem Christi cum Ecclesia, quae unio inseparabilis est ac indissolubilis.

325.
b/ *juxta legem evangelicam.*

B. **In Novo Testamento**, Christus Dominus idem indissolubilitatis principium proclamavit, ac imo legem primitivae institutionis, sub Mosaico regimine non parum relaxatam, ad pristinam reduxit sanctitatem.

Quod luculenter apparet, praeterquam ex textibus modò allatis, ex Matth., V, 32, XIX, 9 et locis parallelis Marci, X, 11 et Lucae, XV, 18 necnon ex 1 Ep. ad Cor., VII, 10 et 11, ac Ep. ad Rom., VII, 2 et 3, Synoptici nempe iteratò affirmant virum moechari qui uxorem dimittit et alteri nubit, quemadmodum clarius apparebit ex eorum interpretatione et difficultatis solutione, infrà danda, ad n. 361 ss. Sanctus autem Paulus id urget, uxorem viro alligari quoadusque vivit maritus, eoque mortuo tandem liberari; extra hanc hypothesim, si separatio contingat, ipsam manere innuptam aut viro reconciliari.

PARAGRAPHUS TERTIA. *De derogationibus in lege indissolubilitatis.*

326.
Locus est derogationi legis.

Attentis notionibus, suprà n. 297 ss., datis ac principiis ibidem positis, liquet neminem, ne ipsum quidem Deum, dispensare posse, generali saltem statuto, super indissolubilitatis lege, in quantum initur jure naturae *primario,* in ordine scilicet ad permittendum usum divortii *arbitrarii,* pro solo partium lubitu instituendi.

Quod spectat indissolubilitatis legem, in quantum nititur jure naturae *secundario,* positivo statuto divinitus confirmato: iisdem attentis principiis, nulli etiam potestati *humanae* competit super dicta lege dispensare, nec adeo fas est, quemadmodum hanc conclusionem ex dictis, sub n. 313, luculenter confirmatam vidimus, matrimonium validè initum *ullatenus* dissolvere, vel causas statuere *quantumvis restrictas* ex quibus quoad vinculum solvi queat. Id autem fieri potest auctoritate *divina* permittente, per generalem etiam dispensationem, ut, *in determinatis quibusdam adjunctis,* vinculum disrumpatur; quam potestatem divinam exerceri posse vidi-

mus non modò immediate a Deo, sed etiam mediatè *per Ecclesiam* ministerialiter agentem: agitur enim de obligatione consequenter ad factum hominis inducta.

Neque timendum est hîc, quemadmodum timendum diximus pro auctoritate mere humana, futurum esse scil. ut limites divortiorum licentiae praedefiniti non custodiantur: Ecclesia namque, divina potestate gaudens, efficaciora et altioris naturae arma in manibus habet ad passionum impetus cohibendos, ac minus obnoxia est motibus popularibus; ipsi caeteroquin luculenter prostat saecularis experientia.

Utrum autem et quousque indissolubilitatis legi derogatum fuerit, sub sequentibus punctis exponitur.

Punctum I. De Dissolutione vinculi per libellum repudii.

327. Divortium per libellum repudii.

Ad tramites *Deuteronomii*, XXIV, 1-4, *viris* Judaeis licebat repudiare uxorem, ipsi dato *libello repudii:* « Si acceperit homo uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus *propter aliquam foeditatem:* scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, et dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem: quia polluta est et abominabilis facta est coram Domino » (1).

Ad cujus dispositionis intellectum juvat notasse:

1° Agitur de licentia matrimonium dissolvendi *quoad vinculum:* textus namque supponit uxorem repudiatam posse nubere alteri viro, qui etiam maritus vocatur; item innuit Christus Dominus, *Matth.*, XIX, 8, simpliciter permissum fuisse a Moyse libellum repudii (2).

2° Non censetur concessum divortium *arbitrarium*, sed *restrictum* dumtaxat, ita ut juri naturae secundario, non autem primario, derogetur. Nimirum fas non est viro pro lubitu uxorem dimittere, sed propter aliquam *causam determinatam tantùm*, « propter aliquam foeditatem », hebr. nuditatem: quamvis controversia olim exstiterit, et adhuc nunc agatur inter Auctores Judaeos (3), circa ambitum vocis ejusque adaequatam significationem, aliis foeditatem interpretantibus, cum Schola Schammai, de macula morali, signanter peccato carnis, aliis eam intelligentibus, cum Schola Hillel, de macula quadam corporali, etiam minoris momenti, ita ut practice sufficeret quaecumque invocanda causa (4).

---

(1) Ulterius matrimonium sponte sua dissolvebatur per alterutrius partis adulterium. Equidem adulterium, juxta *Lev.*, XX. 10, obnoxium erat mortis poenae; haec autem poena de facto infligi non solebat. Cf. BLAU, o. c., p. 25 ss. — *Revue Biblique*, 1918, p. 570, censet poenae mortis non fuisse obnoxium nisi adulterium flagranter detectum.

(2) THEOL. MECHL., o. c., n. 55; PALMIERI, o. c., p. 127-136; contrarium contendit LUCKOCK, o. c., p. 24 ss. Notat autem VILLIEN, *Divorce*, l. c., col. 1459, in textu Deuteronomii *non induci* repudium, sed repudium in moribus vigens moderari. Cf. etiam BLAU, o. c., p. 16.

(3) Circa utriusque scholae sententiam et diversas interpretationes, cf. BLAU, o. c., p. 31 ss.; FAHRNER, o. c., p. 8 ss.

(4) Videtur in hujus repudii causae interpretatione aliqua evolutio intercessisse, quatenus sub fine Mosaicae Legis mitigatio successerit et major latitudo, dum severior fuerit disciplina Deuteronomii. Haec severitas eruitur ex variis praescriptionibus,

Varias etiam restrictiones affert *Deuter.*, XXII, 13-19 et 29. Cf. *Realenc.*, t. V, p. 744 s.; LUCKOCK, o. c., p. 17 ss.; ENGERT, o. c., p. 50 s., qui, p. 49, ita interpretatur dispositionem *Deut.*, XXII, 3-4, qua prohibetur uxorem repudiatam reassumere postquam alii viro nupserit, quasi esset clausula repudii restrictiva (1).

3° Ratio ob quam Deus cum Judaeis dispensaverit in lege indissolubilitatis, fuit propter *duritiam cordis:* non quidem, uti notat S. THOMAS, *Suppl.*, qu. LXVII, art. 3, propter aliquod majus bonum consequendum, sicut fuit dispensatio de pluribus uxoribus habendis, sed propter malum cohibendum, scil. uxoricidium, ad quod Judaei proni erant ». Cf. etiam *Gratianum*, 7, C. XXXI, qu. 1.

PUNCTUM II. DE DISSOLUTIONE VINCULI PER POTESTATEM R. PONTIFICIS.

PROPOSITIO. *Matrimonium non consummatum (sive ratum, i. e. inter baptizatos initum, sive legitimum, seu inter non baptizatos contractum, sive inter partem baptizatam et partem non baptizatam celebratum) certo potest dissolvi auctoritate R. Pontificis; probabilius autem etiam matrimonium consummatum, solo excepto matrimonio rato et consummato.*

Explicatio et probatio.

328. Vindicatur potestas R. Pontificis dissolvendi matrimonium non consummatum.

I. Quod spectat matrimonium NON CONSUMMATUM (2):

A. **Existentia** potestatis, penes S. Pontificem, hujusmodi matrimonia dissolvendi affirmatur expressis verbis in canone 1119; nec jam erat antea dubium circa illam, cum passim ac inhaesitanter a R. Pontifice exerceatur (3): in quo usu certo ac constanti practice docetur ab Ecclesia potestatis existentia (4).

Afficit asserta potestas *quodcumque* matrimonium *non consum-*

---

ad quas alluditur in textu, quibus Deuteronomium restringere voluerit repudii licentiam. Ipsa autem terminus " Erwath dabhar » varias significationes suscipere poterat: juxta ENGERT, o. c., p. 49, erat « alles mögliche, seinen Wortlaut nach, in sich fassender Begriff ». Cf. etiam SCHERER, o. c., II, p. 542, nota 5; *Nowach's Handcommentar zum Alten Testam.* — Das Deuteron., STEUERNAGL, Göttingen, 1898, in h. l.

(1) Item in *Rev. Bibl.*, 1918, p. 569 s. Cf. ROEDENBECK, o. c., p. 5; WATKINS, o. c., p. 52 ss. Statuta repudium restringentia in codice Hammourabi, vide apud SCHEIL, o. c., par. 137-142 et 149.

(2) Notionem matrimonii non consummati videsis suprà, n. 157. Cf. FAHRNER, o. c., p. 310 ss.

(3) Quandonam incoeperit illius potestatis exercitium, vide n. 332. Praxeos hodiernae varia exempla affert DE BECKER, *De Matrim.*, p. 418-419, in nota. Notat BOUDINHON, *Le mariage religieux et les procès en nullité*, p. 61, anno 1898, tredecim matrimonia non consummata fuisse dissoluta, et septemdecim causas fuisse introductas.

(4) Cf. PALMIERI, o. c., p. 210.; WERNZ, o. c., IV, in nota 40 ad n. 698, ubi, juxta Suarez, urget vim probandi hujusmodi usus.

Jam tempore Benedicti XIV universim agnoscebatur illa potestas Pontificia, uti ipse monet laudatus Pontifex, *Quaest. can.*, qu. 479: « Nullam de potestate S. Pontificis moveri amplius posse quaestionem, in eo quod attinet ad dispensandum super matrimonio rato et non consummato, cum hodie opinio affirmativa sit communis inter theologos et canonistas et in praxi recepta, ut notorium est ». Cf. KUTSCHKER, o. c., I, p. 323.

matum, non modò matrimonium ratum sed et matrimonium validum existens inter partem baptizatam et partem non baptizatam (can. 1119): sive contractum fuerit inter duos infideles, quorum alterutra pars est conversa, sive validè initum fuerit (cum dispensatione vel sine dispensatione) inter partem infidelem et partem fidelem.

B. **Natura et objectum potestatis.**

329. Est vera potestas, sed ministerialis tantùm,

1° *Ecclesia,* ex una parte, dissolvendo descriptum matrimonium non exercet, uti monuimus n. 297 s., potestatem quasi propriam, sed quasi *ministerialem et instrumentalem,* quatenus nempe ea utatur nomine et auctoritate Dei, cui soli competit, sive mediatè sive immediatè, dispensare in jure naturae secundario.

Ex alia parte Ecclesia *veram* exercet *potestatem,* ac *auctoritative* relaxat vinculum matrimonii non consummati, ex virtute auctoritatis divinae ipsi, intrà certos limites, ministerialiter concreditae (1): de quo cf. SANCHEZ, o. c., l. II, Disput. 14, n. 6, ubi etiam solvitur difficultas oriunda, pro matrimonio rato, ex ratione sacramenti (2).

dissolvendi ipsum vinculum,

2° Est potestas verè *dissolvendi ipsum vinculum matrimoniale,* adeo ut jam nihil obstet novis nuptiis validè celebrandis.

Quodsi potestatis pontificiae exercitium in casu vocetur *dispensatio,* dispensatio scil. super matrimonio non consummato, non est nisi dispensatio *late dicta,* uti infrà, n. 733, exponetur, cum sit dissolutio vinculi potius quam relaxatio legis (3).

C. Ad **potestatis exercitium** legitimum requiritur:

330 et requirit justam causam,

1° *causa proportionata,* quemadmodum enuntiatur in citato canone 1119, justam causam requirente; quemadmodum etiam logice sequitur ex ipsa natura potestatis quam in casu exercet R. Pontifex: non procedit scilicet ex auctoritate sibi in propriam concessa, sed ex potestate vicaria et ministeriali; unde dispensatio absque justa causa censenda foret *nulla et invalida* (4).

Causa classica habetur impotentia dubia vel dubiè antecedens aut dubiè perpetua ac aegre curanda (cf. infrà, n. 568); item impotentia superveniens aut alia infirmitas usum matrimonii impediens;

(1) Circa quasdam recentiores adulteratas conceptiones potestatis pontificiae, cf. FAHRNER, o. c., p. 337 s.

(2) « Dum dispensat (S. Pont.) in matrimonio rato, id facit destruendo fundamentum contractus humani; licet matrimonium ratum sit sacramentum, pendet tamen ex contractu humano tanquam ex fundamento ».

(3) Cf., in eumdem sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 624, nota 39, coll. FAHRNER, o. c., p. 339.

(4) Cf. FAHRNER, o. c., p. 331-334; KUTSCHKER, o. c., I, p. 312 ss.; GASPARRI, o. c., II, n. 1081, collatis SANCHEZ, o. c., II, Disp. 15, n. 6; SCHMALZGRUEBER, *In l. IV Decret.,* XIX, n. 51. Cf. etiam regulas servandas in processibus super matrimonio rato non consummato, n. 103

sufficit etiam mutua animositas inter conjuges aut discordiae graves; item periculum contagionis vel perversionis pro alterutra parte; divortium civile jam obtentum, praesertim cum novi civilis matrimonii celebratione. Caeterum eo ipso quod instantia in dissolutionem inducitur a conjugibus, vel alterutro eorum, passim meritò jam supponitur causam adesse gravem, adeo ut practicè non sit timenda precum repulsio ex solo capite deficientis causae proportionatae.

2° *plena probatio de inconsummatione.*

331. ac plenam probationem de non consummatione,

Huc spectat Decretum S. C. de Sacr., diei 7 maii 1923, regulas praescribens in hoc negotio servandas, numero 106, cum adnexis formulis (1). Porro praemonetur hanc causam non esse quidem vere et proprie judicialem sed potius gratiosam seu administrativam, in illa tamen veritatem esse inquirendam non minus religiose ac sedulò quam in negotiis proprie judicialibus; ac ideo urgetur regulas insertas esse adamussim observandas, nec ab illis recedendum sine aequa ratione, in actis exponenda (reg. 99) (2).

En summatim praecipuas regulas prae oculis habendas:

a/ Quod spectat *forum competens:*

« *Ad unam S. Congr. de discipl. Sacr.* spectat cognoscere de facto inconsummationis matrimonii et de existentia justae causae ad dispensationem concedendam » (3); ac « nullus judex inferior potest (validè) processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes Apost. eidem facultatem fecerit ». Est enim *causa reservata.* — Ita reg. 1 et 2, coll. can. 249, § 1, 1926 et 1963, § 1 (4). Cf. etiam infrà, n. 705.

b/ Quod spectat *recursum ad S. Sedem:*

« *Soli conjuges* jus habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato »; potest autem illam petere sive uterque conjux,

---

(1) A. A. S., 1923, p. 389-436, coll. commentario apud *Can. cont.*, t. XLVI (1924), p. 49-64 et p. 97-112. — Decretum ex professo loquitur de matrimonio *rato* non consummato; sed regulae in illo positae applicantur etiam aliis speciebus matrimonii non consummati, de quibus in propositione.

(2) Notat VERMEERSCH, *Periodica,* 1923, p. 109, quod « omissio regulae vel regularum nunquam est causa nullitatis, nisi quando regula praecipit quod ad tramitem juris communis est ad valorem necessarium. Talis est citatio vel praesentia defensoris vinculi in actibus processus. Cf. can. 1967, coll. can. 1587 », et reg. 27.

(3) Ad normam can. 249, § 3, potest S. C. de Sacr., si id opportunum judicaverit, totius negotii cognitionem ad S. Rotam remittere. Cf. A. A. S., 1922, p. 560 s., ubi refertur per sex annorum spatium ad S. Rotam remissas fuisse sex causas inconsummationis. Cf. infrà, n. 712.

(4) « Si tamen judex competens auctoritate propria judicium peregerit de matrimonio nullo *ex capite impotentiae* et ex eo, non impotentiae, sed nondum consummati matrimonii emerserit probatio, omnia acta, una cum libello unius vel utriusque conjugis pro Apostolica dispensatione impetranda, ad S. Congr. transmittantur, quae iis uti potest ad sententiam super rato et non consummato ferendam ». Reg. 3, § 1, coll. can. 1963, § 2. Potest etiam praevie probationes, si videntur insufficientes, complere. Reg. 3, § 2. « Pariter, si in judicio in prima aut in altera instantia peragendo de matrimonii nullitate, *ex alio capite* (ex. gr. ex defectu consensus, ex vi et metu etc.) matrimonii nullitas evinci non possit, sed *incidenter* dubium valde probabile emerserit de non secuta matrimonii consummatione, tunc integrum est alterutri vel utrique parti libellum porrigere R. Pont. inscriptum, pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato; at, quin preces ad H. S. C. remittantur pro obtinenda consueta commissione facultatum, fit potestas judici, vi hujus praescriptionis seu ex delegatione a jure, causam instruendi juxta regulas hîc determinatas ». — Reg. 4, coll. *Ned. kath. Stemmen,* 1925, p. 86 s.

sive alteruter, invita etiam altera parte (1). — Reg. 5, coll. can. 1973 et 1119 (2).

Attamen, « quamvis cuilibet fideli integrum sit libellum ad S. Sedem transmittere, expedit tamen, et semper suadendum est, ut id *per proprium Ordinarium* fiat, qui suam addere debet informationem ». — Reg. 7 (3).

« *Ordinarius proprius* est Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est, aut in quo orator domicilium aut quasi-domicilium habet; aut, si pars oratrix sit illegitimè separata ab altero conjuge, in quo haec pars conventa, dummodò sit catholica, domicilium aut quasi-domicilium habet ». — Reg. 8, § 1, coll. can. 1964.

« Licet tamen oratori recurrere per Ordinarium loci *suae actualis commorationis,* qui preces acceptare valet et commendare apud H. S. C., praesertim cum plerique testes audiendi in sua dioecesi degant ». — Reg. 8, § 2.

Ex sua parte, « si, accepto libello, haec S. Congr. censuerit precibus annuendum esse, solet Ordinario loci, *qui oratorem commendavit,* dare literas delegationis pro causa instruenda » (4) — Reg. 12.

c/ Quod spectat *tribunalis constitutionem:*

« Ordinarius, facta sibi facultate a S. Congr. de discipl. sacr. conficiendi processum super asserta matrimonii inconsummatione, curabit tribunal, cum primùm poterit, constituere, ad id adhibendo ministros in sua Curia constitutos, aut alios etiam... ». — Reg. 13.

Ad normam can. 1966, non requiritur tribunal collegiale trium judicum: sufficit unicus judex instructor. Requiritur autem « praesentia *vinculi defensoris;* eoque non citato, acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, reverà interfuerit ». — Reg. 27, § 1, coll. § 2 et can. 1967, 1586 et 1587, § 1.

---

(1) « Si ex supplici libello oratoris, vel ex causae instructione jam inchoata, vel ex aliis investigationibus (instructioni praeviis)... constiterit, matrimonii consummationem conjuges omnimodè devitasse ex detestabili omninò vitio, tunc orator vel uterque conjux, si hi concorditer dispensationem petant, sunt monendi, causam non posse institui vel ad ulteriora produci ». Reg. 11, § 1. Cf. suprà, n. 240.

« Quodsi orator significet se criminis nullimodè fuisse participem, sed depravatos alterius conjugis mores passum esse, aut, etiamsi fateatur se non esse innoxium, ostendat tamen hodie res eo devenisse ut conjugalis consortii instauratio non sit possibilis, ac sincerè sit facti poenitens, et seriò promittat se in altero conjugio forte inituro hujusmodi nefando facinori nullimodè operam esse daturum, tunc judex rem deferat ad H. S. C. — Reg. 11, § 2.

(2) Excluditur omnis spes obtinendi dispensationem Pontificiam, si sollicitetur a tertia persona, utroque conjuge invito. Utrum autem Romano Pontifici deneganda sit ipsa potestas dispensandi, disputari posset. Eam denegat WERNZ-VIDAL, o. c., n. 624, nota 37, vel ex eo quod locus non sit, in casu, causae justae ac proportionatae, ad validum potestatis exercitium requisitae; eam vero affirmat CAPPELLO, o. c., n. 756, ubi ostendere conatur dari posse, in proposita hypothesi, requisitam causam.

(3) Cf., ad calcem Tractatus, specimen formulae pro supplica adhibendae.

(4) En tenorem rescripti Romani.

« Ill^me ac Rev^me D^ne — Relatis in S. Congr. de disciplina Sacr. precibus quibus N. N. postulat dispensationem super matrimonio ab ipsa (o) contracto cum N. N., utpote rato et non consummato, eadem S. Congr. praesentibus facultatem tribuit Ampl.^ni Tuae Rev^ae conficiendi processum super asserta non consummatione dicti matrimonii et causis dispensationis ad normam C. J. C.; cum potestate etiam subdelegandi pro excussione partium et testium, prout casus ferat.

Curet Amplitudo Tua pro eo, quo pollet, zelo animarum et veritatis studio, ut in causa instruenda, hisce litteris Tibi commissa, Regulae adamussim observentur quae, editae decreto diei 7 Maii 1923, promulgatae sunt in commentario officiali Acta ap. Sedis, sub die 1^a Aug. 1923.

Ill^mo ac Rev^mo

D^o Episcopo N.

Romae die 29 Dec. 1925.

Ulterius adesse debet *actuarius,* qui notarii seu cancellarii in processu partes expleat. — Reg. 30, coll. can. 1585.

Nota. In regulis 21-26 et 31 s. determinatur generatim officium judicis; in reg. 28-29, officium defensoris vinculi (1), et reg. 30, officium actuarii.

d/ Quod spectat ipsam *causae instructionem:*

331bis. ex variis argumentis deducendam,

Juxta reg. 20, « inquisitio versari debet circa omnia quae inconsummationem probant vel impugnant, et circa causas legitimas dispensationis ». *Argumenta* autem « ad detegendam veritatem in his causis praecipue sunt: utriusque conjugis jurata confessio; testes septimae manus ex utroque latere, necnon testes ex officio inducti vel etiam ad instantiam partium, prout res ferat; inspectio corporum per peritos facta; authentica documenta, etiam extrajudicialia, cujuscumque generis, veluti litterae, itemque acta judicialia in foro civili confecta, quatenus ad rem faciant; indicia et praesumptiones ».

Porro, praemissis variis normis generalibus observandis in citationibus faciendis (reg. 33-38), in jurejurando exquirendo et interrogationibus proponendis (reg. 39-49), specialis determinatur modus adhibendus in examine partium (reg. 50-57), in productione testium, praesertim septimae manus (reg. 58-63) eorumque examine (reg. 66-74); describuntur instrumenta adhibenda (reg. 75-78) (2), necnon indicia et praesumptiones (reg. 79-83) (3), eorumque usus determinatur; tandem reg. 84-95, coll. reg. 53 et 64, tractant de inspectione corporali.

In specie circa *testes septimae manus* notetur quod, ad tramites can. 1975, § 1 et reg. 58, « debet *uterque* conjux testes, qui septimae manus audiunt inducere, sanguine aut affinitate sibi conjunctos..., qui jurare possint de ipsorum conjugum probitate, et praesertim de veracitate circa rem in controversiam deductam ».

« Testimonium septimae manus, ut ipsa denominatio innuit, septem testibus ex utraque parte inductis, hoc est septem ab una et septem ab altera, constare debet. Quodsi tot testes haberi requeant, sufficere poterunt pauciores; ratio tamen in actis referenda est, cur septenarius numerus haberi non potuerit ». — Reg. 59.

Porro testes septimanes sunt praeprimis testes *de credibilitate,* quorum testimonium robur addit depositioni conjugum (licet vim plenae probationis non obtineat, nisi aliis adminiculis aut argumentis fulciatur); sunt tamen adhibendi etiam tanquam testes *de scientia,* testantes scil. de ipso facto inconsummationis, signanter referendo quid a conjugibus aut proximioribus parentibus, tempore non suspecto, audierint. — Reg. 60, coll. can. 1975, § 2 (4).

---

(1) Cf. infrà, n. 707, descriptum officium defensoris vinculi, coll. reg. 28-29.

(2) « In his causis, inter instrumenta *publica* potissimum habetur fides authentica celebrati matrimonii, e paraeciae regestis deprompta, quoties haec in causae instructione requiratur; his accensentur acta et sententiae tribunalis civilis, si apud illud de controverso matrimonio aliqua causa pertractata fuerit. Documenta *privata* communiter sunt epistolae a conjugibus inter se vel ad alios datae, et scriptae attestationes in favorem unius vel alterius partis exaratae ». Reg. 75.

(3) *Praesumptio* in favorem inconsummationis oritur « ex defectu veri consensus in matrimonium; ex vi et metu; ex aversione et odio in ipso vitae conjugalis initio exortis inter sponsos; ex impotentia sive absoluta sive relativa ». — Reg. 80 et 82.

(4) Circa hoc testimonium *septimae manus,* qui probationis modus successit experimento aquae tepidae aut frigidae, vel ferri candentis, cf. BASSIBEY, *Le mariage devant les tribunaux,* n. 352; *Anal. eccl.,* 1908, p. 377, in Causa *Versalien.;* ESMEIN, o. c., I, p. 261; SCHNITZER o. c., p. 350; KUTSCHKER, o. c., I, p. 283 ss.; c. 2, C. XXXIII, 1.

signanter ex inspectione corporali:

Circa *inspectionem corporalem:* α/ patet inspectionem mulieris esse maximi momenti ex eaque deduci posse praecipuum inconsummationis argumentum (1); ideo praecipitur semper adhibenda, nisi inutilis evidenter appareat. — Reg. 64 et 84, § 1, cum can. 1976.

β/ Etiam *viri* inspectio est facienda, quando inconsummatio tribuitur ejus impotentiae absolutae vel relativae, et aliunde de uxoris physica integritate plena non habetur probatio. — Reg. 84, § 2, coll. reg. 53.

Ad hoc deputentur *ex officio* duo periti medici, qui referant, « juxta medicinalis doctrinae placita, indicia seu argumenta quae potentiam virilem adstruere aut excludere videantur ». Reg. 95.

γ/ Juxta regulam 86, inutilis censetur, adeoque omittenda, inspectio *mulieris:* « si consummatio haberi non potuit, quia nec tempus nec locus nec modus adfuerunt matrimonii consummandi »; item « si certò jam constat de mulieris defloratione ». Cf. reg. 64, § 1.

δ/ « Ad mulierem vero inspiciendam duae obstetrices, quae legitimum peritiae testimonium habeant debitaque in arte sua experientia polleant, *ex officio* designentur. Integrum est tamen mulieri inspiciendae expetere ut, loco obstetricum, a duobus medicis, pariter *ex officio* designandis, inspiciatur; quod et Ordinarius, si necessarium duxerit, decernere potest, audito vinculi defensore, praecipuè ob aliquod dubium fraudis, scil. quod praesidia artis adhibita sint ad reparandas partium laesiones ». — Reg. 89, § 1, coll. can. 1979, § 1 et § 2, coll. etiam reg. 89, § 2, ubi de casibus a norma servanda exceptis.

Circa modum inspectionem peragendi et cautelas usurpandas necnon circa relationes coram tribunali faciendas, cf. reg. 90-94, coll. can. 1979, § 3 et can. 1980 et 1981.

ε/ Quod spectat *processus conclusionem* ac *rescriptum Pontificium:*

Normae spectantes *processus conclusionem* exhibentur in regulis 96-101 (coll. can. 1859 et 1858), inter quas notetur quod, « clausa processus instructione, judex neque ad ipsius processus publicationem (communication du dossier), neque ad sententiam super ipsa inconsummatione et causis ad dispensandum deveniat »; debet curare ut « acta omnia, una cum voto Episcopi... et defensoris vinculi transmittantur ad H. S. C. ». Reg. 97, § 1 et 98, § 2, coll. can. 1985.

331ter. quam plenam probationem, supposita causae proportionatae existentia, sequetur rescriptum dispensationis Pontificiae.

Quoad *rescriptum Pontificium* observa quod dispensatio super rato a R. Pontifice directe conceditur, et expeditur per rescriptum in forma gratiosa, idque ea lege ut rescriptum, quod nota, effectum habeat « a temporis momento quo in die audientiae S. Pont. dispensationem concessit », supposita utique precum veritate et causae existentia. Ita reg. 102 et 103.

Cf. etiam LEGA, o. c., IV, n. 460 et 461, quo loco notatur *manum* poni pro symbolo fidei, sicut solet manus extendi in juramento et reponi super evangelio.

(1) Convincens etiam probatio reperiri nonnunquam potest in probatione quae vocatur *coarctatae*. Porro ad hanc probationem *ex coarctata* debet ostendi compartes post matrimonium ne per momentum quidem fuisse solas, vel saltem impossibile eis fuisse carnaliter commiscendi. Cf. *Canon. Contemp.*, 1908, p. 155 s., ubi narratur matrimonium aliquod fuisse dissolutum qua non consummatum, licet partes fuerint in eodem toro, quia brevi post matrimonium mulier peperit, viro ignorante ejus praegnantiam, quam sane advertisset si uxorem cognovisset; item *Anal. eccl.* 1904, p. 120, ubi exponitur *causa*, in qua constitit de non consummatione ex eo quod sponsa, ipsa nuptiarum nocte, inter choreas et festivitates, pepererit. Cf. etiam factum narratum apud BUREAU, *Indiscipline*, p. 61.

Juvat etiam notare quod reg. 104 inserat dispositionem can. 1053, quatenus « in rescripto dispensationis super matrimonio rato et non consummato continetur, quamvis non expressa,... altera dispensatio, si forte opus sit, ab impedimento (criminis) ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii proveniente ». Cf. infrà, n. 565.

Regula autem 106 disponit quod « Ordinarius, de dispensatione per authenticum documentum certior factus (1), parocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris prout casus ferat, quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de obtenta dispensatione adnotatio fiat ». Cf. infrà, n. 700.

Nota. Lata sententia a S. Pontifice, dispensante super vinculo matrimonii non consummati, dissolvitur matrimoniale vinculum, et ad alia vota transire possunt conjuges, nisi transitus illi prohibeatur *inconsulta S. Sede,* uti nonnunquam contingit, maximè si in alterutra parte suspicio datur impotentiae (2).

Probè tamen sciatur causam matrimonialem nunquam transire in rem judicatam, adeoque matrimonium novum, inde a data dispensatione forte initum, semper posse declarari invalidum, si deinceps innotescat primum matrimonium fuisse ratum et consummatum.

* * *

332. Evolutio historica Pontificiae potestatis.

Evolutio historica in exercitio assertae potestatis incoepit tempore Alexandri III (1159-1181). Nimirum tunc temporis celebris vigebat controversia inter Scholam Bononiensem et Scholam Parisiensem circa naturam matrimonii, quam controversiam suprà, n. 96 ss., breviter adumbravimus (3). Doctores Bononienses docebant matrimonium non consummatum, utpote matrimonium initiatum dumtaxat, non esse sacramentum, ac variis ex causis dissolubile (4), illud autem ex copula tandem accipere rationem sacramenti et indissolubilitatem (5); alii vindicabant rationem sacramenti ipsi conjugio non consummato, solo consensu inito, eique omnimodam indissolubilitatem agnoscebant (6).

Porro ALEXANDER III, qui, dum erat Magister Rolandus, adhaeserat, cum schola Bononiensi, *copulatheoriae* (in *Summa*) (7), postquam ad S.

(1) Regula 105 disponit quod « dispensationis rescriptum, solutis expensis, parti impetranti idemque postulanti traditur aut remittitur, et Ordinario exhibendum est; verum ex officio ipsa S. Congr. eidem Ordinario exemplar authenticum rescripti dispensationis directe dabit ».

(2) Circa hanc clausulam, quae constituit impedimentum *Vetiti Ecclesiae,* per se merè prohibitivum, cf. BASSIBEY, o. c., n. 405. Quodsi pars hujusmodi prohibitioni obnoxia nubere velit, oportet ut praevie obtineatur licentia a S. Congr., seu *venia,* uti dicitur, quae venia passim non concedetur nisi post novam inspectionem corporalem et conclusionem conformem peritorum.

(3) Circa sollemnem hanc controversiam et influxum quem exercuit in evolutionem juris matrimonialis, cf., praeter superius dicta, FAHRNER, o. c., I, p. 123-146 et 169-193; ESMEIN o. c., I, p. 95-139; SEHLING, *Die Wirkungen,* p. 33-56.

(4) Causae hujusmodi erant, juxta Gratianum, inter alias, votum, et impotentia; quibus causis alias addiderunt Gratiani discipuli, cognationem puta spiritualem vel affinitatem supervenientem, captivitatem.

(5) Restringunt illam absolutam indissolubilitatem ad solum matrimonium consummatum *inter fideles;* matrimonium inter infideles etiam consummatum obnoxium censent privilegio Paulino.

(6) Distinguebant inter sponsalia de futuro et sponsalia de praesenti: sponsalibus de futuro applicabant varias solutionis causas quas Bononienses, non distinguentes sponsalia a sponsalibus, admittebant pro matrimonio non consummato. Cf. n. 98.

(7) Ita, pro matrimonio non consummato, agnoscebat, praeter alias causas dissolubilitatis, votum, affinitatem supervenientem, amentiam, non autem, sicut Gratianus, matrimonium superveniens consummatum.

Pontificatum fuit evectus, coepit *mediam* quamdam inter utramque Scholam sequi viam: *ex una parte* matrimonio non consummato rationem agnoscendo veri conjugii et sacramenti, *ex alia parte* ipsi denegando absolutam, quam urgebat Schola Parisiensis, indissolubilitatem. Ita ex una parte, *contra Scholam Bononiensem*, decernit, in cap. 3, X, IV, 4, matrimonium non consummatum per succedens matrimonium consummatum non dissolvi (1), et explicitè hanc solutionem urget « quamvis, uti ait, alii aliter sentiant et aliter etiam a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum »; item clare admittit distinctionem Petri Lombardi inter sponsalia de praesenti et sponsalia de futuro (2); ex alia vero parte, *contra Scholam Parisiensem*, statuit matrimonium non consummatum esse dissolubile, notatim ex causa *voti* (3), vel *supervenientis affinitatis* (4), saltem publicae, quo in duplici casu novas nuptias permittit ineundas post matrimonium copulâ non consummatum; caeteroquin explicite declarat indissolubilitatem, de qua Christus loquitur in Evangelio, soli matrimonio rato applicari per copulam consummato (5).

Jamvero, quod sedulò nota, S. Pontifex, in moderanda hac sua disciplina, ostendit se habere matrimonium non consummatum, quoad ejusdem dissolutionem, *tanquam potestati ac jurisdictioni Ecclesiae obnoxium*, adeo ut Ecclesia, in variis ampliationibus aut restrictionibus causarum divortii, *disciplinariter* procedere queat, pro opportunitate judicans de restrictione adhibenda vel extensione concedenda.

Et reverà aliter non explicatur quomodo *Alexander* III, in dubiis propositis circa dissolutionem matrimonii non consummati, suam decisionem det, dicendo: « *tutius* videtur... *convenientius* » (6); — quomodo provocet, pro solvendo matrimonio non consummato, ad judicium Ecclesiae (7); — quomodo, pro superveniente affinitate, virtutem dissolvendi restringat ad casum quo crimen evaserit publicum; — quomodo non permittat matrimonium in una regione disrumpi propter eamdem causam, ob quam, in alia regione, attenta diversa consuetudine, dissolvi indulgetur (8); quomodo adeo facile solutionem admittat quam fatetur praedecessorum solutioni contrariam (3, X, IV, 4).

Quod autem dicimus de Alexandro III, valet etiam, proportione servata, de Innocentio III et de Urbano III, quatenus etiam ostendant sese habere matrimonium non consummatum, quoad ejusdem dissolutionem, tanquam Ecclesiae jurisdictioni obnoxium: secus enim non explicatur quomodo *Innocentius III* tanquam causam divortii abrogaverit supervenientem affinitatem, ab Alexandro III admissam; — quomodo idem Innocentius III optaverit etiam a *voto* auferre vim dissolvendi matrimonium (9); quomodo

(1) Item c. 4 (6) et 5 (7), *Compil.* I, IV, 4.
(2) C. 6 (8), *Comp.* I, IV, 4.
(3) C. 2 et 7, X, III, 32; collato tamen c. 5 (7) *Comp.* I, IV, 4.
(4) C. 2, X, IV, 13.
(5) C. 7, X, III, 32: « Sane quod Dominus in Evangelio dicit non licere viro nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, intelligendum est... de his quorum matrimonium copula est consummatum »; loquitur autem de nuptiis inter christianos.
(6) C. 5 (7), 4 (6), *Comp.* I, IV, 4.
(7) C. 5 (7), *Comp.* I, IV, 4: « cum... sine judicio Ecclesiae separari non debeat ».
(8) C. 2, X, IV, 15.
(9) C. 14, X, III, 32 (ed. Friedberg): quo loco ostendit Pontifex se inclinare in urgendam absolutam indissolubilitatem matrimonii etiam non consummati, ejusque dissolutionem per votum ideo tantum concedere, quia non vult « a praedecessorum vestigiis in hoc articulo subitò declinare ».

tandem *Urbanus III*, inter dissolutionis causas, admiserit lepram (1), ab Alexandro III et Innocentio III repudiatam (2).

Equidem non datur textus in quo ab Alexandro III, vel Innocentio III, ad potestatem pontificiam dissolvendi, per viam dispensationis in casu particulari, matrimonium non consummatum *explicitè* provocatur (3); sed ex tota eorum agendi ratione eruendum videmus, in ipsorum mente, dissolubilitatem dicti vinculi dependere, intra certos limites, a dispositione Ecclesiae, ab eaque dependere majorem vel minorem latitudinem in probandis solutionis causis, adeoque R. Pontificem super descripti matrimonii vinculo dispensare posse.

Jam inde ab ineunte saeculo 13°, Auctores nonnulli (4) coeperunt potestatem S. Pontificis *diserte* vindicare contra alios, signanter theologos, contradicentes (5); ac sub exordio saeculi 15' citantur jam actus RR. PP., uti Martini V (1417-1431), et Eugenii IV (1431-1447), per quos similem potestatem aperte exerceri liquet; saeculo autem 16°, saepius consuevit Ecclesia illa potestate uti, et in dies auctus est numerus Auctorum dictae potestati faventium, donec certo et unanimi consensu fuerit agnita (6).

Quam successivam doctrinae Auctorum evolutionem, cum variis in utrumque sensum eorumdem argumentis, nitidè expositam videsis apud FAHRNER, o. c., p. 208-215, et 316-331; cf. etiam ESMEIN, o. c., I, p. 124-135.

Nota. Attentis dictis, signanter attenta evolutione historica, apparet quod Ecclesia posset suam potestatem exercere sive per modum dispensationis in casu particulari, sive per modum statuti generalis, adnectendo scil. alicui facto privilegium dissolvendi vinculum, supposita utique causa justa et proportionata. Applicationem hujusmodi privilegii habebimus mox infrà, n. 334 ss., in specie notando n. 338; cf. etiam n. 339 et 340 (7).

II. Quod spectat matrimonium CONSUMMATUM:

A. Potestati Ecclesiae, ad vinculum dissolvendum, prorsus subducitur matrimonium *ratum et consummatum*, uti infrà, sub n. 356 ss., fusè ostendetur. Can. 1118.

---

(1) Cf. FAHRNER, o. c., p. 196.

(2) Cf. etiam modum loquendi Innocentii III circa efficaciam voti ad dissolvendum matrimonium non consummatum, c. 14, X, III, 32, (ed. Friedberg), collato FAHRNER, o. c., p. 195.

(3) Frustrà videtur quis remittere ad c. 2, X, IV, 13. Cf WERNZ-VIDAL, o. c., n. 622, in nota 22. — Cf. aliunde GILLMANN, *Zur Geschichte der kanon. Ehescheiding*, apud *Der Katholik*, 1904, t. 29, p. 209. — Etiam Innocentius III, rogatus dispensare cum rege Philippo Augusto, in matrimonio rato non consummato, respondit sibi potestatem deficere. Cf. BRYS, o. c., p. 153 et p. 206 s.

(4) Primus hanc potestatem distincta formula proposuisse videtur *Alanus* (ante a. 1210), et, post ipsum, *Vincentius Hispanus* (1210-1215). Cf. FAHRNER, o. c., p. 208 s.; BRYS, o. c., p. 205 ss., coll. GILLMANN, *Problem vom Priv. Paul.*, apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1924, p. 254.

(5) Cf. FAHRNER, o. c., p. 212-215.

(6) Cf. sub. n. 328, relatum textum Benedicti XIV, coll. FAHRNER, o. c., p. 318 s., ubi varia facta citantur dispensationis concessae.

(7) Juvat notare quod idem Alanus, quem modò vidimus primum disertè agnoscere dispensandi potestatem S. Pontifici, illam potestatem jam dicto modo concipit, cum, in Glossa ad c. 3, *Comp.* I, IV, 13, dicat: « sicut dicitur quod potest dispensare, eadem ratione (potest) statuere jus commune, quod in hoc casu rumpatur matrimonium ». Cf. GILLMANN, l. c.

B. Quoad *reliquas species matrimonii consummati:*

333. Probabilius potest Rom. Pont. dissolvere matrimonium consummatum, excepto rato et consummato.

1° Matrimonium *legitimum consummatum,* validè scil. initum inter duos infideles et copula consummatum, probabilius potest ab Ecclesia dissolvi, *modò alterutra pars per Baptismum fuerit constituta Ecclesiae jurisdictioni obnoxia.* Nec refert quod utraque pars baptismum susceperit, quodque adeo matrimonium evaserit ratum, modò exinceps non fuerit consummatum, sed manserit matrimonium consummatum et ratum (suprà, n. 157) (1).

Revera si, uti statim, sub 2°, a, dicetur, Romano Pontifici competit potestas dissolvendi matrimonium inter partem infidelem et partem fidelem validè initum et consummatum, eadem potestas ipsi a fortiori est agnoscenda respectu matrimonii legitimi, inter duos infideles contracti et consummati. Aliàs etiam non explicatur modus agendi Ecclesiae in applicando privilegio Paulino ultra terminos a S. Paulo assignatos, uti liquebit ex dicendis sub n. 354 s.

2° Quod autem attinet *consummatum* matrimonium validè contractum *inter partem non baptizatam et partem baptizatam:*

a/ Si fuit initum *sine dispensatione,* quemadmodum nunc, favore can. 1070, § 1, validè celebrari potest inter partem non baptizatam et partem *acatholicè* baptizatam:

Non jam est dubium hujusmodi matrimonium a R. Pontifice posse dissolvi, ac de facto dissolvi (2), uti liquet ex responso C. S. O., diei 5 Nov. 1924, ad Episcopum Helenensem (3), et altero simili responso ejusdem S. Congr., 10 Julii 1924 (4). Cf. etiam

---

(1) Non refert quod consummatio locum habuerit sive in utriusque infidelitate tantùm, sive post alterutrius partis Baptismum.

(2) Cf. quae, in contrarium sensum, scripsimus apud *Ephem. theol. Lovan.,* I, p. 568 s.; a qua sententia jam recesseramus ante notum responsum de quo immediatè infrà.

(3) Ad quaestionem positam ab Episcopo Helenensi, circa matrimonium anno 1919 initum inter virum non baptizatum et mulierem haereticam, baptizatam in secta anglicana, a quo matrimonio obtinuit vir divortium, desiderans catholicam fidem amplecti et nubere personae catholicae, respondit C. S. O., die 5 Nov. 1924: « Consulendum SSmo pro gratia dissolutionis vinculi naturalis primi matrimonii contracti a N. N. cum N. N., in favorem fidei ». Quam gratiam concedere dignatus est summus Pontifex. Cf. *Eccles. Review,* 1925 (t. LXXII), p. 188.

(4) *L'Ami du clergé,* 1925, p. 409, refert tenorem invocati responsi, praemissa casus expositione:

« Georges, baptisé par les hérétiques, s'est marié légitimement avec une infidéle. Mais peu après, celle-ci abandonne son mari, retourne dans sa famille et se marie avec un infidèle. Georges, lui, embrasse la religion catholique, et, comme il lui est trop dur de garder la continence, il interpelle régulièrement sa première femme et contracte ensuite mariage devant le missionnaire avec une personne catholique. Le missionnaire en effet, se basant sur le sentiment de certains Auteurs, a jugé le mariage de Georges hérétique avec une infidèle, équivalent au mariage conclu dans l'infidélité.

On demande en conséquence: Le second mariage de Georges est-il valide, soit que le baptême qu'il a reçu du ministre hérétique fût douteux, soit qu'il fût valide » ?

Réponse: « Jeudi, 10 Juillet 1924.

N. T. S. Père, le Pape Pie XI, dans l'audience qu'il a accordée au Rév. Assesseur du St Office, après avoir entendu la relation de la supplique ci-dessus, a daigné accorder la faveur de la dispense du mariage contracté avec l'infidèle, afin qu'en

infrà, n. 355. Nec obstat tenor can. 1119 (1), nec deest suffragium recentiorum auctorum (2).

b/ Si fuit initum *cum dispensatione*:

Etiam in hoc inclinamur ut R. Pontifici ministerialis potestas dissolvendi et hoc vinculum non denegetur.

Et sanè dispensatio Ecclesiae non mutat naturam nec indolem matrimonii, et si, uti dicendum vidimus sub a/, R. Pontifex dissolvere potest matrimonium, inter baptizatum et non baptizatum sine dispensatione initum, non apparet cur id non posset ubi dispensatio intervenerit.

Caeterum semper manet quod, in tota litteratura ecclesiastica, *solum* matrimonium *ratum et consummatum* prodatur qua absolutè indissolubile, ac ecclesiasticae dispensationi penitus subtractum. Et ita, uti suprà notavimus, Alexander III, c. 7, X, III, 32, ad legitimandam suam concessionem novi matrimonii ineundi a viro cujus uxor Religionem erat professa, addit soli matrimonio rato consummato applicari verba Christi Domini, omnimodam indissolubilitatem urgentis (3); pariter in novo Codice (can. 1118), de solo matrimonio rato et consummato dicitur quod « nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest ».

De facto tamen hucusque non apparet vestigium exercitii illius, quam vindicamus, potestatis; at immeritò ex non usu concluderes ad negationem ipsius potestatis (4).

Nota. Attentis dictis suprà, sub fine n. 332, et attenta evolutione historica, sub integro n. 332 descripta, Ecclesia posset vinculi dissolvendi potestatem, etiam erga matrimonium consummatum, in quantum haec potestas ipsi competit, exercere sive per actum transeuntem, in casu particulari, sive per modum statuti generalis.

---

renouvelant le consentement *ad cautelam*, le mari puisse contracter validement un nouveau mariage avec la personne catholique avec laquelle il vit. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

(1) Huic doctrinae non obstat tenor can. 1119: simpliciter enim enunciat matrimonium *non consummatum* inter partem baptizatam et partem non baptizatam a R. Pontifice posse dissolvi; non loquitur exclusive. Caeterum soli matrimonio non consummato applicatur *utraque* dissolutionis causa, de qua in eodem canone, dispensatio scil. pontificia et professio sollemnis. Cf. infrà, n. 339.

(2) Ita CREUSEN, apud *N. R. th.*, 1923, p. 94 s.; ARENDT, apud *Ephem. theol. Lovan.*, I, p. 183; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 637.

(3) « Sane quod Dominus in Evangelio dicit, non licere viro... uxorem dimittere, intelligendum est, secundum interpretationem sacri eloquii, de his quorum *matrimonium carnali copula est consummatum* »: per totum autem caput loquitur de matrimonio *inter christianos*, uti jam notavimus.

(4) Haud aegre intelligitur cur Ecclesia sua potestate, in casu, non utatur vel vix utatur. Et sane per suam dispensationem matrimonium quasi authenticè recognovit et ratihabuit.

PUNCTUM III. DE DISSOLUTIONE VINCULI PER PROFESSIONEM RELIGIOSAM.

PROPOSITIO. *Matrimonium non consummatum (sive ratum, sive legitimum, sive initum inter partem baptizatam et partem non baptizatam) jure ecclesiastico dissolvitur per professionem sollemnem; disputatur autem utrum professioni sollemni eadem virtus dissolvendi sit adscribenda respectu matrimonii consummati, quod non sit ratum et consummatum.*

Explicatio et probatio.

I. Quoad matrimonium NON CONSUMMATUM:

334. Matrimonium non consummatum dissolvitur

1° Dissolvitur matrimonium **non consummatum**, quomodocumque fuerit validè initum, sive inter baptizatos (ratum), sive inter partem baptizatam et partem non baptizatam, sive inter duos infideles (legitimum), quorum una saltem pars conversa est. Can. 1119, coll. suprà, n. 328 (1).

335. per professionem sollemnem,

2° **Per professionem sollemnem**: ergo non per votum ingrediendi Religionem, nec per ingressum Religionis, neque etiam per professionem votorum *simplicium,* neque per susceptionem Ordinis sacri, sed per *solam* emissionem votorum *sollemnium, in Ordine regulari stricte dicto* (2): quae professio supponitur validè facta (3).

Virtus dissolvendi matrimonium ratum non consummatum, professioni religiosae adscribitur in canone 1119: agnoscebatur jam, in jure Decretalium, ab Alexandro III, c. 2 (4) et 7, X, III, 32, et ab Innocentio III, c. 14, *ibidem,* ac, sub anathemate, docetur a Concilio

---

(1) Circa concessionem abusive factam ab antiquis legibus Romanis dissolvendi matrimonium *etiam consummatum,* cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 626, nota 42.

(2) Distinctionem inter vota *simplicia* et *sollemnia* nitidè ponit canon 1308, § 2. Cf. VERMEERSCH, *Quaestiones de virtutibus Religionis et Pietatis,* Brugis, 1912, n. 144-152; DE MEESTER, o. c., II, n. 911 s., cum AA. citatis.

(3) Juxta can. 572, ad validam professionem religiosam quamlibet requiritur in specie (par. 1, n. 3), ut novitiatus validus praecesserit ad normam can. 555 et can. 542, juxta quem alterum canonem invalidè ad novitiatum admittuntur... conjuges, durante matrimonio. *Conjuges* proinde, ut *validè profiteantur,* indigent praevia dispensatione pontificia. Cf. suprà, n. 230.

(4) « Verum, post consensum legitimum de praesenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere monasterium, sicut etiam sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt, dummodò carnalis commixtio non intervenerit inter eos, et alteri remanenti, si commonitus continentiam servare noluerit, licitum est *ad secunda vota transire,* quia, cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire et alter in saeculo remanere ».

Quod spectat dictum Alexandri III, c. 5, IV, Comp. I, quod primo aspectu videtur excludere dissolutionem matrimonii non consummati per professionem religiosam, cf. WERNZ-VIDAL, l. c.

Tridentino, Sess. XXIV, can 6 (1). Eadem virtus vinculi dissolutiva expressis verbis agnoscitur, in citato canone 1119, professioni sollemni in favorem matrimonii inter partem baptizatam et partem non baptizatam contracti; huic autem aequiparatur matrimonium inter infideles initum, postquam alterutra pars baptismum suscepit.

336. ad exclusionem voti simplicis,

Quod autem *coarctetur* dicta dissolvendi virtus ad sola vota *sollemnia,* ad exclusionem votorum simplicium, id constat ex ipso tenore can. 1119, et antea jam constabat ex variis Ecclesiae documentis, speciatim ex declaratione *Pii IX,* 25 Jan. 1861, decernentis: « nonnisi per sollemnem votorum professionem matrimonium (ratum et) non consummatum dissolvi, non vero per professionem votorum simplicium » (2). Quod confirmat BENEDICTUS XIV, *De Synodo dioec.,* l. XIII, cap. 12, n. 9 (3).

Unde, contra nonnullos olim Auctores, efficacia matrimonii non consummati solvendi deneganda est votis simplicibus emissis, in Societate Jesu, post biennium tyrocinii: qui auctores frustrà provocant ad Constit. Gregorii XIII, 25 Maii, anni 1584, *Ascendente Domino,* vi cujus Constitutionis valent quidem dicta vota matrimonium *contrahendum dirimere,* non autem *contractum disrumpere* (4). Neque etiam dissolvitur vinculum per professionem usque ad haec tempora factam a *monialibus* Belgii et Galliae, utpote vota sollemnia non professis (5).

337. et Ordinis,

Quod etiam nec ipsa *Ordinis* susceptio, nec votum castitatis in

---

(1) « Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius conjugum, non dirimi, anathema sit ». Cui decreto ferendo quomodo Protestantes occasionem dederint, exponit FAHRNER, o. c., p. 291-296. — Circa indolem hujus definitionis dogmaticae, cf. infrà, n. 338, in ultima nota.

(2) Immeritò, in confirmationem hujus asserti, invocat FAHRNER, o. c., p. 195, testimonium Bonifacii VIII, cap. unic., tit. 15, III, in VI° Decr.: decernit namque ibidem solum votum sollemne prae voto simplici valere « quantum ad matrimonium *post contractum* dirimendum », a. v. loquitur Pontifex de vi *irritandi* matrimonium *contrahendum,* et non de vi dissolvendi matrimonium antea contractum, uti ex toto textu liquet, et ex collatione cum cap. unic., tit. VI, *Extrav.* Joannis XXII; caeterum, si Bonifacius loqueretur de *dissolutione* matrimonii *contracti,* virtus illa dissolvendi esset adscribenda voto in Ordinis susceptione sollemnizato: quod falsum esse mox ostendetur. Cf. etiam infrà, n. 578 ss.

(3) « Animadvertendum tamen est privilegium hoc esse concessum tantummodo religiosae professioni, emissae in aliqua ex approbatis Religionibus, in quibus nimirum emissa castitatis, paupertatis et obedientiae vota, sollemnium vim et naturam obtinent: nunquam vero professioni emitti solitae in quibusdam piarum mulierum coetibus..., quarum vota, non inter sollemnia, sed inter simplicia recensentur, juxta constantem atque conformem sententiam tribunalium tum Rotae, tum Congregationis Concilii ».

Addit etiam, *ibidem,* supponi vota sollemnia cum voto *perfectae* castitatis, ita ut matrimonium ratum non solvatur professione, licet sollemni, in iis ordinibus militaribus, « in quibus non indefinita sed plerumque conjugalis castitatis, vel a secundis nuptiis abstinentia, vovetur ». Cf. etiam FEYE, *De Imp.,* n. 515, not. 4.

(4) Cf. infrà, n. 579; FAHRNER, o. c., p. 308-310; WERNZ, o. c., IV, n. 698, in nota 44; FEYE, *De Imp.,* n. 516; GASPARRI, o. c., n. 574 et n. 1082.

(5) Circa novam disciplinam introductam a S. C. de Religiosis, 23 Junii 1923, cf. *Periodica de re canon. et mor.,* XII, p. 76 ss.

suscepto Ordine sollemnizatum, sufficiat ad matrimonium contractum dissolvendum, licet valeat matrimonium contrahendum irritare, manifeste docetur a Joanne XXII, *Extrav.*, cap. unic., tit. VI: « Antiquae concertationi finem cupientes imponere... praesenti declaramus edicto, quod, licet *votum sollemnizatum per sacri susceptionem Ordinis,* quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, ac ad dirimendum, si post contractum fuerit, secundum statuta canonum sit efficax reputandum, *ad dissolvendum* tamen *prius contractum,* etiamsi per carnis copulam non fuerit consummatum, quum nec jure divino nec per sacros reperiamus canones hoc statutum, *invalidum est censendum* ». Cf. infrà, n. 578.

Tandem observa matrimonium per votum sollemne non solvi nisi *momento ipsius professionis sollemniter factae,* adeoque non potest pars in saeculo manens ad alias nuptias convolare, antequam altera sollemnem emiserit professionem (1): cui, juxta can. 574, coll. 572, § 2, ad valorem praemitti debet professio simplex temporaria trium annorum (2), supposita observatione illorum quae ad cujuscumque professionis validitatem requiruntur (3). Monet tamen Pius IX, in laudata declaratione anni 1861, quod posset, in casu, sive ipse vir sive ejus conjux, recurrere « ad Apostolicam Sedem pro obtinenda facultate ut statim emitti possint vota sollemnia » (4). Cf. FEYE, *De Imp.*, n. 519.

338. idque jure ecclesiastico.

3° **Jure ecclesiastico**: per actum scilicet Ecclesiae, exercentis potestatem, non quidem propriam, qua utitur in condendis legibus merè ecclesiasticis, sed ministerialem et instrumentalem, quam descripsimus suprà, n. 297 s. (5); quare deserendi sunt Auctores non pauci, professionis sollemnis ad matrimonium solvendum efficaciam deducentes ex jure naturali, quasi votum sollemne vi naturae suae matrimonium non consummatum dissolveret, vel ex jure divino immediato (6).

(1) Emissa professione, potest pars in saeculo remanens ad novum matrimonium accedere; ideo ipsi dandum est authenticum testimonium de professione ab altera parte facta et inde secuta vinculi dissolutione; in registro quoque matrimoniorum, inserenda est, juxta matrimonii actum, dissolutionis mentio. Cf. infrà, n. 700, coll. suprà, n. 331ter.

(2) Peculiaris habetur disciplina pro Societate Jesu, in qua vota sollemnia non ab omnibus emittuntur, et, ab illis qui ad illa admittuntur, nonnisi diu post vota simplicia.

(3) Cf. modò suprà, n. 335.

(4) Haec dispensatio petatur una cum dispensatione quae est obtinenda super can. 542, n. 1, quo invalidus declaratur novitiatus (adeoque et invalida professio, attento can. 572, § 1, n. 3) conjugis, durante matrimonio.

(5) Haec potestas, uti ex dictis ll. cc. liquet, non est *mere* ecclesiastica, ac imo aliqua ratione dici potest divina, et ita BILLOT, o. c., II, p. 411, dicit matrimonium, in casu, solvi *ex jure divino mediato, usum potestatis clavium consequente.*

(6) Cf. AA. in varium sensum citatos apud FAHRNER, o. c., p. 296-301; WERNZ, o. c., IV, n. 698, not. 47-49.

Haec nostra sententia vel ex eo *probatur* quod aliter non explicatur quomodo *solum* votum *sollemne* privilegium habeat, prae voto simplici, matrimonium solvendi: professione namque simplici, non secus quam professione sollemni, essentialiter perficitur vita religiosa (1), ac ipsa sollemnitas jure merè ecclesiastico est constituta (2).

Multum etiam *favet,* suprà, n. 332, breviter exposita, *evolutio historica* in exercitio potestatis pontificiae ad dispensandum super matrimonio non consummato; ex quibus ibidem propositis non obscurè erui vidimus votum tanquam dissolutionis causam fuisse admissum *ex ipsa auctoritate Ecclesiae,* dispensantis, per modum generalis statuti, seu potius per modum privilegii illi voto adnexi, super vinculo matrimonii non consummati: hoc nempe vinculum censebat Ecclesia, uti vidimus, quoad dissolubilitatem, suae jurisdictioni obnoxium, adeo ut practicè judicaret sese posse, intra certos limites et justa posita causa, matrimonium dispensando dissolvere, sive dispensatione in casu particulari, sive dispensatione per modum generalis privilegii concessi, adjuncta determinando in quibus matrimonium ipsa juris dispositione solvatur.

Ita etiam intelligitur quomodo Innocentius III, cap. 14, X, III, 32 (ed. Friedberg), videatur tentasse abrogationem dictae causae solutionis, sicut etiam e causis dissolutionis sustulit affinitatem supervenientem, ab Alexandro III admissam.

Argumenta adversariorum (inter quos PALMIERI, o. c., p. 206 ss.) refutata videsis apud FAHRNER, l. c.; WERNZ, o. c., IV, n. 698, et BILLOT, o. c., p. 410 et ss., apud quem ultimum attende refutationem objectionis deductae ex eo quod solutio vinculi matrimonialis per professionem religiosam sit objectum definitionis dogmaticae in Concilio Tridentino: quod prima fronte videtur aegre conciliandum cum sententia proposita, hoc attento quod, si privilegium professioni sollemni adnexum sit juris ecclesiastici, possit ab Ecclesia auferri (3).

(1) Ita simpliciter professi in Soc. Jesu indubitanter sunt veri religiosi, necnon omnes in aliis ordinibus vota simplicia emittentes: quod caeteroquin authentico judicio Ecclesiae est confirmatum in Constitutione Leonis XIII *Conditae,* diei 8 Dec. 1900, circa Instituta votorum simplicium.

(2) Can. 1308, § 2. Item BONIFACIUS VIII, cap. un., tit. 15, III, in IV°: « Nos igitur, ait, attendentes quod voti sollemnitas *ex sola constitutione Ecclesiae* est inventa... ».

(3) Nimirum objectum infallibilitatis Ecclesiae est *duplex: primarium,* ad quod pertinent veritates in deposito revelationis contentae implicitè formaliter; et *secundarium,* quod complectitur veritates non revelatas sed quae requiruntur docendae ut depositum revelationis efficaciter valeat custodiri integrum. Potest proinde veritas aliqua non esse a Deo revelata et tamen infallibiliter doceri ab Ecclesia, in eam exigente assensum *fidei ecclesiasticae,* adeoque potest dissolutio matrimonii per professionem religiosam esse juris ecclesiastici et simul constituere objectum definitionis dogmaticae. Cf. VLAMING, o. c., n. 704 ss.

339. Quaeritur de matrimonio consummato.

II. Quod autem spectat matrimonium CONSUMMATUM, secluso matrimonio rato et consummato, non ita obvia est solutio.

Quod Ecclesia ad hujusmodi matrimonia *posset* disciplinam descriptam extendere, non videtur negandum. Admissa nempe, juxta dicta, potestate R. Pontificis super illis matrimoniis dispensandi (n. 333), non videtur aliquid obstare quominus Ecclesia professionis sollemnis efficaciam extendat etiam ad descripta matrimonia solvenda: foret merum exercitium potestatis dispensandi, seu vinculum dissolvendi, in modum generalis statuti, seu privilegii inducti, quam potestatem, etiam per modum statuti generalis exercendam, Ecclesiae competere respectu descripti matrimonii consummati, non secus ac respectu matrimonii non consummati, notavimus suprà, n. 333.

Quod autem id *de facto* praestiterit, nullo argumento positivo probatur. Quamobrem non posset, inconsulta S. Sede, professioni sollemni practicè agnosci efficacia vinculum dissolvendi, praeterquam pro solo matrimonio non consummato, ac privilegium arbitrariè extendi nequit ad varia matrimonia consummata (quae non sint matrimonium ratum et consummatum), super quibus vidimus (n. 333) R. Pontificem dispensare in casu particulari (1).

340. Utrum Ecclesia posset inducere al.as dissolutionis causas.

Nota. Ad dubium, utrum Ecclesia *posset* statuere matrimonium non consummatum dissolvi etiam *ex alia causa generali* quam ex professione sollemni, censemus respondendum *affirmative*, posita utique legitima causa.

Hoc enim rursus continetur in potestate pontificia, qualis, ex suprà disputatis, attenta evolutione historica, eruitur agnoscenda super matrimonio non consummato: apparet scil. hoc matrimonium obnoxium esse jurisdictioni Ecclesiae, adeo ut super illo dispensare valeat, justa de causa, sive dispensatione *in casu particulari,* sive dispensatione per modum *generalis statuti,* seu potius *privilegii;* unde, eadem potestate qua Ecclesia admiserit causam voti, posset, positis ponendis, etiam aliam causam admittere solutionis, quemadmodum caeteroquin vidimus factum ab Alexandro III cum affinitate superveniente. Cf. suprà n. 332, sub fine (2).

Attendatur autem ad legitimum ac validum hujusmodi potestatis exercitium praesupponi *justam et proportionatam* causam: quam negant adesse non pauci Auctores respectu generalis statuti, quo statueretur matrimonium non consummatum universim dissolvi per subsequens matrimonium consummatum, quamvis, juxta testimonium Alexandri III (3, X, IV, 4), aliter fuerit a quibusdam SS. Pontificibus judicatum (3).

---

(1) Controversiam expositam et in nostrum sensum solutam videsis apud FAHRNER, o. c., p. 313 ss., coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 628 et n. 631, nota 67, cum Auctoribus ibidem citatis.

(2) Hanc quaestionem movet etiam FAHRNER, o. c., p. 335 ss. — Eadem quaestio posset poni (eaque posset, attentis dictis sub fine n. 333 et sub n. 339, similiter solvi) circa matrimonium consummatum, quod non sit ratum et consummatum.

(3) Ita WERNZ-VIDAL, o. c., n. 251; CAPPELLO, o. c., n. 390, coll. n. 405 s. Cf. suprà, n. 332.

PUNCTUM IV. DE DISSOLUTIONE VINCULI CONJUGALIS IN CASU APOSTOLI.

PROPOSITIO. *Vi privilegii Paulini, matrimonium inter infideles validè initum dissolvitur quando, una parte baptizata, dum altera pars, ritè interpellata, discedit, seu manet in infidelitate nec consentit pacificè cohabitare, novum matrimonium contrahitur a parte conversa.*

Explicatio et probatio.

I. FUNDAMENTUM SCRIPTURISTICUM PRIVILEGII.

341. Privilegium Paulinum nititur in 1ª ep. ad Cor.

Proponitur Casus Apostoli in 1ª ad Cor., VII, 8-15, speciatim a v. 12 ad v. 15. En totam pericopen: « Dico autem non nuptis et viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego (v. 8). Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere quam uri (v. 9). Iis autem qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere (v. 10): quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat (v. 11).

Nam caeteris ego dico, non Dominus (1): *Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam* (v. 12); *et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum* (v. 13); sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt (v. 14). *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi; in pace autem vocavit nos Deus* » (v. 15).

Hujus sententiae Paulinae cardo est in verbis: *quod si infidelis discedit, discedat,* quatenus in illis doceatur, positis ponendis et speciatim posito partis infidelis discessu, *locum esse dissolutioni vinculi conjugalis.*

Quod egregie proponit PALMIERI, o. c., p. 217: « Sensus enim est: si infidelis ipse se separat et dimittit fidelem, seu, uti ait superius, si non consentit habitare cum fideli, relinquatur et sinatur abire; cujusmodi vero sit relictio, explicatur in *ratione addita,* quia nempe in hujusmodi, i. e. in hac re, ad vinculum conjugale quod spectat, non est fidelis subjectus servituti, scilicet erga infidelem.

Porro haec ratio ostendit ita relinqui posse infidelem, *ut vinculum quoque solvatur:* secus enim fidelis esset maximè obnoxius servituti erga infidelem; maneret enim obstrictus vinculo nec posset uti matrimonio ex malitia ipsius infidelis. Et sane vel negatio servitutis in eo est tantùm quod relictus non teneatur sequi et reconciliari discedenti sine causa, cujusmodi est iste infidelis, vel in eo est quod relictus non teneatur am-

(1) Juxta quosdam Auctores, haec formula introductoria pertinet ad praecedentia, quasi esset locutio correspondens versiculo 10, concludens scil. pericopen decurrentem a v. 8 usque ad v. 11 inclusivè, ac sensus foret: nuptis praecipit Dominus, non ego, caeteris autem, non nuptis scilicet, de quibus v. 8 et 9, dico ego, non Dominus. Ita inter alios PALMIERI, o. c., p. 216.

Plerique autem admittunt dictam formulam pertinere ad sequentia, et hisce verbis S. Paulum nuptos alloqui *infideles* in oppositione ad conjuges christianos, de quibus v. 10 et 11.

plius vinculo quo obstrictus erat; atqui primum valet ex aequo in discessione tum infidelium tum fidelium conjugum sine justa causa, ut injuste relictus non teneatur reconciliari, et est commune quoque infidelibus inter se; atqui Apostolus loquitur speciatim de discessione infidelis et de aliqua praerogativa fidelium; ergo restat secundum » (1).

In quibus simul innuitur *finis* et *ratio* inductae dispositionis: est nempe *favor fidei,* quatenus scilicet favendum est conversioni ad fidem, a qua deterrerentur conjuges si, ubi non possent pacifice cohabitare cum comparte infideli, ad servandam continentiam adigerentur.

Disputatur autem inter Auctores utrum derogatio legi indissolubilitatis, per dispositionem quae in relato textu describitur inducta, sit *juris* immediatè *divini,* a S. Paulo promulgata, an vero sit *juris apostolici,* ab Apostolo, vi specialis potestatis ministerialis, condita, et, id probante S. Petro, ad universum orbem extensa. Alteri interpretationi favet formula introductoria, in quantum spectat sequentia; favet etiam doctrina posita sub n. 333, juxta quam S. Pontifex universim dissolvere potest matrimonium legitimum consummatum, etiam extra et ultra Casum Apostoli: cur enim a jure immediate divino repetenda illa derogatio Casus Apostoli, quando Ecclesiae amplior hic competit et latior derogandi potestas? (2). Priori vero interpretationi patrocinatur *Instructio* S. C. O., 11 Julii 1866, ad 8^m^, ubi divinum dicitur privilegium, et in favorem fidei « *a Christo Domino concessum,* et per Apostolum Paulum *promulgatum* », cujus sane documenti auctoritas non est negligenda (3).

II. Objectum Privilegii.

342.

Spectat matrimonium,

A. Casus apostoli spectat solum matrimonium **legitimum**, *validè* scilicet *initum inter duos infideles,* sive consummatum fuerit necne. Unde

inter duos infideles,

1° Non applicatur privilegium matrimonio inter partem *fidelem* seu baptizatam et partem *infidelem* validè inito.

Haec a privilegio exclusio omninò certa est pro matrimonio « inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito *cum* dispensatione ab impedimento disparitatis cultus », uti expressis verbis statuitur in can. 1120, § 2; ast censetur etiam privilegii applicatio non extendi ad matrimonium, absque dispensatione illa validè contractum (can. 1070, § 1, coll. infrà, n. 586) inter partem

(1) Cf. Wernz-Vidal, o. c., n. 731, nota 57. Cf. etiam Fahrner, o. c., p. 146-169 et 271-290, ubi fusè exponit evolutionem interpretationis textus Paulini, ac doctrinae circa dissolubilitatem ipsius vinculi.

(2) Hanc originem *apostolicam* propugnant *Disputatio Apost. Sedi exhibita a Patribus S. J.,* anno 1589, R. Pontifici oblata, apud Zitelli, o. c., p. 190 s.; Farhner, o. c., p. 184; Gasparri, o. c., n. 1084; Vermeersch, *De Casu Apostoli,* n. 2, et alii. Anceps haeret Cappello, o. c., n. 767. Notetur tamen argumentum, in favorem hujus originis apostolicae privilegii, deductum ex potestate Ecclesiae dissolvendi vinculum matrimonii legitimi, non esse cogens: haec enim potestas Ecclesiae agnita est potestas *ministerialis* seu *instrumentalis,* quam exerceri posse vidimus (n. 397 s., coll. n. 329) super dispositionibus juris divini.

(3) *Collectanea,* n. 1353, coll. n. 1354 et 1323, coll. etiam infrà, n. 351. Dictam autem originem immediatè divinam urgent Wernz-Vidal, o. c., n. 631, nota 56; Vlaming, o. c., n. 718, coll. n. 717.

infidelem et partem quae baptizata quidem fuit, sed extra Ecclesiam catholicam baptizata est et nunquam ad eam ex haeresi vel schismate conversa (1).

2° Non applicatur etiam privilegium matrimonio inito inter partes *utrimque baptizatas,* quarum alterutra, ex odio Religionis christianae, ad paganismum et infidelitatem deflectit (2).

343. validè initum;

3° Pariter non est locus Casui Apostoli, si matrimonium est quidem contractum inter duos infideles, sed *invalidè,* uti frequenter contingit: hujusmodi scil. matrimonium non est dissolutioni obnoxium sed nullitatis declarationi (3).

Porro validum vel invalidum judicandum est matrimonium infidelium, prae caeteris juxta observationem formae a patriis moribus determinatae (4), et attentis impedimentis dirimentibus juris naturalis, divini ac civilis (5).

---

(1) In eumdem sensum opinantur DE BECKER, apud *American College Bulletin,* 1925, p. 28; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 631, nota 55; CAPPELLO, o. c., n. 769; ARENDT, apud *Ephem. theol. Lov.,* I, p. 183; *The Ecclesiast. Review,* t. LXXII (1925), p. 302 et 304; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 428, contra *l'Ami du clergé,* 1920, p. 669 et 1921, p. 69 s. p. 234 s. — Propositae autem sententiae favet tenor can. 1120, § 1: ibi namque tanquam principium ponitur, privilegii ambitum taxative determinans, ex dicto privilegio solvi « legitimum *inter non baptizatos* matrimonium », in paragrapho autem altera ejusdem canonis, in applicationem principii, a privilegio excluditur species matrimonii, de qua in textu; sed nihil indicat hanc applicationem esse limitativam. Favet insuper quod, juxta vulgatum dictum, privilegii fundamentum non sit vera fides, sed fidei sacramentum: quod principium, passim admissum, ex eo confirmatur quod, ex una parte, si unus conjux ad fidem catholicam convertatur et fiat catechumenus, non possit, ante susceptum Baptisma, uti privilegio, quodque, ex alia parte, juxta plerosque auctores, privilegii usui non obstet Baptismi susceptio in haeresi vel schismate (infrà, n. 345). — Cf. *N. R. th.,* 1923, p. 88 ss.

(2) Hoc iterata vice docuit S. Sedes, uti videre est in decretis citatis apud *Collectan.,* n. 1280 ss., idque nitidè jam exposuit Innocentius III, c. 7, X, IV, 19, accuratè distinguens inter utramque hypothesim; fatetur tamen praedecessorum aliquem aliter censuisse, et revera exstat decisio lata in contrarium sensum a Coelestino III, eamque refert FRIEDBERG, *Corpus juris canonici,* c. 1, X, III, 33, juxta c. 2, *Comp.* II. III, 20. Cf. FAHRNER, o. c., p. 164 s.; et infrà n. 365.

(3) In can. 1120, § 1, restringitur privilegium ad matrimonium *legitimum.*

(4) Ita monet C. S. O., in decreto 7 Aug. 1898, pro validis habendas esse nuptias celebratas « illis nempe caeremoniis patrio more adhibitis, quae, juxta communem regionis existimationem, mutuum sponsorum de praesenti consensum sufficienter exprimunt ». Cf. *Collat. Brug.,* t. IV, p. 542 ss., et SICA, o. c., p. 337 ss.

(5) Potissimum attendendum est ad hoc ut consensus non fuerit emissus sub conditione suspensiva repugnante substantiae matrimonii, prae oculis habitis variis hanc materiam spectantibus decretis S. Sedis, inter quae nota *Instr.* C. S. O., 9 Dec. 1874, sub n. 8-10, necnon 24 Jan. anni 1877, apud *Collectanea,* n. 1301 et 1302, collato decreto ejusdem C. S. O., 18 Maii 1898, apud *N. R. th.,* t. XXX, p. 627, conferendo etiam disputata a PLANCHARD, *R. th. fr.,* 1899, p. 93-99, necnon a P. MICHEL, o. c., p. 11 ss., collata etiam solutione data a C. S. O., die 30 Aprilis 1908, ad primum casum, relatum apud *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 241 ss.

Fieri etiam potest et fit ut infideles « occasione data ducant uxorem, nulla caeremonia de more patrio habita, ita ut, pro primo tempore, ista connubia habeantur ut concubinaria. Sed, rebus prosperis, istiusmodi conjuges fideliter cohabitant... vitae consuetudinem retinentes, et, quoad vixerint, in ea manebunt, quippe inter se amentur, filios habeant et ex separatione gravia caperent incommoda » (*Collectan.,* n. 1336 in fine et n. 1301 ad 17). Talia matrimonia progressu temporis evadunt legitima, et ideo E^mi Patres declarant « examen esse instituendum non solum circumstantiarum et modi quo conjugium primitus fuerit initum, sed etiam ejus diuturnitatis, aliorumque adjunctorum quae accesserint, videlicet prolis, mutui amoris, perseverantiae et incrementi et hujusmodi; cum enim ea adsunt quae, sive singillatim spectata

Quomodo sit procedendum in casu *dubii circa validitatem* matrimonii in infidelitate contracti aut reputati talis, et quousque dubium solvendum sit in favorem fidei, ad normam can. 1127, exponetur infrà, n. 355.

344. importat dissolutionem vinculi.

B. Importat *dissolutionem* matrimonii **quoad ipsum vinculum.**

Attamen probè notandum est matrimonium legitimum *non dissolvi in ipso Baptismate partis conversae* (1), supposito partis infidelis discessu, sed reddi *dissolubile* dumtaxat ad nutum partis conversae, ac tunc tandem dissolvi quando pars baptizata, utens jure suo, *ad nova vota cum effectu transit* (2).

Novo igitur matrimonio partis conversae vinculum prioris matrimonii dissolvitur, et hujus vinculi disruptione simul validum evadit alterum conjugium, quemadmodum corruptio unius est generatio alterius: natura autem prior est vinculi dissolutio. Dissoluto autem priore matrimonio per novas partis fidelis nuptias, alteri infideli integrum est ex sua parte ad alia vota convolare (3).

III. CONDITIONES.

345. Conditiones:

1a, ut una pars baptizetur;

Prima conditio est ut **una pars convertatur** seu Baptismum suscipiat; cujus conditionis necessitas eruitur tam ex ipso textu relato S. Pauli, quam ex fine inducti privilegii. Porro non videtur referre quod Baptisma sit susceptum in secta haeretica (4); non sufficit autem quod alterutra pars facta sit catechumena (5); fundamentum scil. privilegii non est vera fides, sed sacramentum fidei.

---

sive collectim, certum vel prope certum faciunt, qui una vivunt simul permansuros ad obitum usque, esto alia ex parte evidentissimum esset conjugium fuisse merum contubernium, tenendum est tamen uti certum, vel ad minus prudenter dubium, progressu temporis transiisse in matrimonium legitimum ». *Collectan.*, n. 1301 ad 17; collato decreto C. S. O. 1892 (*ibidem*, n. 2184). Cf. etiam VERMEERSCH, *De Casu Apostoli*, cap. II, art. 1, par. 1, in specie n. 13 ss.; *Revue Congolaise*, II, p. 170 ss.; *l'Ami du clergé*, 1925, p. 40 ss., coll. infrà, n. 528 s.

(1) « Cum per sacramentum Baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur ». C. 8, X, IV, 19.

(2) Can. 1126, coll. decr. C. S. O., 11 Julii 1866, apud *Collectan.*, n. 1353, necnon decr. C. S. O., 17 Jan. 1900, apud *Collat. Brug.*, V, p. 387 s.

(3) « Principium autem juris communis est: soluta a vinculo conjugali muliere, solutum remanere et virum; quippe vinculum est inter duo, seu duorum in unum, idcirco libertas unius libertatem infert alterius ». *Instr.* C. S. O., 16 Sept. 1824, apud *Collectan.*, n. 1328 ad 1m. Circa curiosam sententiam claudicantis contractus, cf. infrà, n. 355b1s.

(4) Cf. PALMIERI, o. c., 224 ss.; LINNEBORN, o. c., p. 422; CHELODI, o. c., n. 157; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 631, nota 55; CAPPELLO, o. c., n. 769; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, II, n. 428; ARENDT, apud *Gregorianum* 1923, p. 241 ss. et 329 ss. — Contrà VLAMING, o. c., n. 720.

(5) Decretum S. C. de P. F., 16 Jan. 1803 (*Collectan.*, n. 1319). Circa conversionem autem et admissionem ad Baptismum catechumeni matrimonio juncti et privilegio Paulino frui cupientis, nota eum non posse ad Baptismum admitti nisi praeviè reperiatur dispositus ad conservandum vel reassumendum conjugem legitimum, casu quo pacificè velit cohabitare. Ita C. S. O., 30 Apr. 1908, apud *Collat Brug.*, t. XIV, p. 241 ss. Cf. etiam VERMEERSCH, *De Casu Apostoli*, n. 37 ss., ubi notat nonnunquam rationem esse habendam bonae fidei penes partem infidelem.

346.
2ª, ut altera pars discedat, seu

Secunda conditio est ut **altera pars discedat.** Censetur autem *discedere* quando *haec duo* simul obtinent, nimirum quod

A. *Remaneat in infidelitate.* Nimirum, si, antequam pars baptizata ad alias nuptias convolaverit, etiam ipsa compars convertitur et baptizatur, privilegio Paulino jam non est locus, ac matrimonium, sponte sua ratum effectum, sequitur conditionem matrimonii christiani; hoc manifestè probat ipse tenor sententiae apostolicae, idque saepius est a S. Sede inculcatum (1). Ex alia parte, si id requiritur, etiam sufficit ut, momento quo privilegio est utendum, adhuc remaneat dicta pars in infidelitate, quamvis animum ostenderit ad conversionem paratum, vel etiam sit catechumena (2); id sufficit, inquam, *ex parte prioris hujus requisiti:* sed, in casu bonae ad conversionem dispositionis, facilè deficiet alterum requisitum, de quo sub B, postulans ut pars in infidelitate remanens nolit pacifice cohabitare, siquidem ipsa bona dispositio ad conversionem passim secum ducet bonam voluntatem pacifice cohabitandi (3).

ut, remanens in infidelitate,

347.
nolit pacifice cohabitare;

B. *Nolit pacifice cohabitare* cum parte conversa (4). Quod obtinet in triplici hypothesi:

1° Quando conjux infidelis *non vult* cum parte fideli *cohabitare,* seu tecti ac tori consortium instaurare: quod fieri posse modò vidimus, etiam ubi dictus conjux infidelis aliunde paratum sese exhibet ad fidem amplectendam (5).

Nec refert quamnam ob causam cohabitare detrectet, sive sit ex odio fidei et religionis, sive ex alia quacumque ratione, modò pars conversa *post baptismum non dederit parti non baptizatae justam*

---

(1) Inter alia cf. decreta C. S. O., 11 Junii 1866, ad 8m; 20 Junii 1866 et 18 Maii 1892 ad 2m, apud *Collectan.,* n. 1353, 1354 et 2185. Item c. 8, X, IV, 19, ubi Innocentius III haec habet: « Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur ».

(2) Decr. C. S. O., 8 Julii 1891 (*Collectan.,* n. 1362), et decr. C. S. O. 26 Aprilis 1899 (*Anal. eccl.,* 1899, p. 283), coll. P. MICHEL, o. c., p. 35; cf. etiam casum 2m et 3m sollutum a C. S. O., die 30 Aprilis 1908, l. c. Cf. *l'Ami du clergé,* 1925, p. 45 et p. 522 ss.

(3) Attamen fiet ut nimia Baptismi suscipiendi procrastinatio susceptam reddat partis infidelis sinceritatem ac suspicionem moveat etam de periculo fidei pro parte conversa; ideo monet S. Sedes, in casu, consulendum esse Episcopum, qui, omnibus attentis, judicet utrum necne locus sit privilegio Paulino. Cf. decr. C. S. O., 4 Julii 1855 et 29 Nov. 1882, apud *Collectanea*², n. 1113 et 1581 (ad 3m), coll. *l'Ami du clergé,* 1912, p. 238 s. Cf. etiam notam 4m.

(4) Et haec altera conditio, uti modò enuntiatum est, sub n. 346, obtinere debet *simul* cum priore, ut privilegium in usum duci possit. Non sufficit scil. quod altera pars in infidelitate remaneat; oportet ut etiam nolit pacificè cohabitare. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 631, nota 58.

(5) Ad quaestionem: utrum vir fidelis, quando « mulierem infidelem in ipsius viri infidelitate ductam habet, quae quidem vult converti, sed nullo modo cum eo habitare consentit... uti privilegio Paulino, et, facta interpellatione de cohabitandi voluntate, ad alias nuptias transire possit », respondet C. S. O., 8 Julii 1891: « affirmative,... dummodo uxor in infidelitate permaneat ». *Collect.* n. 1362, coll. decr. 26 Aprilis 1899, apud *Analecta eccl.,* 1899, p. 283. Cf. etiam notam 2m.

discedendi causam (1); uno verbo non requiritur discessus *malitiosus*.

2° Quando quidem cohabitare vult, sed *non pacificè nec absque contumelia Creatoris:* quod verificatur quotiescumque ipsa pars infidelis partem baptizatam conatur a fide avertere (2), vel eam ad peccatum mortale pertrahere, maximè ad grave peccatum contra conjugalem castimoniam (3), vel quotiescumque a concubinatu renuit desinere (4), vel non vult promittere christianam prolium educationem (5).

3° Quando, non obstante ejus bona voluntate pacifice cohabitandi, pars infidelis constituitur in impossibilitate instaurandi maritale consortium cum parte conversa, modò pars fidelis non fuerit, ratione facti conversionem subsequentis, causa dictae impossibilitatis (6).

---

(1) Can. 1123. Cf. decr. C. S. O., 5 Aug. 1759, ubi, ad quaestionem: « An (privilegium fidei) solum locum habeat quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias vel aliam a fide diversam? », respondit C. S. O.: « Cum militet ex parte conjugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa, dummodo justa sit, nimirum *si non dederit justum ac rationabile motivum alteri conjugi discedendi* ». *Collect.*, n. 1312, ad 2, collato decr. C. S. O., 26 Apr. 1899, apud *Anal. eccl.*, 1899, p. 283.

Dicitur: *post baptismum;* et ita justum ac rationabile discedendi motivum non censetur delictum, puta adulterium, a parte conversa *ante conversionem* perpetratum, « quoniam adulterii macula praecedens per conversionem et Baptismum sublata censenda est »: et ideo, quando agitur « de infideli qui, requisitus ut parti quae fidelis evasit se consociet cum eaque cohabitet, id recuset unice ob causam, quod ob adulterium ante conversionem admissum eam repudiaverat, hoc in casu, infidelis recusatio liberam reddit partem fidelem ad alias nuptias convolandi », uti docetur in *Instr.* Congr. de Prop. Fide, 30 Jan. 1807 (*Collectan.*, n. 1322).

Contrà adulterium *subsequens* justum praebet parti infideli discedendi motivum, et « in hoc casu infidelis discessus minime habilem reddit partem fidelem ad alias nuptias ineundas ». *Ibidem*, coll. decr. S. Congr. de P. F., 16 Jan. 1797 (*Collectan.*, n. 1318).

Ad quaestionem autem « an delicta, quae *post* Baptismum sunt commissa, sed nullatenus attenduntur a parte infideli, vel etiam penitus ignorantur, obstent quominus pars baptizata uti possit privilegio Apostoli », C. S. O., die 19 Apr. 1899, respondit remittendo ad decreta ejusdem S. Congregationis, diei 5 Aug. 1759 et 16 Jan. 1797, hac in nota relata, in memoriam revocando principium infra memorandum, in dubiis nempe judicandum esse semper in fidei favorem. *Anal. eccl.*, 1899, p. 236. Cf. VICTORIUS AB APPELTERN, o. c., p. 207 s.; SICA, o. c., p. 401 ss. et p. 456 s.; *l'Ami du clergé*, 1923, p. 397 s., et *Periodica de religiosis*, p. (69) s., ubi notatur privilegii usui non nocere quod pars conversa alteri parti justum dederit discedendi motivum, *si parti laesae satisfecerit*. Cf. etiam ARENDT, apud *Ephem. th. Lov.*, 1926, p. 328 ss., ubi decretum 19 Apr. 1899 in hunc sensum interpretatur quod, ad impediendam privilegii Paulini applicationem, sufficiat delicti, baptismo praevii, non eupiati nec condonati, objectiva praesentia.

(2) Decr. C. S. O., 29 Nov. 1882 (*Collect.*, n. 1358, ad 3m).

(3) Decr. S. C. de P. F., 5 Martii 1816, ad 6m, quo loco notatur: « Quodsi pertractio mulieris (et vicissim viri) ad peccatum non proveniat ab ejus viro infideli, sed ab aliis qui in ejus domo habitant, socero exempli gratia vel socru, posse mulierem fidelem, ubi alia media non suppetunt, se subducere ab ea domo, ubi ad graviter peccandum pertrahitur; non vero posse matrimonium dissolvere et ad aliud transire ». *Collectan.*, n. 1323.

(4) C. S. O., 11 Julii 1866, ad 2m et 3m (*Collectan.*, n. 1353).

(5) *Ibidem*, ad 4m.

(6) Quando uxor, interpellata utrum velit converti aut pacifice cohabitare, respondet « se quidem velle sed detineri a secundo marito, vel a creditore qui illam abire non sinunt », docet C. S. O., die 12 Junii 1850, partem conversam posse « licitè et validè alias inire nuptias cum muliere tamen christiana, modò vir non sit causa impedimenti quo mulier detinetur ». *Collectan.*, n. 1339. In decreto autem suprà citato C. S. O., 8 Julii 1891, decernitur virum posse uti privilegio, quando mulier ab ipso est ablata absque spe eam recuperandi, etiamsi velit converti et cohabitare; imo permittitur usus privilegii viro qui ipse eam vendidit, « quatenus uxorem vendiderit *ante Baptismum* ». *Collectan.*, n. 1362. Cf. MICHEL, o. c., p. 56 s.

348. *Notanda.*

Nota. 1° Privilegio Paulino est locus etiam in casu quo pars infidelis tunc tantùm discedit, seu pacificam detrectat cohabitationem, postquam, inde a Baptismo compartis, per plures annos cum ipsa in pace matrimonialiter vixerit (1). Contrà, « si antequam fidelis novas nuptias contraxerit, infidelem sui discessus sincère et efficaciter poenituerit, ita ut jam non sit discedens,... privilegii usus sine S. Sedis dispensatione foret invalidus » (2).

2° Quando conjux infidelis *consentit pacificè et absque divini Nominis contumelia cohabitare,* adeoque non censetur discedere, docet S. Paulus eum non posse a parte fideli dimitti, *in ordine ad novum matrimonium ineundum;* quam Apostoli sententiam interpretando urget Innoc. III, c. 8, X, IV, 19 (3), eamque S. Sedes recentius confirmavit (4).

Dicitur: *in ordine ad novum matrimonium;* quia non imponitur parti fideli obligatio cum infideli comparte commanendi ac in consortio conjugali perseverandi, ac potest sese, *quoad torum et cohabitationem,* ab ea separare (5), quemadmodum separari posse vidimus conjugem fidelem a comparte in haeresim vel in infidelitatem lapsa. Quinimo si contingat, in casu particulari et spectatis peculiaribus adjunctis loci et personarum, in ipsa societate conjugis infidelis, quantumvis bene dispositi ac pacificum spondentis consortium, periculum adesse perversionis pro parte catholica, teneretur haec a communi tecto recedere (6).

349. *3a, ut de discessu constet per interpellationem.*

Tertia conditio est ut, salva dispensatione Pontificia, **per interpellationem** rite factam, de partis infidelis discessu *probè constet.* Can. 1121.

Interpellationis objectum,

A. *Objectum interpellationis* est duplex, nempe a/ « an pars infidelis velit converti ac baptismum suscipere; b/ an saltem velit cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris » (7).

---

(1) Cap. 1124: « Conjux fidelis, licet post susceptum baptismum denuò matrimonialiter cum parte infideli vixerit, jus tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc jure uti, si conjux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine justa causa, vel jam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris ». Cf. C. S. O., 27 Sept. 1848, et 11 Julii 1866, ad 1m, apud *Collectan.,* n. 1337 et 1353.

(2) VERMEERSCH, *Théol. Mor.* III, n. 814.

(3) « Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem... nunquam ea vivente licitè poterit aliam, etiam ad fidem Christi conversus, habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut, etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris ».

(4) « Quando pars infidelis consentit habitare cum fideli absque contumelia Creatoris, matrimonium consistere juxta D. Paulum », ita decrevit C. S. O., 14 Dec. 1848, apud *Collectan.,* n. 1338.

(5) Ubi S. Paulus (v. 12 et 13) dicit compartem infidelem, pacificè cohabitare volentem, non esse dimittendam, non censetur imponere obligationem, sed potius consilium dare. Cf. FAHRNER, o. c., p. 148, p. 150, et p. 153 s.

(6) Non desunt Auctores (cf. VERMEERSCH, *De Casu Apost.,* n. 45 et 48) qui censent tunc etiam locum esse privilegio Paulino; imo dantur qui eò procedunt ut societatem infidelis conjugis semper habeant uti illicitam, ac inde inferant Casum Apostoli verificari quotiescumque altera pars converti renuit. Quam sane sententiam non licet in praxim deducere absque recursu ad S. Sedem, quae possit declarare matrimonii dissolubilitatem, vel etiam, juxta infrà dicenda, conjugii vinculum dissolvere. Cf. *Collectan.,* n. 2183, coll. MICHEL, o. c., p. 55, et DE BECKER, *De Matr.,* p. 447.

(7) Can. 1121 § 1; cf. decr. S. C. de P. F., 16 Jan. 1797, apud *Collectan.,* n. 1318, coll. etiam n. 1323, ad 2m, et n. 1361.

B. *Tempus* pro faciendis interpellationibus determinatum, est tempus sequens partis conversae Baptisma (1): dispensando tamen indulget S. Sedes ut, attentis peculiaribus adjunctis, Baptismo praemittatur interpellatio, quemadmodum ex citatis et infra (n. 353) citandis documentis eruitur (2). Interpellatio rite peracta non est iteranda, licet diu differatur matrimonium (3).

350. ejusque forma;

C. *Forma regulariter* adhibenda est forma *authentica*, de auctoritate scil. Ordinarii (Ordinarii nempe conjugis conversi), instituenda, et quidem vel via stricte judiciaria (4), vel via saltem summaria et extrajudiciali (5); si autem interpellationes fiant *privatim*, ab ipsa scil. parte conversa, « valent, imo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu, de ipsis pro foro externo constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo » (6).

351. ejus necessitas urgetur,

D. Quod spectat *necessitatem* interpellandi:

1° Omnes in hoc conveniunt, ad *licitum* usum privilegii omnino requiri interpellationem saltem in forma privata; hanc caeteroquin necessitatem instanter urget S. Sedes (7), idque etiam pro casu quo inutilis videtur vel impossibilis (8), aut aliunde constat de discessu compartis infidelis (9).

---

(1) Decr. C. S. O., 13 Apr. 1859, apud *Collect.*, n. 1350, coll. n. 1357 et n. 1358. Cf. etiam decr. C. S. O., 30 April. 1908, de quo in nota ad n. 345, initio, coll. *l'Ami du clergé*, 1913, p. 540.

(2) Cum autem catechumenus incapax sit dispensationem consequendi. « res sic est intelligenda ut Ecclesia, post Baptismum, ratam habeat interpellationem quam ante Baptismum fieri permisit ». VERMEERSCH, *De Casu Apost.*, n. 55.

(3) S. C. de P. F., 26 Junii 1820 (*Collectan.*, n. 1326).

(4) Si forma stricte judiciaria adhibetur, constituendum est tribunal et coram eo citandus est infidelis ac formiter interpellandus.

(5) Can. 1122, § 1, ubi additur quod a dicto Ordinario partis conversae « concedendae sunt conjugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa ». — Cf. DE BECKER, o. c., p. 448 s.; MICHEL, o. c., p. 48 ss.; PUTZER, o. c., n. 129 et 132, ubi exhibetur interpellationis formula.

(6) Can. 1122, § 2. Etiam ubi interpellatio fit privatim, praestat eam fieri, non per ipsam partem conversam, ne in propria causa sibi illudat, sed per mediam tertiam probam personam. Cf. *Monita*, n. 521.

Opportunè autem notat VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, n. 432, consulendum esse ut infideli manifestetur intentio compartis baptizatae matrimonium novis nuptiis solvendi, si nolit converti nec pacifice cohabitare: sic pars infidelis melius perspiciet momentum et consequentias sui responsi.

(7) Can. 1121, § 2: « Interpellationes *semper* fieri debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit ».

(8) « Missionarios enim latere non debet Benedictum XIV... non satis tutam in praxi appellare opinionem illam, quae ponit judicialem interpellationem licitè omitti posse, quoties aut fieri reipsa nequit, aut, si fieret, nullius utilitatis fore reputatur; ipsumque in ea esse sententia..., nimirum etiam in casu quod conjux infidelis in longinquas abierit regiones, aut ita latitet ut interpellari nequeat, adhuc opus esse dispensatione Summi Pontificis, cujus est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare praeceptum divinum, quo praedicta interpellatio videtur injuncta ». *Instruct.* C. S. O., 16 Sept. 1824, apud *Collectan.*, n. 1328. Huc etiam spectant decreta 13 Martii 1901, apud *Anal. eccl.*, 1901, p. 154.

(9) Cf. decr. S. C. de P. F., 5 Martii 1810, ad 3^{m}, ubi decernitur « faciendam esse interpellationem in casu de quo agitur », quando nempe pars conversa fuerit sollemniter expulsa. *Collect.*, n. 1323. Cf. tamen VERMEERSCH, *De Casu Apostoli*, n. 53.

Plura etiam documenta Romana assertam interpellationis necessitatem aperte repetunt *ex jure divino* (1): quod sic intellige, jus nempe divinum (pro illis qui censent privilegium Paulinum ex jure divino esse repetendum, de quo suprà, n. 341) *regulariter* exigere interpellationem, utpote quae ordinarium medium est ut constet de conjugis infidelis discessu, jure divino requisito; non autem exigere jus divinum ut interpellatio fiat *semper,* etiam ubi aliunde probè constat de conditionis verificatione: manet tunc solum praeceptum ecclesiasticum, in omni casu urgens interpellationem faciendam.

352. probabiliter ad valorem,

2° Quod dicta interpellatio, ex jure ecclesiastico, *semper* (adeoque etiam ubi aliunde constat de discessu) requiratur non tantùm ad liceitatem, sed ad ipsum *valorem,* id suadere videntur documenta Romana (2). Quibus attentis, non posset matrimonium, praetextu privilegii apostolici, absque praevia interpellatione (ejusve dispensatione) initum, *practicè* haberi qua validum, non obstante favore fidei et quamvis constet quod pars infidelis, momento contracti matrimonii, reipsa recesserat; sed recurrendum esset ad S. Sedem.

353. sed est supplebilis, quatenus ab una vel utraque interpellatione dispensari potest.

3° Necessitas interpellandi *non est insupplebilis* nec *indispensabilis,* uti liquet ex canone 1121, § 2 et canone 1123; sed a facienda interpellatione una, vel etiam utraque, *dispensari potest* a S. Sede, et de facto dispensari non rarò contingit (3).

Quae praxis S. Sedis dispensandi nonnunquam super interpellationibus, potest consistere, uti notavimus sub fine num. 341, cum origine divina necessitatis illarum.

Et quidem a/ favore can. 1125, *ad universum orbem extenduntur* declarationes et dispensationes, quas olim pro peculiaribus locis concesserunt Paulus III, *Altitudo,* 1 Junii 1537, Pius V, *Rom. Pon-*

---

(1) Cf. decr., C. S. O., 16 Sept. 1824, modò relatum; item decr. C. S. O., 21 Junii 1850 (*Collectan.*, n. 1339), necnon decr. S. C. de P. F., 3 Martii 1816, ad 1m (*Collectan.*, n. 1323).

(2) Cf. decr. C. S. O., 17 Jan. 1900, in quo declaratur matrimonium in infidelitate contractum subsistere in proposito casu: quatenus nempe novum matrimonium fuerit initum a parte conversa *absque praevia interpellatione,* apparuerit autem, ex instituto post factum examine, primam uxorem in infidelitate relictam nec fidem amplecti velle, nec cuicumque interpellationi responsum dare. Cf. etiam S. C. de P. F., 17 Jan. 1836, apud *Collectan,* n. 1330.

Quod spectat Codicem, non solvitur controversia expressis verbis, sed quae inseruntur in canone 1121, § 1 et 1122, § 2, in sensum affirmativum videntur interpretanda. Nimirum, in priori loco, disponitur interpellationes esse faciendas « antequam conjux conversus et baptizatus novum matrimonium *validè* contrahat »; in altero autem loco dicitur interpellationes privatim factas esse validas semper, vel etiam, in casu necessitatis, licitas; interpellatio autem *valida* vix intelligitur nisi hoc sensu quod sufficiens sit ut permittat validum usum privilegii. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 430, qui eamdem sententiam tuetur, simul ac DE BECKER, apud *Eph. Theol. Lovan.,* II p. 274, ubi vix non evidentem dicit propositam interpretationem, et provocat, non secus ac CREUSEN, l. c., ad potestatem qua gaudet Ecclesia partem conversam inhabilitandi ad matrimonium, absque praemissa interpellatione, contrahendum. — Aliter docet WERNZ-VIDAL, o. c., n. 632, sub fine notae 68, et huic favent CHELODI, o. c., n. 158; VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 804.

(3) Codex potius adhibet terminum: *declaratio* (can. 1121, § 2 et can. 1123)

tificis, 2 Aug. 1571, et Gregorius XIII, *Populis,* 25 Jan. 1585, quatenus, juxta ipsum canonis tenorem, quae « pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones *in eisdem adjunctis* extenduntur » (1).

Prima et *secunda* declaratio spectat *polygamos,* dum *tertia* spectat *infideles quoslibet.* Porro 1. in gratiam polygamorum, a *Paulo III* conceditur ut ad fidem conversi, si non recordentur quamnam mulierem primam acceperint, adeoque in legitimam uxorem habuerint, possint unam ex suis uxoribus quam voluerint eligere eamque, absque ulla praevia interpellatione, ducere, renovato consensu (2). 2. A *Pio V* declaratur quod, etiam in casu quo iidem polygami recordantur quamnam acceperint primam, si una ex uxoribus cum ipsis baptizatur, possint cum ea remanere, aliis uxoribus (etiam prima) dimissis et non interpellatis, modò, per summarium et extrajudicialem processum, constet difficillimum esse reperire primam uxorem (3). Tandem 3. juxta *Gregorium XIII,* possunt Ordinarii et parochi, necnon presbyteri S. J. ad confessiones audiendas ab ejusdem Soc. Superioribus approbati, dispensare cum infidelibus conversis, ut, relicto conjuge infideli, cuicumque nubant, super interpellationibus, « dummodo constet etiam summarie et extrajudicialiter conjugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse » (4).

b/ Juxta concessionem factam a C. S. O., 11 Aug. 1859 (*Collectan.,* n. 1351), « quoties conjugem infidelem nec Christi fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris cum conjuge converso velle cohabitare *certò* constat, Episcopi, tanquam Apostolicae Sedis delegati, et Vicarii Apostolici, *dispensare* poterunt *super interpellatione,* dummodò *urgeat necessitas* nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem » (5).

---

(1) Declarationes Pauli III et Pii V latae fuerunt pro India; concessio Gregorii XIII fuit facta pro Angola, Ethiopia, Brasilia et Indicis regionibus.

(2) Si uxor, vi privilegii electa, est infidelis, opus est dispensatione super disparitate cultus. — Cf. infrà, n. 355.

(3) Haec conditio, quae non aperte inseritur in Constit. Pii V, urgetur a C. S. O., 22 Nov. 1871, ad 1^m (*Collectan.,* n. 1356). Cf. Constit. Gregorii XIII, ad quam remittit citatum decretum.

(4) In casibus quos spectant Paulus III et Pius V, non requiritur danda dispensatio; ipsa juris concessione cadit necessitas interpellandi. In casu autem quem spectat concessio Gregorii XIII, dari debet dispensatio super interpellationibus ab illis quibus in concessione datur facultas dispensandi. Cf. circa triplicem hanc concessionem *l'Ami du clergé,* 1922, p. 542 ss., coll. *Ephem. Theol. Lov.,* II, p. 274. Habemus igitur, uti concludit WERNZ-VIDAL o. c., n. 633, « ex ipso jure communi Codicis, in duplici casu Constit. Pauli III et Pii V, sublatam necessitatem interpellationis, et in casibus Constit. Gregorii XIII ubique terrarum concessam esse facultatem ab interpellationibus dispensandi ».

(5) Cf. DE BECKER, apud *Eph. Theol. Lovan.,* 1925, p. 445 s., ubi notat hanc dispositionem non fuisse a Codice abrogatam.

c/ Ultra has concessiones generales, in ipso jure contentas, solet S. Sedes nonnulla specialia indulgere indulta, in quibus tamen indultis ad abundantiam concedi contingit favores in concessionibus generalibus juris jam comprehensos:

En autem tenorem facultatum, quae in formulis pro Ordinariis missionum (1) inseruntur:

1. « Dispensandi cum gentilibus et infidelibus *plures uxores* habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti (2).

2. Dispensandi super interpellatione (utraque) conjugum in infidelitate relictorum pro omnibus casibus ordinariis, dummodò scilicet, adhibitis antea omnibus diligentiis etiam per publicas ephemerides ad reperiendum locum ubi conjux infidelis habitat iisque in irritum cessis, constet saltem summarie et extrajudicialiter conjugem absentem moneri legitimè non posse, aut monitum intrà tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse (3).

3. Itemque dispensandi super interpellatione (utraque) conjugis in infidelitate relicti, siquidem certò constiterit, saltem summarie et extrajudicialiter, interpellationem fieri non posse sine evidenti gravis damni, aut conjugi jam ad fidem converso aut christianis inferendi, periculo (4).

4. Permittendi ut, accedente gravi causa, interpellatio conjugis infidelis *ante baptismum* partis quae ad fidem convertitur fieri possit (cf. suprà, n. 349); necnon, gravi pariter de causa, ab eadem interpellatione, ante baptismum partis quae convertitur, dispensandi, dummodò hoc in casu, ex processu saltem summario et extrajudiciali, constet interpellationem fieri non posse vel fore inutilem ».

Ad dispensandum super interpellatione requiritur *causa,* ac oportet ut de ejus praesentia summariè saltem et extra-judicialiter constet: non sufficit causae existentis probabilitas aut praesumptio. Talis, pro casibus ordinariis, est, ut ex citatis indultis apparet, impossibilitas aut inutilitas, aut factum quod conjux infidelis monitus, intra tempus in monitione praefixum, responsum non significavit (5); pro casibus autem extraordinariis, evidens periculum gravis damni vel in compartem christianam, vel in alios christifideles obventurum: interpellatio scil. fieri quidem posset, sed non sine periculo gravis

(1) *Formula III,* forma majore, n. 24-27, et forma minore, n. 23-26. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* ad calcem tomi I, coll. *Periodica,* XI, p. (138) ss.; IGLESIAS, o. c., ubi, capite 1, agitur de facultatibus in genere, et signanter de relatione facultatum ad invicem. — Desunt in *Form.* I et II minore.

(2) Conceditur hîc facultas dispensandi ab altera interpellatione; in concessione a jure facta, ad normam Constit. Pii V, declaratur neutram interpellationem esse faciendam, sed tunc tantùm quando nonnisi difficillimè reperiri potest prima uxor.

(3) Haec altera facultas coincidit cum concessione a jure facta, ad tramites Constit. Gregorii XIII, in gratiam Ordinariorum, parochorum et presbyterorum S. J.

(4) Spectat hypothesim in qua cognoscitur locus ubi moratur pars infidelis, isque adiri potest, sed non sine periculo gravis damni in tenore descripti.

(5) Hujusmodi, pro casibus ordinariis, requiri causas, docent variae decisiones Romanae. Ita C. S. O., 20 Junii 1866 (*Collectan.,* n. 1354), 16 Aug. 1895 (*Anal. eccl.,* 1897, p. 13), et, in duplici decreto, 13 Martii 1901 (*Anal. eccl.,* 1901, p. 154). Quanam autem amplitudine illa sint intelligenda, refert *Collectan.,* n. 1331, in nota, collato MICHEL, o. c., p. 61-66.

damni (1). Aliàs, si non adest causa sufficiens aut nonnisi dubiè, recurrendum est ad S. Sedem, quae opportunè provideat (2).

Porro notetur quod, ad tramites decreti S. C. de P. F., diei 26 Junii 1820, iteranda est dispensatio si matrimonium ultra annum differtur (3).

353bis. Effectus dispensationis.

E. *Effectus* dispensationis super interpellatione.

In hoc est quod pars conversa, in cujus gratiam dispensatio est concessa, potest, omissis interpellationibus (vel alterutra omissa), ad novas nuptias transire, quodque matrimonium sic noviter contractum sit ac maneat validum, etiamsi — et hoc sedulò nota — postea innotuerit conjugem infidelem ad fidem, etiam tempore initi matrimonii, conversum fuisse (4).

353ter. Conclusio.

Conclusio. Stat igitur quod, quando pars infidelis interpellationibus negative responderit, sive expresse sive tacite, vel quando interpellationes ex dispensatione aut declaratione S. Sedis omissae fuerint, eo ipso exsurgit pro parte fideli *jus ad alias nuptias transeundi,* cum effectu ut per alterum matrimonium dissolvatur vinculum prius (can. 1123, col. can. 1126, et dictis suprà, sub n. 344) (5).

Debet autem pars conversa matrimonium inire cum parte *fideli,* vel potius cum parte *catholica* (can. 1123 et 1124, coll. decr. C. S. O., 17 Julii 1850 et 3 Junii 1874, apud *Collectanea,* n. 1340 et 1357),

---

(1) Cf. C. S. O., 29 Nov. 1882, apud *Collectan.,* n. 1358, p, 481; IGLESIAS, o. c., n. 35 ss., ubi de distinctione inter casus *ordinarios* et *extraordinarios.* Cf. etiam *l'Ami du clergé,* 1924, p. 25 ss.

(2) Cf. decreta quibus S. Sedes dispensavit, in casu amentiae, vel in casu quo promisit quidem pars infidelis pacificam cohabitationem, sed non est ipsi fidendum; cf. decreta C. S. O., 9 Dec. 1904, et 28 Nov. 1894, apud *Anal. eccl.,* 1904, p. 191 et 1897, p. 12 s.

(3) S. C. de P. F., 26 Junii 1820, apud *Collectanea,* n. 1326. Aliud est si interpellatio fuerit facta et non intervenerit dispensatio: etiamsi matrimonium differatur ultra annum, non est iteranda interpellatio. Cf. suprà, coll. SICA, o. c., p. 414 s.

« *Annus* currit a momento quo gratia... in manus Ordinarii pervenit, si fuit in forma gratiosa concessa, vel a momento quo Ordinarius eam concessit vel (si fuit in forma commissoria data) executus est ». Ita VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 815.

(4) « Quae quidem matrimonia (contracta scil. abque praevia interpellatione et cum ab hac impetrata dispensatione), etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles juste impeditos suam voluntatem declarare non potuisse, et *ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse,* nihilominus rescindi nunquam debere, sed *valida et firma* prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus ». Quae sunt verba Gregorii XIII, in Constit. *Populis ac nationibus,* 25 Jan. 1585, quae verba, in appendice, inseruntur in Codice, qui Codex, in canone 1125, explicitè confirmat citatam Constitutionem; cf. etiam Constit. *In suprema,* Bened. XIV, 16 Jan. 1745, apud *Collectan.,* n. 1309, in fine, ubi similia verba occurrunt: item *Instr.* C. S. O., 4 Febr. 1891, apud *Acta S. Sedis,* t. XXVI, p. 62 ss., sub ultimis verbis.

Attende hoc principium non applicari nisi matrimonio sic contracto *cum dispensatione* super interpellatione. Si namque constat matrimonio cum praevia interpellatione et absque dispensatione contracto, partem infidelem ante matrimonium partis fidelis jam fuisse baptizatam, matrimonium hoc alterum non valet, priore matrimonio servante suum valorem donec alia via, puta via pontificiae dispensationis, fuerit disruptum.

(5) Attento can. 452, n. 1 et can. 987, n. 2, non posset dicta pars fidelis absque S. Sedis dispensatione, *religionem* ingredi aut *ordines* suscipere:: cum enim non solvatur prius matrimonium nisi per novum matrimonium, maneret pars conversa matrimonio juncta.

adeo ut invalidè contraheret cum parte infideli ac illicitè cum parte acatholica. Potest quidem Ecclesia dispensare, ac nonnunquam dispensat, super impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis, sed difficiliorem ad id sese praebet in hoc casu quam aliter, nec ad dispensandum hîc adhiberi potest generalis, qua aliquis gaudet, facultas super dicto impedimento dispensandi (1).

354. Ex modo agendi Ecclesiae in applicatione privilegii Paulini confirmatur potestas ejus ad dissolvendum matrimonium infidelium.

Scholion I. In praecedentibus vidimus Ecclesiam haud difficilem sese praebere in dispensando ab interpellationibus faciendis, eamque haud aegre novum matrimonium permittere parti fideli, *etiam ubi nullatenus constat de discessu alterius partis infidelis* (2): qui tamen discessus essentiale videtur constituere elementum privilegii Paulini. Ulterius autem — quod sedulò notandum diximus — juxta constantem S. Sedis praxim, ipsa illa matrimonia dicto modo inita sunt retinenda qua valida, etiam *quando postea innotescit partem infidelem, momento quo a parte conversa novum matrimonium est initum, nullatenus discessisse, imo et ipsam fuisse Baptismatis sacramento refectam* (3).

Quodsi validum pronuntiatur alterum partis baptizatae matrimonium, primum esse dissolutum oportet; cum autem non censeatur dissolutum vi privilegii Paulini, ob omnimodam absentiam essentialium conditionum, sponte recurrimus ad exercitium potestatis pontificiae, sub n. 333, jam vindicatae, dissolvendi ipsum vinculum matrimonii legitimi consummati, supposito alterutrius partis baptismo (2); quam potestatem R. Pontifex implicitè exercet in ipsa dispensationis concessione ab interpellationibus aut a servandis conditionibus Casus Apostoli (5).

Hoc modo apte explicatur integer processus Ecclesiae in hoc negotio, nec aliter explicari valet (6), adeo ut ex ipsa agendi ratione Ecclesiae circa applicationem privilegii Paulini efficax exsurgat

(1) *Collectanea*, n. 1356, coll. SICA, o. c., p. 415 s.; MICHEL, o. c. p. 361; ARENDT, apud *Ephem. th. Lovan.*, I, p. 175 s.

(2) Haec incertitudo datur non tantùm ubi ex dispensatione omittuntur interpellationes, sed etiam ubi a S. Sede permittuntur fieri *ante* Baptismum.

(3) Cf. modò suprà, n. 353bis.

(4) Requiritur, uti jam notatum suprà, Baptismus unius saltem partis, ad hoc ut Ecclesia possit suam jurisdictionem exercere in matrimonium. Ast sustinetur eadem dissolvendi potestas etiam post utriusque partis Baptismum, uti ex praemissis liquet, ac jam notavimus supra, n. 333, sive consummatum fuerit matrimonium in utriusque infidelitate, sive post alterutrius conversionem, modò non fuerit consummatum postquam, utriusque Baptismo, fuerit ratum effectum.

(5) Hanc potestatem agnoscere videtur laudatus Pontifex *Gregorius XIII*, ibidem monens: « hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, *non tamen adeo rata censeri ut* necessitate suadente *dissolvi non possint* ». Juvat etiam attendere quomodo canon 1013, § 2, minus firma proclamat matrimonia infidelium, dicendo de indissolubilitate vinculi, quod « in matrimonio christiano peculiarem obtinet firmitatem ratione sacramenti ».

(6) Frustrà recurritur, uti recurrere conati sunt nonnulli Auctores, ad *declarationem* privilegii Paulini, cum, juxta notata, saepe saepius prorsus deficiant essentiales dicti privilegii conditiones.

argumentum in favorem theseos, sub n. 333, sub B, 1°, enunciatae, de potestate Ecclesiae dissolvendi matrimonium legitimum consummatum (1). Cf. etiam statim evolvenda sub n. 355 (2).

355. In re dubia, privilegium fidei gaudet favore juris.

Scholion II. Juxta can. 1127, « **in re dubia** privilegium fidei gaudet favore juris »; quod importat favendum esse fidei, i. e. judicandum esse in favorem libertatis partis fidelis, ut nempe novum matrimonium libere contrahat aut in priori vinculo permaneat. Cf. decr. C. S. O., 19 Apr. 1899, apud *Anal. eccl.*, 1899, p. 236 (3).

Ad ulteriorem autem hujus principii interpretationem quod attinet:

1° Stricto tenori inhaerendo, principium afficit ipsam dubiam applicationem privilegii Paulini, adeoque casum orientis dubii circa dissolutionem matrimonii legitimi, in casu conversionis alterutrius partis infidelis, signanter si dubitetur utrum conditiones obtineant ad validam privilegii applicationem requisitae, puta in re interpellationum, in re discessus alterutrius partis (4), vel si dubitetur circa identitatem primae uxoris apud polygamum (5), vel etiam si dubitetur circa naturam matrimonii, utrum nempe privilegio Apostoli sit obnoxium (6).

Atvero 2° ulterius extendi posse videtur dictum principium can. 1127 ad casum ad quem alludimus sub n. 343, ad casum scil. *dubii circa validitatem matrimonii,* in infidelitate contracti vel quod reputatur in infidelitate contractum, quatenus hujusmodi matrimonium, quin recurratur ad privilegii Paulini applicationem, possit, attento dubio (quod censetur post examen (7) subsistere), nullum declarari

---

(1) Huic assertae potestati Ecclesiae favet quidem sententia Auctorum, de quibus sub n. 341, qui privilegium Paulinum a jure apostolico derivandum censent; sed illi nullatenus contrariatur doctrina illorum qui dictum privilegium juris divini esse censent, uti jam notavimus suprà, ad eumdem numerum 341, invocando potestatem Ecclesiae ministerialem seu instrumentalem, de qua sub n. 297 s. et n. 329.

(2) In favorem propositae sententiae citantur varii Auctores antiquiores, cum Antonino, Navarro et redactoribus Disputationis Patrum S. J., de qua n. 341, necnon recentiores haud pauci, apud FAHRNER, o. c., p. 280 s. In sensum vero contrarium refert, p. 282 s., alios Doctores egregios, signanter BENEDICTUM XIV, *De Syn. dioec.*, l. VI, c. 4, n. 5 et l. XIII, c. 21, n. 4-7. Novissimè propositam sententiam tenuerunt WERNZ-VIDAL, o. c., n. 635, nota 88; CAPPELLO, o. c., 792; VLAMING, o. c., n. 730; CHELODI, o. c., n. 160; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 426; DE BECKER, o. c., p. 457.

(3) Est derogatio ad normam statutam in canone 1014, juxta quam matrimonium gaudet favore juris, ita ut, in dubio, standum sit pro ejusdem valore, donec contrarium probetur. De qua generali norma ejusque exceptione, cf. infrà, n. 472bis.

(4) Cf. hìc *l'Ami du clergé,* 1924, p. 152 s., ubi doctrina proponitur aliquatenus discordans a nostra. Cf. etiam *l'Ami du clergé,* 1925, p. 222 s., sub III, coll. ARENDT, apud *Ephem. theol. Lov.*, I, p. 181 ss.

(5) Ita infidelis, de quo dubitatur cum quanam ex suis uxoribus verum contraxit matrimonium, posset, independenter etiam a concessione Pauli III, de qua sub n. 353, unam ex illis eligere, absque interpellatione.

(6) Ita matrimonium inter unam partem certò infidelem et partem *dubiè* baptizatam, quod matrimonium, juxta can. 1070, § 2, non est obnoxium impedimento disparitatis cultus ac censetur validum, potest, quousque dubium circa Baptismum perseverat, haberi uti legitimum, adeoque privilegio Paulino obnoxium. Cf. etiam *N. R. th.*, 1924, p. 556 s.; *Eccles. Review,* 1925, p. 301 s.

(7) Nec examen est negligendum etiam apud illas gentes *barbaras,* quae prima fronte prorsus oblitae videntur notionis veri matrimonii, quales describuntur ab

in favorem libertatis partis conversae (1), si qua convertatur (2): seponitur autem hypothesis canonis 1070, § 2, hypothesis nimirum dubiae validitatis matrimonii ratione dubii circa baptismum alterutrius partis, in ordine ad impedimentum disparitatis cultus (3); excluditur etiam hypothesis possibilis matrimonii rati et consummati, uti in casu dubii baptismi utriusque partis, supposita matrimonii post utriusque baptismum dubium consummatione (4).

Hujus porro invocati principii (in duplici sua sub 1° et 2° proposita applicatione) efficacia talis est ac tanta ut, si exinceps, dubio soluto, apparet non fuisse locum privilegio Paulino, vel nullitatis matrimonii declarationi, equidem validum maneat matrimonium vi principii positi contractum. Ad quod juridice explicandum, pro parte recurrimus, uti sub num. praecedenti, ad exercitium potesta-

---

Episcopo S. Alberti, in dubio ad C. S. O. relato. Inter alia enim reposuit S. Congr., 9 Dec. 1874: « Haud certum enim compertumque est apud istas gentes nullum constare matrimonium secundum jus naturae, omnes et singulas indiscriminatim conjunctiones esse concubinatus, immo quamlibet utut confusam nuptiarum notionem, earumque discriminis a concubinatu, a barbarorum mentibus penitus excidisse. Requidemvera judicium quo alienae genti legitimus thorus denegetur proferri nequit, nisi praehabita diligenti morum investigatione, et innitatur oportet gravissimis argumentis in facto positis; secus attendenda est praesumptio juris; illis enim deficientibus, pro perdito quovis populo clamat natura, quae in omnium cordibus primas exsculpsit nuptiales tabulas », juxta epistolam *ad Rom.*, II, 14 (*Collectanea*, n. 1301, ad 2).

« Omnibus igitur perpensis, palam est praestitui non posse generalem regulam, ex qua, nulla in casibus particularibus inquisitione praemissa, matrimonia infidelium regionis istius (barbarae), et eorum catholicorum qui in eadem ignorantia versantur, haberi debeant veluti mera contubernia, sed in singulis casibus instituendum est examen ». *Ibidem*, n. 11. Cf. decr. C. S. O., 18 Maii 1892, apud *Collectan.*, n. 2184.

(1) Cf. decr. C. S. O., 8 Junii 1836 (*Collectan.*, n. 1332), coll. duobus decretis C. S. O., 18 Maii 1892, apud *Collectanea*, n. 2184 et 2185, respective ad 1^m^ et 2^m^; decreto C. S. O., 7 Julii 1880, relato apud WERNZ, o. c., IV, n. 702, nota 66. Cf. etiam *Collat. Brug.*, t. IV, p. 550 s. et documenta ibidem citata necnon decr. C. S. O., 19 Apr. 1899, apud *Anal. eccl.*, 1899, p. 236 et 283; *De Religiosis-Periodica*, X, p. (25) ss.

Exemplum esset in casu matrimonii contracti intra gradus consanguinitatis, intra quos matrimonium irritatur probabiliter ipso jure naturae, puta inter fratrem et sororem: posset nempe, una parte ad fidem conversa, matrimonium declarari nullum, libertate concessa parti baptizatae ineundi nuptias, citra applicationem casus Apostoli. Cf. infrà, n. 608.

(2) Applicatio canonis 1127 supponit converti unam partem ad religionem catholicam, hujusque interesse ut matrimonium sit nullum; secus namque non est locus praestando favorem fidei, ac potius applicandum venit principium canonis 1014.

Varias applicationes canonis 1127, quod spectat dubium circa matrimonii existentiam aut validitatem, proponit *l'Ami du clergé*, 1925, p. 221 s., sub II, et apte solvit, seclusa applicatione sub 5°.

(3) Quando dubium circa validitatem matrimonii oritur ex dubio circa baptismum alterutrius partis *in ordine ad impedimentum disparitatis cultus*, tunc applicandum est principium canonis 1070, § 2, quatenus impedimentum non urgeat, adeoque matrimonium ex hoc capite habendum sit uti validum, ad normam can. 1014, « donec certò probetur alteram partem (catholice) baptizatam esse, alteram vero non baptizatam ». Cf. infrà, n. 587.

(4) Et sane, in casu, posset obvium haberi matrimonium ratum et consummatum, si nempe utriusque partis baptisma fuerit reipsa validum, cujus matrimonii indissolubilitas absoluta est omnino tuenda excluso quocumque periculo illam laedendi. In eumdem sensum citatur responsum C. S. O., apud *N. k. stemmen*, 1925, p. 57.

Favent DE BECKER, *Amer. College Bulletin*, 1925, p. 26 s.; ARENDT, *Ephemer. theol. Lovan.*, I, p. 187; *De Religiosis-Periodica*, XIII, p. (312) s., coll. X, p. (27); CREUSEN, *N. R. th.*, 1925, p. 227 ss., et *Epitome*[2], II, p. 437; PRÜMMER, apud *Eccl. Rev.*, t. LXXIII (1925), p. 62-64.; AYRINHAC, *ibidem*, p. 66-69.

Contra scripserunt *Ned. k. Stemmen*, 1924, p. 308 ss. et 1925, p. 111 ss.; *Eccles. Review*, 1924, p. 48 ss.; CERATO, o. c., n. 127.

tis pontificiae dissolvendi matrimonium legitimum consummatum, pro casu scil. quo reipsa non est locus privilegio apostolico; et pro parte provocamus ad exercitium potestatis pontificiae dissolvendi matrimonium validè initum (sine dispensatione) et consummatum inter partem infidelem et partem baptizatam (n. 333): intuitu scil. casus quo applicatum fuit privilegium Paulinum matrimonio inter partem non baptizatam et partem dubie baptizatam, quodque innotescat dubium baptisma reipsa fuisse validum, vel casus quo nullum fuit declaratum matrimonium dubium, quodque postea liqueat matrimonium fuisse validè celebratum inter partem infidelem et partem baptizatam (1). Cf., in similem sensum, CREUSEN, *apud N. R. th.*, 1923, p. 94 s.; ARENDT, *Ephem. theol. Lovan.*, I, p. 183; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 637.

355bis. Notitia historica.

Notitia historica. *Augustinus* jam tangit quaestionem de Casu Apostoli, et docet conjugem fidelem effectum posse sese separare a parte infideli, etiam ubi haec consentit pacificè cohabitare; S. Paulus, juxta ipsum, nonnisi consilium dat cohabitandi cum ea (suprà, n. 348 (2)); tenet autem quod, in casu discedentis aut pacificè cohabitare renitentis partis infidelis, a parte conversa non posse iniri novum matrimonium (3). Contrà *Ambrosiaster* (c. 2, C. XXVIII, 2, ubi a Gratiano textus falso adscribitur Gregorio M.) conjugi baptizato concedit novas nuptias, si pars in infidelitate remanens discedat. Item *Hincmarus* et plerique exinceps Doctores, usque ad *Gratianum*, qui, in *Dicto* ad c. 2, XXVIII, 2, doctrinam illam expressis verbis enuntiat (4); quam doctrinam amplectitur *P. Lombardus* (l. IV *Sent.*, dist. XXXIX, 5), et deinceps Glossatores passim. Adepta quasi unanimitate circa virtutem Privilegii Paulini vinculum dissolvendi, non defuit tamen controversia, incertitudo et obscuritas circa quasdam dicti privilegii determinationes. Et sic, quod spectat *momentum* quo solvitur vinculum, nonnulli Glossatores docuerunt, ad normam tenoris c. 2, XXVIII, 2, matrimonium dissolvi ipso facto discessus partis infidelis, seu ipso facto obtinentis contumeliae Creatoris. Unde ad quaestionem, tunc pluries motam, utrum, in casu quo pars infidelis post discessum et ipsa convertatur, matrimonium esset reinstaurandum, logice fuisset respondendum negative; et tamen a pluribus solvitur in sensum affirmativum, quatenus exigant matrimonii reinstaurationem, in hypothesi quod pars prius con-

(1) Ita etiam, recurrendo scil. ad hypotheticum exercitium potestatis pontificiae dissolvendi matrimonium legitimum (necnon matrimonium inter infidelem et fidelem) etiam consummatum, explicatur, norma diversa agendi Ecclesiae pro matrimonio fidelium et infidelium, cujus specimen exhibetur in decreto C. S. O., 18 Maii 1892, ad 1^m; *infideli*, jurejurando affirmanti se non contraxisse matrimonium vinculo indissolubili, fides adhibetur et novum matrimonium conceditur, dum, « si agitur de *fidelibus*, requiritur legitima probatio ». *Collectan.*, n. 2185. Cf. dicta suprà, sub fine n. 341; *The Cath. Encycl.*, v° Divorce, V, p. 61.

(2) *De conjug. adulter.*, c. 13 et seq.

(3) *Ibidem*, c. 18.

(4) Cf. supra, n. 97. In eodem *Dicto* docet Gratianus privilegium *Paulinum*, cum solutione vinculi, non applicari casui quo duo fideles inter se contraxerunt et alteruter deflectit a fide, sicut nec casui quo duo conjuges infideles convertuntur ambo. In hoc Magistrum sequuntur Glossatores plerique; et ideo eo magis mirum est quomodo Coelestinus III (1191-1198) in alium sensum decretalem dederit, juxta notata sub n. 342 et infrà notanda sub n. 365.

versa nondum contraxerat novum matrimonium: provocant scil. ad *jus quasi-postliminii*, ut aiebant, seu ad quamdam vinculi dissoluti reviviscentiam in favorem fidei (1). Postea universim admissa est magis logica sententia de solutione vinculi per novum matrimonium partis conversae (suprà, n. 344).

Quidam etiam inducebant specialem oeconomiam pro casu quo pars infidelis discedens erat *Judaea;* et ita *Gandulphus* (1160-1170), in Glossa ad c. 10, XXVIII, 1, docet quod, « sive consentiat (conjux Judaeus) cohabitare sive non, infidelis dimitti potest, et licebit fideli ducere uxorem vel virum » (2). Contra quam sententiam scripsit *Tancredus* (1210-1217), provocans ad Decretalem Clementis III (1187-1197), qui jam contrarium decreverat (c. 1, *Compil.* II, III, 20).

Viguit etiam hinc inde, per aliquod tempus, mira doctrina de contractu claudicante, quasi, in Casu Apostoli, vinculum solveretur ex parte conjugis conversi, maneret autem in parte infideli; unde invalidè transisset ad alias nuptias dicta pars infidelis. Ita docuit *Gulielmus Altissiodorensis* († 1231), necnon Auctor anonymus, de quo in nota praecedente; cujus sententiae etiam meminit Praepositinus (non ante 1205) (3).

Inde a decretalibus Innocentii III (1198-1216), signanter postquam in authenticam collectionem Gregorii IX (1234) fuerunt assumptae (c. 7 et 8, X, IV, 19), fixitatem obtinuit theoria de Casu Apostoli (4), salva tamen quaestione juris postliminii, de quo suprà, quae disputabatur adhuc post medium saeculum XIII, uti notavimus ex Glossa ordinaria ad Decretales, salva etiam disputatione circa originem immediatè divinam vel apostolicam privilegii Paulini, de qua suprà, n. 341, quaeque hodiedum nondum est sopita.

Paragraphus Quarta. *De absoluta indissolubilitate matrimonii rati consummati.*

356. Status quaestionis.

Vidimus matrimonium quodcumque validè contractum esse jure naturali ac divino indissolubile, in illa tamen lege indissolubilitatis varias admitti posse derogationes, ac matrimonium posse, *certos intra limites,* sive per generalem dispositionem, sive per singularem dispensationis actum, auctoritate *immediate divina,* aut *mediante divina,* ecclesiastica scil. sed ministeriali (juxta dicta sub n. 298 et

(1) Ita *Bernardus Papiensis* († 1213), apud Fahrner, o. c., p. 158 s., necnon *Glossa ordinaria* ad Decretum (post a. 1215), apud Freisen, o. c., p. 824. — Haec controversia non fuit soluta ante medium saeculum XIII, cum adhuc memoretur controversia in *Glossa ordinaria* ad Decretales Gregorii (ante a. 1263), apud Fahrner, o. c., p. 168, coll. Freisen, o. c., p. 824 s. Cf. etiam Gillmann, *A. f. k. Kirchenr.*, 1924, p. 255 s., ubi adducit etiam testimonium Vincentii Hispani.

(2) Gillmann, apud *A. f. k. Kirchenr.*, 1924, p. 248, coll. *ibidem*, 1922, p. 28 s., ubi, in eumdem sensum, citat Auctorem ignotum qui scripserit inter 1175 et 1178. Cf. Fahrner, o. c., p. 160 s.

(3) Cf. Gillmann, apud *A. f. k. Kirchenr.*, 1922, p. 29 ss., ubi citat ex dicto Auctore ignoto inductam comparationem: « sic enim et copula quandoque detrahitur alteri canum, quae tamen circa collum alterius remanet, et ligatus manet qui manet in copula, nulli tamen alligatus est ». Cf. etiam *A. f. k. Kirchenr.*, 1924, p. 251, ubi, in eumdem sensum, adducit sententiam Hugonis a S. Victore.

(4) Fahrner, o. c., p. 285 s., memorat tamen quosdam Auctores saeculi 18^{i} et 19^{i} negasse vinculum solvi in Casu Apostoli, sed tantùm admisisse separationem a toro et cohabitatione.

329), quoad vinculum *dissolvi:* quod non implicat, uti ostendimus, cum a solo jure naturae *secundario* excludatur dissolubilitas *restricta.*

Hujusmodi possibiles derogationes quemadmodum sub n. 333 exposuimus, afficiunt matrimonium non consummatum, necnon matrimonium legitimum consummatum, supposito alterutrius partis baptismo, ac imò matrimonium inter partem baptizatam et partem non baptizatam contractum et consummatum.

Solum igitur potestati Ecclesiae subducitur matrimonium *ratum et consummatum;* non quod *a priori* impossibile sit ut Deus illam potestatem concesserit Ecclesiae, cum per se nihil impediat quominus etiam ad illud vinculum, quantumvis reliquis firmius, potestas ministerialis Ecclesiae a Deo extendatur; sed quod *de facto* illa potestas non fuerit a Deo concredita Ecclesiae (1).

357. De omnimoda indissolubilitate matrimonii rati et consummati constat a posteriori :

Nimirum hujusmodi potestatem non esse concessam Ecclesiae super matrimonio rato et consummato, illudque nulli prorsus dissolutioni, secluso mortis casu, esse obnoxium, nitidè enuntiatur in can. 1118: « Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate (intellige: ne ministeriali quidem ac mediatè divina) nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest ». Id etiam constanter fuit ab Ecclesiae magisterio propositum, et constanti Patrum traditione servatum: quod urgemus contra Protestantes, in hoc peculiariter insistendo quod asserta indissolubilitatis lex etiam casum adulterii (2) non exceperit (3).

1° ex doctrina Ecclesiae :

I. DOCTRINA ECCLESIAE.

A. **Canones Conciliorum et Synodorum.**

358. in conciliis et synodis,

Plerique canones indissolubilitatis principium tuentur, et plures illud explicitè urgent etiam in casu adulterii. Imprimis provocamus ad canones 8 et 9 Concilii *Illiberitani* (Elvire), anni 305 (4); ad canonem 8 Synodi 11ae *Carthagenensis,* 407 (5); can. 3 Conc. *Ande-*

(1) Etiam observavimus suprà, n. 333, quod Ecclesia, quantumvis ipsi competit dissolvendi potestas, de facto sua potestate uti non videatur erga matrimonium cum dispensatione initum inter infidelem et partem catholice baptizatam.

(2) Haec est causa ob quam facilius posset admitti dissolubilitas vinculi conjugalis, et quae reipsa hinc inde fuit, etiam inter catholicos, qua talis proposita, uti videbimus, favore textus nonnihil obscuri S. Matth., XIX, 9.

(3) Cf. infrà, n. 367, ubi tangitur quaestio undenam sit repetenda stricta matrimonii rati et consummati indissolubilitas.

(4) « Item feminae quae, nulla praecedente causa, reliquerint viros suos, et se copulaverint aliis, nec in fine accipiant communionem ». — « Item fidelis femina, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si autem duxerit, non prius accipiat communionem nisi quem reliquerit prius de saeculo exierit, nisi fortè necessitas infirmitatis compulerit ». HARDUINUS, o. c., I, col. 351; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., I¹, p. 212 ss.; OTT, o. c., p. 48 ss., qui refert etiam canones 10 et 11, 65 et 70, et censet illos esse indulgentiores erga maritum, eosque ipsi permittere novas nuptias in casu uxoris adulterae.

(5) « Placuit ut, secundum Evangelium et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore neque dimissa a marito alteri conjungatur, sed ita maneant aut sibimet

gavensis (Angers), 453 (1); can. 12 Concilii *Nannetensis* (658) (2), can. 10 Conc. Hereford, 673 (3); can. 10 Conc. Forojuliani, 796 (4); ad synodum Parisiensem (829) (5); ad decretum pro Armenis, in Concilio *Florentino* (6); ac can. 7 Sess. XXIV Conc. Tridentini (7).

Quibus addi possent, licet *minus apertè* favent, can. 48 inter

---

reconcilientur. Quodsi contempserint, ad poenitentiam redigantur ». HARDUINUS, o. c., I, col. 923; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., II², p. 156; cf. GEFFCKEN, o. c., p. 31; c. 5, C. XXXII, qu. 7, quo loco canon adscribitur Concilio Melivitano.

(1) « Hi quoque qui alienis uxoribus, superstitibus ipsarum maritis, nomine conjugii abutuntur, a communione habeantur extranei ». HARDUINUS, o. c., II, col. 779; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., II², p. 883 ss.

(2) « Si cujus uxor adulterium perpetravit et hoc a viro deprehensum fuerit et publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem..., illa vivente, nullatenus aliam accipiat...; similis forma et in muliere servabitur: si ejus vir adulteraverit, habet potestatem dimittendi virum propter fornicationem, maneat tamen innupta, quamdiu vir ejus vixerit ». HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., III¹, p. 296 ss., collato FREISEN, o. c., p. 781; cf. tamen GEFFCKEN, o. c., p. 54; FAHRNER, o. c., p. 60 s., et HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., III², p. 1247, ubi notant canones Concilio Nannetensi adscriptos probabilius pertinere ad saeculum nonum.

(3) « Nullus conjugem propriam, nisi, ut sanctum Evangelium docet, fornicationis causa, relinquat. Quodsi quisquam propriam expulerit conjugem, legitimo matrimonio conjunctam, si christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita permaneat, aut propriae reconcilietur conjugi ». HARDUINUS, o. c., III, col. 1017 s., HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., III¹, p. 310 ss.; cf. BÖCKENHOFF, o. c., p. 40 s.

(4) « Item placuit ut, resoluto fornicationis causa conjugali vinculo, non liceat viro, quamdiu adultera vivit, aliam uxorem ducere, licet sit adultera ». HARDUINUS, o. c., IV, col. 859; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., III², p. 1093 ss.

(5) « Quod nisi causa fornicationis, ut Dominus ait, sit uxor dimittenda, sed potius sustinenda. Et quod hi qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notentur ».

(6) « Quamvis autem ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cum matrimonii legitime contracti vinculum perpetuum sit ». DENZINGER, *Enchiridion*, n. 702.

(7) « Si quis dixerit, Ecclesiam errare quum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi; et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; moecharique eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam quae, dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit ».

Circa quem canonem juvat notare Patres Tridentinos priorem Decreti redactionem, juxta quam *directe* sub anathemate urgebatur matrimonii indissolubilitas ex capite adulterii, mutasse, id postulantibus legatis Venetis, ita ut anathema solos Ecclesiam Latinam erroris accusantes, nec adeo Graecos, attingeret. De quo cf. THEINER, o. c., II, ubi, p. 312, priorem formulam et, p. 338, petitionem reperies oratorum Reipublicae Venetiarum.

Attamen in ipsa re, *quod spectat ipsam doctrinam* et non docendi modum, idem in utraque formula proponitur, ac propugnantes et practice applicantes, uti faciebant Graeci, matrimonii dissolubilitatem ex causa adulterii, si non haereseos, indubii saltem erroris ejusque haeresi proximi arguuntur (potest dici quod solum objectum definitionis directum, inerrantia scil. Ecclesiae, sit fide tenendum, dum objectum indirectum, indissolubilitas nempe vinculi, sit fidei proximum et non de fide, adeo ut illud negantes non sint haeretici sed haeresi proximi). — cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 622, nota 25. — Non est proinde cur decretum conciliare prodatur ceu decretum disciplinare, sed doctrinale est dicendum, ac in eo authentice docetur matrimonium, juxta evangelicam doctrinam, in casu adulterii, solvi non posse. Illogice etiam procedebant iidem Graeci, quando theoretice et practice vindicabant matrimonii dissolubilitatem, et Latinos contrarium urgentes nolebant erroris accusare. Cf. BENED. XIV, *De Syn. dioeces.*, l. III, c. 22, n. 4, ubi Pontifex, loquens de indissolubilitate in casu adulterii, monet quod, in pluribus actis S. Sedis, « sollemniter assertum fuit *catholicum dogma* adversus errorem Graecorum, qui ob adulterium contendunt matrimonii vinculum dirimi ». Cf. FAHRNER, o. c., p. 251 ss., ubi dicti canonis redactionis fata breviter exponuntur; PERRONE, o. c., III, p. 359-388; PALMIERI, o. c., p. 141 s.; SASSE, o. c., II, p. 415, s. et p. 426 ss.; VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de Théologie catholique*, V° *Adultère* (L') *et le lieu du mariage d'après le Concile de Trente*, coll. 498-505.

Circa conamina Ecclesiae Romanae in favorem indissolubilitatis matrimonii apud Graecos, cf. FAHRNER, o. c., p. 263 ss.

canones *apostolicos* (1); can. 10 Conc. *Arelatensis,* 314 (2); can. 19 primae Synodi *S. Patritii* dictae, 450-456 (3); can. 25 Conc. *Agathensis* (Agde), 506 (4); can. 9 Synodi *Suessoniensis,* 744 (5).

Inter horum nimirum Conciliorum canones, alii vel generali formula utuntur, uti canones apostolici, canones S. Patritii et canones Suessonienses; alii haud obscure tuentur ex una parte principium indissolubilitatis, sed ex alia parte prudentiam sapiunt in applicando et urgendo illo principio, speciatim pro casu adulterii, ratione habita tum individuae imbecillitatis juniorum conjugum, tum potissimum morum vigentium et legum civilium tunc temporis matrimonia regentium ac divortiis multùm faventium (6).

Haec *oeconomia practica* peculiariter apparet in Concilio *Arelatensi* et *Agathensi:* in priori scil. clarè innotescit indissolubilitatis stricta thesis, tam in ipso tenore relato, quam in capitis inscriptione: « *ut is cujus uxor adulteravit, aliam illa vivente non accipiat* », et tamen innuit practice procedendum per modum suasionis; in altero Concilio, conantur Episcopi causas divortii ad suum tribunal adigere, ut sic eas subtrahant jurisdictioni civilis judicis, facilius matrimonia dissolventis, et ideo puniendos enuntiant divortium absque Episcopi judicio instituentes, quin ipsum principium indissolubilitatis absolutè urgendum decernant (7).

Ex dictis apparet quanti facienda sint dicta quorundam adversariorum, qualis est Alex. Dumas (filius), quem citat QUINQUET DE MONJOUR, o. c., p. 59, in opere *La Question du divorce,* p. 213: « Le divorce a été consenti et approuvé par l'Église pendant les huit premièrs siècles... Les Conciles jusqu'à cette époque, ou ne

(1) « Si quis laicus, uxorem propriam repellens, alteram vel ab alio dimissam duxerit, communione privetur ». HARDUINUS, o. c., I, col. 38; FREISEN, o. c., p. 771; HÉFELÉ-DELARC, o. c., I, p. 632 s., ubi hic canon inter antiquiores canones refertur.

(2) « De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles et prohibentur nubere, placuit ut, in quantum possit, *consilium* eis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant ». HARDUINUS, o. c., I, col. 265; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., II, p. 375 ss.

(3) « Mulier christiana, quae acceperit virum honestis nuptiis, et postmodum discesserit a primo et junxerit se adulterio (*aliàs* adultero), quae haec fecit excommunicationis sit ». HARDUINUS, o. c., I, col. 1792; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., II², p. 888 ss.

(4) Tenorem cf. apud HARDUINUM, o. c., II, col. 1001; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., II², p. 973 ss., coll. FREISEN, o. c., p. 781; FAHRNER, o. c., p. 60.

(5) Tenorem exhibet HARDUINUS, o. c., III, col. 1934, coll. HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., III², p. 854 ss., et 1248 s.; FREISEN, o. c., p. 782; FAHRNER, o. c., p. 72.

(6) Haec est potissimum ratio, nimia scil. indulgentia legum civilium matrimonium ex integro regentium, cur Ecclesia, ante saeculum X, non potuerit ubique et in omnibus urgere principium indissolubilitatis: cogebatur coram moribus inveteratis et legibus ab ipsis regibus christianis sancitis, tolerantiam exhibere, et prudenter, providè et pedetentim reformare leges et mores in sensum severae doctrinae. Cf. FAHRNER, o. c., p. 61 ss., et 73 s.; BÖCKENHOFF, p. 45 s.; PETERS, o. c., p. 43 ss.; cf. etiam infrà dicenda sub n. 371 s., ubi de legislatione Romana et Germanica in hoc negotio.

(7) Eamdem oeconomiam practicam commendat Gregorius I, in Instr. ad Augustinum, Angliae apostolum. Cf. FAHRNER, o. c., p. 64.

parlent pas du divorce (ce qui démontre qu'ils l'admettent) (!), ou le consacrent ou le tolèrent ». Hisce opponimus assertum non suspectum LÖNING, o. c., II, p. 607: « Es findet sich aus den ersten drei Jahrhunderten kein Zeugniss dafür, dass die Kirche die Wiederverheirathung eines gescheidenen Ehegatten bei Lebzeiten des andern Theils für schriftgemäss gehalten hätte ».

B. **Decreta RR. Pontificum.**

359. in decretis RR. Pontificum ;

Inter illa potissimum attendenda sunt decreta *Innocentii I* (401-417), in rescripto ad Exuperium Tolosanum (1), ad Probum (2), necnon ad Victricium (3), *Leonis I* (440-461), ad Nicetam (4); *Gregorii I* (590-604) (5); *Zachariae* (741-752), ad Pepinum (6); *Stephani II* (754) (7); *Alexandri III* (8); *Innocentii III* (9); *Leonis XIII,* in Encyclica *Arcanum* (10).

Doctrina S. Sedis luculenter etiam manifestatur *in lucta* energice sustentata contra varios reges et principes, indissolubilitatis legem violare attentantes (11), putà in causa Lotharii (12), Philippi-

---

(1) « De his requisivit dilectio tua qui. interveniente repudio, alii se matrimonio copularunt. Quos in utraque parte adulteros esse manifestum est... Qui vero, vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri ». HARDUINUS, o. c., I, col. 1005, cap. 6.

(2) « Statuimus, fide catholica suffragante,... conventum secundae mulieris, priore superstite, nec divortio ejecta (= etiam si divortio fuisset repudiata), nullo pacto posse esse legitimum ». HARDUINUS, o. c., I, col. 1008.

(3) « Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque, vivente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendae poenitentiae licentia concedatur, nisi unus ex eis defunctus fuerit: quanto magis... ». HARDUINUS, o. c., I, col. 1002, cap. 12.

(4) Cap. 1 solvit casum mulierum quae, viris in captivitatem reductis et defunctis reputatis, ad alia vota transierint, si postea vir reappareat, et statuit: « Necesse est ut legitimarum foedera nuptiarum restringenda credamus... omnique studio procurandum ut recipiat unusquisque quod proprium est ». HARDUINUS, o. c., I, col. 1770.

(5) Cf. FAHRNER, o. c., p. 61 s.

(6) Urget, contra conjugem qui compartem dimittit, prohibitionem novas ineundi nuptias, provocando (cap. 7) ad canonem apostolicum 48, necnon (cap. 12) ad can. suprà relatum 11ae Synodi Carthagenensis. HARDUINUS, o. c., III, col. 1902 s.

(7) Cap. 5m, ad quaestionem « si uxor a viro repudiata fuerit, utrum liceat viro, illa vivente, aliam ducere », ad verbum refert responsum Innocentii I, ad Exuperium, de quo modò suprà. Dein, capite 19o, circa casum mulieris, cujus vir in captivitatem ductus postea redit, postquam ipsa alium virum duxerit, urgetur solutio Leonis I ad Nicetam. HARDUINUS, o. c., III, col. 1987 et 1988.

(8) C. 7, X, III, 32. Cf. textum suprà, n. 333.

(9) C. 7 et 8, X, IV, 19.

(10) « In tanta autem confusione sententiarum quae serpunt quotidie longius, id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum conjugii inter christianos *rati et consummati* nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse, si qui forte conjuges, *quaecumque demum causa esse dicatur,* novo se matrimonii nexu ante implicare velint, quam abrumpi primum morte contigerit ».

(11) De hac invicta resistentia Ecclesiae gloriatur Leo XIII, in Encycl *Arcanum.*

(12) Anno 857, Lotharius, repudiata Teutberga, concubinatum instauraverat cum Waldrada, quam in legitimam uxorem ducere cupiebat; ideo conatus est obtinere nullitatis declarationem matrimonii sui cum Teutberga (cf. infrà, n. 476, in nota), quam nullitatis sententiam etiam obtinuit a quibusdam Episcopis, et publice ac palam celebravit matrimonium cum Waldrada. Nicolaus autem S. Pontifex heroicè restitit Lothario, donec Waldrada fuerit dimissa et restituta Teutberga. Cf. HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., IV1, p. 237 ss.

Augusti, regis Galliae (1), Henrici VIII, Angliae regis (2), et ita porro (3).

Innotescit etiam *ex influxu* quem Pontifices, inde a prioribus christianismi saeculis, quando jurisdictio in matrimonia practice et efficaciter nondum erat Ecclesiae devoluta, *conati sunt* exercere in *ipsas leges civiles,* tum Romanas, tum Barbaras, ad hoc ut pedetentim magis conformes evaderent indissolubilitatis normae. Prae caeteris autem nisa est Ecclesia aequalitatem inducere inter virum et mulierem, contra quam viro quasi pro arbitrio permittebatur divortium; studuit etiam minuere causas divortii ac processum illud obtinendi graviorem reddere, necnon onerosiores divortii instituti sequelas (4); deinceps autem eo devenit ut ipsum indissolubilitatis principium a principe civili agnoscendum et sanciendum curaret. Illum caeteroquin salutarem influxum Ecclesiae, in favorem indissolubilitatis legislationem civilem dirigere satagentis, agnoscunt vel ipsi adversarii (5).

Quae nonnunquam afferuntur exempla dissolutionum matrimonii, quae a S. Sede fuerint concessae in gratiam magnatum vel principum, spectant matrimonia *non consummata* (6) vel important meram *declarationem nullitatis* (7). Quam nullitatis declarationem cum vin-

---

(1) *Philippus Augustus* die nuptias sequenti rejecit uxorem suam Ingeburgam, ut sibi copularet Agnetem Meranensem, ac in hunc finem obtinuit a nonnullis Episcopis declarationem nullitatis matrimonii cum Ingeburga initi. Innocentius III, ad quem repudiata regina appellaverat, sententiam Episcoporum cassavit et coegit regem, interdicto lato in totam Galliam, ad reassumendam legitimam uxorem. Cf. COULON, *Le Divorce,* p. 155-161.

(2) *Henricus VIII* duxerat, praevia dispensatione, Catharinam Arragonensem, viduam defuncti fratris sui; voluit autem matrimonium annulari ut uxori substitueret Annam de Boleyn: quam nullitatis declarationem etiam tulit Episcoporum tribunal, hoc invocato praetextu quod in dicto affinitatis impedimento dispensatio concedi non posset. Clemens VII, anno 1534, proclamavit matrimonii validitatem ejusque indissolublitatem, et potius passus est regem cum regno integro in schisma prolabi quam ut a stricto indissolubilitatis principio recederet. Cf. infrà, n. 628; cf. etiam suprà, n. 308, circa haesitationem Clementis VII, qui videtur prius inclinasse ad concedendam Henrico polygamiam, ut, retenta Catharina, alteram adjungeret.

(3) Ita etiam, anno 1806, Pius VII energicè restitit minis in ipsum prolatis a Napoleone I, qui volebat Pontificem cogere ut matrimonium fratris Hieronymi dissolveret. Cf. WELSCHLINGER, o. c., p. 83; *Rev. prat. d'Apolog.,* 1911, tom. XI, p. 775; *Dictionn. apolog. de la foi cath.,* 1910, V° *Divorce des Princes et l'Eglise.*

(4) Cf. infrà dicenda sub n. 371 et 372; altero autem loco exponetur influxus christianismi in pristinas leges civiles Germanorum, in re divortii: qui influxus eo tardior fuit quod plures Germanorum stirpes prius arianismum amplexae sint, antequam ad Ecclesiam catholicam tuerint conversae.

(5) Cf. GEFFCKEN, o. c., p. 44 s. et 51; cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 25 ss., ubi pariter ille influxus exponitur.

(6) Ita dissolutio matrimonii facta ab Alexandro VI in gratiam Lucretiae Borgia. Cf. PASTOR, *Histoire des Papes* (trad. Furcy Raynaud), 1898, t. V. p. 498 s., ubi narrat matrimonium fuisse denuntiatum uti non consummatum.

(7) Talis fuit sententia recenter lata in causa matrimonii Principis de Monaco cum principissa Hamilton; matrimonium *declaratum fuit nullum* ex capite vis et metus. Cf. BONOMELLI, o. c., p. 54.

Idem obtinuit in causa *Ludovici XII,* regis Galliae, et Johannae, agitata coram Alexandro VI; necnon in causa regis *Henrici IV,* cujus matrimonium a Clemente VIII fuit nullum declaratum ex eo quod dispensatio super impedimento dirimente non fuerit tempestive elargita, quodque liber non accesserit consensus regiae sponsae.

culi dissolutione confundi non rarò contingit, etiam in comitiis publicis et a viris aliunde jurisperitis (1).

360.

2° ex doctrina SS. Patrum et scriptorum eeclesiasticorum.

II. Doctrina SS. Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum.

Cogimur hîc remittere ad Auctores ex professo referentes ac fusè exponentes testimonia illa, quales sunt Perrone, o. c., III, p. 219-352; Cigoi, o. c., passim; Denner, o. c.; Ott, o. c.; Rouët de Journel, o. c., in *Indice theol.*, n. 573; De Roskovany (2); Palmieri, o. c., p. 141 ss. (3).

Sufficiat haec generatim notasse:

1° Plerique SS. Patres et scriptores *priorum saeculorum,* maxime Occidentales, quemadmodum textus ll. cc. examinanti sponte liquebit, vindicant absolutam indissolubilitatem matrimonii rati consummati, eamque non rarò explicitè urgent in casu repudii ob adulterium instituti (4), non obstante obscuritate textus S. Matthaei, de quo sub n. 361 ss. (5).

Ex alia autem parte apparet *praxim* fidelium non semper fuisse conformem cum principiis: ita *Origenes* queritur quod, « contra Scripturae legem, mulieri, vivente viro, nubere quidam Ecclesiae rectores permiserunt » (6); *S. Asterius Amasenus* invehit contra coaevos qui uxores ceu vestes mutabant, qui thalamos tam facile ac nundinarum tabernulas struebant (7); *S. Augustinus* (8): « quis nesciat, inquit, quam sint rarissimae quae ita pudicè vivant cum viris ut, etiamsi ab eis dimittantur, alios non requirant? ». Quam abnormem praxim maximè fovebant leges civiles illius temporis (9): hujus autem praxeos etiam rationem habent interdum SS. Patres,

---

Ipsa etiam sententia Episcoporum, in causis Lotharii, Philippi Augusti et Henrici VIII, quantumvis erronea, spectabat nullitatis declarationem potius quam matrimonialis vinculi dissolutionem.

Quod autem spectat conjugium *Napoleonis* cum Josephina de Beauharnais, Pius VII numquam confirmavit sententiam nullitatis latam coram Officialitate Parisiensi: haec curia in sententiae subsidium invocaverat absentiam testium in celebratione matrimonii necnon defectum consensus ex parte imperatoris, quatenus invitus, ad hoc cogente Pio VII, consensum emiserit, anno 1804, ad convalidandum matrimonium, anno 1796, civiliter initum. Cf. Welschlinder, o. c., coll. *Etudes,* tom. LXXXVIII, p. 606 ss.

(1) Cf. Pisani, o. c.; Boudinhon, *Le mariage religieux,* p. 62 ss.

(2) *Supplementa ad collectiones monumentorum,* t. I, p. 457 ss.

(3) Cf. etiam Quinquet de Monjour, o. c., p. 48-53 et 81-100.

(4) Inde vides quam inepte somniantur Auctores qui, uti Dessaules, o. c., p. 202 ss.; dicere non verentur: « que S. Augustin pose *le premier* le principe de l'indissolubilité absolue, même en cas d'adultère, et le fait adopter en principe dans l'Eglise d'Occident ». — Energicam doctrinam S. Augustini (potissimum in posterioribus scriptis) circa absolutam indissolubilitatem matrimonii egregie evolvit Peters, o. c., p. 46-58. Cf. etiam Fahrner, o. c., p. 38 ss.

(5) Hanc quaestionem fatetur ipse S. Augustinus (*De conjugiis adulterinis,* l. I, cap. 25) « obscurissimam et implicatissimam esse ».

(6) *Commentar. in Matth.,* t. XIV, n. 23, apud *Migne,* XIII, p. 1246.

(7) *Homelia in locum Evangelii sec. Matth.: An liceat homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa,* apud *Migne,* XL, col. 227.

(8) *De conjugiis adulterinis,* II, cap. 17, apud *Migne,* XL, col. 483 s.

(9) Cf. Löning, o. c., II, p. 607 ss.

ex oeconomia practica, ad normam dictorum sub n. 358; quod, inter alia, testatur Origines de rectoribus Ecclesiae, quos improbatos ab eo audivimus.

2° *Posterioribus saeculis,* inde a nono praesertim saeculo, nitida apparet, saltem in Ecclesia Occidentali (1), et quasi unanimis doctrina de absoluta indissolubilitate (2), eique adeo adhaerebant Doctores, ut illam non pauci applicaverint *cuicumque* vero matrimonio, utque, ad conciliandam cum indissolubilitatis principio praxim dissolvendi nonnunquam matrimonium non consummatum, potius huic conjugio non consummato veri matrimonii nomen denegaverint, illudque habuerint uti matrimonium initiatum dumtaxat (3). Id contigit cum Hincmaro Rhemensi (4), necnon cum Doctoribus Scholae Bononiensis, idque luculenter observatur apud *Gratianum,* qu. VII, Causa XXXII.

III. Documenta difficiliora.

A. **Ex S. Scriptura.**

361. Solvuntur difficultates ortae

Difficultatem facit Matth., V, 32 (5), et XIX, 9 (6), quatenus ex illis versiculis, obviè inspectis, videtur concludendum: *ergo* qui dimiserit uxorem adulteram, *non* facit eam moechari, — qui dimiserit uxorem ob fornicationem et alteram duxerit, *non* moechatur.

1° *Ex S. Matthaeo,* V, 32 et XIX, 9:

Jamvero, praesupposito quod authentici sint textus oppositi (7), quodque agatur de legitimo (8) matrimonio christiano (9), eoque consummato, quodque fornicatio ponatur pro fornicatione matrimonium consequen-

(1) Circa doctrinam et praxim Ecclesiae Orientalis, inde a quinto saeculo, cf. Fahrner, o. c., p. 33 ss.

(2) Inter fautores strictae indissolubilitatis eminent, illo tempore, praeter Hincmarum, de quo mox, Benedictus Levita et Pseudo-Isidorus. Cf. Fahrner, o. c., p. 86 s.

(3) Cf. dicta suprà, n. 96 ss. et 322, circa *copulatheoriam.*

(4) Substantiam doctrinae ab Hincmaro propositam, maximè occasione divortii Lotharii, exhibet Geffcken, o. c., p. 60 s. Cf. etiam Schrörs et Sdralek; scriptum autem *De divortio Lotharii* exhibet *Migne,* CXXV, col. 619-772.

(5) « Ego dico vobis: quia omnis qui dimiserit uxorem suam, *excepta fornicationis causa* (παρεκτὸς λόγου πορνείας), facit eam moechari, et qui dimissam duxerit, adulterat ».

(6) « Quicumque dimiserit uxorem suam *nisi ob fornicationem* (μὴ ἐπὶ πορνείᾳ) et aliam duxerit, moechatur: (et qui dimissam duxerit, moechatur) ».

(7) Id impugnat Loisy, *Les Evangiles Synoptiques,* I, p. 575 ss.; et tamen incisum occurrit in antiquioribus documentis. Cf. Villien, *Divorce,* col. 1461. Circa variantes lectiones videsis Watkins, o. c., p. 153-167. *Rev. Bibl.,* 1918, p. 575-578, proponit sententiam quasi apud M. XIX, incisum esset interpolatum.

(8) Quibusdam placuit ibidem agi de unione *fornicaria,* quasi Christus dixerit, conjugium tunc tantum solvi posse quando est unio fornicaria: cui explicationi contradicunt textus et contextus, qui solum intendunt matrimonium ritè contractum. Cf. Ott, o. c., p. 216 ss.

(9) Alii voluerunt Christum locutum esse in citatis locis de matrimonio *Judaeorum,* solvendo in casu adulterii: contra quos clamat integer contextus, ex quo manifestissime patet oppositionem fieri ad matrimonium Hebraeorum. Cf. V, 31-32 et XIX, 8-9. Alii etiam censuerunt Christum, apud *Matth.,* intendisse matrimonium *in infidelitate* contractum, ac docuisse illud posse solvi quoad vinculum in casu apostoli: sumendo nempe ly πορνεία pro ἀπιστία. Cf. Ott, o. c., p. 254 ss.

te (1), affirmandum est *praefatum documentum conciliari cum doctrina catholica de omnimoda matrimonii rati et consummati indissolubilitate.* Quod **probatur:**

362.

1° **Indirecte,** quatenus plura obstant quominus dicta adversariorum interpretatio admittatur: a/ *indirecte;*

a/ Obstat jam *ipsa oppositio* inducta inter imperfectionem legis mosaicae et perfectionem novae oeconomiae circa matrimonium, quatenus, sub nova lege, matrimonium reducitur ad pristinam firmitatem: huic nempe fuit derogatum indulgendo duritiae cordis Hebraeorum, quae derogatio nunc est tollenda. Cf. *Matth.*, V, 31-32; XIX, 8-9.

Haec autem oppositio minus adhuc intelligitur si attenditur expressionem *λόγος πορνείας* correspondere ad *Erwath dahbar,* ob quod *dahbar,* in sensu Scholae Schammai, Judaeis permittebatur divortium a vinculo: quo attento, si Christus docuisset divortium posse institui in casu *πορνείας,* non proposuisset severiorem nec altiorem de matrimonio doctrinam quam ipsi Judaei interrogantes, qui ad Scholam Schammai pertinebant.

b/ Obstant *loci paralleli* Marci, X, 11 (2), et Lucae, XVI, 18 (3), in quibus absolute et absque restrictione Christus urget moechari illum qui, uxore dimissa, aliam ducit.

c/ Obstat *alterum incisum versiculi 32*[1], apud Mt., V (4); ibi enim absolute et illimitatè enuntiatur: qui dimissam duxerit, moechatur; quod non esset verum si dimissa ob adulterium esset soluta a vinculo, uti contendunt plerique Protestantes et Graeci (5).

d/ Obstat *inconveniens* non exiguum, quod nempe, in sententia adversa, mulier adultera dimissa melioris conditionis esset quam mulier dimissa innocens, quodque hujusmodi disciplina praeberet incitamentum adulterii (6).

e/ Tandem, si vinculum disrumpi posset ratione adulterii, non fuisset ratio discipulis adeo reclamandi contra duritiam legis matrimonialis. Cf. Mt., XIX, 10.

---

(1) Auctores quidam *πορνεία* immeritò intelligunt de fornicatione stricte dicta *matrimonium antecedente,* quae esset ratio solvendi matrimonium postea initum, utpote invalidum, initum scil. implicitè sub conditione virginitatis, ad normam *Deut.*, XXII, vv. 13-22: cujus tertiae sententiae expositionem ac refutationem videsis apud PERRONE, o. c., III, p. 161 ss.; OTT, o. c., p. 230 ss.

(2) « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam »; qui parallelismus magis apparet conferendo utrumque textum graecum. Cf. edit. NESTLE.

(3) « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur ».

(4) Deest hoc incisum in editione graeca NESTLE, apud Matth., c. XIX, 9; cf. tamen KNABENBAUER, *Commentarius in Evang. sec. S. Matthaeum,* II, p. 138, ubi refert codices in quibus incisum adest vel desideratur.

(5) « Gerade diese ausnahmlose Fassung zeigt deutlich, dass von irgend einer erlaubten und darum auch vor Gott gültigen Entlassung keine Rede ist ». B. WEISS, *Das Matthäus-Evangelium,* 1898, Göttingen, p. 118, ubi etiam dicit quod sit « ganz wilkürlich » objicere in secundo inciso subintelligendam esse eamdem ex primo inciso exceptionem « nisi ob fornicationem »; idque eo vel magis, quod, uti notat ZAHN, *Das Evangelium des Matthäus,* Leipzig, 1903 p. 240, « die Wiederholung wesentlicher Statzeile in parallelen Darstellungen ähnlicher Fälle die Regel ist », quemadmodum v. gr. apparet paulò infrà, apud Matth., VI, 4, 6, 18.

(6) « Tum enim adulterae mulieri quasi praemium tribueretur a Christo ut, vinculo prioris matrimonii soluto, impune transiret ad alia vota, dum mulier innocens et pudica, quae a viro injuste repudiaretur, ad perpetuam continentiam obligaretur. Nonne ita via aperiretur plurimis sceleribus? Et si quis in matrimonio multas cum uxore experiretur molestias vel amore libidinoso caperetur, nonne quam maximum existeret incitamentum ad adulterium committendum, si quamprimum eo peccato ipsum vinculum matrimonii solveretur? ». KNABENBAUER, o. c., I. p. 226.

363.

b/ *directe;* 2° **Directe,** quatenus apta potest proponi illorum textuum interpretatio, quae concordet cum doctrina catholica de omnimoda indissolubilitate, ac excludat dissolutionem matrimonii ex causa adulterii.

Nimirum interpretanda est sententia Christi:

vel a/ quasi esset *elleptica* ac sic integranda; qui dimiserit uxorem suam — *quod non licet facere nisi ob fornicationem* seu *excepta fornicationis causa* — et aliam duxerit, moechatur; ita ut exceptio casus fornicationis solum afficiat prius propositionis membrum *dimittere,* cui soli membro grammaticaliter conjungitur (1). Qua ratione hoc unicum posset deduci, uxorem scilicet posse dimitti ob fornicationem, dimissione scilicet quoad torum et cohabitationem, quin vinculum disrumpatur (2): ita sustineretur, in tota sua amplitudine, alterum Mt., V, 32, incisum: « qui dimissam duxerit moechatur », et harmonice cum Mt. convenirent Mc., X, 11, Lucas, XVI, 18 et S. Paulus, I^a Cor., VII, 11.

vel b/ quatenus haec verba « nisi ob fornicationem », aut « excepta fornicationis causa », significent Christum Dominum *abstrahere ab illa hypothesi,* qua vir dimittat uxorem ob fornicationem, adeo ut, ne indirecte quidem, intenderit aliquid docere pro casu quo ejecta fuerit mulier adultera. Ita ZAHN, o. c., p. 583 s.: « Auch hier, wie V, 32 (3), nimmt Jesus den Fall des durch Unzucht des Weibes erfolgten tatsächlichen Bruchs der Ehe, von seinem Urteil aus, ohne zu sagen, was in diesem Fall zu geschehen habe und zu urteilen sei »; ac infrà: « Wie Jesus den Fall beurteilt haben würde, dass ein Mann aus unzureichendem Grunde sein Weib entlässt, ohne eine neue Ehe einzugehen, und den anderen Fall dass einer sein ehebrecherisches Weib verstösst, dann aber eine neue Ehe eingeht, *lässt sich aus dem Text nicht entscheiden* » (4).

vel c/ quatenus haec verba *παρεκτὸς λόγον πορνείας* et *μὴ ἐπὶ πορνείᾳ* non sint sumenda exclusive sed *inclusive,* juxta interpretationem propositam ab *Oischinger* (5). Nimirum quod spectat *primum* incisum, Mt., V, 32, ly *παρεκτὸς* (praeter) potest habere sensum inclusivum vel exclusivum pro vario contextu in quo occurrat (6); et ita, in nostro loco, sententia

---

(1) Analogum exemplum proponit QUINQUET DE MONJOUR, o. c., p. 12: « Supposez une loi ainsi conçue: quiconque aura chatié son fils, sauf pour de graves raisons, et l'aura tué, sera puni. — Direz vous qu'en certains cas le droit est donné au père de mettre son fils à mort, et que l'excuse absolutoire, l'impunité assurée aux coups, doit s'étendre au fait de meurtre?

(2) Hujusmodi dimissionem, quae scil. vinculum relinquit intactum, quaeque reconciliationi manet obnoxia, nitidè describit S. Paulus, I^a Cor., VII, 11: « Quodsi discesserit (uxor), manere innuptam, aut viro suo reconciliari ».

(3) Pag. 238, jam idem notaverat circa V, 32, « Wenn nun Jesus von dem Urteil über den Mann, welcher sein Weib entlässt, den Fall ausnimmt, das Unzucht als Grund der Scheidung vorliege, so ist dem Wortlaut nichts anderes zu entnehmen, als dass in diesem Fall das Urteil nicht zutreffe ».

(4) Simili modo S. AUGUSTINUS, *De conjugiis adulterinis,* 1, c. 9 (*Migne,* XL, col. 456 s.): « Cum dicimus: quicumque mulierem praeter causam fornicationis a viro dimissam duxerit, moechatur, de uno quidem ipsorum dicimus, nec tamen ideo moechari negamus eum qui eam duxerit quam propter causam fornicationis maritus dimiserit ». KNABENBAUER, o. c., II, p. 144.

(5) *Die christliche Ehe,* Schaffhausen, 1852. Cf. OTT, o. c., p. 267 ss., coll. p. 289 ss., ubi eamdem interpretationem reassumit quod attinet Mt., V. 32, eamque in nova luce ponit.

(6) Videsis apud OTT, o. c., p. 296 et p. 290 ss., exempla id illustrantia ac comprobantia, ubi provocat ad *Deut.,* XXIX, 11 et 3 *Reg.* X, 13.

In priori textu: « Vos hodie statis cuncti coram Deo... liberi et uxores vestrae et advenae... *exceptis* lignorum caesoribus », vox: exceptis, praeter, behalve (de houtkappers), habet sensum inclusivum = behalve nog... ook. In altero textu: « Rex

« si quis praeter causam fornicationis dimiserit uxorem, moechatur » potest duplici sensu accipi: vel sensu exclusivo, quatenus moechatur qui dimittit uxorem ob aliam causam quam ob causam fornicationis, vel sensu inclusivo, quatenus moechatur qui dimiserit uxorem ob quamlibet causam, etiam ob fornicationem (1). Quod autem spectat *alterum* incisum, Mt. scil., XIX, 9, formula negativa *μὴ* (vel *οὐ*) potest, si contextus et adjuncta ad id cogunt, habere sensum: *non tantum,* quemadmodum apud ipsum Mt., X, 20 et XIII, 7, necnon apud Oseam, VI, 6; hîc autem hunc sensum urgere contextum et adjuncta notavimus modò suprà (2).

Ex quibus omnibus ad abundantiam eruitur, ex Mt., ll. cc., nullatenus infirmari doctrinam de omnimoda indissolubilitate matrimonii rati et consummati (3).

Salvatur nempe indissolubilitatis principium in tribus interpretationibus propositis. In traditionali autem explicatione, prima scil., sub a/, manet aliqua difficultas (quae optime vitatur in explicatione tertia, sub c/, necnon etiam in explicatione secunda, sub b), quatenus nempe vox *dimittere* sumitur in sensu quem, tempore Christi Domini, signanter inter Judaeos, non habebat, pro dimissione scil. quoad cohabitationem, retento vinculo, quem etiam sensum non habet eadem vox in locis parallelis S. Marci et S. Lucae (4).

364. Nota. *Nota.* Posset adhuc et alia solutio proponi *quod spectat textum priorem,* scil. Mt. V, 32, hoc attento quod ibi dicatur: *facit moechari* (5). Etiamsi nempe exinde conclusio esset legitima: « *ergo* qui dimiserit uxorem adulteram *non* facit eam moechari », inde nondum sequeretur matrimonium quoad vinculum solvi: simpliciter scilicet affirmaretur viro, uxorem adulterantem dimittenti, non esse adscribendum peccatum ab uxore dimissa committendum, si cum alio viro commisceatur, siquidem usus esset jure suo (6); quo pacto *indirecte* et *implicitè* enuntiaretur nuptias initas cum uxore, quacumque ex causa, etiam ex causa adulterii, dimissa, esse moechiam, quemadmodum in altero inciso versiculi 32[1] directe et explicitè docetur.

---

autem Salomon dedit reginae Saba omnia quae voluit et petivit ab eo, exceptis his quae ultro obtulerat ei » i. e. praeter ultrò oblata, behalve de spontaan geschonkene giften, item indenditur sensus inclusivus.

(1) Eumdem utrumque sensum, pro diverso contextu, habere potest vox flandrica *behalve.* Cf. notam praecedentem. Sic, juxta textum Matth., XIX, 9: « alwie zijne vrouw verstoot om welkdanige reden, behalve om hoererij, en een andere huwt, doet overspel ».

(2) OTT, o. c., p. 296 ss., aliam interpretationem proponit ad Mt., XIX, 9; dicit pro *μὴ,* in textu hebraeo, fuisse scriptum *ëen,* quod juxta GESENIUM, *Hebr. u. Aram. Handwörterbuch,* ad h. l., potest cum infinitivo junctum significare: « es kann nicht sein, es darf nicht »; censet autem hic optime posse subintelligi infinitum (dimittere), concinnitatis causa omissum, ita ut sensus fuerit; si quis dimiserit uxorem — quod non licet ob fornicationem — et aliam duxerit, moechatur.

(3) Inter ipsos Protestantes non desunt Auctores, uti ZAHN, B. WEISS, WATKINS, quorum sententiam indicavimus, in hoc catholicis consentientes. Cf. etiam Auctores citatos apud OTT, o. c., p. 276 ss., collato *Der Katholik,* t. XXXIV, 1906, p. 310: « *Die Bergpredigt und die Unauslöslichkeit der Ehe* ». Cf. etiam HARNACK, *Die Sprüche und Reden Jesu,* 1907, p. 42., coll. p. 101.

(4) Ad hanc interpretationem, juxta quam agitur in nostro loco de sola dissolutione vinculi, alludimus suprà, sub fine n. 254.

(5) Non desunt tamen Auctores qui hanc lectionem Vulgatae non admittant. Notant formam hebraicam *hiphil,* ex qua derivatur graecae versionis et Vulgatae tenor, ita intelligendam esse ut significet non: « facit eam moechari », sed potius « adulterinum opus ponit in eam ». Cf. OTT, o. c., p. 272 s. et 295 s.

(6) Posset etiam sic intelligi: vir repudians uxorem quam adulteram reperit, non facit eam moechari, siquidem ipsa facto suo jam moechata est.

365.

B. Ex Doctrina Ecclesiae et testimoniis SS. Patrum et Doctorum.

2° ex doctrina Ecclesiae;

1° Non negamus datas fuisse a quibusdam *Episcopis* aut *curiis episcopalibus* solutiones et latas fuisse sententias indissolubilitatis legi contrarias (1); quaedam etiam decreta principiis minus conformia lata esse a conciliis particularibus (2), vel et a Summo Pontifice quodam (3). Atvero, quod spectat acta emanantia ab Episcopis singularibus vel conciliis particularibus, non exhibent sensum Ecclesiae universalis; sententia autem pontificia, quae opponitur, erat mere disciplinaris vel saltem extra exercitium magisterii infallibilis posita. Caeteroquin adeo rara existunt hujusmodi decreta, quorum difformitas sit certo admittenda, ut morali ac constanti doctrinae uniformitati nullatenus noceant: plura quidem ab ad-

(1) Ita sponte fatemur Episcopos, quorum judicium fuit invocatum in causa Lotharii, Philippi-Augusti et Henrici VIII, officio suo defuisse et a rectae doctrinae tramite declinasse. Caeterum praepostera Episcoporum sententia, in dictis causis, pro objecto habebat, non dissolutionem vinculi, sed declarationem nullitatis. Cf. n. 359.

(2) Concedendum est *conciliorum* Vermeriensis (756) et Compediensis (757) canones 5 et 9, respective et 6, 13 et 16, solutiones proponere a stricta norma recedentes; et ita in specie solutionem vinculi concedunt in casu supervenientis affinitatis illegitimae, de quo suprà, sub n. 233. Cf. HARDUINUS, o. c., III, col. 1989 ss. et 2003 ss.; *Concilia Galliae*, ed. Sirmundi, 1629, II, p. 1 ss. et 41; HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., III², p. 917 ss. et 940 ss. Conditi autem videntur praefati canones sub influxu Principum civilium dictis synodis assistentium, moribus tunc vigentibus ex oeconomia practica induigentium, nec in omnibus ab Episcopis praesentibus fuerunt probati. Cf. FAHRNER, o. c., p. 74 ss.; VILLIEN, *Divorce*, l. c., col. 1464 ss.; *The catholik Encyclop.*, v° *Divorce*, p. 57 s.; MANGIN, apud *Dict. de droit canonique*, V° *Adultère*, col. 245 s.; cf. etiam mox infrà. Non defuerunt etiam illo tempore poenitentialia nimium faventia laxiori praxi regnanti; sed notandum libros illos, utpote a privatis personis emanentes, non exhibere doctrinam Ecclesiae, quantumvis magnum influxum, eumque in nostra materia valde nocivum, exercuerint. Cf. FAHRNER, o. c., p. 77 ss., coll. p. 84 ss. et 89 ss.; FREISEN, o. c., p. 785 ss.; VILLIEN, *Divorce*, col. 1467 s.; MANGIN, l. c.

(3) Id contigit cum *Coelestino* III (1191-1198), qui c. 2, *Comp.* II, III, 20, permisit quoad vinculum solvi matrimonium ratum et consummatum in casu quo vir, in odium religionis apostata effectus uxorem reliquit, ad illum casum indebitè extendendo privilegium Apostoli: quod judicium jam reformavit Innocentius III (1198-1216), c. 7, X, IV, 19, explicite ad illud alludens, ubi ait: « licet quidam praedecessor noster sensisse aliter videatur ». Cf. suprà, n. 342; cf. etiam *Realencyklop.*, v° *Scheidungsrecht*, vol. XXI, col. 861, ubi inepte arguitur exinde contra infallibilitatem Rom. Pontificis.

Quod autem spectat *rescriptum Gregorii II ad Bonifacium* (726) apud HARDUINUM, o. c., III, col. 1858 s.: « *Quod proposuisti, quod si mulier, infirmitate correpta, non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat jugalis? Bonum esset si sic permaneret, ut adstinentiae vacaret; sed, quia hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere nubat magis, non tamen subsidii opem subtrahat ab illa, quam infirmitas praepedit et non detestabilis culpa excludit* »: non illicò concedendum est cum *Gratiano*, in *Dicto* ad c. 18, C. XXXII, qu. 7, quod « illud Gregorii sacris canonibus, imo evangelicae et apostolicae doctrinae, penitus invenitur adversum » (censebat praesto esse impotentiam matrimonium consummatum consequente). Dici potest, cum MOY, o. c., p. 309 ss.; SÄGMÜLLER, *Tub. Quartalschrift*, 1905, p. 84 s., 1911, p. 93 ss. et 1913, p. 565 ss.; *The cath. Encycl.*, v° *Divorce*, V, p. 59 et WERNZ, o. c., IV, p. 499, conjugium declarari nullum ob *impotentiam antecedentem:* erat nempe consuetudo in Ecclesia Romana ut matrimonium ob conjugis impotentiam, etiam antecedentem, non dissolveretur, sed urgeretur habitatio fraterna; Gregorius autem noluit illam praxim severam imponere Germanis, quia hoc magnorum est. Vel dici potest, cum FAHRNER, o. c., I, p. 62 ss., ac etiam FREISEN, o. c., p. 331 ss., et SCHERER, o. c., p. 267, nota 10, agi de matrimonio *non consummato*, cui supervenit impotentia consequens, *dissolvendo*. Vel etiam admitti posset cum ESMEIN, o. c., p. 59 s. et p. 75 (cui videtur consentire SHELING, *Die Wirkungen*, p. 19, in nota, necnon VILLIEN, *Divorce*, col. 1466 s. et H. KOCH, o. c., p. 9 s.), a Gregorio *tolerantiam* commendari et *oeconomiam practicam* in severa solutione urgenda absolutae indissolubilitatis, quam ipse alibi inculcat (*Capitulare* c. 6, apud HARDUINUM, o. c., III, col. 1862), sed quam in casu prudenter urgeri non posse censet. Simile quid observavimus suprà, occasione quorumdam canonum conciliorum; pro Gregorio autem eo vel magis erat indulgentia utendum et tolerantia, ac bonae fidei parcendum in qua populus circa strictam indissolubilitatis legem versabatur, quod agebatur de Germanis recenter conversis, et quorum mores adeo divortio favebant. Cf. etiam BOUDINHON, apud *R. cl. fr.*, 1909, t. LVIII, p. 470 ss.; VLAMING², o. c., n. 279.

versariis opponuntur documenta, sed vel sunt dubiae authentiae (1), vel in orthodoxum sensum intelligi valent (2), vel normas proponunt principium non negantes, sed oeconomiam practicam sapientes, juxta dicta sub n. 358 (3).

366.

3° ex dictis SS. Patrum.

2° Pari modo solvi potest difficultas quae deducitur ex nonnullis textibus *SS. Patrum* et *scriptorum ecclesiasticorum:* conantur profectò adversarii provocare ad varias antiquitatis sententias, easque fidei catholicae opponere, ac in specie urgent, in hoc facilius nonnunquam consentientibus Auctoribus catholicis, testimonia Hermae (4), Tertulliani (5), Lactantii (6), S. Hilarii (7), S. Basilii (8), S. Epiphanii (9), S. Asterii Amaseni (10), S. Cyrilli Alexandrini (11), Theodoreti Cyrensis (12) et Ambrosiastris (13); ast vix dantur, inter adducta testimonia, laxiori dissolubilitatis praxi aperte et indubiè faventia (14), ac frustrà, inter Ecclesiae dogmata, dogma quaereres quod cum majori uniformitate ac constantia fuerit vindicatum, quam principium indissolubilitatis vinculi conjugalis, non obstante ejus severitate ac quadam etiam textus evangelici ambiguitate.

---

(1) Hoc obtinet cum 2ª Synodo S. Patritio adscripta. Cf. HÉFELÉ-LECLERCQ o. c., II², p. 888 ss.

(2) Hoc valet, inter alia, pro canone 2° Synodi (Vannes) *Veneticae* (465), ubi statuitur a communione arcendos eos « qui, relictis uxoribus suis... excepta fornicationis causa, sine adulterii probatione, alias duxerint »: potest forsan hoc statutum ita intelligi, ut nempe viros, uxore adultera dimissa, aliam ducentes, non ab omni culpa absolvat, sed quod mitius cum eis agendum judicetur quam cum aliis.

Occurrunt etiam ordinationes statuentes, in casu adulterantis uxoris, hanc esse dimittendam absque spe novi matrimonii ineundi, dum viro permittitur aliam uxorem ducere. Quae ordinationes in rectum sensum intelligi possunt, quatenus scil. uxor adultera, in poenam delicti, perpetuo innupta manere debeat, dum vir non est obnoxius illi poenae: potest ipse ad nova vota transire, utique in supposito quod aliunde nihil obstat, in specie quod, defuncta uxore, libertatem suam recuperaverit. Cf. MOY, o. c., p. 293, nota 489, ubi textus parallelos in subsidium adducit.

Ad conciliationem etiam quorumdam textuum confert suprà, n. 359, facta distinctio inter matrimonia consummata et non consummata, necnon inter sententiam dissolutionis et declarationem nullitatis.

(3) Ita etiam explicat BÖCKENHOFF, o. c., p. 47 s., canones Concilii Vermeriensis et Compendiensis, de quibus modò suprà.

(4) Mandatum IV, cap. I. Cf. FUNCK, *Patres Apostolici.* Cf. etiam MOY, o. c., p. 11 ss.

(5) *Adversus Marcionem,* l. IV, c. 34, ed. Oehler, 1854.

(6) *Instit. divin.,* VI, 23. — MIGNE, VI, col. 720.

(7) *Comment. in Mt.,* c. IV, n. 22. — *S. Hilarii Opera,* ed. *Maurin.,* Parisiis, 1693, col. 627.

(8) *Epist. ad Amphilochium* 188, (inter canonicas 1ª), can. 9. — MIGNE, XXXII, col. 678.

(9) *Adversus haereses,* l. II, tom. I. *Haer.* 59 (39), c. 4. — MIGNE, XLI, col. 1023-1026.

(10) *Homel. in Mt.,* citata sub n. 360.

(11) *Fragmentum commentarii in Matth.,* ad c. V, 31, et *De adoratione et cultu in spiritu et veritate,* l. VIII; apud MIGNE, respective LXXII, col. 380 et LVIII, col. 584.

(12) *Graecarum affectionum curatio,* Sermo IX. — MIGNE, LXXXIII, col. 1053.

(13) *Comment. in 1 Cor.,* VII. — MIGNE, VI, col. 720. Cf. *Revue Bénédictine,* 1914, p. 1 ss., ubi MORIN, *Qui est l'Ambrosiaster,* uti certam proponit sententiam juxta quam incertus ille Auctor sit Evagrius, qui mortuus est, circa a. 392, Episcopus Antiochenus.

(14) Pro testimoniis **Hermae, Lactantii, S. Asterii** et **S. Hilarii,** remittimus ad textus citatos: quorum attenta lectio docebit quam merito sustineri possit eorum conformitas cum doctrina communi. In specie autem notetur facilius quam par est a FREISEN, o. c., p. 770, dubium emitti circa *Hermae* sententiam, quasi, in reprobatione dimissionis uxoris a viro, comprehendere non intenderit casum adulterii, cum ipse GEFFCKEN, o. c., p. 19, dicat: « klarer als Hermas es hier thut, kann man sich wohl kaum ausdrücken ». Potest aliqua difficultas fieri circa hoc quod Hermas videatur dicere ideo alias nuptias prohiberi conjugibus separatis, ne parti reae via praecludatur ad poenitentiam: unde nonnulli, uti GEFFCKEN, l. c., admittunt ab Herma non prohiberi transitum ad alias nuptias casu quo nulla

367. Conclusio. **Conclusio.** Ex doctrina, sub toto hoc articulo proposita, sequitur matrimonium ratum et consummatum esse *absolute et omnimodè indissolubile,* illudque *solum* esse tale (1), ipsique *soli* perfecte applicari, juxta dictum Alexandri III, c. 7, X, III, 32, sententiam evangelicam: non licere viro dimittere uxorem. Cf. suprà, n. 333, coll. n. 356 s.

---

jam est spes poenitentiae; contra quos merito arguit OTT, o. c., p. 10 s. Juvat etiam, contra illos, qui cum ESMEIN, l. c., verba detorquent *S. Hilarii,* inducere monitum Maurinorum, ad h. l.: « Qui ex hoc loco volunt Hilarium, non modò uxorem adulterii ream dimittendi, sed et alteram ducendi licentiam tribuere, aliud ei attribuunt, quam quod dicit aut sentit, cum maritum uxoris adulterae ab illius societate dumtaxat absolvat ».

Circa **Tertulliani** sententiam, quam indissolubilitatis legi contrariam vel saltem suspectam exhibent ESMEIN, o. c., II, p. 49; QUINQUET DE MONJOUR, o. c., p. 12; DUMAS, o. c., p. 23; DESSAULES. o. c., p. 202; POTHIER, o. c., n. 489; et etiam TURMEL, *Hist. de la théol. positive,* Paris, I, p. 157 s. et p. 349, necnon OTT, o. c., p. 22-29 (cf. etiam VANDERVELDE, *Annales parlement. Belges,* 1904-1905, p. 108): si bene perpendantur verba usurpata, nonnihil obscura, Tertullianum potius strictae legis vindicem probant. Totus nimirum in illo loco est in hoc ut ostendat non dari oppositionem inter Christum et Moysen, in doctrina circa repudium seu divortium, docendo Moysen non absolutè nec illimitatè concessisse divortium, nec Christum illud absolutè prohibuisse: dicit nempe Christum Dominum « conditionaliter nunc fecisse divortii prohibitionem, si ideo quis dimittat uxorem *ut aliam ducat* »; a. v. permisit Christus divortium et separationem cum ea restrictione quod conjuges maneant innupti; et ideo potest Tertullianus concludere: « si conditionaliter prohibuit (Dominus) dimittere uxorem, non in totum prohibuit, et quod non prohibuit in totum, permisit aliàs, ubi causa cessat ob quam prohibuit », nempe permisit in quantum non intenditur divortium ea de causa ut transeatur ad alias nuptias. Ulterius autem insistit in illa restrictione apposita permissioni Christi ad instituendum divortium, quod scil. permiserit divortium *absque transitu ad alia vota:* « qui dimiserit, inquit (Christus), uxorem et aliam duxerit, adulterium commisit, et qui a marito dimissam duxerit, aeque adulter est, ex eadem utique causa dimissam qua non licet dimitti, ut alia ducatur; illicitè enim dimissam pro indimissa ducens adulter est. Manet enim matrimonium, quod non rite diremptum est; manente matrimonio, nubere adulterium est ». Caeterum mirum foret Tertullianum, severae disciplinae sectatorem, in hac re laxiori praxi indulsisse, eo vel magis quod, quo tempore *Adversus Marcionem* scripserit (207-208), jam ad Montanismum declinabat. Ulterius, in libro *De patientiâ,* c. XII, antè conscripto (inter 200 et 206), aperte favet indissolubilitatis legi.

Ex alia parte fatendum est nonnullos Patres et scriptores orientales, notatim S. Basilium, S. Epiphanium, Theodoretum, S. Cyrillum Alexandrinum, S. Asterium et Ambrosiastren, ratione habita praxeos laxioris apud coaevos vigentis, maxime erga maritos uxorem adulteram habentes, minus urgere strictae indissolubilitatis principium, ac ipsi videri nonnunquam contrarios; nescio tamen utrum, praeter Ambrosiastren, alius detur qui veluti doctrinam catholicam nitidè proponat matrimonium posse a vinculo dissolvi in casu adulterii. Ideo non placet, in specie quod spectat *S. Basilium* et *S. Epiphanium,* dari auctores etiam catholicos, inter quos FAHRNER, o. c., I, p. 31 s.; SCHERER, o. c., p. 543 s.; FREISEN, o. c., p. 772; TURMEL, o. c., I, p. 157; PHILIPPE, apud *Canon. contemp.,* 1902, p. 207, qui citius quam oportet dictos SS. Patres agnoscunt qua rectae doctrinae desertores, nec satis attendunt varias quae in conciliationem proponuntur explicationes, quaeque ab illis textibus evidentem saltem auferunt cum catholica doctrina contraditionem. Ita v. gr. cf. PERRONE, o. c., III, p. 263 ss. et p. 278 ss.; AMORT, *Demonstratio critica religionis catholicae,* P. I, qu. 15; VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire,* v° *Adultère,* p. 481 s.; POIRTALIÉ et GONDAMIN, *Bulletin de Littérature religieuse* (Toulouse), 1900, p. 16 ss.; DENNER, o. c., p. 47-56 et 64-68, ac prae caeteris OTT, o. c., p 54-61 et 64-67.

(1) Equidem matrimonium legitimum (consummatum vel non consummatum), non est dissolubile *quamdiu utraque pars manet infidelis;* atvero id non provenit ex nativa ejus vinculi firmitate, neque stricto jure ex defectu potestatis Ecclesiae, sed ex defectu subjectionis matrimonii ad potestatem Ecclesiae, cui soli competit, ad exclusionem Principis civilis, divina potestas ministerialis connubium dissolvendi; caeterùm non est absoluta indissolubilitas, sed relativa ad remanentem statum infidelitatis utriusque partis.

Notavimus etiam suprà, n. 333, Ecclesiam quidem posse universim dissolvere vinculum matrimonii, inter partem infidelem et partem baptizatam rite celebrati et consummati, sed hanc potestatem de facto exercere non videri, si dictum matrimonium fuerit cum dispensatione initum.

Quod respectu descripti matrimonii strictissimè, et omni exclusa derogatione, urgeatur indissolubilitatis lex, proxima quidem et propria ratio est, uti vidimus (n. 356 s.), in voluntate positiva divina; remote vero id procedere videtur ex illa duplici perfectione accidentali quae contractui matrimoniali accedit, ex consummatione scil. simul et sacramentalitate, quatenus nempe Deus, intuitu hujus duplicis concurrentis perfectionis, voluerit hujusmodi matrimonio competere strictam et intactam vinculi indissolubilitatem (1).

Nimirum primò, consensui accedente copula, perfectius repraesentatur unio Christi cum Ecclesia, quatenus, dum consensus conjugum, juxta *Lombardum* (suprà, n. 98), significat unionem spiritualem Christi et Ecclesiae, quae est per charitatem, commixtio sexuum unionem significat quae fit per naturae conformitatem; secundò, ex addita sacramenti ratione firmari vinculum docetur in Concilio Trid., Sess. XXIV, *decr. de matr.*, ubi dicitur Christum promeruisse gratiam sacramentalem matrimonii, quae « indissolubilem unitatem confirmaret », necnon in novo Codice, canone 1013, § 2, de quo suprà, n. 354, in nota (2).

Scholion I. Disciplina ecclesiae orientalis schismaticae ac ecclesiae protestanticae.

368. Disciplina ecclesiae schismaticae

A. **Orientales schismatici** (3) generatim assumpserunt causas divortii admissas a Justiniano, in *Novella* 117 (infrà, n. 371), quae locum dant vel *divortio cum damno*, injunctis poenalitatibus contra partem noxiam, vel *divortio bona gratia*, absque poenalitatibus.

Nimirum

1° *Pro divortio cum damno:* sunt patriae traditio (Hochverrath), insidiae contra vitam compartis, adulterium et varia crimina in ejus suspicionem ducentia, abortus procuratio, casus apostoli, superveniens cognatio spiritualis post susceptionem prolis.

2° *Pro divortio bona gratia:* impotentia antecedens post triennale experimentum, alterius partis occultatio, incarceratio aut servitus, insania seu imbecillitas, professio religiosa, elevatio viri ad episcopatum, lepra.

---

(1) Nota quod strictae indissolubilitatis rationem ponamus *in Deo;* non enim ex statuto Ecclesiae procedit, quasi ipsa statuerit se nolle erga matrimonium ratum et consummatum uti sua potestate dissolvendi vinculum: procedit scil. ex voluntate Dei, nolentis concedere Ecclesiae potestatem super dicto vinculo dispensandi. Cf. suprà, n. 356.

(2) Aliam rationem inducit VERMEERSCH, *De Castitate*, n. 79: quatenus absoluta indissolubilitas repetenda sit « ex completa per actum conjugalem corporum traditione, fere sicut olim, in jure Romano, translatio dominii, non sola pactione, sed traditione vera seu symbolica perficiebatur ».

(3) Cf. ZHISMANN, o. c., p. 729-783; VERING, o. c., p. 941 s.; WATKINS, o. c., p. 347-362.

Quod spectat Graecos *unitos*, illis in hac re imponitur doctrina Ecclesiae Romanae circa indissolubilitatem absolutam matrimonii rati consummati, utpote quae doctrina exhibet dogma catholicum. Cf. suprà, n. 358, in nota; VERING, o. c., p. 943; *Praxis missionarii in Oriente servata*, Parisiis, 1911, n. 162.

369. et protestanticae.

B. **Protestantes** (1) plerique (2) admittunt uti causas divortii: adulterium (provocant ad Matth., XIX), necnon malitiosam desertionem, ampliando scil. et malè interpretando privilegium Paulinum. Ulterius autem, variis in ecclesiis et regionibus, plures adhuc induxerunt causas divortii, quales sunt insidiae in vitam, saevitiae, lepra, ebrietas etc., easque causas ceu legitimas vindicat EBELING, o. c., p. 41-48 (3). Cf. etiam FAUREY, o. c., p. 117-123; HOWARD, o. c., II, p. 60 ss.; ROEDENBECK, o. c., p. 112 ss., qui auctor, p. 128 s., limites describit intra quos *de jure* posset divortium permitti, ac causas reducit ad adulterium et casum Apostoli, ad mentem catholicorum, adeo ut, pro matrimonio christiano, soli adulterio vim agnoscat dissolvendi vinculum.

370. Tria bona matrimonii.

Scholion II. De Bonis matrimonii.

Quemadmodum ex disputatis sub sectione 2ª liquet, quae essentialiter constituunt matrimonium christianum ad *tria* reduci queunt: *duo* nempe quae spectant matrimonium *uti est in officium naturae,* ordinatio scil. ad prolem generandam et educandam, ac in ea nitens mutua maris et feminae obligatio ad mutuam exclusive conjugalem fidelitatem; *unum* quod spectat matrimonium *quatenus est sacramentum,* sacramentalis nempe dignitas cum vinculi indissolubilitate quam vidimus peculiari titulo et majori firmitate consequi sacramenti dignitatem (4).

Vocantur *bona matrimonii* in quantum considerantur sub hoc respectu quod honestum reddunt matrimonium ejusque actum, cui ex sese inhaeret aliquid imperfectionis et jacturae (5). Nimirum a/ honestum redditur *matrimonium:* et quidem *naturali* honestate decoratur ex dicta ordinatione ad prolis generationem et educationem, atque ex mutua ac individua ad

---

(1) Cf. ROEDENBECK, o. c., p. 729-783; VERING, o. c., p. 943 ss.; OTT, o. c., p. 157 ss. Cf. etiam FAHRNER, o. c., p. 244 ss., ubi proponitur etiam doctrina, a recto tramite deflectens, Erasmi, praecursoris Reformationis, necnon Cajetani et Ambrosii Catharini.

(2) Dicta spectant Protestantes signanter germanicos et helveticos. In *ecclesia anglicana* non fuit expresse et, ut ita dicam, officialiter admissa matrimonii dissolutio per divortium a vinculo. Etiamnum, sub regimine edicti anni 1857, divortium civile concedentis ex causa adulterii, non agnoscitur, juxta decisiones latas in *Lambeth Conference* anni 1888 (GEARY, o. c., p. 579 ss.) et anni 1908 (WATKINS, o. c., p. 164 ss.), facultas pro parte adultera, divortio civili separata, novas nuptias ineundi, utpote juri divino contrarias; et, si parti innocenti non strictè prohibentur iterandae nuptiae nec severius recusatur earum benedictio ritualis, dissuadetur tamen danda benedictio. Cf. etiam WATKINS, o. c., p. 426-430, coll. HOWARD, o. c., p. 3-11.

Equidem *Reformatio legum ecclesiasticarum,* anno 1552 edita et sanctioni auctoritatis ecclesiasticae proposita, divortium variis ex causis inducebat, rejecta separatione tecti; de facto etiam, ante edictum anni 1857, non rarò concessum est divortium a vinculo, in casu particulari, per speciale *parliamentary bill;* sed dicta *Reformatio* nunquam fuit in legem ecclesiasticam sancita, et concessiones particulares tantum casus spectabant et extra legis dispositiones sunt datae. Cf. *Encycl. Britannica,* t. VIII, p. 338 s.

Circa mentem variarum ecclesiarum protestanticarum in *Statibus Foederatis Americae,* respectu divortii, earumque in hac re legislationem ac conatus in restringendam divortiorum frequentiam, cf. LICHTENBERGER, o. c., chapt. VIII, p. 121 ss.

(3) Ipse Luther divortium admisit in casu denegationis debiti, quasi haec denegatio aequivaleret malitiosae desertioni. Cf. famosam ejusdem concionem anni 1522, apud BOSSUET, *Histoire des variations des églises protestantes,* Paris, 1688, l. VI, p. 299 ss.; HOWARD, o. c., II, p. 62 s.; GRISAR, *Luther,* II, p. 208 ss.

(4) *Bonum sacramenti,* apud SS. Patres et plerosque antiquiores Doctores, spectat indissolubilitatem vinculi (apud christianos strictiorem) potius quam dignitatem sacramentalem; et sic occurrit illud dictum apud illos qui nondum expresse agnoscunt sacramentalitatem matrimonii.

(5) « In conjunctione viri et mulieris rationis jactura accidit, tum quia propter vehementiam delectationis absorbetur ratio, ut non possit aliquid intelligere in ipsa...; tum etiam propter tribulationem carnis, quam oportet tales sustinere ex sollicitudine temporalium ». S. THOMAS, *Suppl.,* qu. 49, art. 1°.

fidelitatem obligatione, uti ostensum est suprà; *supernaturali* autem sanctitate ornatur ex accedente sacramentali dignitate; b/ cohonestatur ipse *actus* seu *usus matrimonii* tum objectivè ex eadem dicta ordinatione ad propagationem, tum subjectivè ex intentione conjugum generandi prolem vel servandi fidelitatem conjugalem (1).

Et ita intelligitur trita formula: *tria sunt bona matrimonii: proles* (seu bonum prolis), *fides* et *sacramentum; proles* dicitur pro ordinatione ad prolis generationem, et *fides* pro obligatione ad fidelitatem, utroque illo bono accepto prouti spectantur terminativè.

Quod ultra haec tria non dentur alia bona essentialia, colligitur ex superius expositis (cf. BUCCERONI, apud *Anal. Eccl.*, 1901, p. 319 s.); quodnam autem inter bona illa principalius sit habendum, exponit S. THOMAS, *Supplem.*, qu. 49, art. 3.

PARERGON

DE DIVORTIO CIVILI.

§ 1. NOTITIA HISTORICA.

I. DIVORTIUM IN JURE ROMANO (2).

371. Divortium in jure civili Romano.

Sub antiquo jure Romano, *matrimonium in manu* non poterat solvi ex parte *mulieris;* ex parte autem *viri* erat dissolubile matrimonium per coemptionem et per usum, idque ob varia vitia uxoris, signanter adulterium, ebrietatem, veneficium; matrimonium confarreatum primitus videtur fuisse indissolubile, sed deinceps potuit (nisi forte pro flaminibus Jovis) ex causis allatis dissolvi per sic dictam, non parùm laboriosam, diffarreationem (3).

Pro *formalitate* observanda in solvendis connubiis, extra diffarreationis casum, antiquitus adhibendum erat, non tamen sub poena nullitatis, *consilium amicorum;* postea sub Augusto imperatore, vi legis *Julia*, recurrendum erat a parte repudiante ad ministerium *septem testium*, idque, ut videtur, ad valorem; nulla autem requirebatur interventio auctoritatis publicae et divortium fuit et mansit actus juris privati.

---

(1) Haec nempe duo bona, ordinatio scil. ad prolis generationem et mutua ad fidelitatem obligatio, spectari possunt prouti sunt *in habitu*, et prouti sunt *in actuali intentione:* sicut autem « secundum quod sunt in habitu, faciunt *matrimonium* honestum...,ita etiam, secundum quod sunt in actuali intentione, faciunt *actum* matrimonii honestum ».

Quod autem spectat tertium bonum sacramenti, « non pertinet ad usum matrimonii, sed ad essentiam ipsius...; unde facit ipsum matrimonium honestum, non autem actum ejus, ut per hoc actus ejus absque peccato reddatur ». S. THOMAS, *Supplem.*, qu. 49, art. 5. Attamen licet actus matrimonii non cohonestatur nec sanctificatur ex ratione sacramenti, neque, uti dicit S. THOMAS, l. c., ex eo quod causa sacramentalis significationis conveniunt conjuges, potest equidem *actus* matrimonii ex eo sanctificari quod intentio generandi prolem dirigatur ad finem qui proprius est matrimonii, in quantum est christianum et sacramentum, nempe ad gloriam Dei. Cf. S. THOMAS, *Contra gent.*, l. IV, c. 78.

(2) Circa divortium apud reliquas gentes antiquas, cf. VILLIEN, *Divorce*, l. c., col. 1456 s.

(3) Cf. DARENBERG ET SAGLIO, o. c., v° *Divortium*, II¹, p. 521 s.

Matrimonium sine manu, quod jam ante aevum nostrum (circa medium saeculum 2[m] ante Christum) inductum fuisse vidimus (suprà, n. 147), quodque in dies magis invaluit, ac inde a saeculo tertio post Christum vix non solum erat in usu, dissolutioni fuit obnoxium, non modò ex communi consensu, sed et ex alterutrius, etiam uxoris, voluntate (1), idque absque formalitate ac pedetentim pro lubitu. Equidem, in casu divortii ex una parte, repudii nuncupati, exigebatur a lege praesentia causae justae in jure statutae, sed etiam absque hujusmodi causa institutum divortium suum sortiebatur effectum, et sola sanctio consistebat in quibusdam poenalitatibus (2).

Libertas illa sensim extensa est ad *matrimonium cum manu;* unde factum est ut connubia universim, excepto forsan matrimonio confarreato, vix non eadem facilitate solverentur quam contraherentur, utque in immensum creverit divortiorum numerus. Postquam nempe, in 1[a] periodo Reipublicae, admodum rara fuerant divortia, inde ab anno 500 C. U. et initio Imperii, sub influxu corruptionis morum, latissime sparsa est divortii lues, uti manifestè liquet ex documentis et testimoniis relatis apud CAMBIER, o. c., p. 44 ss.; COULON, *Divorce,* p. 54 ss.; GLASSON, o. c., p. 175 ss.; LEFEBVRE, o. c. p. 133 ss. (3).

Imperatores christiani (4) conati sunt, in quantum adjuncta sinebant, laxiores legislationis civilis dispositiones, in sensum doctrinae Ecclesiae refrenare, quin tamen, uti statim liquebit, strictam indissolubilitatem urgerent.

Ita Constantinus, anno 331, *causas* restrinxit ob quas dimitti posset conjux: admittens ex parte uxoris, in favorem viri, adulterium, veneficium, officium conciliatricis (Kuppelei); ex parte autem viri, in gratiam uxoris, homicidium, veneficium et sepulcri violationem; ob alias causas compartem repudians obnoxius erat severioribus poenis, ac viro interdicebantur novae nuptiae, dum mulier exilio plectebatur. Postea tamen, sub reactione populi liberiori disciplinae assueti, ampliata est divortii libertas, in specie a Theodosio II, qui plures novas repudiationis causas admisit, ac abstulit absolutam denuò nubendi prohibitionem. Justinianus (542) iterum intra strictiores terminos reduxit illas causas (5); insuper eo venit ut abrogaret divortium ex mutuo consensu (6), solo excepto casu professionis religiosae utriusque conjugis, illud autem restituendum censuit ejus successor (566) (7).

II. DIVORTIUM IN JURE ANTIQUO GERMANICO.

372. Divortium in jure antiquo Germanico.

Passim admittitur quod, non obstante puritate morum, quam laudat Tacitus apud antiquos Germanos, in horum jure facultas fuit facta

(1) Etiam pater uxoris, si sub ejus potestate manserat, jus habebat divortium inducendi.

(2) Cf. FAHRNER, o. c., p. 4, ubi refert distinctionem inter repudium bona gratia (quando fiebat ob causam a jure admissam, citra culpam partis repudiatae) et repudium injustum (seclusa scil. causa in jure statuta vel supposita culpa partis repudiatae).

(3) Notissimum est illud dictum *Senecae,* quatenus matronae Romanae annos numerabant juxta numerum maritorum.

(4) Circa inania conamina Augusti, cf. FAHRNER, p. 5 s.

(5) FAHRNER, o. c., p. 28 s.; GEFFCKEN, o. c., p. 25 ss.

(6) *Novella* 117, c. 10.

(7) Circa divortii fata in subsequente legislatione imperatorum in Oriente, cf. WATKINS, o. c., p. 350 ss. — Quod autem spectat jus et praxim in hoc negotio vigentia apud antiquiores *Graecos,* cf. FAHRNER, o. c., p. 6 ss.

marito uxorem quasi arbitrarie dimittendi, salva quadam compensatione facienda repudiatae mulieris consanguineis; nullum autem uxori agnoscebatur repudiationis jus (1). Existentiam repudiandi facultatis penes virum, eumque exclusive solum, suadent tum natura matrimonii, tum potestas viri respectu uxoris, quales eas Germani concipiebant (suprà, n. 148) (2).

Inde a saeculo V°, Germani, medium inter populum Gallo-Romanum, cujus regiones invaserant, versantes, coeperunt leges condere et codices conficere, sive distinctim pro subjectis Germanis et pro subjectis Gallo-Romanis, sive simul pro utriusque speciei subditis. Ita Visigothi et Burgondi habent *Legem Romanam,* pro subditis Romanis, juxta *Legem Barbaram,* pro Germanis; contrà *Edictum Theodorici* regit Ostrogothos Germanos simul et Romanos (3).

In omnibus illis legibus, etiam barbaris, manifestus apparet influxus religionis christianae necnon juris Romani; prae caeteris autem attenduntur dispositiones Codicis Theodosiani, quadamtenus adaptatae et moderatae juxta mores regionales et juxta conceptum christianum.

In specie quod spectat *divortium:*

1° *Leges Romanae,* tum Burgondionum, tum etiam, ut videtur (4), Visigothorum (5), adhuc permittunt, ad tramites imperatorum christianorum, divortium *ex mutuo consensu;* divortium autem *unilaterale,* quod utrique conjugi aeque prostat, ferme restringunt ad causas a Constantino statutas (n. 371), ac prohibent novas nuptias conjugibus ex alia causa compartem repudiantibus. In altera etiam lege expressè statuitur, sub influxu christianismi, matrimonium non posse solvi ex causa furoris supervenientis (6).

2° In *Legibus Barbaris* innotescunt, in pluribus, conamina Ecclesiae nitentis ut jus civile magis magisque conformetur indissolubilitatis principio.

Ita circa divortium *ex mutuo consensu:* dum in plerisque legum collectionibus admissum fuerit, sub influxu juris Romani (7), hoc divortium, inserta legitur in Lege Visigothorum, sub medio saeculo septimo, dispositio Ecclesiae circa separationem conjugum vitam religiosam profitentium, remanente vinculo.

Quoad divortium *unilaterale:* Lex Barbara *Burgondionum* (vulgò Lex Gondobaldi seu Loi Gombette nuncupata), originem ducens a fine saeculi V^{i}, postquam, conformiter ad mores Germanorum, denegaverit uxori jus deserendi maritum, idque sub poena suffocationis, illud non permittit viro nisi salva compositione et ob quasdam tantùm causas determinatas, similes ac in jure Romano, ob adulterium scil., veneficium aut sepulturae

(1) Aliunde Germani viro indulgebant adulterium, modò non commisceretur mulieri nuptae; uxor vero adulterans morte infamante plectebatur.

(2) Attenta dicta subjectione uxoris viro, intelligitur a moribus Germanorum alienum fuisse divortium ex mutuo consensu.

(3) Circa leges Romanas et Barbaras, earumque originem et mutuam relationem; cf. VIOLLET, *Histoire...,* Livre I, 4^{e} Partie.

(4) FAHRNER, o. c., p. 51; LÖNING, o. c., II, p. 613 s.

(5) Lex Romana Visigothorum passim vocatur *Breviarium Alarici,* quia exhibet compendium Codicis Theodosiani, ab Alarico II publicatum anno 506.

(6) FREISEN, o. c., p. 778; FAHRNER, o. c., p. 52.

(7) Mentio divortii ex mutuo consensu non apparet ante saeculum VI^{m}, vel etiam VII^{m}.

violationem; postea etiam, sub efficaciori influxu Ecclesiae, sancitur, ad divortiorum numerum minuendum, ut vir, sine legali causa uxorem repudians, cogatur domum relinquere et universae substantiae valedicere in gratiam uxoris repudiatae et prolium. In Lege Barbara *Visigothorum*, antiquitus quidem plures forsitan admittebantur causae, ob quas viro licuerit uxorem dimittere; juxta redactionem vero posteriorem saeculi 7[1] mediantis, non indulgetur viro divortii licentia, nisi in solo casu adulterantis uxoris: huic autem non licet deserere virum nisi sodomitam aut uxoris prostitutorem, et quidem nonnisi ea lege ut alteri viro non nubat ante prioris obitum.

Hae sunt leges barbarae accuratius determinantes divortii disciplinam: ex quibus apparet, ut diximus, ex una parte jus Germanicum, in hoc negotio, influxui Ecclesiae non parum obnoxium fuisse, ex alia tamen parte illud, usque ad saeculum 7[m] et 8[m], longe adhuc distare a perfectione doctrinae christianae. Reliqui codices Germanorum minus legiferunt vel penitus tacent de divortiis; et ita leges Francorum, Salica et Ripuaria, nullum circa divortium referunt statutum saeculo septimo anterius; potest tamen ex variis indiciis erui apud Francos, non secus ac apud reliquos Germanos, divortium fuisse admissum, tam ex mutuo consensu quam ex causis pluribus determinatis (1).

III. Divortium civile inde a saeculo VII ad nostra usque tempora.

A. **Ante Perturbationem Gallicam.**

373. Divortium civile, ante Perturbationem Gallicam, erat absolutè proscriptum.

Energica reactio contra divortiorum libertatem et in favorem strictae indissolubilitatis sese potissimum prodidit sub regimine regum *Carolingarum*, et quidem eo successu ut jam sub Carolo magno penitus recesserit divortium a lege civili; non ideo tamen illico in moribus est recepta severa Ecclesiae norma, eo vel magis quod libri poenitentiales saeculi 7[1] et 8[1] nimium passim favebant laxiori in hac re praxi, uti notavimus suprà, sub n. 365, quodque etiam, post eorum abrogationem, non levem influxum adhuc exercuerunt. Porro quo magis in dies jurisdictio matrimonialis ad judices ecclesiasticos est delata (infrà, n. 445), eo efficacius reformati sunt mores; et ita factum est ut, per decursum saeculi 11[1], universim, in Gallia, recepta fuerint, tam in praxi quam in jure, strictae indissolubilitatis principia. Cujus evolutionis stadia egregie exposita videsis apud Fahrner, o. c., p. 71-120, collato Geffcken, o. c., p. 52-67.

Leges nostrae civiles conformitatem illam cum doctrina catholica circa divortium servaverunt intactam usque ad Perturbationem Gallicam, nec ab illa deflexerunt tempore etiam quo incoepit Status civilis usurpare jurisdictionem necnon legislationem matrimonialem, juxta dicenda sub n. 445 s. Nimirum absolutè reprobatum mansit divortium quoad vinculum matrimonii consummati, sola concessa, ad tramites juris canonici, separatione a toro et cohabitatione, necnon dissolutione vinculi non consummati per professionem sollemnem (2).

---

(1) Circa hujus antiqui juris Germanici dispositiones fusiora videsis apud Löning, o. c., II, p. 617-627; Geffcken, o. c., p. 32-52; Fahrner, o. c., p. 48-59; Freisen, o. c., p. 776-781.

(2) Quod spectat *Privilegium Paulinum*, non fuit coram lege Gallica receptum et Pothier, o. c., n. 500-505, refert edictum Parlementi, latum die 2 Jan. 1758, quo pronuntiatur non esse locum matrimonii dissolutioni, in casu proposito, in quo tamen obtinebant conditiones Paulini privilegii.

B. **Ante introductionem Codicis Napoleonis.**

374. Lex divortii civilis in Gallia inducta est anno 1792;

Anno 1792, die 20 Sept., sub regimine Reipublicae violenter conditae, introducta est a Coetu Legislativo (1), simul cum forma civilis matrimonii (2), *lex divortii*, et quidem ita ut, in mente pseudo-legislatorum (3), ipsa divortii licentia logicè consequeretur constitutionem matrimonii civilis: habebant nempe matrimonium uti merum contractum civilem, natura sua, ad instar reliquorum contractuum civilium, dissociabilem, quemadmodum id fuit explicitè agnitum, tum a Leonardo Robin, legis relatore (4), tum in ipso tenore decreti (5).

Divortium fuit absque ulla oppositione, mediis in angustiis ac perturbationibus Reipublicae, sancitum, illudque tanta cum latitudine, ut non modò ex multis causis determinatis concederetur (6), sed etiam ex mutuo

---

(1) Cf. apud MARTIN, o. c., p. 49-64 et CRUPPI, o. c., c. II, quomodo divortii fautores illius temporis opinionem popularem praeparaverint, ac influxum exercuerint in legislatores ad hoc ut legem divortii conderent. Vide etiam apud RIBEROLLES, o. c., p. 8 ss., anteriores divortii praecones.

(2) Infrà, n. 453 s., exponetur quomodo condita sit oeconomia matrimonii civilis, vi dispositionis latae in ipsa *Constitutione* anni 1791, quae dispositio, tit. II, art. 7, facta declaratione quod « *La loi ne considère le mariage que comme contrat civil* », statuebat: « Le pouvoir législatif établira pour tous les habitants, sans distinction, le mode par lequel les naissances, mariages et décès seront constatés ».

(3) *In se et objective* non sequitur divortium logicè ex proclamatione matrimonii civilis, cum matrimonium, etiam abstractione facta a ratione sacramenti, ac spectatum uti contractus naturalis et civilis, sola potestate civili regendus, equidem contractus sit sponte sua indissolubilis, uti ostensum est suprà et uti exemplo Italiae confirmatur; connexio autem fuit in legislatorum mente et intellectu.

Non est tamen negandus omnis nexus objectivus; ac sane, in ipso conceptu matrimonii civilis, debilitata apparet notio indissolubilitatis, ac infirmior valdè quam in conceptu matrimonii christiani; sub hoc proinde respectu potest dici cum LEMAIRE, o. c., p. 159 s.: « Le mariage civil est cause de l'établissement du divorce en France, en ce sens que lui, conception faible qui n'a pu résister, avait pris la place du mariage religieux, conception forte, qui aurait assuré la victoire... La conception religieuse du mariage solidement fortifiée dans un mariage religieux respecté et légal, voilà ce qu'il eût fallu, voilà ce qu'il faudrait pouvoir opposer au divorce; là est le seul remède qui eût pu nous sauver et de son institution à titre de loi générale, et de son acclimatation chaque jour plus envahissante ».

Quibus verbis juvat addere dictum LAURENT, *Avant-Projet*, t. II, p. 2: « Je ne dis pas que l'on ne puisse, sans être catholique, soutenir l'indissolubilité du mariage. Il est certain toutefois que l'idée religieuse joue un grand rôle dans ce débat ». Cf. etiam LICHTENBERGER, o. c., p. 62 s.

Descriptum infaustum influxum in divortii introductionem jam exercuerat doctrina civilistarum et regalistarum, de quibus infrà, n. 426 et 446 s., qui quidem matrimonium non dicebant esse quid simpliciter profanum, sed, distinctione facta inter contractum et sacramentum, contractum exhibebant uti rem profanam, lege civili regendam, relicto sacramento sub regimine Ecclesiae. Caeterum ex facta distinctione et indole profana contractus, a principe civili moderandi, explicitè exinde deducebant ipsi civilistarum antesignani, signanter De Dominis et Launoius, divortii legitimitatem. Cf. FAHRNER, o. c., p. 258 s.

(4) Cf.. LEMAIRE, o. c., p. 104.

(5) *Ibidem*, ubi Auctor notat, p. 103, non defuisse oratores qui declarabant frustra condi decretum ad divortium indulgendum, siquidem, ut aiebant, illud principium patenter erat contentum in ipsa matrimonii civilis proclamatione. Ita *Guadet:* « Je m'y oppose, exclamat (à la déclaration du principe du divorce dans la loi), *attendu qu'il l'est déjà* ».

(6) Art. 4, paragr. 1: « Chacun des époux peut également faire prononcer le divorce sur des motifs déterminés, savoir: 1° sur la démence, la folie ou la fureur de l'un des époux; 2° sur la condamnation de l'un d'eux à des peines afflictives ou infamantes; 3° sur les crimes, sévices ou injures graves de l'un envers l'autre; 4° sur le dérèglement de mœurs notoire; 5° sur l'abandon de la femme par le mari, ou du mari par la femme, pendant deux ans au moins; 6° sur l'absence de l'un d'eux sans nouvelles au moins pendant cinq ans; 7° sur l'émigration dans les cas prévus par les lois, notamment par le décret du 8 Avril 1792 ». COULON, *Div. et sép.*; p. 240.

consensu (1), ac imo ex alterutrius voluntate, « sur la simple allégation d'incompatibilité d'humeur ou de caractère » (2); vi autem art. 7, « à l'avenir aucune séparation de corps ne pourra être prononcée; les époux ne pourront être désunis que par le divorce » (3).

375. et successive ampliata ;

Porro descripta facultas divortium instituendi, quantumvis lata, adhuc ampliata est, ac expeditiores redditae sunt formalitates adimplendae, favore decretorum 28 Dec. 1793 (8 Nivôse an II), 23-28 Aprilis 1794 et 15 Oct. 1794 (4-9 Floreal, an II et 24 Vendémiaire, an III) (4).

Inde vero ab anno 1795, incoepit *reactio* contra divortiorum petulantiam (5); et, die 2 Aug. ejusdem anni (15 Thermidor, an III), abrogata sunt ultima decreta, sola lege anni 1792 provisoriè servata; quae et ipsa leviter moderata est per legem 17 Sept. 1797, speciatim quoad formalitates praescriptas in impetrando divortio « pour incompatibilité d'humeur » (6). Qua non obstante reactione parùm minuit divortii abusus (7).

C. **Inde a Codice Napoleonis condito usque ad separationem Belgii a Gallia** (1814-1815).

376. in Codice civili fuit sancita sed restricta,

In Codice civili, die 21 Martii 1804 promulgato, et inde a die 3 Sept. 1807 codice Napoleonis dicto, admissum est, simul cum matrimonio civili, *divortium;* ast non est inductum per modum conclusionis logicè defluentis ex ipsa notione matrimonii civilis (8), sed admissum est in sanctionem libertatis cultus (9), et imprimis in *remedium* ad pejora mala vitanda

(1) Art. 2: « Le divorce a lieu par le consentement des époux ».

(2) Art. 3.

(3) Cf. COULON, o. c., p. 174-179, circa processum in obtinendo divortio sequendum hujusque effectum juridicum, inter quae nota conjugibus divortio separatis integrum fuisse reinstaurare matrimonium. Cf. etiam DUMAS, o. c., p. 61 ss.

(4) COULON, o. c., p. 180 s., collato textu qui refertur p. 250 ss. Cf. etiam GLASSON, o. c., p. 206 s.; DUMAS, o. c., p. 63 ss.; RIBEROLLES, o. c., p. 30 ss.

(5) Juxta GLASSON, o. c., p. 261, « à Paris, dans les 27 mois qui suivirent la promulgation de la loi de 1792, les tribunaux prononcèrent 5994 divorces. Dans les trois premiers mois de 1793, les divorces égalèrent à Paris le nombre des mariages ». Cf. tamen MARTIN, o. c., p. 157 ss. — Quae divortiorum multitudo plurium animos commovit: « La loi du divorce, inquit Mailbe, est plutôt un tarif d'agiotage qu'une loi. Le mariage n'est plus en ce moment qu'une affaire de spéculation: on prend une femme comme une marchandise, en calculant le profit dont elle peut être, et l'on s'en défait aussitôt qu'elle n'est plus d'aucun avantage ». « Il faut, a dit Delleville, faire cesser ce marché de chair humaine, que les abus du divorce ont introduit dans la société. Il faut se hâter de rapporter l'article monstrueux qui permet d'invoquer l'incompatibilité d'humeur ». COULON, o. c., p. 181 et 183 s. Cf. COMBIER, o. c., p. 445 ss.; JOLY, *La crise du mariage,* l. c., p. 127.

(6) Cf. COULON, o. c., p. 182-188: quotiescumque nempe ex hoc capite postulatur divortium, « l'officier de l'état civil ne pourra prononcer le divorce que six mois après la date du dernier des trois actes de non conciliation, exigés par les art. 8, 10 et 11 de la loi du 28 Sept. 1792 ». Frustrà postulaverat Portalis abrogationem causae « incompatibilité d'humeur », uti notat RIBEROLLES, o. c., p. 45 ss.

(7) Cf. GLASSON, o. c., p. 261: « Malgré la réaction de l'an III, les abus continuèrent. Dans le seul mois de Pluviose an III, il y eut (à Paris) 223 divorces, dont 205 demandés par des femmes pour incompatibilité d'humeur ».

(8) Contrà agnoscebat legislator matrimonium civile natura sua postulare perennitatem ac indissolubilitatem vinculi. Ita *Savoie-Rollin,* dans son rapport fait au tribunat, dans la séance du 27 Ventôse an XI, proclame que « la destination du mariage est d'être perpétuel », que c'est « un principe universellement reconnu ». LOCRÉ, o. c., V, p. 317. Item *Gillet,* orateur du tribunat, dans la séance du Corps Législatif du 30 Ventôse an XI: « la permanence, ait, est son état, la perpétuite son vœu, l'indissolubilité entre les deux époux sa condition naturelle ». LOCRÉ, l. c., p. 378. Etiam TREILHARD, in *Exposé des motifs:* « C'est un point également incontestable, ita arguit, que de tous les contrats, il n'en est pas un seul dans lequel on doive plus désirer l'intention et le vœu de la perpétuité de la part de ceux qui le contractent ». LOCRÉ, l. c., p. 290.

(9) « La question du divorce... doit être décidée de manière à ne gêner aucune

necessariò adhibendum (1); ideo, uti mox liquebit, restrictae sunt causae divortii, necnon auctae sunt formalitates servandae, ne ad illud nimium recurreretur (2). Divortium semel concessum perpetuum est, nec fas est divortio separatis matrimonium reinstaurare.

Juxta divortium conceditur, in gratiam catholicorum (3), *separatio corporum*, licet haec in provisorio tenore legis propositae non fuerat inserta (4).

377. maximè pro causis divortii.

Quod autem spectat *causas* ob quas divortium et separatio respective indulgebantur:

1° *Divortium* permittebat Codex civilis a/ propter *causas determinatas*, nempe ob adulterium uxoris, vel etiam mariti, concubinam in domo maritali retinentis (art. 229 et 230); ob excessus et saevitias aut graves injurias (art. 231); ob condemnationem ad poenam infamantem (art. 232).

b/ ob *consensum mutuum*. Hunc autem ne intelligas quasi haec causa divortii aequivaleat causae quam, sub oeconomia legis 1792, existere vidimus, sub nomine « incompatibilité d'humeur », vel etiam sub forma consensus mutui, ita ut mero conjugum arbitrio relictum esset vinculum conjugale (5): talem nempe Cod. civilis exigit mutui consensus expres-

---

conscience, à n'enchaîner aucune liberté », adeo ut illi, quorum religio id vetat, ad divortii usum non cogantur, nec illi ab eo impediantur quibus divortium indulget religio. *Treilhard*, apud LOCRÉ, l. c., p. 291. Cf. etiam *Portalis*, apud LOCRÉ, l. c., p. 45, et 139.

(1) « Le divorce en lui-même ne peut pas être un bien; c'est le remède d'un mal ». Ita praefatus *Treilhard* (LOCRÉ, l. c., p. 292 s.), ubi provocat ad passiones et morum corruptionem quae matrimonii dissociabilitatem nonnunquam insupplebiliter exigant; ultrò fatendo a divortio fore abstinendum si alia problematis solutio praesto sit, si nempe « l'on peut trouver le moyen d'assortir si parfaitement les unions conjugales, d'inspirer si fortement aux époux le sentiment et l'amour de leurs devoirs respectifs, qu'on doive se flatter qu'ils ne s'en écarteront plus dans la suite, et qu'ils ne nous rendront plus les témoins de ces scènes atroces, de ces scandales révoltants, qui durent forcer si impérieusement la séparation des deux époux ». Inde scil. deducit necessitatem admittendi divortium *vel* separationem, ulterius autem, attenta separationis insufficientia, necessitatem divortii. Cf. etiam orationem *Gillet*, l. c., p. 378; necnon verba ejusdem *Treilhard*, ad calcem citati *Exposé des motifs*.

(2) Ita *Treilhard* (LOCRÉ, l. c., p. 297): « Les formes, les épreuves dont le divorce sera entouré pourront en prévenir l'abus; espérons que le nombre des époux divorcés ne sera pas grand ».

(3) Postquam conatus est vindicare necessitatem divortii, ita pergit *Treilhard*, (LOCRÉ, l. c., p. 298): « Le pacte social garantit à tous les Français la liberté de leur croyance; des consciences délicates peuvent regarder comme un précepte impérieux l'indissolubilité du mariage; si le divorce était le seul remède offert aux époux malheureux, ne placerait-on pas des citoyens dans la cruelle alternative de fausser leur croyance ou de succomber sous un joug qu'ils ne pourraient plus supporter?... En permettant le divorce, la loi laissera l'usage de la séparation; l'époux qui aura le droit de se plaindre, pourra former à son choix l'une ou l'autre demande: ainsi nulle gêne dans l'opinion, et toute liberté à cet égard est maintenue ». Cf. etiam *Portalis*, apud LOCRÉ, l. c., p. 132, et p. 139.

(4) COULON, o. c., p. 191 et 192: « Le système adopté par la commission (chargée de préparer le projet de loi) ne rétablissait pas la séparation de corps... La discussion aboutit à une *transaction* entre les deux opinions »: alii nempe repudiabant separationem, soli adhaerentes divortio a vinculo, dum alii, rejecto divortio, solam volebant separationem.

(5) Jam, anno 1796, hanc legis 1792 laxiorem dispositionem severè reprobaverat *Regnault*, coram Coetu legislativo inquiens: « Qu'y a-t-il de plus immoral que de permettre à l'homme de changer de femme comme d'habit, et à la femme de changer de mari comme de chapeau? N'est-ce pas porter atteinte à la dignité du mariage? N'est-ce pas en faire le jouet du caprice et de la légèreté; et le changer en concubinage successif »?

sionem eamque tot cautelis ac formalitatibus instructam, ut legislator censuerit perseverantem illum consensum mutuum exhibere *praesumptionem juris et de jure* de existentia causae ad separationem gravissime urgentis, sed occultae ac occultandae; quod caeteroquin clarè innuit art. 233 (1).

c/ *In casu art. 310,* quatenus « lorsque la séparation de corps, prononcée pour toute autre cause que l'adultère de la femme, aura duré trois ans, l'époux, qui était originairement défendeur, pourra demander le divorce au tribunal, qui l'admettra si le demandeur originaire, présent ou dûment appelé, ne consent pas immédiatement à faire cesser la séparation » (2).

2° *Separatio corporum,* vi art. 306, poterit impetrari « dans les cas où il y a lieu à la demande en divorce *pour cause déterminée* », adeoque ob causas dumtaxat sub a/ descriptas, ad exclusionem consensus mutui.

D. **Inde a sejunctione Belgii a Gallia usque ad nostra tempora.**

1° *In Gallia.*

378
Anno 1816 abrogatum, in Gallia, divortium fuit, anno 1884, reintroductum.

Brevi post monarchiam feliciter restauratam, lex divortii fuit vix non unanimi consensu *abrogata* anno 1816, ejusque abrogatio proclamata die 8 Maii (3). Mansit autem abrogatum divortium usque ad annum 1884, non obstantibus pluribus conatibus adhibitis a divortii patronis; pluries quidem ipsis successit ut coram inferiori Coetu legislativo adoptaretur propositio divortium reintroducens, sed iteratis vicibus fuit a supremis comitiis rejecta, quemadmodum latius expositum videsis apud COULON, o. c., p. 229 ss.

Anno 1884, ad hoc praeprimis movente *Naquet,* divortium fuit *iterùm legaliter sancitum* favore legis 27 Julii 1884, leviter moderatae per legem 20 Aprilis 1886, cujus utriusque legis dispositiones exhibet COULON, o. c.,

---

Hujusmodi etiam solutionem ex mera partium voluntate refutat *Treilhard,* apud LOCRÉ, l. c., p. 29 s., ubi agnoscit matrimonium mutua quidem voluntate constitui, nullatenus autem ita solvi, quemadmodum reliquos contractus qui solos contrahentes spectant: « Le mariage n'intéresse pas seulement les époux qui le contractent; il forme un lien entre deux familles, et il crée dans la société une famille nouvelle, qui peut elle-même devenir la tige de plusieurs autres familles; le citoyen qui se marie devient époux, il deviendra père; ainsi s'établissent de nouveaux rapports que des époux ne sont plus libres de rompre par leur seule volonté ».

(1) « Le consentement mutuel et persévérant des époux, exprimé de la manière prescrite par la loi, sous les conditions et après les épreuves qu'elle détermine, prouvera suffisamment que la vie commune leur est insupportable, et qu'il existe par rapport à eux une cause péremptoire de divorce ». Cf. etiam verba *Treilhard,* apud LOCRÉ, l. c., p. 300 ss.; necnon, p. 69, verba Napoleonis: « Le consentement mutuel, aiebat Napoléon, n'est pas la cause du divorce, mais un signe que le divorce est devenu nécessaire ».

(2) « Il ne serait pas juste que l'époux, qui a choisi comme plus conforme à sa croyance la voie de la séparation, dût maintenir pour toujours l'autre époux dont la croyance peut n'etre pas la même, dans une interdiction absolue de contracter un second mariage. Cette liberté que la Constitution garantit à tous, se trouverait alors violée dans la personne de l'un des époux; il a donc fallu autoriser celui-ci, après un certain intervalle, à demander que la séparation soit convertie en divorce, si l'époux qui a fait prononcer cette séparation ne consent pas à la faire cesser; et c'est ainsi que se trouvent conciliés, autant qu'il est possible, deux intérêts également sacrés: la sûreté des époux d'un côté, la liberté religieuse de l'autre ». *Treilhard,* apud LOCRÉ, l. c., p. 298 s.

(3) Cf. LAURENT, *Avant-Projet.,* II, p. 7 ss.; LOCRÉ, l. c., p. 240 ss.

p. 275 ss., coll. p. 235 ss. (1); mansit dispositio art. 306 circa *separationem corporum* (2).

Deinceps in dies magis invaluit divortii abusus (3), et simul cum abusu crescens tendentia in dilatandam viam legalem ad divortium (4); quam dilatationem promovent et jurisprudentia (5) et legislatio (6).

2° *In Belgio.*

379. In Belgio, viguit divortium civile sub dominatione Gallica et Hollandica, ac etiamnum viget.

Viguit Codex Napoleonis donec conditus est et introductus, *sub regimine Hollandico,* novus codex pro Foederato Regno confectus; qui etiam codex permisit divortium, huic favente majori numero deputatorum, etiam Belgarum, qui codici condendo praefuerunt (7).

Post separationem et recuperatam independentiam, reassumptus est Codex Napoleonis, cum variis dispositionibus divortii usum sancientibus;

(1) Inter alia notandum, *a lege anni 1884* jam *non* permitti divortium *ex mutuo consensu;* adulterium mariti etiam non concubinarium esse causam divortii; vi art. 295, non jam prohiberi, uno casu excepto, divortio separatis unionem reinstaurare (cf. infrà, n. 384); art. 310 in hunc sensum fuisse moderatum ut, post tres annos separationis, huic separationi *posset* (non deberet) substitui divortium, dum vi dispositionis Codicis civilis divortium pronuntiari debebat, illud sollicitante parte noxia; nunc autem, per legem 6 Junii 1908, mutatus est articulus in sensum obligatoriae transversionis sententiae separationis in sententiam divortii. Quoad legem anni 1886, id praecipuè videtur advertendum quod divortium, post sententiam judicis, jam non sit pronuntiandum ab officiali status civilis, sed merè inscribendum sit in registro. Cf. RIBEROLLES, o. c., p. 81-109, ubi fata describit legislationis Gallicae circa divortium, ab anno 1816 ad 1886; PLANIOL, o. c., I, n. 1229, 1231 et 1263; ALLÉGRE, o. c., I, p. 187 ss. et infrà, n. 383.

(2) In Codice Napoleonis, uti monuimus, concedebatur separatio quasi locum tenens divortii pro catholicis. In lege autem Gallica anni 1884, admissa est, uti videtur, dicta separatio tanquam institutum viam sternens ad divortium, quasi stadium intermedium, stadium probationis, facilius indulgendum quam divortium; unde ita interpretandus esset art. 306, in codice Gallico, ut separatio et divortium concedantur quidem ob easdem specie causas, separatio autem indulgeri possit ob *leviores in eadem specie causas;* item sensus art. 310 esset quod, coram lege 1884, judex possit separationem convertere in divortium vel non, prout causas, ob quas olim separatio fuit facta, censuerit satis graves necne ut concedatur divortium. Hanc esse oeconomiam legis 1884, magno apparatu conatur ostendere ZARZYCHI, o. c., p. 19-97. Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1299. Cf. etiam *Annales parlementaires Belges.* — Sénat (15 Mars 1911), p. 227 s.

Jam in praeparatione codicis Napoleonis condendi non defuerunt jurisperiti qui, uti Boulay, similem relationem proposuerunt admittendam inter separationem corporum et divortium. Cf. ZARZYCHI, o. c., p. 15 ss.; DUMAS, o. c., 69 ss.

(3) Cf. LEMAIRE, o. c., p. 62 ss.

(4) Cf. quae suprà, n. 313, notavimus circa conatus adhibitos a fautoribus divortii, quales *Naquet* et fratres *Marguerite,* qui quam latissimam viam aperire volunt ad divortia. Ex sua parte moderatius ampliandam legem divortii proponit *Coulon,* in opella *Le Divorce par consentement mutuel,* postulans ut quaedam causae determinatae addantur, utque divortium rursus admittatur ex consensu mutuo, ad modum quo in Codice Napoleonis statuebatur. Cf. RIBEROLLES, o. c., p. 141 ss.

(5) LEMAIRE, o. c., p. 173 ss.; ubi ostendit injuriae causam a jurisprudentia Gallica fuisse ampliatam, ita ut hac mediante eludi possit lex divortium prohibens ex mutuo consensu. Cf. etiam RIBEROLLES, o c., p. 118-122; LOSLEVER, o. c , p. 192 s.

(6) Nuper, die 6 Junii 1908, coram utroque Coetu legislativo adoptata est moderatio proposita art. 310 in sensum pristini Codicis civilis, quatenus « lorsque la séparation de corps aura duré trois ans, le jugement sera *de droit converti* en jugement de divorce à la demande formulée par un des époux »; noluerunt autem admittere restrictionem quam suggessit *D. Méline,* ut scilicet, « si la demande émane de l'époux aux torts seuls duquel la séparation a été prononcée, ou s'il existe un ou plusieurs enfants issus du mariage, le tribunal pourra refuser la conversion ». Cf. BESSE, l. c., p. 341 s., ubi referuntur aliae moderationes divortio faventes, signanter per leges 15 Dec. 1904 et 13 Julii 1907, quibus respective permittitur conjugi adultero nubere, divortio instituto, complici, ac minuuntur dilationes impositae uxori divortio separatae respectu novi matrimonii ineundi.

(7) « Après une discussion qui ne fut ni longe ni remarquable, le projet de loi sur le divorce fut adopté par 62 voix contre 18; les opposants étaient presque tous Belges; toutefois la majorité des députés Belges vota pour le divorce ». LAURENT, *Avant-Projet,* II, p. 15.

hae dispositiones, salvis minoris momenti mutationibus (1), manserunt integrae usque ad haec ultima tempora; recentius autem, favore legis 8 Febr. 1906, ablata est prohibitio sub art. 295 inserta, vi cujus divortio separati reconciliari nequibant nec unionem reinstaurare (2); quaedam etiam mutationes introductae sunt, per legem 11 Febr. 1905, in formalitatibus observandis, de quibus mox infrà.

Scholion. Regimen vigens in aliis regionibus.

380. Regimen vigens in aliis regionibus.

1° Plura sunt regna in quibus divortium a lege excluditur, vel saltem ad haec ultima tempora excludebatur, sola admissa separatione corporum. Ita Hispania, Lusitania, Italia (3), Polonia, Monaco, necnon varia regna Americae meridionalis: Argentine, Brésil, Chili, Mexique, Perou, Urugay; etiam in uno statu Amer. Septentr., Carolia scil. meridionali (4).

2° Plura sunt regna in quibus solum existit divortium, et non admittitur separatio corporum, nisi ad summum tanquam stadium provisorium ad divortium (5). Ita inter alia: Roumenia, Serbia, Dania, Norvegia et Suecia, Russia, necnon plures Status Foederati Amer. Septentr. (6).

3° Plures dantur legislationes divortium simul ac separationem permittentes. Ita, praeter legislationem Galliae et Belgii, legislatio in Helvetia (cf. TERLINDEN, o. c., p. 40), Germania, Anglia (cf. HOWARD, o. c., II, p. 107 ss.), ac in nonnullis Statibus Amer. Septentrion. (7).

4° Dantur tandem regna in quibus diversae legi obnoxii sunt cives pro varia religione ad quam pertinent. Ita in *Austria:* catholicis non conceditur divortium sed sola separatio corporum, etiam ubi matrimonium est mixtum, non-catholicis autem permittitur divortium et quidem facilius permittitur israelitis quam christianis (8); in *Russia* autem, ante introductionem novi Codicis sovietici, cum matrimonium civile non existeret, matrimonii constitutio et dissolutio regebatur a respectiva lege religiosa, ita ut catholici subessent legi catholicae divortium repudianti, orthodoxi vero legi orientalis Ecclesiae divortium admittenti, et Israelitae pariter.

Quod autem spectat ulteriores *dispositiones* legislationum exterarum, sufficit haec notasse: in *Germania,* non admittitur inter causas divortii consensus mutuus (art. 1564); separatio corporum potest semper converti

---

(1) Art. 291 et 308 s., apud SERVAIS et MECHELINCK, *Les Codes,* 1907.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XI, p. 318-326; ubi ulterius, p. 326 ss., refertur et exponitur propositio legis magni momenti, ab Alex. Braun subjecta et, die 16 Martii 1911, magna ex parte adoptata a senatu, de qua infrà (n. 389) recurret sermo: importat « modification au régime de la séparation de corps ».

(3) *In Italia* nuper conati sunt hostes Ecclesiae legem inducere divortio faventem; contra quod tentamen eloquenter reclamavit Leo XIII, in allocutione 16 Dec. 1901 (*Collat. Brug.,* t. VII, p. 169 s.), ac grandis exsurrexit commotio popularis, eo felici successu ut initio anni 1904 evanuerit divortii lex a catalogo legum condendarum. Cf. *Etudes religieuses,* 1902, tom. 91, p. 840 ss.; CASTELEIN, o. c., p. 557 s.; WOESTE, *La question du divorce en Italie,* apud *Revue Générale,* 1912, p. 496-511, ubi narrantur fata plurium tentaminum in Italia factorum in illum scopum. Cf. etiam COMBES-DE LESTRADE, *Le Divorce des Italiens,* apud *Le Correspondant,* 25 Jan. 1914, p. 209-226, ubi exponit quomodo plures Itali ad divortium recurrunt apud alias nationes, in quibus divortium agnoscitur.

(4) SCHULZE, *Eherecht,* l. c., p. 765.

(5) Cf. LEHR, o. c., n. 943 ss. 987 et 1069, coll. G. LAURENT, *La répudiation,* p. 115 ss. et 132 ss.

(6) SCHULZE, l. c., p. 764.

(7) *Ibidem.*

(8) G. LAURENT, *Répud.,* p. 128 ss.; *Le Régime des cultes,* p. 110 s.

in divortium, id postulante alterutra parte (art. 1576); in *Anglia*, coram foro civili, non admittitur pro causa divortii nisi solum adulterium, et quidem ita ut adulterium viri debeat esse qualificatum, accedente scil. raptu vel incestu aut bigamia, vel crimine contra naturam vel etiam saevitiis aut desertione a duobus annis (cui etiam desertioni assimilatur non-obtemperatio mandato reinstaurandi jura conjugalia) (1): et hoc ne nimis facilè inducatur causa divortii; curiosa ulterius existit, in Anglia et Scotia, praxis a lege non sancita sed quasi juxta legem existens, quatenus nempe conjuges spontaneo consensu et absque judicis interventu separationem possint instituere (2). Nota etiam in variis Statibus Foederatis Americae Sept. latam patere viam legalem ad divortium et multas admitti divortii causas, uti habitualem potus abusum, violentam animi indolem, quae laxiori legis applicationi ansam praebent (3). In novo Codice civili sovietico, in Russia, edito anno 1918, juxta art. 87, « le divorce peut être fondé tant sur le consentement mutuel des deux conjoints, que sur le désir de l'un d'eux de divorcer », idque contra voluntatem expressam alterius partis, adeo ut aequivalenter vigeat regimen unionis liberae, praesertim si simul attenduntur dispositiones circa matrimonium, de quibus infrà, n. 454. Cf. *Etudes*, 20 Maii 1926, p. 441 ss.

Circa haec ulterius videsis LEHR, o. c.

381. Nota.

Nota. Juxta Conventionem Hagae Comitum, editam die 12 Junii 1902 et coram lege Belgica sancitam, die 27 Junii 1904, sequens norma regit, in hoc negotio divortii et separationis corporum, mutuas relationes Statuum Conventioni adhaerentium (4): regula est quod divortium (et idem valet de separatione corporum) nequit sollicitari nisi in casu permittatur coram lege patria conjugum (5) simul ac coram lege loci ubi divortium sollicitatur (art. 1[s] et 2[s]).

Cui normae affert moderationem art. 3[s], quatenus sola lex patria attenditur in casu quo lex loci applicationi legis patriae non contradicit.

Cf. TRAVERS, *Convention de La Haye-Divorce.*

§ 2. DISPOSITIONES CODICIS CIVILIS BELGICI.

I. CIRCA DIVORTIUM.

382. Dispositiones Codicis civilis Belgici

A. **Causae**:

1° *Consensus mutuus*, tali modo praestitus ut coram lege importet praesumptionem gravis causae secretò existentis. Art. 233.

1° circa divortium :

(1) Cf. *Encycl. Britanica*, VIII, p. 339 ss. Circa institutionem Commissionis (Maii 1910) ejusque propositiones, cf. *Etudes*, t. CXXXIV, p. 258-266; *The Month*, 1912, in fasciculo mensis Decembris.

(2) G. LAURENT, o. c., p. 98.

(3) SCHULZE, l. c.

(4) Sunt nempe: Belgium, Gallia, Germania, Helvetia, Hollandia, Italia, Lusitania, Luxemburgum, Roumenia et Suecia. Sufficit autem ut alteruter conjugum sit « ressortissant de l'un des Etats contractants ».

(5) Si conjuges habent diversam patriam, satis est quod eorum respectivae legislationes patriae in hoc negotio concordent; imo sufficit ut aliquando concordi legislationi fuerint obnoxii conjuges, sic providente articulo 8°: « Si les époux n'ont pas la même nationalité, leur dernière législation commune devra, pour l'application des articles précédents, être considérée comme leur loi nationale ».

2° *Causae determinatae* (1):

quoad causas,

a/ Adulterium uxoris; adulterium mariti concubinam in domo conjugali retinentis (2). Art. 229 et 230.

b/ excessus (3), saevitiae (4), injuria gravis (5). A. 231.

c/ poena infamans (6). A. 232.

3° *Casus Art. 310,* de quo suprà, quatenus conjux, contra quem compars, ob aliam causam quam ob uxoris adulterium, separationem corporum obtinuit, possit, post spatium trium annorum (inde a die signifi-

---

(1) Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1148 et 1149, ubi exhibet schema synopticum causarum quae in variis legislationibus admittuntur, et speciatim notat diverso principio niti, in causarum electione facienda, legem codicis Germanici et legem codicis Napoleonis; cf. etiam CRÉTINON, l. c., p. 167 s.

(2) Vidimus, in Gallica lege anni 1884, non requiri concubinae retentionem ut mariti adulterium causam divortii importet. Caeterum etiam in Belgio solum viri adulterium absque concubinatu potest sufficere ad divortium, quatenus censeatur constituere injuriam gravem in uxorem. Cf. mox dicenda, et *Répertoire décennal* 1890-1900, v° *Divorce*, n. 15 ss.; *Pasicrisie*, 1914, II, p. 275 s.; 1915-1916, II, p. 158. — Maritus maritaliter vivens cum muliere « dans un appartement », censetur concubinam retinere in domo conjugali (Cass. 19 Nov. 1917 — *Pasicr.*, 1918, I, p. 133).

(3) Par *excès* la loi entend les attentats qui compromettent la vie ou constituent un danger pour elle. AUBRY ET RAU, o. c., t. V, p. 175.

(4) On entend par *sévices* « les voies de fait qui n'ont pas ce caractère et en général toute espèce de mauvais traitements ». *Ibidem.* Cf. singularem decisionem 19 Febr. 1908, *Pasicrisie*, 1908, II, p. 282.

(5) « Les *injures* sont ou verbales ou réelles. Les injures verbales... comprennent les propos insultants, les termes de mépris, les imputations calomnieuses ou diffamatoires... Les injures réelles comprennent tous les faits qui constituent une insulte, un outrage ou une marque de mépris ». *Ibid.*, p. 176.

Hanc divortii causam in dies latius interpretatur jurisprudentia, uti videre est apud *Répertoire*, l. c., n. 28-87, quo loco variae citantur decisiones judiciales. Ita, uti notavimus, hoc titulo potest obtineri divortium ob adulterium mariti non concubinarium, ob damnationem ad poenam criminalem; ob factum conjugis renuentis matrimonium in facie Ecclesiae celebrare, postquam illud comparti promiserit (*Pasicrisie*, 1910, IV, p. 125 s.); item ob factum desertae habitationis conjugalis, saltem determinatis in adjunctis (*Pasicrisie*, 1908. II, p. 308 ss.; 1910, II, p. 302 ss. et 1921, II, p. 128, ubi tanquam hujusmodi circumstantia admittitur: « lorsque, sans même alléguer un motif plausible, la femme fugitive y joint le refus obstiné et persévérant de reprendre la vie commune »); etiam ob factum visitationum suspectarum quas uxor instituerit apud virum alienum (*Pasicrisie*, 1912, II, p. 150 s.); item ob factum viri onanismum exercentis, ignorante aut renitente uxore (*Pasicrisie*, 1900, IV, p. 59 s.; 1908, II, p. 308 ss.); item ob communicationem morbi venerei ab una parte alteri (*Pasicrisie*, 1909, IV, p. 37 s.); adhuc « le fait par le mari de ne laisser à la femme aucune initiative dans la conduite du ménage » (*Pasicrisie*, 1922, II, p. 56 s.). Cf. etiam *Pasicrisie*, 1909, II, p. 153 s. Ex alia parte d'après la Cour de Liége: « ne constituent pas des injures graves, causes de divorce, des excès de boisson de la femme amenés par le genre de vie qu'elle a adopté sans opposition de son mari et ne dégénérant pas en scandale ou intempérance invétérée, ni des propos injurieux provoqués par les torts du mari » (Arrêt du 28 Juillet 1909 — *Pasicrisie*, II, p. 339); non sufficit etiam damnatio ad poenam correctionalem, licet factum in quo nititur damnatio illam injuriam importare possit (*Pasicrisie*, 1921, III, p. 1751); nec sufficit nudum factum viri renuentis exercere debitum conjugale (*Pasicrisie*, 1909, III, p. 396 s. et II. cc.), vel nolentis readmittere uxorem in domum conjugalem (*Pasicr.*, 1909, II, p. 410 s., coll. *Pasicrisie*, 1921, II, p. 129). Cf. etiam PAOLI, o. c., p. 163; GLASSON, o. c., p. 272; BASDEVANT, o. c., p. 215; PLANIOL, o. c., I, n. 1156, coll. n. 1150, et 1158, 1169 s.; AUBRY ET RAU, l. c., p. 172; *Archiv f. k. K.*, 1909, p. 353 s.

(6) Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1171-1175. — LAURENT, *Avant-Projet*, II, p. 20 s., explicat quid olim venerit nomine poenae infamantis, monet autem poenas qua legaliter infamantes in Belgio esse abrogatas per novum codicem poenalem anni 1867 (art. 7); inde controvertitur utrum dispositio art. 232 adhuc sit attendenda, a. v. utrum censeri possit uti aequivalenter abrogata; utrum vero condemnatio ad poenam olim infamantem etiam nunc constituat ex hoc capite causam divortii, vel etiam quaecumque condemnatio ad quamlibet poenam criminalem (TRAVERS, *Conv. de La Haye-divorce, n. 95*). Saltem haberetur, juxta dicta, uti causa divortii ratione *injuriae* quam importat respectu compartis. Proponit *Laurent* dicti art. 232 suppressionem. Cf. jurisprudentiam apud *Répertoire*, l. c., 80-87.

catae decisionis separationem concedentis) (1), sollicitare et efficaciter obtinere sententiam divortii, si dicta compars nolit eam in consortium maritale reassumere (2).

B. **Formalitates.**

383. formalitates.

Formalitates observandae pro impetrando divortio *ex mutuo consensu,* admodum intricatae, describuntur a. 275-294; ibi etiam providetur non admitti divortium per consensum mutuum, si maritus non habet 25 annos et uxor non habet 21 annos; non potest actio induci nisi post duos annos a matrimonio inito et jam non est locus hujusmodi divortio si uxor nata est 45 annis; etiam requiritur (art. 278) consensus parentum vel, horum defectu, avorum. Quae autem sunt servandae formalitates in casu divortii *ob causam determinatam,* enumerantur a. 234-274, attentis mutationibus introductis per legem 11 Febr. 1905 (3).

Formalitatibus adimpletis, si divortio locum esse censet judex, non pronuntiatur quidem divortium a judice, sed indulgetur ut divortium pronuntietur; quae pronuntiatio fit ab officiali status civilis. Art. 258 et 264; 290 et 294 (4).

C. **Effectus:**

384. et effectus;

1° *generales:* a/ soluto ipso vinculo matrimonii civiliter contracti, datur facultas novum matrimonium ineundi, relicta tamen facultate reintegrandi, iterata matrimonii celebratione, consortium conjugale divortio sejunctum, vi moderationis articulo 295 feliciter allatae per legem anni 1906 (5); b/ cessant obligationes et jura maritalia mutua; c/ cessat

---

(1) Trib. Bruxell. 16 Nov. 1916 et 20 Apr. 1917 (*Pasicr.*, 1917, III, p. 233); item Curia Brux. 23 Jan. 1918 (*ibid.*, 1918, II, p. 90) et 24 Dec. 1919 (*ibid.*, II, p. 9).

(2) Jurisprudentia non est uniformis circa quaestionem utrum locus sit applicandi art. 310, etiam in casu quo pars cohabitare renuens legitime cohabitationem recusat, puta ex eo quod consortium conjugale sit moraliter intolerabile. Cf. *Répertoire,* l. c., n. 91, 93, 95, 97, et 101. Cf. etiam *Pasicrisie,* 1910, III, 57; *Annales Parlementaires-Sénat* (16 Martii 1911), p. 238; decis. Curiae Brux. 23 Jan. 1918, apud *Pasicr.*, 1918, II, p. 90 s.

In Gallia, inde a nova lege anni 1908, conversio sententiae separationis in sententiam divortii, potest sollicitari ab utroque conjuge, qualiscumque fuerit causa ob quam separatio fuerit concessa, nec altera pars potest conversionem impedire consentiendo in consortii conjugalis reinstaurationem. Cf. suprà, n. 378.

(3) SERVAIS ET MECHELYNCK, *Les Codes,* 1907; SOUDAN, *Revue catholique de droit,* 1906, p. 198 ss.; KNOCH, *Rev. ecclés. de Liége,* 1905-1906, p. 318-323.

Formalitates quae imponuntur ostendunt legislatorem habere divortium uti minus malum potius quam uti solutionem cui sit favendum, idque non tantum quod spectat divortium ex mutuo consensu, sed etiam divortium ex causa determinata. Ita cf. art. 239 et art. 240, al. 3.

(4) Vidimus in Gallia, sic providente lege 1886, divortium jam non pronuntiari ab officiali status civilis; post sententiam judicis sufficit hujus transcriptio in registro status civilis. Notetur tamen, etiam sub disciplina legis 1886, judicem stricto jure non pronuntiare divortium, quamvis textus legis id indicare videatur, sed potius, sicuti in Belgio, pronuntiare locum esse divortio; divortium enim non completur nisi per transcriptionem, et exinde dumtaxat incipit effectus suos producere. Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1229, 1263 et 1231, quo ultimo loco notat: « C'est d'elle (transcription sur les régistres) que résulte le divorce, et non pas du jugement; il se réalise à la mairie, et non pas au palais ».

(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 318 ss.; KNOCH, l. c., 1906-1907, p. 330 ss. — *In Gallia,* vi legis 26 Martii 1924, non est ablata prohibitio art. 295, sed attenuata tantùm: « Les époux divorcés ne pourront plus se réunir si l'un ou l'autre a, postérieurement au divorce, contracté un nouveau mariage, suivi d'un second divorce, sauf s'il existe des enfants vivants ou descendants légitimes issus du premier mariage, ou si le conjoint épousé en secondes noces est décédé postérieurement au divorce ».

dominium mariti super bonis et persona uxoris, quae ipso facto recuperat suam capacitatem et majorennitatem juridicam (1).

2° *speciales:* a/ si divortium est impetratum *ob causam determinatam:* uxor potest nubere post 10 menses (a. 296) (2); pars adulterii rea nequit nubere complici (a. 298) (3); conjux contra quem divortium pronuntiatur, amittit omnes favores in ipsius gratiam stipulatos in contractu matrimoniali, aut exinceps inductos ab altera parte. Art. 299 (4).

b/ si divortium obtinetur *ex mutuo consensu:* neutri conjugum licet ad alia vota transire nisi post tres annos inde a divortii pronuntiatione (a. 297) (5); media autem pars bonorum utriusque conjugis cedit in proprietatem prolium (a. 305) (6).

385.

2° circa separationem corporum :

II. CIRCA SEPARATIONEM CORPORUM.

A. **Causae:**

quoad causas,

« Dans les cas où il y a lieu à la demande en divorce *pour cause déterminée,* il sera libre aux époux de former demande en séparation de corps » (a. 306); « elle ne pourra avoir lieu *par consentement mutuel* » (art. 307).

B. **Formalitates:**

formalitates,

La séparation de corps « sera intentée, instruite et jugée de la même manière que toute autre action civile » (a. 307, coll. a. 875-881 du *Code de Procédure civile*). Inde separatio corporum, secus ac divortium, pronuntiatur a judice et non ab officiali status civilis; sed oportet omninò ut judicialiter pronuntietur, ac nulla est in jure separatio privata auctoritate instituta.

C. **Effectus:**

et effectus.

1° Matrimonium subsistit coram foro civili et non toleratur novum matrimonium; imo conjuges corpore sejuncti tenentur ad officia maritalia

(1) Ablatae sunt nempe variae incapacitates legales quas incurrit uxor, juxta a. 215 ss.

(2) Circa finem et ambitum hujus dispositionis cf. CASTAN, o. c., p. 31 ss., ubi etiam proponuntur moderationes hic inductae a lege Gallica, 13 Julii 1907, quatenus non sit observanda dilatio legalis quando praecessit separatio corporum triennalis, vel quando transcriptio divortii facta est 300 diebus post primum judicium de divortio latum.

(3) Cf. *Rev. ecclés. de Liége,* 1905-1906, p. 334; CASTAN, o. c., p. 28 s.. et suprà, n. 378, in nota, ubi refertur hanc prohibitionem esse abrogatam in Gallia per legem 15 Dec. 1904. In eumdem sensum introducta est coram Senatu Belgii propositio legis, quae fuit rejecta. Cf. *Annales Parlementaires,* 1909-1910, Sénat 22 et 23 Febr. 1910. — Si divortium fuit concessum ob adulterium mariti, citra retentionem concubinae, non est locus matrimonii interdictioni cum complice: ita Curia Brux., 3 Febr.. 1915, apud *Pasicr.,* 1915-1916, II, p. 9.

(4) Dictas dispositiones parti noxiae nocentes iniquum foret applicare contra partem innocentem, in casu art. 310, ita ut favoribus legalibus fruatur conjux, nunc quidem divortium provocans et obtinens, sed qui olim fuit pars rea contra quam sententia separationis fuit lata. Contradicit etiam finis et intentio legis, permittentis conversionem separationis in divortium, non contra conjugem cohabitare renuentem, sed unice ne altera pars cogatur manere innupta. Jurisprudentia etiam excludit hujusmodi praeposteram explicationem. *Répertoire,* l. c., n. 94, 99 et 102.

(5) Conjuges divortio separati qui, juxta novum art. 295, consortium reinstaurant, nova praemissa celebratione matrimonii civilis, non tenentur « observer le délai de trois ans fixé par l'art. 297, ni même le délai fixé par les art. 228 et 296, si l'épouse n'a pas contracté dans l'intervalle un autre mariage, dont la dissolution remonte à moins de dix mois ».

(6) Juxta tenorem art. 272, « l'action en divorce est éteinte par la réconciliation des époux ». Circa cujus articuli interpretationem necnon articuli 273, cf. arrêt de la Cour de Cassation, 14 Dec. 1911 (*Pasicrisie,* 1912, I, p. 38 ss.).

(adjutorium, fidelitatem etc.), excepta cohabitatione et bonorum communitate (a. 311); manet etiam applicandum principium: « is pater est quem nuptiae demonstrant », attentis art. 312, 313 et 314, juxta dicta sub n. 294.

2° Uxor non recuperat plenam capacitatem juridicam qua fuit privata per matrimonium, juxta dispositiones art. 215 ss. lta art. 1449.

3° Non favetur parti in cujus gratiam pronuntiatur separatio, quia pars contra quam pronuntiatur separatio non amittit favores ipsi assignatos in contractu matrimoniali, quos favores modò vidimus amitti a parte contra quam pronuntiatur divortium (1).

Nota a/ Circa conditionem prolium in casu divortii vel separationis corporum, cf. COURRÉGÉ, o. c.

b/ Obtenta separatione corporum, videtur locus adhuc esse instantiae in divortium, etiam absque novae causae invocatione. Cf. *Revue de Droit Belge*, apud *Pasicrisie*, 1912, p. 137 ss.

§ 3. CRISIS LEGIS BELGICAE DIVORTII CIVILIS ET SEPARATIONIS CORPORUM.

I. **In genere.**

386.

Lex civilis divortium permittens omni nomine iniqua est et gravissime reprobanda, tum *Lex est iniqua:*

1° **in se et ratione sui:** quatenus a/ sacrilegam constituit usurpationem, siquidem dispositionibus suis regere non veretur matrimonium christianum, cujus legislatio et jurisdictio soli exclusive competit Ecclesiae, uti infrà latius exponetur, solo Principi civili relicto jure statuendi de illis quae nuptias consequuntur in genere rerum civilium; et haec ratio urgetur contra utramque legem, divortii scil. et separationis corporum. b/ Etiam hoc seposito, attento scil. solo matrimonio infidelium, vel data hypothesi a Principe saeculari regi posse matrimonium quoque christianum, inter fideles ineundum, nihilominus iniquitatis esset arguenda lex nostra divortii, eo quod impudenter attentare audet contra sanctissimam indissolubilitatis legem. Et sane matrimonium, a quacumque auctoritate regatur, contractus est specialis generis, qui *ex ipsa sua natura* et *ordinatione divina* petit esse indissolubilis, quemadmodum argumenta, sub n. 312 allata, id probant, utque fassi sunt ipsi legislatores Codicis Napoleonis (suprà, n. 376); ac Princeps civilis, in moderanda legislatione sua matrimoniali, si ipsi esset concredita, uti de facto illi competit respectu matrimonii infidelium, strictis adstringeretur praeceptis juris naturalis ac divini, indissolubilitatem urgentibus (2). 1° *generatim spectata:* a/ *in se;*

(1) Quoad jurisprudentiam, in Belgio, v. *Pasicrisic*, 1897, II, p. 409 s., arrêt de la Cour de Liége, 24 Févr. 1897, quo l. c. notatur: « Depuis les arrêts de notre Cour de Cassation du 20 Mai 1847 (*Pas.* 1848, I, p. 7) et du 24 Mars 1865, la jurisprudence est fixée en ce sens en Belgique ». Contraria est, inde ab anno 1845, jurisprudentia in Gallia. Cf. AUBRY ET RAU, o. c., V, p. 206 s., cum nota; PLANIOL, o. c., I, n 1332; *Annales Parlementaires* (Belges) — Sénat, 15 Mars 1911, p. 221 s.

(2) Non sequeretur ergo divortii licentia ex ipso instaurato regimine matrimonii civilis. Quam tamen consequentiam immeritò admittit BONOMELLI, o. c., p. 59: « Posto il principio del matrimonio civile, è necessaria e naturale la conseguenza del divorzio: il matrimonio diventa un contratto come qualunque altro, e non v'ha ragione di volere que questo sia indissolubile, mentre tutti gli altri non lo sono, nè lo gonno essere ».

Neque dicatur legem civilem divortii intactum relinquere vinculum matrimoniale, ac solam attingere formalitatem civilem; praetendit namque, et, in quantum in se est, conatur, incasso licet conatu, ipsum vinculum conjugale attingere, dissolubilem reddere contractum nuptialem, adeo ut conjuges ab invicem separentur quoad vinculum, ac cessent esse conjuges, utque ad novum contrahendum matrimonium apti existant (1).

387. tum 2° **ratione sequelarum.**

b/ *in sequelis;* Licet lex civilis reipsa et efficaciter non disrumpat vinculum conjugale, ex eo tamen quod legalem facultatem facit indissolubilitatem violandi, ipsi imputabiles sunt pessimae sequelae quas ex matrimonii dissolubilitate sponte oriendas indicavimus suprà, n. 312, quatenus inde periclitetur prolium educatio, infirmetur mutuus conjugum amor eorumque fidelitas, ac tandem ipsius matrimonii existentia in discrimen vocetur.

Frustrà vero divortium legitimare conantur *divortii civilis fautores,* provocando ad regimen *libertatis cultus,* quasi divortium civile esset necessarium corollarium dictae libertatis regiminis (2).

Et sane, etiamsi hoc regimen esset probandum, seu potius, attento praesenti rerum statu, tolerandum, nullatenus inde sequeretur a legislatore civili indulgendum esse divortium, puta in gratiam civium, quibus propria religio concedit matrimonii dissolvendi facultatem. Non debet namque Status civilis, ad salvandam cultuum libertatem ac vitandam conscientiarum coactionem, omnia indiscriminatim concedere quae a variis religionibus indulgentur, sed id non potest nisi in quantum salva est altior lex naturae, et integrum servatur bonum publicum; exigunt autem lex naturalis et bonum publicum societatis, ut indissolubilitatis principium intactum custodiatur. Ita etiam proscribit Status civilis, nemine reclamante, polygamiam, licet eam admittant mahometani et mormones (3).

Nota. Equidem incommoda et infaustae sequelae invocata contra divortii civilis leges, in quantum admittunt matrimonii dissolubilitatem *restrictam,* et non arbitrariam, non sunt talia ac tanta ut repugnent dictae leges principiis juris naturae primariis; non contrariantur nisi principiis *secundariis dumtaxat,* in quibus vidimus derogationem posse admitti, ita ut in indissolubilitatis lege locus esse possit dispensationi et relaxationi.

Atvero dispensatio illa exclusive reservatur, uti pluries jam inculcavimus, soli auctoritati divinae, ab ipso Deo immediatè vel mediate ab Ecclesia, potestate ministeriali, exercenda; nullatenus autem competit

---

Ex alia parte manet quod suprà, sub n. 374, notavimus, quod nempe introductio matrimonii civilis debilitaverit in populo conceptum indissolubilitatis et hac ratione multum faverit introductioni divortii civilis, quodque etiam, in mente legislatorum anni 1792, divortii licentia sequi deberet constitutionem matrimonii civilis.

(1) Quod lex nostra intendat ipsum vinculum matrimoniale disrumpere, et non solas formalitates civiles matrimonio accedentes, eruitur ex ipsa natura matrimonii civilis quod divortio disrumpitur: matrimonium nempe civile non est, coram lege nostra, mera declaratio a nupturientibus facta pro status civilis determinatione, sed habetur quasi verus contractus conjugalis, reddens virum et mulierem ad invicem conjuges cum omnibus juribus et obligationibus statui conjugali propriis; quod probant ipsae dispositiones Codicis civilis, necnon historia originis et institutionis matrimonii civilis, de quibus infrà. — In Hollandia non intendi ipsius vinculi disruptionem, sed relationum tantum civilium, contra alios contendit VLAMING, o. c., n. 697, coll. hic infrà, n. 437 et 454.

(2) Vide n. 376, in nota, quomodo hanc cultus libertatem invocaverit Treilhard.

(3) Sufficienter igitur ex dictis patet legem divortii *absolute spectatam* multiplici nomine esse damnandam. Fiet tamen quod, posita ejusdem legis existentia, utiliter ad eam nonnunquam recurratur, ad dissolutionem nempe obtinendam matrimonii civiliter validi et canonicè nulliter inniti aut dissoluti.

auctoritati humanae, nec adeo Principi civili. Caeterum minus inconveniens datur in hoc quod indissolubilitatis legi, restricta dissolubilitate concessa, derogetur a Deo aut ab Ecclesia, quam quod illi legi a Principe civili derogetur uti liquet ex notatis suprà, n. 313 et 326. Ecclesia namque efficaciora, quam Status civilis, in manibus habet arma, ut divortii licentiam intra limites arcte restrictos cohibeat, qui limites non possent ab auctoritate merè humana efficaciter custodiri.

II. **In variis dispositionibus.**

388.

2° in suis dispositionibus :

Etiam dato tolerandum esse ut, quibusdam in casibus, a lege civili permittatur divortium, reprobandae sunt nonnullae dispositiones in nostra lege Belgica inductae. Et quidem

A. Quoad *causas divortii:*

in specie quoad causas divortii,

1° Abroganda foret causa *consensus mutui,* quemadmodum eam abrogandam proponit ipse LAURENT, *Avant-Projet,* II, p. 17 ss., severè arguendo in eam, quatenus, non quidem theoretice et in mente legislatoris, sed practicè et de facto consecrat sententiam, quae « assimile le mariage à un contrat ordinaire, et permet de le dissoudre comme il s'est formé, par le consentement des parties contractantes » (1).

2° Restringenda foret amplitudo causae *injuriae,* quam adeo extendi vidimus coram jurisprudentia, coram qua admittitur injuria realis dicta, ita ut eludi possit lex ac obtineri divortium in casibus in quibus a lege non admittitur, quemadmodum egregie ostendunt LEMAIRE, o. c., p. 173-177, et RIBEROLLES, o. c., p. 118 ss.

3° Supprimenda esset *dispositio articuli 310,* quae explicitè permittit ut divortium sollicitetur a parte rea, contra quam separatio est inducta, et quidem ita ut judex ex officio teneatur divortium pronuntiare (2), quotiescumque, post tertium a separatione annum, pars innoxia renuat cohabitare, saltem ubi cohabitatio est moraliter possibilis (3).

Et sane, uti ipse arguit LAURENT, *Avant-Projet,* p. 16, « n'est-ce pas mettre l'innocent à la merci du coupable, et donner, contre toute justice, à celui-ci le droit de se prévaloir de sa faute?... L'article 310 est en opposition avec le motif pour lequel la loi a admis la séparation de corps. Elle l'a autorisée par respect pour des scrupules religieux (4). Puis elle force l'époux demandeur en séparation de divorcer malgré ses scrupules » (5). Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 178 s.; PLANIOL, o. c., I, n. 1349 et 1351.

---

(1) Suppressa est haec causa divortii in lege Gallica anni 1884, et etiam non est admissa in lege Imperii Germanici. Cf. *Rev. éccl. de Metz,* 1900, p. 136 s.; cf. etiam RIBEROLLES, o. c., p. 107 et 161. Caeterum, attentis procedurae complicationibus, raro recurritur ad divortium ex consensu mutuo; et sic in Belgio, usque ad haec tempora, reducitur numerus ejusmodi divortiorum ad 1 circiter per annum. Cf. TRAVERS, o. c., n. 117.

(2) *Répertoire décennal,* l. c., n. 100.

(3) Non desunt sententiae judicialiter latae, quae urgent applicationem legis etiam in casu quo conjugi innocenti moraliter impossibile est consortium maritale reinstaurare cum comparte rea. Cf. *Répertoire décennal,* l. c., n. 96, 97, 101, 103; cf. suprà, n. 382.

(4) Cf. suprà, n. 377.

(5) Proposita fuit ab Alex. BRAUN (7 Apr. 1905) abrogatio art. 310. Senatus autem, die 16 Martii 1911, censuit potius moderandum esse tenorem in hunc sensum: « Lors-

389. et quoad regimen separationis corporum.

B. Quoad *separationem corporum:*

Siquidem separatio corporum instituta est in gratiam catholicorum, ut pro ipsis locum teneat divortii, aequum esset et fini legis consentaneum ut non modò ex iisdem causis ad illam recurrere liceret quam ad divortium, sed etiam ut, seclusa facultate novum matrimonium ineundi, iidem ipsi ac divortio effectus tribuerentur, ut tandem a separatione removerentur incommoda quae possent conjuges catholicos moraliter cogere ut divortium eligant prae separatione corporum (1).

Merito igitur in hunc finem ab Al. BRAUN introducta est, anno 1905, coram senatu Belgico, propositio legis, ad hoc scil. ut integra oeconomia separationis in sensum propositum moderaretur (2). Quam propositionem magna ex parte adoptavit senatus, die 16 Martii 1911 (3).

Nimirum, praeter mutationem allatam ad art. 312 (cf. suprà, n. 294), et ad art. 310, de qua modò suprà, haec statuuntur:

1° Juxta novum art. 311^{bis}, « l'article 299 est applicable à la séparation de corps ». Cf. n. 385.

2° Juxta moderatum art. 1449, « la femme séparée de corps a le plein exercice de sa capacité civile, sans qu'elle ait besoin de recourir à l'autorisation de son mari ou de la justice » (4).

§ 4. COROLLARIA MORALIA.

PRIMUM COROLLARIUM.

390. 1° Positis ponendis, toleratur sollicitatio, coram foro civili, separationis corporum;

Toleratur (5) *quod* **separatio corporum** *coram foro civili sollicitetur a conjuge catholico, vel ejus nomine ab advocato juridice exquiratur aut a judice pronuntietur, dummodo a/ « adsint justae causae separationis judicio Episcopi »; b/ « pars catholica nullum aliud tribunal adire possit a quo sententiam obtineat separationis quoad torum et mensam (valentem in foro civili) »; c/ sententia hujus tribunalis nullum alium habeat effectum quam separationem praedictam »* (6).

---

que la séparation de corps, prononcée pour toute autre cause que la cause d'adultère, aura duré trois ans, l'époux qui était originairement défendeur, aura la faculté de demander le divorce au tribunal, qui *pourra* l'admettre, si le demandeur originaire, présent ou dûment appelé, ne consent pas immédiatement à faire cesser la séparation ». Juxta quem tenorem, si vim legis accipiat, separatio jam *non deberet,* juti hucusque, converti in divortium, sed conversio illa relinqueretur discretioni judicis. Ita olim erat in lege Gallica, sed, anno 1908, mutata est lex in sensum nostri articuli hucusque vigentis 310. Cf. *Collat. Brug.*, XI, p. 328; *Annales Parlem.* — Sénat, 15 Mars 1911, ubi oratio habetur ministri regii.

(1) In novo codice Germanico, utraque illa dispositio inscribitur, quatenus nempe separatio possit obtineri ex iisdem causis ac divortium; quodque iidem effectus separationi tribuantur sicut et divortio, excepta facultate novum matrimonium ineundi. Art. 1586.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 326 ss.

(3) *Annales Parlementaires* — Sénat, 14, 15 et 16 Martii 1911.

(4) Haec capacitas juridica uxori mere separatae restituitur, in Gallia, vi legis 6 Febr. 1893; idem fieri modò notavimus in Germania, favore novi Codicis civilis. Cf. PLANIOL, o. c., n. 1322-1324; ALLÉGRE, o. c., I, p. 177; *R. eccl. de Metz,* 1900, p. 137.

(5) Dicitur « toleratur », quia ipse recursus ad judicem civilem, pro negotio spectante matrimonium, contradicit doctrinae catholicae omnes causas matrimoniales soli judici ecclesiastico reservanti. Cf. infrà, n. 417, ubi notabitur a Concilio Tridentino anathema dici contra contendentes causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos; quare haeresim incurreret judex, si illam competentiam judicis ecclesiastici asseveranter negaret, non vero si, causas illas in se assumendo, practicè illam competentiam violaret. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 711.

(6) Ita decretum C. S. O., 19 Dec. 1860, ad quod provocatur ab eadem C. S. O., in decr. 3 Apr. 1877. Cf. *N. R. th.*, XVIII, p. 484-486.

SECUNDUM COROLLARIUM.

391. 2° *sollicitatio divortii a matrimonio merè civiliter existenti;*

Similiter toleratur quod **divortium** *a conjuge catholico ejusve advocato sollicitetur, quando solum adest matrimonium civile, non autem matrimonium verum, vel quando matrimonium canonicè initum dissolutum est aut invalidum declaratum; modò illa sollicitatio fiat, non animo agnoscendi civili tribunali potestatem dissolvendi matrimonium, sed unicè ut civilis acquiratur libertas ad novas nuptias celebrandas, utque poenalitates civiles avertantur pro conjuge et parocho, casu quo novum matrimonium iniretur* (1).

TERTIUM COROLLARIUM.

392. 3° *defensio vinculi matrimonialis contra actorem divortium exquirentem.*

Toleratur quod « advocatus catholicus possit defendere causas partis conventae contra actorem vinculi solutionem exquirentem... dummodo Episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatus nihil agat quod a principiis juris naturalis et ecclesiastici deflectat » (2).

QUARTUM COROLLARIUM.

393. 4° *Pronuntiatio divortii civilis a vinculo canonicè valido,*

Pronuntiatio divortii (3) *a vinculo canonicè valido non videtur esse actio intrinsece mala; est male sonans dumtaxat, ita ut, seclusis peculiaribus adjunctis et positiva Ecclesiae prohibitione, cohonestari posse videatur.*

A. **Explicatio.**

Aliqua actio potest esse *intrinsecè mala* vel *male sonans* tantum.

1° Actionem *intrinsecè malam* dicimus illam *quae non potest benè fieri,* quae nempe vel mala est *ratione proprii objecti,* vel *ratione circumstantiae inordinatae, ipsi inseparabiliter adhaerentis ac inabstergibilis.*

Unde actiones, et in specie pronuntiatio divortii, possunt esse dicto sensu intrinsecè malae, non modò ratione objecti sui proprii (talis esset v. gr. actio blasphemandi), sed etiam vel a/ ratione *intentionis* pravae, quae in ipso opere necessariò continetur; vel b/ ratione *cooperationis immediatae* ad malam *actionem* alterius, quae coopera-

(1) Decr. C. S. O., 9 Sept. 1824, apud *N. R. th.*, XVIII, p. 412 s.

(2) Decr. C. S. O., 20 Maii 1860, ad quod provocat C. S. O., in decr. 3 Apr. 1877, apud *N. R. th.*, XVIII, p. 485. Nota differentiam hujus actionis cum actione (action reconventionnelle) de qua infrà, num. 403, in nota.

(3) In sequentibus indiscriminatim loquemur de officio judicis, cujus est, in Belgio, pronuntiare locum esse divortio, et syndici seu officialis status civilis, cui proprie competit divortium pronuntiare. Cf. suprà, n. 383.

tio inseparabiliter connectatur pronuntiationi (1); c/ vel ratione *scandali indirecti,* aut *cooperationis* ad malos *effectus,* aut cooperationis *mediatae* ad *actionem* malam alterius (2), quando scandalum tale est ac tantum, vel quando malae sequelae tales sunt ac tantae ut nulla unquam causa inveniri possit ad illam inordinationem abstergendam.

2° Actionem *malè sonantem* dicimus illam *quae potest benè fieri,* sed *indiget,* ad hoc ut benè fiat, aliqua *causa cohonestante,* qua inordinatio cum actione connexa abstergatur. Est nempe actio ratione objecti bona, quae adnexam habet circumstantiam quidem inordinatam, sed separabilem vel proportionata causa abstergibilem (3).

394. non videtur esse intrin secè mala,

B. **Probatio.**

1° *Pronuntiatio divortii non est intrinsecè mala* **ratione objecti.**

Pronuntiatio namque divortii in se sumpta importat meram dissolutionem formalitatum civilium, nullatenus autem dissolutionem vinculi matrimonialis, quod totum quantum intactum manet (4).

Equidem matrimonium coram Deo legitimum privatur effectibus civilibus et recognitione legali, ac datur conjugibus legalis facultas aliud matrimonium ineundi, et inde inducitur cooperatio ad malos effectus legis necnon ad peccata aliena; sed *proprium objectum* actionis manet dissolutio formalitatum civilium.

2° Non est intrinsecè mala **ratione circumstantiae** *inseparabiliter adhaerentis ac inabstergibilis.* Et quidem

a/ Quod spectat *intentionem pravam,* ex una parte facilè potest abesse, penes judicem et syndicum, omnis intentio *explicita* violandi legem indissolubilitatis matrimonii, vel jurisdictionem usurpandi; ex alia vero parte, frustrà opponitur pravam intentionem *implicitè et exercitè* contineri in ipsa divortii pronuntiatione, quatenus illud pronuntiantes, legem iniquam applicando, censentur suam intentionem conformare praeposterae intentioni legislatoris (5): hoc enim tunc

---

(1) Talis cooperatio *immediata* ad malum *actum alterius* (non ad merum *effectum* malum) redderet actionem intrinsecè malam, sive fiat partem habendo in ipso alieno peccato (talis est cooperatio uxoris in onanismo viri palliolo utentis), sive directe et immediate influendo in peccatum ab alio committendum, puta suasione, jussione, vel quacumque efficaci coactione, excepta forsan suasione minoris mali, saltem si illud in majori malo vitando continetur.

(2) Illustr. ac Revermus WAFFELAERT, *Coopération,* p. 6 s., quo loco monetur illam cooperationem esse late dictam, et per eam simul induci scandalum indirectum.

(3) S. THOMAS, *Quodlib.* IX, art. 5, in corpore.

(4) « Comme le mariage civil n'atteint en aucune façon, en tant que mariage, le for intérieur, ainsi le divorce n'opère rien contre le mariage religieux ou proprement dit... Comme l'Eglise tolère le mariage civil, pourvu qu'on ne lui attribue pas les effets qu'il n'a pas, ainsi nous ne voyons pas comment le prononcé du divorce civil serait intrinsèquement mauvais à part ses effets». III. ac Revermus WAFFELAERT, *Coopération.*, p. 70. Cf. BALLERINI-PALMIERI, o. c., VI, in nota editoris, n. 802.

(5) Legislator immediatè partem habet in lege condenda, adeoque conformat sese implicitè et in opere exercito fini legis, quam ad hoc vidimus tendere, inefficaci licet conatu, ut matrimoniale vinculum dissolvatur.

tantùm obtineret, si vel lex esset efficax ac, ad mentem legislatoris, ipsum vinculum reipsa dissolveret, vel si lex esset in odium religionis applicanda.

b/ Neque datur *cooperatio immediata ad peccata aliena.*

Revera judex et syndicus, divortium pronuntiantes, non participant immediatè in peccato conjugum qui forte concubinariam vitam instaurabunt. Neque *immediate* excercent efficacem influxum in peccata ab illis committenda, suasione scil. vel jussione aut qualibet coactione; sed unicè praebent conjugibus facultatem et medium legale peccaminosam vitam instituendi ac matrimonii jura violandi: in hoc autem continetur cooperatio, non immediata et directa, ad peccatum, sed *indirecta et mediata* dumtaxat, siquidem peccata committenda pendent, etiam consequenter ad divortii pronuntiationem, a mala voluntate conjugum divortio separatorum.

395. sed malè sonans dumtaxat:

c/ Quod spectat *scandalum indirectum,* quod posset in populo provocari: partim, et quidem magna ex parte, removeri potest opportuna declaratione a judice seu syndico facta, vel alio modo quo sufficienter innotescat illum non velle attingere vinculum conjugale; partim potest proportionata ratione abstergi.

ratione scandali indirecti, cooperationis mediatae ad peccata aliena, ac cooperationis ad malos effectus,

d/ Manet igitur sola materialis *cooperatio* ad malos *effectus* divortii, et cooperatio *mediata* ad malas *actiones* conjugum.

396. ad quae tamen mala compensanda proportionata adest causa,

Profectò gravissima dari possunt peccata in conjugibus, ac pessimae sunt sequelae, suprà descriptae, n. 312, tam in prolibus quam in familia et societate; attamen talia non videntur illa mala ac tanta ut desit omnis causa sat urgens ad illa compensanda, ac adeo ad cooperationem legitimandam judicis divortium pronuntiantis.

Nimirum, ex una parte, attendi debet eo minus urgendam esse proportionem boni effectus relatè ad mala oriunda quo remotior est cooperatio, ac hujus etiam circumstantiae rationem esse habendam, quod, si judex seu syndicus catholicus legem non applicet divortium pronuntiando, alii magistratus eorum defectui supplebunt; ex alia autem parte, prae oculis est habendum maximi momenti bonum obtineri, idque independenter a malis sequelis quae divortii pronuntiationem consequuntur, non dicam bonum privatum, resultans pro ipsis magistratibus officium retinentibus, sed *bonum publicum* inde exoriens pro republica: ita namque in suo munere conservantur catholici judices et syndici universim, nec coguntur officium dimittere, quae officii dimissio nonnisi gravissimo cum nocumento publico fieret.

397. adeo ut, seclusis pecu-

Dictum est: *seclusis specialibus adjunctis et positiva Ecclesiae prohibitione;* nimirum natum est fieri ut speciales contingant cir-

liaribus adiunctis et positiva prohibitione, licita esse possit pronuntiatio.

cumstantiae, puta quod lex sit lata in odium religionis (licet applicatio legis non exigatur in religionis contemptum), vel quod recenter sit inducta, adeo ut energica resistentia abrogationem legis efficaciter possit provocare; attentis autem hujusmodi adjunctis, fiet ut alicubi aegrius legitimetur legis applicatio ac etiam positiva Ecclesiae prohibitione reprobetur.

Nota. Proposita doctrina, permittens regulariter ut judices et syndici catholici divortium pronuntient, restringitur, uti sponte liquet, ad casum quo officio suo sese subducere nequeunt, et stricta lege ad illum actum coguntur. Eo ipso tenetur judex in quantum potest legem strictè interpretari, et tunc tantùm pronuntiare locum esse divortio, quando vi evidentis tenoris legis aliter facere nequit; non potest proinde causas divortii a lege admissas larga interpretatione ultra strictum legis intentum et tenorem extendere, quemadmodum saepius contingere monuimus (1).

C. **Conciliatio cum Instructionibus Romanis.**

398. Quae doctrina non contradicit documentis Romanis,

Ex una parte, quaedam responsa S. Sedis potius favent expositae sententiae, intrinsecam malitiam pronuntationis divortii neganti: cujusmodi sunt declaratio a Congr. S. O. facta Nuntio Apostolico Belgii, et, die 14 Sept. 1886, Ministro pro Negotiis exteris communicata (2), necnon responsum S. Poenitentiariae 24 Sept. 1887, ad Episcopum Lucionensem (3), licitam proclamans dictam pronuntiationem in casu proposito; ad excludendam enim intrinsecam malitiam satis est ut vel in uno casu liceitas admittatur (4).

---

(1) Cf. RIBEROLLES, o. c., p. 118-122, quo loco notatur, praeter suprà memorata de nimia ampliatione causae injuriae, quod judices non rarò expeditius quam fas est et absque sufficienti examine divortia concedant in gratiam conjugum qui fruuntur « pro Deo », ac vulgo dicuntur « assistès judiciaires ». Circa quem abusum cf. etiam *Rev. eccl. de Liége,* 1905-1906, p. 324 s.; *Le Bien Public,* 30 Jan. 1899; *Le XX^e siècle,* 6 Oct. 1903 et 9 Oct. 1904.

(2) S. Congr. declarat quod decretum 27 Maii 1886, in quantum reprobat pro Gallia divortii pronuntiationem, « ne concerne pas la Belgique, et que, par conséquent, rien n'est modifié, en ce pays, en ce qui touche la matière du divorce ». Tenorem completum exhibet *N. R. th.,* XIX, p. 73 s., illumque interpretatur in tom. XXIII, p. 669 s. Circa quam interpretationem cf. DE BECKER, *De Matr.,* p. 473 s., in nota, ubi rejicit qua indignam S. Sede opinionem nonnullorum (etiam GASPARRI, o. c., II, n. 1243), qui produnt illam declarationem qua responsum merè diplomaticum, respiciens factum et non jus. Cf. etiam FEYE, *De Imp.,* n. 549, p. 499.

(3) Ad quaestionem utrum syndicus pronuntiare possit divortium, ad quod pronuntiandum cogitur sub poena officium dimittendi, in supposito quod sententiam de incompetentia judicis civilis in re matrimoniali et de inefficacia divortii quoad vinculum palam profiteatur, respondetur tolerari posse « ut syndicus orator ad actum de quo in precibus procedat ». Cf. integrum textum apud THEOL. MECHL., o. c., p. 188; *N. R. th.,* t. XXI, p. 616.

(4) Ipse GASPARRI, o. c., II, qui, juxta n. 1248, rigidae favet sententiae, equidem sub n. 1247, fatetur « hoc rescriptum non modicam facessere difficultatem contra rigidam opinionem... nam, ita pergit, exinde sequitur vinculum religiosum existens non impedire quominus, *in aliquibus circumstantiis,* tolerari possit ut syndicus... sententiam divortii ferat »; et addit: « explicationes a rigidae sententiae patronis usque modò datae, solidae minimè videntur ». Revera, uti diximus, sufficit ad theseos nostrae veritatem quod *in uno casu* actio permittatur; nec adeo nocet thesi quod S. Poeniten-

Ex alia parte, rigor quorumdam responsorum Romanorum, notatim decretorum C. S. O. 25 Junii 1885 (1), et potissimum 27 Maii 1886 (2), ex quibus adversarii intrinsecam malitiam deducere co-

---

tiaria, die 3 Junii 1890, declaraverit rescriptum ad Episc Lucionensem spectare dumtaxat casum particularem, nec illam solutionem posse extendi ad casus analogos. *N. R. th.*, XXI, p. 506.

(1) « Post nuper restitutas penes Gallos anno 1884 divortii leges, plura a nonnullis Episcopis Galliarum dubia huic S. R. et U. Inquisitioni proposita sunt, utrum nempe fas esset judicibus laicis in causis de separatione conjugum, sive circa vinculum sive circa habitationem tantum, jus dicere; utrum advocatis et procuratoribus hujusmodi causas agere penes judices laicos; utrum his, ad quos de jure pertinet, defensores officiosos, quos vocant, deputare; utrum denique syndicis (vulgo *maires*) divortium pronuntiare.

Eminentissimi PP. una mecum Inquisitores generales, re mature perpensa, in feria V, loco IV, die 25 Junii 1885, ita decernendum esse censuerunt:

Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, tolerari posse ut qui magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant, quin officio cedere teneantur, dummodo catholicam doctrinam de matrimonio deque causis matrimonialibus ad solos judices ecclesiasticos pertinentibus palam profiteantur, et dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut nunquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem, et in casibus dubiis vel difficilioribus suum quisque Ordinarium adeat, ejus judicio se dirigat, et quatenus opus sit per ejus medium ad Apostolicam Poenitentiariam recurrat.

Hoc decretum Sanctissimus Pater ratum habuit; ideoque omnibus in Gallia Archiepiscopis notum fit pro eorum norma per has litteras caeteroquin non evulgandas ». *N. R. th.*, XVIII, p. 489 ss.

(2) « A nonnullis Galliarum Episcopis sequentia dubia S. R. et Univ. Inquisitioni proposita sunt: In Epistola S. R. et U. I. 25 Junii 1885 ad omnes in Gallica Ditione Ordinarios circa civilis divortii legem, ita decernitur: *Attentis gravissimis rerum, temporum ac locorum adjunctis, tolerari posse ut qui magistratus obtinent et advocati causas matrimoniales in Gallia agant quin officio cedere teneantur,* conditiones adjecit, quarum secunda haec est: *Dummodo ita animo comparati sint tum circa valorem et nullitatem conjugii, tum circa separationem corporum, de quibus causis judicare coguntur, ut numquam proferant sententiam neque ad proferendam defendant vel ad eam provocent vel excitent divino aut ecclesiastico juri repugnantem.* Quaeritur:

I. An recta sit interpretatio per Gallias diffusa ac etiam typis data, juxta quam satisfacit conditioni praecitatae judex qui, licet matrimonium aliquod validum sit coram Ecclesia, ab illo matrimonio vero et constanti animo abstrahit, et applicans legem civilem pronuntiat locum esse divortio, modo solos effectus civiles solumque contractum civilem abrumpere mente intendat, eaque sola respiciant termini prolatae sententiae? Aliis terminis, an sententia sic lata dici possit divino aut ecclesiastico juri non repugnans?

II. Postquam judex pronuntiavit locum esse divortio, an possit syndicus (gallice, *le maire*), et ipse solos effectus civiles solumque civilem contractum intendens, ut supra exponitur, divortium pronuntiare, quamvis matrimonium validum sit coram Ecclesia?

III. Pronuntiato divortio, an possit idem syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, quamvis matrimonium prius validum sit coram Ecclesia vivatque altera pars?

Feria V, loco IV, die 27 Maii 1886.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem Eminentissimi ac Reverendissimi DD. rescribi mandarunt: — Ad primum, secundum et tertium dubium, *Negative.*

Eadem feria ac die, facta de his Sanctissimo Dno Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua resolutiones Eminentissimorum PP. approbavit et confirmavit ». *N. R. th.*, XVIII, p. 379 s.

Haec sunt duo decreta palmaria ad quae provocant rigidae sententiae patroni; reliqua documenta Romana nostram controversiam spectantia, vel merè provocant ad duo illa decreta, uti responsum S. Poenit. 4 Aprilis 1887 (*N. R. th.*, XIX, 391 s.), vel in utrumque sensum adduci possunt, quemadmodum decr. C. S. O. 26 Julii 1887 (*N. R. th.*, XXIV, p. 373), ubi docetur « excitandum summopere... judicem de quo agitur (praesidem nempe tribunalis normam agendi sollicitantem circa pronuntiatio-

nantur, inde potest explicari quod Ecclesia, in casibus propositis, *ratione peculiarium adjunctorum,* opportunum duxerit severius procedere (1). Haec porro specialis circumstantia forte fuerit, pro Gallia, quam allata decreta spectant, recens tunc temporis facta introductio divortii per legem anni 1884, contra quam speraverit S. Sedes efficacem futuram fuisse resistentiam; et sic intelligeretur quomodo pro Belgio, ubi eadem adjuncta non obtinebant, S. Officium noluerit severam illam solutionem urgere (2).

399. et plures auctores sibi faventes habet.

Auctores moderni, hanc momentosam quaestionem attingentes, in diversas partes abeunt, aliis intrinsecam malitiam vindicantibus, vel saltem pronuntiationem divortii absolutè illicitam proclamantibus, aliis benigniori sententiae faventibus; inter quos plerique Doctores Belgae.

Severiorem sententiam prae caeteris tuentur BUCCERONI (3), BAUDIER (4), AERTNYS (5), ROSSET (6), PLANCHARD (7), GASPARRI (8), LAVIALLE (9), CERATO (10), quibus accedunt *Conferentiae Romanae* anni 1899 (11), necnon WERNZ-VIDAL (12). *Alteri sententiae* patrocinantur Ill. WAFFELAERT (13), (BALLERINI)-PALMIERI (14), LEHMKUHL (15),

---

nem divortii) ut in officio perseveret, stando restrictionibus jam datis a S. Sede, et adhibitis cautelis quae a virtute prudentiae suadentur ». Cf. interpretationem apud *N. R. th.*, XXIII, p. 667 et XXIV, p. 376 s.

(1) Etiam addi posset a responsis S. Sedis nonnunquam recedi posse, si aliunde controversia datur, quemadmodum apparet in sententia Rotali *Divionen.*, 20 Jan. 1911, apud *A. A. S.*, III, p. 292 s., coll. *N. R. th.*, 1911, p. 665 s. et 1914, p. 266. Nimirum S. Rota, loquens de decisionibus S. C. C., in re controversiae obnoxia, notat quod, « quaecumque sit indoles harum decisionum, non dirimerunt controversiam inter doctores hac de re... ortam ».

(2) Diversae igitur solutiones, pro Gallia ex una parte et pro Belgio ex alia parte, important diversitatem non doctrinalem sed mere disciplinarem, uti scite observabat Minister regius RENKIN, in Comitiis Belgicis, 23 Nov. 1904. Cf. *Annales Parlementaires — Chambre des Représentants,* 1904-1905, p. 93, coll. p. 63, ubi invocat D. Hymans illam contradictionem.

Caeterum testatur *l'Ami du clergé,* 1924, p. 244, disciplinam illam severam pro Gallia jam interdum relaxari, etiam quod spectat sollicitationem divortii, adeoque a fortiori quod spectat divortii pronuntiationem. Cf. etiam *ibidem,* p. 246, ubi declarat redactor « qu'il est à notre connaissance, que Rome, très-exceptionnellement il est vrai, adoucit pratiquement sa sévérité primitive ».

(3) O. c., II, n. 983; item *Enchir., Morale,* p. 219 ss.; tandem in *Supplem.*, ad Promptam Bibliothecam Lucii Ferraris, 1899, v° *Divorium.*

(4) *N. R. th.*, XVIII, p. 231 ss.

(5) *Theol. Moral.*, II, n. 522, quaer. 3.

(6) O. c., VI, n. 4085 ss.

(7) *N. R. th.*, XVIII, p. 473 ss., et notatim p. 500 s., ubi docet judici, saltem in Gallia, nulla de causa licere divortii pronuntiationem, quin tamen admittat intrinsecam malitiam.

(8) O. c., II, n. 1248, ubi dicit se « in rigidam opinionem inclinari ». Ita etiam in ed. 1904, n. 1554.

(9) O. c., p. 91 ss., coll. p. 77.

10) O. c., p. 162 s., ubi mira occurrit affirmatio, quatenus « remanet... patronus sententiae affirmantis liceitatem, contra sententiam *communem* negantem, *unus* Gennari ».

(11) GASPARRI, o. c., II, n. 1242: « Dum casus conscientiae discuteretur Romae in ecclesia S. Apollinaris, die 11 Martii 1889, viri, qui mentem S. C. Inq. optime perspectam habebant, publicè affirmarunt S. C. hoc decreto (27 maii 1886) sententiam divortii civilis damnavisse tanquam intrinsecè illicitam ».

(12) O. c., n. 712.

(13) *Coopér.*, p. 66 ss., coll. *N. R. th.*, XIV, XVI, XVII et XVIII.

(14) O. c., VI, p. 390-397.

(15) O. c., II, n. 701, in nota.

GRANDCLAUDE (1), DE BECKER (2), GENICOT (3), LEITNER (4), BOVENS (5), MARC (6), THEOL. MECHL. (7), *Vie Diocésaine-Documenta* (8), BESSON (9), *Collat. Tornac.* (10), SALSMANS (11), *Rev. prat. d'Apolog.* (12), NOLDIN (13), MICHAUD (14), OJETTI (15), BOUDINHON (16), TANQUEREY (17), VERMEERSCH (18); VLAMING (19); CAPPELLO (20); KISELSTEIN (21).

Haesitanter loquuntur FEYE (22), ALLEGRE (23), DE LUCA (24).

400. Conclusio.

Re igitur discussa ab intrinseco et ab extrinseco, possumus sic *concludere:* donec clarius a S. Sede doceamur, sententia judicis locum esse divortio statuentis, et actio syndici divortium pronuntiantis, non est habenda qua intrinsecè mala, ac, in specie in Belgio, non sunt reprobandi dicti officiales divortium pronuntiantes, quotiescumque ad id vi muneris coguntur, modò opportunè cautum sit scandalo.

QIUNTUM COROLLARIUM.

401. 5° Sollicitatio divortii civilis,

A. **Sollicitatio civilis divortii**, *ex parte* **conjugis catholici** *valido matrimonio indissolubiliter conjuncti, non videtur actio intrinsecè mala, sed actio malè sonans dumtaxat, ita ut, seclusis peculiaribus adjunctis et positiva prohibitione Ecclesiae, nonnunquam, licet rarius, legitimari posse censeatur.*

---

(1) O. c., ubi, p. 8 s., aliam interpretationem proponit decretorum S. Sedis, speciatim decreti 25 Junii 1885 et 27 Maii 1886. Censet nimirum S. Sedem, in priori decreto generali, docuisse licéitatem pronuntiationis divortii sub debitis conditionibus in tenore decreti insertis, hanc autem actionem anno sequenti non reprobasse nisi in quantum in expositis determinabatur, in quantum scilicet debitis conditionibus non erat stipata; in decreto nempe 1885 requiruntur duae conditiones, dum in consultatione anni 1886 non inserebatur nisi una ex duabus conditionibus, omissa altera de professione palam facta circa regimen matrimonii Ecclesiae exclusivè pertinens: « La décision du 27 Maii (1866) écarte une application tronquée et abusive de la déclaration générale du 25 Juin (1885) ».

(2) *De Matr.* p. 429 ss.

(3) O. c., II, n. 561.

(4) O. c., p. 634 s.

(5) O. c., p. 34 ss.

(6) O. c., II, n. 2126. De quo cf. LAVIALLE, o. c., p. 51 s., ubi refert laudatum *A.*, ante decretum anni 1886, favisse sententiae benigniori, hanc autem deseruisse post decr. 1886, et iterum reassumpisse post rescriptum datum Episcopo Lucionensi.

(7) O. c., p. 183 ss.; cf. etiam *Quaestiones in confer.*, 1898, p. 52 ss.

(8) Anno 1912, p. 95 ss.

(9) *R. th. fr.*, 1905, p. 371 ss.

(10) Anno 1898, p. 570 ss.

(11) *Rechterlijke Plichtenleer*, 1913, n. 352.

(12) Tom XI (1911), p. 531 s.

(13) *Summa Theol. mor.*, 1908, III, n. 672 ss.

(14) *N. R. th.*, 1914, p. 261 ss.

(15) *Synopsis*, n. 3895, coll. n. 3894.

(16) *Revue cath. de droit* (Louvain), X (1907-1908), p. 164 s. et p. 170 ss.

(17) O. c., n. 756 ss.

(18) *De Castitate*, n. 286.

(19) O. c., n. 697.

(20) O. c., n. 834 et n. 837 ss.

(21) *Rev. eccl. de Liége*, XV (1923), p. 69 ss. et p. 139 ss.

(22) *De Imp.*, n. 584, sub 5°.

(23) O. c., I, p. 218 ss.

(24) O. c., n. 1058.

B. *Idem dicendum opinamur de* **advocato** *causam conjugis sustinente.*

Explicatio et probatio.

a/ ex parte conjugis,

Ad 1^{m}. Non est actio intrinsecè mala *ratione objecti,* uti constat ex modò dictis; neque etiam *ratione circumstantiae inseparabilis et inabstergibilis.*

non est actio intrinsecè mala,

Et sanè, attentis suprà propositis, frustrà provocatur ad *intentionem pravam,* in supposito (quod sane intendimus) quod conjuges divortium non petant animo novas ineundi nuptias; item frustrà provocatur, uti vidimus, ad *cooperationem immediatam* ad peccata aliena; ulterius autem locus quidem est scandalo indirecto, ast magna ex parte removeri potest opportuna declaratione.

402. sed malè sonans tantum,

Rursus igitur non remanet nisi materialis *cooperatio mediata* ad peccata forsan committenda compartis, et cooperatio ad malos *effectus* secuturos, ac reducitur controversia ad existentiam causae proportionatae ad illam cooperationem cohonestandam.

Jamvero

ratione scil. scandali et cooperationis; ad quae cohonestanda inveniri possunt,

1° *In regionibus ubi lex civilis non admittit separationem corporum* (1), facilius aderit illa causa ad sollicitandum divortium, cum in illis regionibus solum medium sit ut coram foro civili legitimetur separatio a toro et cohibitatione et conflictus vitetur cum jure forensi; requiritur autem ut praevie obtenta fuerit, judicio Episcopi, separatio tori et cohabitationis.

2° *In aliis regionibus:*

a/ *Regulariter* non datur causa quae satis urgens sit ad legitimandam sollicitationem divortii civilis prae separatione corporum: ratio namque vitandi incommoda, quae consequuntur separationem corporum prae divortio, passim non sufficit ut compensentur malae sequelae ex divortii sollicitatione oriundae.

licet rarius,

In specie non juvat provocare *ad dispositionem art. 310,* quatenus, post tres annos inde a separatione obtenta, possit sententia separationis in divortium converti a parte, contra quam separatio fuit facta: in hoc enim non adeo grave datur inconveniens pro parte innocente, cum in casu non applicetur dispositio art. 299 in favorem partis obtinentis divortium. Cf. suprà, n. 384.

Neque passim sufficit incommodum, in hoc consistens quod uxor separata maneat *juridicè incapax,* nec adeo possit, absque viri consensu, bona acquirere et alienare: quod incommodum eo minus

(1) Ita v. gr. in Roumenia, ubi solum divortium a lege admittitur, repudiata corporum separatione. — In Suecia, praeter divortium, admittitur quidem separatio corporum, sed pro unius anni spatio tantum.

urget quod, vi art. 218, possit consensus maritalis defectui suppleri auctoritate judicis.

Neque, *absolute loquendo,* sufficit periculum ne, ad normam *art. 312,* 1° alin., marito adscribantur proles quas uxor, licet separata, parturierit: admodum quidem grave est inconveniens, sed nonnunquam potest, licet difficulter, removeri, etiam sub regimine legislationis Belgicae, favore dispositionis in eodem art. 312, 2° alin., et art. 313, insertae; facultatem enim habet vir hujusmodi prolem repudiandi, ad tramites dictorum sub. n. 293.

Quibus favent, licet stricte non probant, responsa S. Poenitentiariae 5 Jan. 1887 (1), 14 Jan. 1891 (2), 16 April. 1891 (3) et 7 Jan. 1892 (4).

403. causae proportionatae;

b/ *Exceptionaliter* tamen talia adesse possunt, ut videtur, rerum adjuncta quae sufficiant ad cohonestandam, speciatim in Belgio, divortii sollicitationem.

Intendimus praesertim *periculum intrusionis prolium adulterinarum,* adeo scil. imminens ut, ne favore quidem dispositionis art. 312, alin. 2°, vel art. 313, removeri queat: vi nempe prioris clausulae (art. 312), potest utique maritus in casu repudiare paternitatem, sed ipsi incumbit, juxta nostram legem, probatio quod, « pendant le temps qui a couru depuis le 300e jusqu'au 180e jour avant le naissance de cet enfant, il était... dans l'impossibilité *physique* de cohabiter avec sa femme »; haec autem probatio, per se jam difficilis, potest malitiosè reddi inefficax ab uxore subrepticiè domum conjugalem frequentante; vi autem alterius dispositionis (art. 313), sufficit quidem viro invocare solam *moralem* impossibilitatem cum uxore adultera cohabitandi per tempus legale conceptionis, sed nonnisi hac conditione praesupposita, quod nempe constet de nativitatis prolis occultatione: quod utrumque requisitum haud facilè probatur (5).

Utique nos non latet hunc praecise casum, coram S. Poenitentiaria propositum et modò relatum, in partem negativam esse solu-

(1) Proposito casu mulieris divortium instituere cupientis, quia publicum officium, quo ad vitam sustentandam indigebat, aliter obtinere non poterat, respondetur: « mulieri in casu nihil aliud esse consulendum nisi ut a petendo divortio sub gravi se abstineat ». *R. R. th.,* XIX, p. 74.

(2) Denegatur licentia divortium sollicitandi mulieri, eo fine ut, ob graves vitandas vexationes, jus acquirat administrandi bona. *N. R. th.,* XXIII, p. 671.

(3) Pariter non conceditur dicta licentia mulieri divortium ambienti ad hoc ut possit coram lege civili curam assumere neptis a patre derelictae. *N. R. th.,* XXIII, p. 677.

(4) Tandem declaratur non licere ad divortium procedere etiam in casu quo postulatur a viro, cujus uxor adulterinam vitam degit et, ex adulterio gravida, ad domum conjugalem hinc inde remeat ut paternitatis repudiationem reddat marito impossibilem, in casu proinde quo divortium petit maritus « pour pouvoir répudier cette paternité, pour empêcher l'introduction de nouveaux bâtards dans sa famille ». *N. R. th.,* XXIV, p. 528 ss.

(5) Cf. suprà n. 293, collato *Répertoire de la Jurisprudence Belge,* 1900-1909, v° *Paternité,* n. 62-78; *Pasicrisie,* 1913, III, p. 58 s., et 1914, III, p. 27.

tum die 7 Januarii 1892. Atvero non apparet utrum ille casus non spectet solam Galliam, in qua suprà vidimus efficacius praeveniri periculum adulterinae prolis intrudendae (vi legis 1850), in qua etiam regione potuerit S. Sedes, juxta superius notata, specialia attendere adjuncta alibi non obtinentia, quorum intuitu S. Sedes ibidem severius procedendum judicaverit. Caeterum agitur de solutione casus particularis, et, in responso ad casum similem, eadem S. Poenitentiaria, die 30 Junii 1892, satius duxit respondere: « orator consulat probatos Auctores » (1).

Ab hac benigniori solutione non sunt alieni plerique inter suprà citatos Auctores, nobis in priori controversia faventes; novimus etiam, in pluribus Cancellariis episcopalibus Belgii, permissum fuisse recursum ad divortium, in ordine ad vitandum instans periculum aliter non removendum intrusionis prolis adulterinae; ac imo contigit talem recursum permitti in gratiam uxoris honestissimae ex prodigalitate viri ad miseriam redactae, et cui parentes nolebant succurrere nisi sub conditione quod divortium obtinuerit, ac ita virum prorsus ab administratione fortunae excluserit; sunt etiam Auctores qui permitterent divortium sollicitari, si aliter relinquendae forent proles curae partis impiae aut turpem vitam degentis (2).

Thesi nostrae non levis accessit auctoritas ex Concilio provinciali Mechliniensi IV anni 1923, quorum decreta recognovit et ratihabuit S. Sedes, quodque, in decr. 81, admittit possibilitatem divortii civilis licitè sollicitandi, modò adsit « urgentissima et gravissima causa, ab Ordinario cognoscenda ».

Quantacumque autem praesto sit ratio divortium petendi, non esset a conjugibus causa introducenda coram tribunali, nisi auctoritate ecclesiastica praevie consulta. Parochus autem et confessarius id non permittant *nisi recursu habito ad Episcopum,* et salvis cautelis ab ipso praescribendis (3). Caeterum, si contingat in legem sanciri propositionem a senatu, die 16 Martii 1911, jam adoptatam, de qua suprà, n. 294 et 389, minus erit locus exceptionibus modò admissis.

---

(1) *N. R. th.*, XXIV, p. 529 ss. — Cf. etiam suprà, n. 398, de mitigatione inducta in severa disciplina hucusque vigenti pro Gallia.

(2) SALSMANS, *Ons Geloof*, 1922, p. 41 s. — Posset etiam, ut videtur, parti contra quam inducitur actio in divortium, permitti id quod vocant « demande *reconventionnelle* »; tunc namque propriè non sollicitatur divortium, sed potius sollicitatur ut divortium, si, urgente parte quae prior actionem induxit, pronuntiatur, pronuntietur in favorem alterius partis. Cf. *N. R. th.*, 1904, p. 274 s.

(3) Ita Episcopus Brugensis, anno 1914, permittendo divortii sollicitationem ob periculum intrusionis prolis adulterinae, praescripsit ut conjux scriptam promissionem emitteret de non attentando novo matrimonio, superstite comparte, utque, ad scandalum vitandum, subscriberet declarationi se non induxisse instantiam in divortium nisi auctoritate Episcopi; debuit etiam parochus id caute divulgare. Cf. *Collat. Brug.*, XIX, p. 336 ss.

404. item b/ ex parte advocati.

Ad 2m. Ubi conjugibus licet divortium sollicitare, id etiam licet *advocatis*, eorum causam sustinentibus.

Extra hanc hypothesim, non liceret communi advocato tuendam assumere causam divortii, siquidem liberè potest causas sibi oblatas recusare; emolumenti autem defraudatio non est ratio sat gravis quae in negotio tanti momenti attendi queat.

Hanc conclusionem, circa illiceitatem ejus interventionis extra dictam hypothesim, urgemus etiam in casu quo certum est conjuges divortii sententia non esse abusuros ut novum ineant matrimonium civile: non enim attendenda est sola cooperatio ad malas actiones conjugum forte secuturas, sed etiam, idque maxime, cooperatio ad pessimas sequelas ipsius legis absolutè sumptae, ad cujus legis applicationem cooperatur advocatus.

Frustrà etiam opponerent advocati catholici causas divortii fore suscipiendas ab aliis advocatis, si ipsi id facere renuant. Equidem minuitur ex invocata circumstantia cooperationis efficacia, adeoque per minus urgentem rationem posset excusari; non tamen sufficit, hoc etiam attento, ratio deducta ex laesione ipsorum boni privati (1).

Exceptio posset fieri in gratiam sic dictorum « *stagiaires* », quibus a coetu, « Bureau des consultations gratuites » nuncupato, assignatur causa divortii « pro Deo »: non forent nempe improbandi hujusmodi causam assumentes, si in talibus locis et adjunctis constituuntur in quibus non valent muneri assignato se subducere ac ex officio ad illud obeundum adiguntur (2); quo casu, frustrà adhibito conamine ut injunctum munus detrectent, mere exponant coram tribunali motiva legalia quibus nitatur divortii sollicitatio, hanc catholicis principiis oppositam declarando.

405. Conclusio.

Pro conclusione igitur ad quintum corollarium: practicè tuta est, saltem in Belgio, et salva instructione S. Sedis in contrarium, sententia proposita, juxta quam interdum licita esse docetur, etsi ra-

(1) Cf. in eumdem sensum, Conc. Mechl. quartum, sub n. 81.

(2) Profectò aequitas exigit a moderatoribus Consilii disciplinae, ut vocatur, necnon coetus consultationibus gratuitis praepositi, ut, in distributione causarum, morem gerant libertati conscientiae et catholicis non imponant causas quas eorum conscientia reprobat, cum tot alii praesto sint advocati minus scrupulosi; passim etiam, in nostris tribunalibus, non exercetur practicè ulla coactio in hac re.

Attamen existunt decisiones tribunalium, ab hac aequitatis norma declinantes, quae quidem sunt reformabiles, sed quibus, in praesenti jurisprudentiae statu, abuti possent dicti moderatores, ut cogant advocatos (stagiaires) ad divortii causam tuendam. Ita decisiones curiae Bruxellensis (Cour d'appel), 22 Dec. 1875 (J. DES CRESSONNIÈRES, *Décisions du conseil de l'ordre des avocats près la cour de Bruxelles*, Bruxelles, 1906 p. 38), et 19 Januar. 1876 (*Pandectes Belges*, V° Bureau des consultations gratuites): « Un avocat ne peut pas se prévaloir de considérations tenant à ses convictions religieuses, pour refuser de se charger de la défense d'une cause (juste d'après les lois en vigueur) qui lui a été distribuée par le bureau des consultations gratuites ». Ad quod meritò observat GENICOT-SALSMANS, *Casus consc.*, n. 1135, ab advocato-stagiaire opponi posse verba juramenti a se emissi, quatenus juraverit se non assumpturum causas quas coram conscientia habuerit ceu illegitimas.

rius dumtaxat, sollicitatio divortii facta a conjuge aut, ejus nomine, ab advocato.

Quodsi dicta divortii sollicitatio in determinato casu illicita videatur, non rarò opportunum erit conjuges et notatim advocatos relinquere in bona fide.

Scholion. Attentis principiis positis, solvi potest etiam quaestio utrum, conjugibus divortium attentantibus per mutuum consensum, liceat parentibus conjugum illorum vel aliis quorum, vi art. 278 (suprà, n. 383), consensus requiritur, consensum illum legaliter requisitum praebere.

SEXTUM COROLLARIUM.

Quod spectat **matrimonium civile conjugis divortio separati**:

Non videtur neganda probabilitas sententiae quae docet legitimari posse actionem syndici seu officialis civilis, civiliter conjungentis partes quarum alterutra, validè juncta coram Ecclesia, divortio civili est separata.

Explicatio et probatio.

406.

6° Liceitas actionis syndici, personam divortio civili separatam civiliter conjungentis,

Profectò efficacior est ac in casibus modò dijudicatis cooperatio quam admittunt praefati officiales, ac propius influit in peccata a pseudo-conjugibus committenda, adeo ut difficilius reperiantur causae proportionatae ad illam cohonestandam; ex alia tamen parte durum esset syndicos catholicos universim a descripta actione prohibere, eosque eo ipso cogere ad officii dimissionem, cum magno reipublicae detrimento.

probabilis dicenda videtur.

Caeterum, si illegitima dicitur assistentia syndici in proposito casu, non facilè excusabitur ejus assistentia in casu matrimonii civiliter celebrandi inter personas ad matrimonium religiosum ineptas (1).

Nec deest benigniori sententiae *suffragium Auctorum,* eorumque gravium, quales sunt GENNARI et BOUDINHON, in opere citato *Consultations,* 2e Partie, II, p. 246 ss.; DE LUCA, o. c., n. 1047 ss.; BOVENS, o. c., p. 36-40; GENICOT-SALSMANS, o. c., II, n. 562, sub 4/; MICHAUD, *N. R. th.,* 1914, p. 282; SALSMANS, *Rechterlijke Plichtenleer,* n. 357; *L'Ami du Clergé,* 1914, p. 444; LEHMKUHL, o. c., II, n. 725; NOLDIN, *Summa,* III, n. 680; SCHNITZER, o. c., p. 77 s.; WERNZ², o. c., p. 339 s.; VERMEERSCH, l. c.; KISELSTEIN, apud *Rev. eccl. de Liége,* XV (1923), p. 139 ss.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 591.

(1) Circa assistentiam syndici matrimonio illius qui ad matrimonium ineundum canonicè validum existit incapax, cf. SANTI, *In l. IV Decr.,* Tit. III. n. 55 s., qui illam planè licitam judicat; monet autem GASPARRI, o. c., II, n. 1230: « Quanquam Santi non citat (in favorem suae theseos) S. Poenitentiariam, tamen nonnulli suspicantur eum hanc doctrinam ex jurisprudentia ipsius S. Poenitentiariae desumpsisse, cujus fuit per plures annos canonista et tandem regens per paucos menses ante mortem ».

Potius favet etiam GASPARRI[3], o. c., II, n. 1530 ss.; quod autem spectat HOLLWECK, o. c., p. 78, in nota, concedit sententiam esse practice tutam. Cf., in sensum oppositum, *Collat. Namurc.*, XIII, p. 227 ss.; OJETTI, *Synopsis*, n. 3894, sub 9.

Responsa autem a S. Sede data, et descriptam assistentiam syndici illicitam proclamantia (1), forsan intelligi possunt ad modum quo suprà alia decreta interpretanda vidimus, non quasi urgeant intrinsecam malitiam, sed quatenus assistentia hujusmodi, *ob specialia adjuncta,* illicita declaretur in casu determinato, vel *positiva* prohibitione reprobetur ab Ecclesia.

Si qui sint qui actionem syndici intrinsecè malam esse certò putent, hoc pro norma habeant ut laudatos magistratus in bona fide relinquant, interrogantes autem ad Ordinarium dirigant.

407. Quomodo tractandi divortio separati:

Scholion. *Post factum,* quando scil. detegitur poenitens divortium civile a matrimonio canonicè valido illicite impetrasse, quomodo tractandus est *a confessario?*

1. *Si non contraxit nec contrahere intendit novum matrimonium civile:* a/ *sine novo matrimonio;*

Oportet ut poenitens de peccato commisso, in quantum fuerit formale, sincere doleat; praeterea debet, si fieri potest, cum derelicta comparte reconciliari ac consortium maritale reinstaurare (2); quae reconciliatio si impossibilis aut inopportuna judicetur, tenetur poenitens scandalum forte provocatum reparare ac monere parochum de separatione tecti instituta, et per eum sententiam judicis ecclesiastici obtinere, attentis principiis propositis sub n. 260 ss.

Quibus praestitis, nihil jam obstat quominus ad sacramenta, etiam publicè, admittatur poenitens, ac imo potest absolvi seria facta promissione de dictae obligationis futura executione.

2. *Si ad alia vota transire attentaverit, novo inito matrimonio civili cum tertia persona:*

408. b/ *cum novo matrimonio civili.*

Optanda solutio foret ut, impetrato divortio civili ab hoc altero pseudo-vinculo, reconcilietur cum legitima comparte cum eaque vitae conjugalis consortium reassumat (3).

(1) Ita decretum C. S. O. anni 1886 supra relatum, ad 3[m]; item rescriptum, nomine Card. M. Poenitentiarii transmissum a Substituto, die 28 Nov. 1883: « Facta Em[mo] Poenitentiario M. relatione casus syndici..., qui vi officii sui assistere deberet matrimonio civili cujusdam in facie Ecclesiae jam ligati, ex mandato ejusdem Em[mi] Tibi significare debeo, non posse ullo modo dictum syndicum actui obsecundare qui matrimonii sanctitati tam contrarius est. Quaecumque igitur sint casus circumstantiae, a tali assistentia abstinere omninò tenetur, etiamsi inde futurum sit ut officium demittere debeat ». *N. R. th.*, XX, p. 399 s.

(2) Sub n. 379 et 384, notavimus, in Gallia et in Belgio, a lege non prohiberi conjuges divortio separatos quominus iterum civiliter copulentur, salva nova celebratione. Hoc obtinet in Gallia inde ab anno 1884, quandó lex divortii est reintroducta; in Belgio, in hunc sensum moderatus est art. Cod. civ. 295, anno 1906.

(3) Huic novae unioni inter conjuges divortio disjunctos adhuc locus est coram lege civili in *Belgio,* postquam novum successit matrimonium et alterum divortium; non ita in Gallia. Cf. l. c., et *Collat. Brug.*, t. XI, p. 318 ss.

Quodsi ad hanc solutionem deveniri nequeat, urgendus est poenitens ut saltem a concubinatu recedat, etiamsi obtineri non possit novum divortium civile (1); non potest autem salvo urgentis necessitatis casu, ad sacramenta publicè admitti antequam concubinatum efficaciter abruperit, nec ad ipsam absolutionem sufficeret, regulariter et extra casum urgentem, sola promissio de futura concubinatus abruptione.

Abrupto autem concubinatu ac reparato scandalo, manet ut poenitens, juxta dicta sub 1, moneat parochum et sententiam judicis ecclesiastici obtineat super separatione tecti; quibus peractis, potest, supposita resipiscentia, ad sacramenta admitti; etiam potest sacramentaliter absolvi sub promissione hanc clausulam injunctam exequendi.

Porro supponitur poenitens non incurrisse excommunicationem; posset nempe fieri quod, ex facto novi attentati matrimonii, excommunicationem contraxerit, sive vi dispositionis juris communis (2), sive vi dispositionis juris particularis (3): quo casu hujus absolutio absolutionem sacramentalem praecedere deberet.

In hac solutione sub 2, supponimus legitimam compartem derelictam adhuc vivere: hac defuncta, remedium est in matrimonio ineundo coram Ecclesia cum persona civiliter ducta, reparato praevie scandalo.

---

(1) Non obstat huic concubinatus abruptioni existentia vinculi civiliter validi: vult quidem lex civilis ut cohabitent conjuges, sed in praxi vix unquam ad cohabitationem urgebit judex. Cf. n. 249, cum nota, et *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 331 s.; MICHAUD, apud *N. R. th.*, t. XLVI, p. 416 ss.

(2) Can. 2356, in novo Codice, haec habet: « Bigami, id est qui, obstante conjugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint, sunt *ipso facto infames* (infamia juris), et si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, pro diversa reatus gravitate excommunicentur vel personali interdicto plectantur ». Sunt etiam, tanquam infames infamia juris, inhabiles ad beneficia, ad actus legitimos, in specie ad munus patrini etc., uti statuitur in can. 2294, § 1. Cf. infrà, n. 566.

Potest etiam fieri ut, posito anathemate contra illos qui putant licere christianis duas uxores habere (C. Trid., Sess. XXIV, can. 2), hujusmodi poenitens haeresim incurrerit, ideoque excommunicationem haeresi adnexam.

(3) Ita, in Conc. Baltim. III (a. 1884), n. 124, indicitur excommunicatio latae sententiae Ordinario reservata contra « conjuges qui, divortio civili obtento, novum matrimonium attentare ausi fuerint ».

Sectio Tertia.

DE REGIMINE MATRIMONII

409. Quid generatim importet regimen matrimonii;

Praenotanda. 1° Regimen matrimonii importat potestatem legislativam, judiciariam et coercitivam, et afficit matrimonium tam in quantum contractus est, quam in quantum est vinculum manens; dictum autem regimen exercetur, quoad potestatem *legislativam,* in determinanda forma contractus, in condendis impedimentis sive dirimentibus sive impedientibus, vel etiam, intrà limites suprà descriptos, in statuendis causis dissolutionis vinculi aut separationis a toro et cohabitatione; quoad potestatem *judiciariam,* in dijudicanda validitate aut nullitate matrimonialis contractus, aut dijudicanda existentia causae ad dissolutionem vinculi vel ad separationem sufficientis; quoad potestatem *coercitivam,* quatenus vel matrimonium, in vindictam criminis, etiam sub poena nullitatis, prohibeatur, ejusve usus interdicatur, vel quatenus urgeantur obligationes ex matrimonio exsurgentes.

410. est in manu auctoritatis humanae socialis.

2° Matrimonium subesse regimini auctoritatis humanae socialis, a qua moderari possit, sequitur ex ejus natura, quam determinat ipse ejusdem finis proprius.

Nimirum matrimonium, siquidem, uti vidimus, pro fine proprio non habet privatum partium bonum, sed bonum prolis nascendae et ipsius societatis propagationem ac conservationem, *non* est negotium *ordinis privati,* moderationi partium relinquendum, uti contendunt neoterici (1), de quibus suprà, sub n. 314 s., sed negotium, quod sit eminenter *ordinis publici,* auctoritati publicae sociali obnoxium (2).

Neque sufficit matrimonium regi jure divino, naturali ac positivo, cum utrumque illud jus incompletum sit ac vagum petatque in multis determinari, in specie quod spectat statuenda impedimenta (n. 419) (3); non minus apparet necessitas interventionis auctoritatis socialis in dijudicandis applicationibus practicis juris vigentis, i. e. in tractandis causis matrimonialibus, in quibus negotiis, passionibus adeo obnoxiis, non possunt homines constitui privati arbitri.

(1) Cf. BÖCKENHOFF, *Reformehe,* p. 100-106.

(2) Infrà inquiretur *cuinam auctoritati* humanae sociali competat matrimonii regimen.

(3) Ita, quod spectat baptizatorum matrimonium, « regitur, juxta can. 1016, jure non solum divino, sed etiam canonico ».

3° Debet quaevis potestas humana, in regendo matrimonio, et signanter in statuendis impedimentis, rationem habere juris divini, ad normam dicendorum infrà, n. 421 ss. et n. 436.

4° Successive agetur, distinctis paragraphis, de regimine matrimonii *fidelium,* inter duos scil. fideles existentis; de regimine matrimonii *infidelium,* matrimonii nempe legitimi inter duos infideles; de regimine matrimonii inter *partem fidelem* et partem *infidelem* initi.

§ 1. De regimine matrimonii duorum fidelium.

I. **Jura Ecclesiae.**

411. Regimen matrimonii fidelium competit Ecclesiae exclusivè,

PROPOSITIO. *Regimen in matrimonia fidelium, in specie potestas statuendi impedimenta, exclusive (salva restrictione infrà, n. 425 et 427, facienda in favorem Principis civilis) competit Ecclesiae, idque jure proprio ac vi ipsius dispositionis divinae et ex natura matrimonii christiani; quod regimen exercere potest intuitu boni tam corporalis quam spiritualis fidelium, servato in omnibus jure divino, sive naturali sive positivo.*

Probatur *per partes.*

sive spectetur qua sacramentum,

PRIMUM ASSERTUM: **Soli Ecclesiae**, *ad exclusionem potestatis civilis, competit regimen in matrimonia fidelium.*

1[m] **Arg.**: Matrimonium inter fideles validè initum est *sacramentum,* et quidem adeo ut contractus a sacramento dissociari nequeat, nec ulla inter utrumque admittatur distinctio realis. Unde contractus moderari nequit quin eo ipso sacramentum attingatur; et ita non possent poni conditiones ad valorem contractus quin etiam ponantur pro sacramento suscipiendo, nec possent personae inhabilitari respectu contractus, quin eo ipso rejiciantur qua ministri sacramenti.

Jamvero soli Ecclesiae nativo jure competit sacramentorum administratio, quae potestati civili est deneganda penitus: « de sacramentis statuere et praecipere, ita, ex voluntate Christi, sola potest et debet Ecclesia, ut absonum sit planè potestatis ejus vel minimam partem ad gubernatores rei civilis velle esse translatam ». Encycl. *Arcanum* (1).

412. sive non.

2[m] **Arg.**: Etiam, seclusa ratione sacramenti, matrimonium, uti est in officium naturae, est *sacrum:* utique non essentialiter et

(1) Quod spectat objectionem ex sacramenti immutabilitate deduxtam contra ipsius Ecclesia regimen in matrimonium, in specie contra ejus potestatem condendi impedimenta, vide infrà, n. 419.

intrinsecè, sed ratione finis ad quem ordinatur (suprà, n. 87); directe namque et immediatè tendit « ad ingenerandam Ecclesiae sobolem, cives sanctorum et domesticos Dei » (Encycl. *Arcanum*) (1), ex ejusque recta ordinatione plurima pendent quae immediatè afficiunt bonum commune spirituale (2).

Quodsi est sacrum, « consentaneum est, quemadmodum ratiocinatur Leo XIII, l. c., ut regatur ac temperetur non principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae, quae rerum sacrarum sola habet magisterium ». Equidem *aeque immediatè* spectat matrimonium ad conservationem et incrementum societatis civilis, et ideo, abstracte loquendo, jus haberet et titulum etiam princeps saecularis ad matrimonium christianum, seclusa sacramenti dignitate, regendum (cf. infrà, n. 433); sed, re in concreto spectata, non potest Status civilis jus suum urgere *in concursu altioris juris Ecclesiae,* cui cedere debet; impossibile enim est idem ac individuum matrimonium duabus potestatibus independenter regi ac moderari (3).

413. Objectio.

Et ita solvitur objectio opponi solita contra hoc alterum argumentum, jus exclusivum Ecclesiae vindicans ex natura matrimonii, seclusa ratione sacramenti: *Maj.* Princeps civilis statuere potest, salvo jure naturae et divino, circa omnia intrinsecè non sacra, quae ordinantur ad bonum societatis civilis. *Min.* Atqui hujusmodi est matrimonium christianum. *Ergo.*

---

(1) Cf. BILLOT, o. c., II, p. 429: « Matrimonium uti est in naturae officium non est in sua entitate sacrum », sed « habet ad actiones sacras in quibus consistit cultus Dei intrinsecam proportionem habitudinis, eo quod principaliter ordinatur ad Dei cultores educandos ».

« Le mariage est, dit-on, l'entrée de l'État; il est bien aussi l'entrée de l'Église. C'est de la main des époux que la société civile reçoit ses guerriers, ses magistrats, ses juges; mais ce sont bien eux qui donnent à l'Église ses prêtres, ses pontifes et tous les chrétiens qu'elle conduit, par la pratique de l'Évangile, à la vie éternelle ». Ita Auctor opellae: *Examen du pouvoir législatif de l'Église,* p. 116.

(2) *Examen,* p. 116 s.: « Des mariages mal assortis naissent les divorces et les dissensions domestiques. Mais le divorce est encore plus réprouvé par la loi de Dieu que par la loi du prince; la discorde n'est pas moins opposée à la charité chrétienne qu'à l'harmonie sociale. Des mariages obscurs et clandestins naissent la bigamie, l'abandon des épouses et des enfants: désordres, qui désolent l'Eglise autant qu'ils affligent l'Etat. Les mariages incestueux offensent la nature, mais Dieu est-il moins outragé que le prince par les crimes qui outragent la nature? La mauvaise éducation est le résultat nécessaire des mauvais mariages; avec de la bonne foi on convient que la morale souffre, encore plus que la politique, du vice de l'éducation: l'Etat pourra faire d'un mauvais mari un bon soldat, et même un bon général; mais il sera toujours un mauvais chrétien ».

(3) Idem matrimonium foret validum et invalidum, iidem vir et mulier ab uno judice haberentur uti conjuges et cogerentur ad cohabitandum, dum ab alio judice declararentur concubinarii et separandi. Quodsi dicatur posse rationem haberi impedimentorum utriusque legislationis, id saltem non valeret pro forma contractus: sic possent ab utraque lege statui formalitates ad valorem observandae quae simul observari non possent. Cf. PALMIERI, o. c., p. 268 ss.; HEUSER, o. c., 82-84; BASDEVANT, o. c., p. 40 s.

Hanc dualitatem in matrimonii regimine qua possibilem admittebant olim Auctores nonnulli, quales Carrière, Gerbais, Ballet, de quibus infrà, sub fine num. 419, necnon anonymus Auctor opellae *Apologie du mariage chrétien* (p. 98 ss. et p. 119 s.): nitebantur autem spe, profectò inani, fore ut principes christiani sese conformarent, in sua legislatione matrimoniali, legibus Ecclesiae, et sic conflictus vitaretur (cf. BALLET, o. c., p. 23 s.). Cujus dualitatis principii prolixam confutationem exhibet MARTIN, o. c., II, p. 273-292.

Respondetur namque *distinguendo majorem:* Princeps civilis... quae ordinantur ad temporale bonum: *mediatè* tantùm, ita ut immediatè conducant ad bonum spirituale, et, mediante bono spirituali, promoveant bonum temporale, *nego; immediatè, subd.:* quae ad bonum temporale ordinantur *unice, conc.; aeque immediate* ac ad bonum spirituale, iterum *subd.:* si adest societas supernaturalis, nec concurrenter exerceri potest utraque potestas, *nego;* si deest societas supernaturalis, vel utraque potestas exerceri valet concurrenter, *conc.*

Jamvero matrimonium christianum, si immediate spectat bonum et incrementum societatis civilis, aeque immediate spectat bonum et propagationem Ecclesiae; nec potest concurrenter exerceri utraque potestas, uti vidimus. Cf. infrà, n. 433.

Propositam doctrinam urgent etiam Pontifices Romani, prae caeteris Pius IX, in *Syllabo,* damnante prop. 68 (1) et 71 (2); Leo XIII, Encycl. *Arcanum,* ac in Litteris ad Episc. Peruvienses, 16 Aug. 1898 (*Anal. eccl.,* 1899, p. 440), et ad Episc. Aequatoris, 24 Dec. 1902 (*Anal.,* 1904, p. 281); Pius X, in Litteris 14 Nov. 1906 (*Anal.,* 1907, p. 53 s.); item can. 1016. Cf. etiam alia documenta relata apud DE BECKER, *De Matr.,* p. 30 ss.; FEYE, *De Imp.,* n. 22-56 passim.

414. Nota. *Observa* alterum argumentum, attenta dualitatis regiminis impossibilitate, valere contra illos qui matrimonii christiani sacramentalitatem negant, aut distinctionem urgent inter contractum et sacramentum: satis est quod contractum matrimonialem non habeant quasi contractum *merè profanum,* ad modum civilistarum (3).

415. Illud regimen competit Ecclesiae iure proprio et ex ipsa natura matrimonii. SECUNDUM ASSERTUM: *Exclusivum regimen competit Ecclesiae* **iure proprio**, *idque* **divinitus**, **ex ipsa natura matrimonii.**

Dicitur 1°: *jure proprio,* i. e. non ex supposito assensus vel conniventiae Principum, nec illo jure quod a civili potestate mutuata est (4).

Dicitur 2°: *Vi ipsius naturae matrimonii:* i. e. « illa reservatio nequaquam repetenda est *ex positiva* quadam lege *ab Ecclesia* lata, quemadmodum v. gr. causae mere civiles inferiorum clericorum, per se potestati civili non subductae, nonnisi per positivam

(1) « Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit a qua impedimenta existentia tollenda sunt ». DENZINGER, o. c., n. 1768. Cf. infrà, n. 435.

(2) « Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere ». *Ibidem,* n. 1771.

(3) Valet etiam hoc alterum argumentum ad vindicandum regimen exclusivum Ecclesiae in matrimonia partis fidelis cum parte infideli, quae matrimonia vidimus supra, n. 179, non esse sacramentum. Cf. infrà, n. 438.

(4) Cf. *Arcanum,* ubi Leo XIII arguit ex historia, qua, ut ait, « luculenter docemur potestatem legiferam et judicialem... libere constanterque ab Ecclesia usurpari consuevisse iis etiam temporibus, quando principes reipublicae consentientes fuisse aut conniventes in ea re inepte et stulte fingeretur. Illud enim quam incredibile, quam absurdum, Christum Dominum damnasse polygamiae repudiique inveteratam consuetudinem, delegata sibi a procuratore provinciae vel a principe Judaeorum potestate; similiter Paulum Apostolum divortia incestasque nuptias edixisse non licere, cedentibus aut tacitè mandantibus Tiberio, Caligula, Nerone! ».

legem Ecclesiae soli foro ecclesiastico, saltem ex antiquo jure communi, fuerunt reservatae » (1). Unde, juxta verba Leonis XIII, *Arcanum,* potestatem in conjugia christiana ita exercet Ecclesia, « ut illam propriam ejus esse appareret, nec hominum consensu quaesitam, sed Auctoris sui voluntate divinitus adeptam ».

Hoc duplex asserti elementum corollarii ad instar continetur in modò dictis, sub n. 411 s., ubi argumenta adducta tota quanta tendunt in vindicandum jus Ecclesiae *proprium,* ejusdemque exclusivam potestatem deducendam *ex jure divino ipsaque natura* matrimonii christiani.

Haec rursus vindicat doctrina S. Sedis, puta Pii VI, in damnanda propositione 59ª Synodi Pistoriensis (2), et Pii IX, in *Syllabo,* damnantis prop. 69ªᵐ (3).

416. Regimen matrimonii importat potestatem legislativam,

TERTIUM ASSERTUM: *Regimen illud, Ecclesiae exclusive competens, importat potestatem* **legislativam, judiciariam** *et* **coercitivam.**

Argumenta invocata spectant directe potestatem *legislativam,* sed simul probant potestatem *judiciariam* et, in quantum opus est, *coercitivam* unicè et exclusivè pertinere ad Ecclesiam.

417. judiciariam,

Quoad 1° potestatem *judiciariam,* sponte liquet eam ad Ecclesiam, et quidem ad ipsam solam pertinere, seu omnes causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos. « Est enim axioma apud omnes receptum: ejus qui legem tulit esse etiam judicare res litigiosas hanc legem concernentes, vel illum qui habet potestatem legislativam in certa re, habere etiam potestatem judiciariam in eadem re » (4).

---

(1) Cf. SCHNITZER, o. c., p. 46 ss., in nota 3, ubi Auctor, licet, sub p. 38 s., identitatem propugnet inter matrimonium christianum et sacramentum, contendit quod jus exclusivum Ecclesiae « im positiven Kirchenrecht gelegen ist, das aus wichtigen Gründen jene Befügniss der Kirche reservirt hat ».

In eumdem sensum olim SANCHEZ, o. c., l. VII, Disp. III, n. 2; SALMANTICENSES, o. c., c. IX, n. 14 et 15, et alii citati apud WERNZ, o. c., n. 56, qui contenderunt regimen matrimonii christiani de se Ecclesiae simul et Statui competere, ita tamen ut Ecclesia potuerit sibi reservare legislationem matrimonialem, excluso Statu civili, quemadmodum eam de facto sibi reservavit; potestatem autem reservationis reducunt ad potestatem indirectam, quam hîc exercere potest Ecclesia, matrimonium Principum potestati subducendo ob ejusdem connexionem cum sacramento. Cf. etiam hîc PONTIUS, o. c., l. VII, c. II, n. 3. Contra hujus reservationis factum arguentem vide GIBERT, *Tradition ou Histoire,* I, p. 18 ss. Cf. etiam, apud WERNZ, o. c., n. 57, nota 149, refutationem theoriae Schnitzer.

(2) DENZINGER, o. c., n. 1559: « Doctrina Synodi asserens *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis quae ipsum nullum reddunt dicunturque dirimentia;* quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;* quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant sed et nullum reddant quoad vinculum..., in iisdemque dispensare: canonum 3, 4, 9, 12, Sess. 24, Concilii Trid., eversiva, haeretica » declaratur. Cf. etiam declarationem, sub n. 418 citandam, Card. de Franckenberg.

(3) « Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa quod a civili potestate mutuata est ». *Ibidem,* n. 1769.

(4) AICHNER, o. c., p. 564.

Caeteroquin Codex, in can. 1960, id diserte enuntiat: « Causae matrimoniales inter baptizatos jure proprio et exclusivo ad judicem ecclesiasticum spectant ». Jam *Conc. Trid.*, Sess. XXIV, can. 12, sub anathemate (adeoque sub poena haereseos) docebat causas matrimoniales « spectare ad judices ecclesiasticos »; cujus S. Synodi sententiam *sensu exclusivo* interpretandam esse, attenta verborum generalitate necnon attento motivo in quo nititur sententia, vindicat *Pius VI,* in epist. ad Episc. Motulensem: « Verba enim, ait, canonis ita generalia sunt *omnes* ut causas comprehendant et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo latè patent ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant: si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et propriè unum ex septem sacramentis, sicut haec sacramenti ratio communis est *omnibus* causis matrimonialibus, ita *omnes* hae causae spectare unice debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem ratio sit in omnibus » (1). Tandem Pius IX, in *Syllabo,* n° 74, damnat propositionem: « Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent » (2).

Quo pacto doctrina de potestate judiciaria Ecclesiae exclusive competente, quoad *omnes* causas matrimoniales inter baptizatos dirimendas, si non est de fide definita, absque errore ac temeritate negari nequit (3).

418. et coercitivam;

2° Potestas *coercitiva* est naturale complementum potestatis legislativae ac judiciariae, siquidem coercitione nonnumquam opus est ad hoc ut latae leges et judicia applicari et urgeri valeant, utque simul, in oeconomia matrimoniali, moralitati publicae efficaciter provideatur. Ita merito agnoscitur Ecclesiae, matrimonii regimini praepositae, jus irritandi matrimonium in poenam adulterii conjuncti cum promissione matrimonii aut conjugicidio, jus interdicendi usum matrimonii in poenam incestus, adigendi conjuges vel ad separationem tori et cohabitationis vel ad consortii conjugalis reinstaurationem.

Haec potestas soli competit Ecclesiae, cui tamen adjutorio esse potest brachium saeculare, servata debita dependentia et subordinatione.

---

(1) Refert HEUSER, o. c., p. 11 ss., integrum tenorem epistolae simul ac factum quod epistolae locum dedit.

(2) Cf. documenta allata in Codice, in nota ad can. 1960. Cf. etiam documenta citata a WERNZ-VIDAL, o. c., n. 53, ubi provocat, textum referendo, ad Breve Pii VII, *Etsi fraternitatis,* 8 Oct. 1803; ibidem etiam arguit, in favorem exclusivae competentiae Ecclesiae, ad hujus constantem praxim ut sola de illis causis cognoscat.

(3) Immerito contenderunt quidam canones Tridentinos, in hac materia, signanter hunc canonem 12^m^ ac canonem 4^m^, de quo sub n. 419, non esse dogmaticos, sed disciplinares dumtaxat, uti notatur mox infrà, sub n. 419.

419. *importat potestatem condendi impedimenta impedientia et dirimentia, eaque abrogandi, mutandi ac dispensandi ;*

QUARTUM ASSERTUM: *Vindicatum regimen matrimonii exclusivum importat facultatem statuendi, salvo jure naturali ac divino,* **impedimenta** *tam* **dirimentia** *quam* **impedientia**, *simul ac illa mutandi, abrogandi et dispensandi.*

1° Quod Ecclesia, vi regiminis sui in matrimonium, possit *statuere* impedimenta, non tantùm impedientia sed etiam irritantia, continetur in supra praenotatis, sub n. 410, quatenus scil. ratio boni communis societatis exigit ut, in hoc, praeter ordinationes juris naturalis ac divini, variae inducantur prohibitiones et etiam irritationes, putà ad matrimonia moderanda inter consanguineos et affines, vel ad connubia efficaciter impedienda inter quorumdam criminum complices (1). Quam doctrinam authenticè confirmavit *Conc. Trid.*, Sess. XXIV, can. 4, sub anathemate (sub poena igitur haereseos) docens « Ecclesiam potuisse constituere impedimenta matrimonii dirimentia » (2); item can. 1038, § 2. Cf. etiam prop. 59 Synodi Pistoriensis (3).

Quod valet de potestate condendi impedimenta, valet similiter de potestate impedimenta ab Ecclesia condita *abrogandi, mutandi* aut illis derogandi et super illis *dispensandi* (can. 1040); non refert etiam quod agatur de impedimentis proprie dictis, personam scil. afficientibus, vel de impedimentis improprie dictis, consensum scil. afficientibus aut formam consensus.

Huic potestatis exercitio *opponi* solet matrimonium inter baptizatos esse sacramentum a Christo Domino institutum, adeo ut ejus natura ac indoles immutari nequeat, utque ejusdem materiae et formae substantia, docente Conc. Tridentino, salva consistere

---

(1) Cf. SCHIFFINI, o. c., n. 384. Facultatem statuendi impedimenta vindicat auctoritati sociali regimen matrimoniale exercenti, ex eo quod gravissima mala et praegrandis morum corruptela in tota humana societate forent exoritura, si absque ulla positivae legis coercitione et nullo facto discrimine conjunctiones jure naturali validae manerent liberae. Addit autem rationem cur, attentis illis nocumentis exorituris, hujusmodi matrimonia non prohibeantur nec irritentur ipso jure naturali: quia, dicit, illud periculum indeterminatum est et vagum. Cf. *ibidem*, n. 385.

(2) Circa hunc Conc. Trid. canonem ejusque interpretationem cf. Archiepiscopi Mechliniensis (De Frankenberg) *Declarationem super doctrina professorum seminarii generalis Lovanii*, diei 26 Junii 1789, apud KUTSCHKER, o. c., I, p. 69 ss., coll. MOSER, o. c., p. 111 ss., in qua declaratione laudatus Praesul, vindicata indole dogmatica canonis, docet potestatem quam concilium agnoscit Ecclesiae, esse potestatem ipsi jure proprio competentem, eamque a Christo, non a Principe civili, acceptam. Quae interpretatio urgetur contra *Launoium* ejusque sequaces, qui, uti notat MOSER, o. c., p. 100, conabantur eludere canonem Tridentinum, contendendo illum « non dogmaticum esse sed merè disciplinarem, atque per *Ecclesiam* in eo intelligi debere reges ac principes, utpote praecipua ejus membra, quorum proinde nomine et auctoritate Ecclesia utitur, dum matrimonii statuit impedimenta ». Cf. dicenda sub n. 426.

(3) Addi posset argumentum ex ipso facto historico quod Ecclesia, per plura saecula, impedimenta condiderit independenter a Statu civili: in qua constanti praxi errare nequit.

debeat: quae difficultas praecipue urgere videtur contra impedimenta ipsam formam contractus afficientia (1).

Atvero matrimonium christianum, si est sacramentum, est simul etiam contractus, et ita quidem ut non quivis contractus sit a Christo elevatus in sacramentum, sed solus contractus *validus,* in quo scilicet ineundo observatae sunt conditiones ab auctoritate competente ad valorem requisitae. Possunt igitur conditiones apponi etiam ad valorem contractus, tum ex parte contrahentium, tum etiam ex parte formae contractus, quin immutetur ipsa sacramenti substantia: ponuntur quidem eo ipso conditiones ad validam sacramenti susceptionem, sed planè intacta relinquitur sacramenti substantia (2).

420. a qua potestate excluditur Status civilis.

2° Quod descripta impedimenta statuendi, abrogandi aut mutandi potestas *soli* competat Ecclesiae, ad exclusionem Status civilis, id sequitur ex asserto primo, sub n. 411 s., cum regimen, illam potestatem importans, soli Ecclesiae agnoscatur (3).

Et quidem ita soli Ecclesiae competit potestas impedimenta condendi, abrogandi aut mutandi, ut ab inducendis impedimentis *quibusvis,* etiam *merè impedientibus,* excludatur Status civilis; datur namque exercitium regiminis matrimonii in statuendis impedimentis impedientibus, non secus ac in condendis impedimentis dirimentibus (4). Confirmatur ex can. 1038, § 2 et can. 1040.

---

(1) Haec difficultas fuit mota in Synodo Tridentina, occasione decreti de clandestinitate, uti notat Bened. XIV in Litter. Apostol. 19 Martii 1758 (*Collectan.*, n. 1391): « Dubitabatur primo, utrum Ecclesia abrogare posset clandestina conjugia, propterea quod legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti matrimonii... ex quo nonnulli arguebant quod, legitima traditione et acceptatione conjunctis, subest materia et forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo qui divinae gratiae est auctor quae per sacramenta confertur ». Ideo, ne mutarent materiam et formam sacramenti, impedimentum clandestinitatis constituerunt Patres Tridentini sub forma inhabilitante contrahentes, quatenus inhabiles essent ad aliter contrahendum quam coram parocho et duobus testibus. Cf. suprà, n. 104 s.; item ESMEIN, o. c., I, p. 78 ss.; II, p. 159 ss.

(2) Immeritò, igitur CARRIÈRE, o. c., I, p. 399, comparat illum qui, statuto matrimonium dirimente, irritat contractum matrimonialem christianum, illi qui corrumperet aquam vel vinum respective adhibenda pro Baptismate et SS. Eucharistia, quasi prior non plus quam alter attingeret sacramentum. Cf. suprà, n. 175, coll. MARTIN, o. c., II, p. 51 ss., ubi fusè refutat paritatis argumentum a Carrière inductum.

(3) Fuerunt auctores qui, admittentes distinctionem vel saltem sèparabilitatem sacramentum inter et contractum, exinde concluderent impedimenta dirimentia posse statui jure proprio *a Principe civili simul et ab Ecclesia,* impedimenta dividendo inter illa quae afficiant contractum et ea quae afficiant sacramentum, simul contendendo dualitatem in regimine unius ejusdemque matrimonii non implicare. Ita GERBAIS, o. c., speciatim p. 2-10, ubi statum quaestionis exponit; BALLET, o. c., p. 13-24, collatis dictis suprà, in nota ad n. 412; item CARRIÈRE, o. c., I, p. 402 ss. Cf. VLAMING, o. c., n. 43. Illam autem impedimentorum distinctionem illudit LE RIDANT, o. c., p. XV, ss. et p. 56; nec immerito, cum non intelligatur impedimentum dirimens aliquid aliud afficere quam contractum matrimonialem (infrà, n. 463); cf. etiam *Examen du pouvoir legislatif...,* p. 169 ss.

(4) Contrariam doctrinam, quam tuentur *Perrone* et *De Angelis,* quibus accedit SCHEICHER, o. c., p. 12 s., quasi princeps civilis posset inducere, pro matrimonio christiano, impedimenta *impedientia,* expressè reprobavit Leo XIII, in Litt. ad Ep. Veronensem, 8 Febr. 1893: « Quaevis alia potestas, praeter illam ad quam hujusmodi administratio spectat, de conditionibus ad matrimonium rite ineundum necessariis ut matrimonium ipsum *licitè* et validè celebretur, judicium ferre nec potest nec debet ». *Acta S. Sedis,* XXV, p. 462. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 64.

421. *Ecclesia exercet suum regimen intuitu boni spiritualis et corporalis ;*

QUINTUM ASSERTUM: *Ecclesia, in exercendo suo regimine matrimonii christiani, providere potest ac debet non modò* **spirituali bono**, *sed et* **corporali bono** *fidelium; in omnibus autem integrum servare debet jus divinum, sive naturale sive positivum.*

1° Quod Ecclesia potest, pro suis subditis, in re impedimentorum ea statuere quae necessaria vel opportuna videntur, non modo intuitu boni *spiritualis,* sive privati sive publici, sed etiam intuitu boni *corporalis* ac *temporalis:* id sequitur ex eo quod matrimonium est materia mixta, quae afficiat bonum spirituale ac temporale.

Ita potest Ecclesia impedimenta statuere aetatis, consanguinitatis, affinitatis, etc., etiam in supposito quod sola ratio boni temporalis id postulet: in quibus impedimentis statuendis ratio est habenda status communitatis et conditionum populorum (1); potest eadem ratione impedimenta a se statuta abrogare, mutare vel dispensare.

servato jure naturali ac divino :

2° Debet Ecclesia, uti monuimus suprà, n. 410, in suo regimine, et in specie in sua disciplina impedimentorum, salvum servare et integrum *jus naturale et divinum* (2).

In specie a/ debet impedimenta, *quae jure naturali vel divino sunt statuta,* in catalogum impedimentorum canonicorum assumere, ac juxta illa validitatem matrimoniorum dijudicare (3); illa vero non potest abrogare aut illis derogare, nisi ex potestate ministeriali et intra arctos limites a Deo delineatos: intra quos limites suprà vidimus derogationem ab Ecclesia posse induci in jure naturali-divino, quod spectat dissolutionem matrimonii quod non sit ratum et consummatum.

b/ Quod attinet *statuenda propria impedimenta juris ecclesiastici,* debet Ecclesia rationem habere juris nativi, quod a jure naturali unicuique agnoscitur matrimonium ineundi, necnon necessitatis spiritualis animae, quae non raro urget ut aliquis nubat.

422. *quo attento, potest quidem statuere impedimentum absolutum et perpetuum,*

Hoc spectat in specie constitutionem impedimenti *perpetui* et *absoluti,* quo nempe determinata personarum classis a matrimonio prohibetur vel et lege irritanti ad matrimonium inhabilitatur, non tantum relative, respectu talis vel talis personae, puta consanguineae vel affinis, sed *absolute,* respectu cujuscumque personae.

423. *sed in duplici tantùm casu :*

Equidem non desunt casus in quibus id legitimè fieret ab Ecclesia; sed, excepto casu quo matrimonii prohibitio aut irritatio nititur in spontanea renuntiatione castitatem aut coelibatum voventis aut

(1) Cf. Encycl. *Arcanum.*

(2) Aequivalenter dicitur jus naturale pro jure divino naturali, jus vero divinum pro jure divino positivo.

(3) Can. 1016: « Baptizatorum matrimonium regitur jure... divino (naturali vel positivo) ».

ordines suscipientis, ad praedictam legem omnis matrimonii exclusivam, *nonnisi exceptionaliter* omnino et *gravissima de causa,* est procedendum.

Porro hujusmodi causa admitti posset *duplex:* necessitas scil. tuendi *vitam et jura privata tertii,* ac necessitas vindicandi ac defendendi *bonum commune societatis.*

prior casus; *Prior causa* obtinet cum illis qui laborant morbo contagioso, puta lepra vel syphili, in tali gradu quo proximum contagionis periculum inducat *pro comparte.* Tunc videtur posse auctoritas socialis, in vitae compartis tuitionem, prohibere etiam sub poena nullitatis, ne matrimonium ineant hujusmodi personae infectae, idque prohibitione perpetua, si agitur de morbo insanabili; caeterum hae personae non jam habent jus ut cum tanto detrimento tertii nubant.

Non posset haec causa jura privata tertii tuendi invocari in favorem *prolis nascendae,* individuatim spectatae, quatenus nempe ex hoc capite jus haberet auctoritas socialis a matrimonio excludendi personas infirmas, debiles, vel morbo pro comparte non contagioso infectas, ne scil. procreetur proles infirma, defectiva: proles namque nondum existens non est subjectum juris, ac ipsi etiam melius est esse quam non esse (1).

424.

alter casus. *Altera causa* obtinere posset in casu quo Ecclesia judicaret bonum commune exigere ut quaedam personae vel personarum categoriae a matrimonio excludantur. Habet namque socialis auctoritas potestatem restringendi in subditis libertatis usum, in quantum id exigit societatis incolumitas, sive puniendo malefactores, ut reliqui a delictis deterreantur, sive directe protegendo societatem eamque defendendo contra nocentes, societatis existentiam in discrimen vocantes.

Ita: *α/* ratione punitionis, possent forsitan a matrimonio excludi quidam sanctitatem matrimonii enormiter violantes, ad hoc ut reliqui ab illis enormitatibus avertantur et ad matrimonii leges servandas reducantur; passim tamen opportunius esset alia via ordinis laesi restitutionem procurare, ne cedat matrimonii interdictio in ruinam spiritualem animae (2).

Etiam *β/* si contingeret ex nimia multitudine hominum degenerum et vitiosorum ipsam societatis incolumitatem periclitari, quatenus nimium excrescat numerus prolium defectivarum et abnor-

---

(1) SALSMANS, *Geneesk. Plichtenleer,* n. 154.

(2) Olim frequenter ab Ecclesia interdicebantur nuptiae in poenam delicti, uti videre est ad n. 233, 234, 476, 671; notandum autem quod tunc temporis contra carnis lasciviam et passiones efficacius praemuniebantur fideles majori fidei fervore necnon variis quibus peccatores addicebantur diuturnae poenitentiae exercitiis.

mium, posset forte esse ratio ut, intuitu boni communis, ab auctoritate sociali matrimonium interdicatur quibusdam personis, quarum corporalis complexitas aut animi indoles talis est ut infirma valde ac imbecilis vel defectiva progenies procreanda praevideatur, vel personis quarum vires intellectuales et morales adeo enervantur ut vix non ineptae reperiantur ad prolium educationem curandam.

Rursus autem non foret ad hanc libertatis matrimonii restrictionem procedendum ex hoc capite, nisi vere constiterit de illius dispositionis necessitate; quae vix obtinebit. Regulariter namque non tantus est numerus degenerum, ut periculum creent pro societatis incolumitate, quae cum nonnulorum degenerum existentia est compossibilis; non semper etiam ex parente degenere aut vitioso nascitur proles abnormis aut vitiosa; tandem defectui pravae dispositionis aut inclinationis nativitate contractae suppleri potest per educationem virilem et christianam prolium, eas exercendo in exercitio virtutis, quo habitus acquirantur boni; quod sane remedium est praeferendum.

Quibus attentis, rarò locus erit, salvo casu imminentis contagionis pro comparte periculi, impedimento matrimonii statuendo contra degeneres et defectivos, etiam intra limites restrictos; nunquam autem esset probanda lex, quae *universim* et *generali statuto* interdicat aut irritet matrimonium *omnis* personae morbidae aut qualicumque modo defectivae, degeneris seu abnormis (1).

425. Conclusio.

Conclusio. Ex tota disputatione, sub I instituta, constat matrimonium *christianum* vi ipsius suae naturae obnoxium esse, et quidem jure proprio, *solius Ecclesiae* potestati legislativae, judiciariae et coercitivae: in omnibus scilicet quae spectant vel *contractum conjugalem* vel *ipsum vinculum,* eorumque *validitatem* ac *liceitatem,* vel omnia *quae cum vinculo conjugali intimè cohaerent,* sive qua vinculi *constitutiva,* jura scil. et obligationes conjugum ad invicem et erga proles (n. 206), sive tanquam *effectus* ad vinculum natura sua inseparabiliter consequentes (n. 279), signanter legitimitatem prolis (2), sive tanquam *praevia* ad vinculum, uti sponsalia (3); salvo, ad normam dictorum sub n. 421, jure divino, sive naturali sive positivo.

---

(1) Simili ratione bonum sociale vindicandi, legitimatur impedimentum absolutum aetatis, in quantum est juris ecclesiastici; sed hoc impedimentum non aufert jus nubendi nisi ad tempus dumtaxat.

(2) Cf. suprà, n. 286, in nota.

(3) « Propositio quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omninò subjacere, quasi actus disponens ad sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae, falsa et juris Ecclesiae... laesiva » declaratur a Pio VI, in Const. *Auctorem fidei.* Cf. citatam (suprà, n. 417) prop. 74 Syllabi Pii IX, apud DENZINGER, o. c., n. 1558 et n. 1774.

Unde luculenter « apparet institutum *matrimonii civilis,* in quantum legislator vult attingere ac regere ipsum vinculum conjugale *christianorum,* Dei ordinationi esse contrarium, et iniquam contra jus Ecclesiae usurpationem constituere » (1); quod valet de matrimonio civili, non modò sub forma obligatoria, sed etiam, proportione servata, sub forma facultativa, ac imo sub forma matrimonii civilis subsidiarii (2).

Dicitur in conclusione: in omnibus quae spectant contractum vel vinculum matrimonii christiani vel quae cum eo intimè sunt connexa. Ad illa scil. omnia et singula extenditur exclusiva competentia Ecclesiae; sed et etiam *ad illa limitatur,* adeo ut dicta exclusiva competentia non attingat ea quae cum vinculo matrimoniali accidentaliter tantùm sunt connexa. Nimirum

1. illa quae, inter accidentaliter connexa, *merè civilis* sunt indolis, pertinent ad Principem civilem (infrà, n. 427), non vero subsunt regimini Ecclesiae, hac tamen salva restrictione, de qua in can. 1961, quatenus scil., si hujusmodi causae mere civiles incidenter agantur, i. e., si incidenter proponantur in causa forum ecclesiasticum spectante, « *possunt* etiam a judice ecclesiastico ex propria potestate cognosci ac definiri ».

2. Illa autem quae, inter accidentaliter connexa, *mixti fori* sunt, quae scil. non sunt indolis mere civilis, sed in quibus interesse habet Ecclesia simul ac Status, uti est actio in reparationem damnorum ex sponsalibus exsurgens (suprà, n. 25), uti etiam sunt quaedam delicta, utriusque societatis legem laedentia (qualia sunt abortus, polygamia et adulterium) (3): in hisce causis « tum Ecclesia tum civilis potestas aeque competentes sunt », ita tamen ut locus sit praeventioni, ad normam canonis 1553, § 2, juxta notata suprà, n. 25 et infrà, n. 567 (4).

426. Notanda. **Nota** 1° Ecclesia, si, ad normam dictorum sub n. 421, servare debet dispositiones juris divini, jus habet, uti ibidem jam notavimus, *interpretandi jus divinum,* in specie, juxta tenorem canonis 1038, § 1, authenticè declarando « quandonam jus divinum matrimonium impediat vel dirimat ». Haec authentica juris divini declaratio exercitium importat potestatis *magisterii,* eaque potest proponi vel infallibiliter, quando scil. sua potestate utitur Ecclesia in supremo gradu, vel fallibiliter, quando nempe magisterium exer-

(1) Conc. Mechlin. quartum, decr. 80.
(2) Cf. infrà, n. 450, et n. 457.
(3) Canon 2198.
(4) Cf. can. 1933, § 3, ubi monetur: « in delictis mixti fori Ordinarii regulariter ne procedant, cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit ».

cet in inferiori gradu, uti dicitur, prospiciendo securitati doctrinae: quod alterum signanter contingit ubi R. Pontifex docet per organum C. S. Officii.

2° Thesis nostra dirigitur, et fuit ab Ecclesia vindicata, tum a/ contra *Protestantes,* qui matrimonium, prorsus rejecta ejusdem sacramentalitate, tanquam institutum *ex integro profanum* ac saeculare exhibebant (uti notavimus suprà, n. 89 et 162, et notabimus infra, n. 442 s.), adeoque regimen matrimonii universim et absque ulla restrictione exercendum docebant a Principe saeculari; tum b/ contra *civilistas* saeculi XVII et XVIII: hi nempe christianum matrimonium habebant uti institutum *civili-religiosum,* duplici distincto elemento constans, sacramento scil. et contractu, contractu, inquam, indolis civilis et profanae (1); unde eruebant matrimonium esse a Principe moderandum, in quantum contractus est, et ab Ecclesia, in quantum sacramentum est, ita ut Principis civilis esset impedimenta statuere (saltem irritantia), utpote quae directe contractum afficiunt, non autem Ecclesiae, nisi de consensu Principis; de quibus cf. infrà, ad n. 446 s., ubi referuntur testimonia et ostenditur quomodo doctrina haec civilistica fuerit practice applicata in Gallia et Austria, viamque straverit ad matrimonii civilis introductionem. Dirigitur thesis c/ contra *quosdam catholicos,* juxta quos, sub n. 420, vidimus potestatem statuendi impedimenta agnoscendam esse Principi civili simul et Ecclesiae (2), vel saltem non soli Ecclesiae competere potestatem condendi impedimenta mere impedientia (3), aut non competere jus exclusivum Ecclesiae nisi ex conniventia Principum vel ex reservatione Ecclesiae (4).

3° Nihil impedit quominus Ecclesia *toleret* quod in causis, ad normam dictorum, suum forum exclusive spectantibus, sese, positis ponendis et servatis limitibus determinatis, immisceat judex laicalis, quemadmodum contingit, uti vidimus sub n. 390 ss., in causis separationis a toro et cohabitatione et divortii civilis. Cf. GASPARRI, o. c., n. 1165; NOVAL, o. c., n. 836.

Nihil etiam impedit quomodo Ecclesia uti suum accipiat impe-

(1) Ita DE DOMINIS, apostata, olim Spalatensis archiepiscopus, in opere *De Republica ecclesiastica* (a. 1617), qui auctor vix recedit a doctrina protestantica, ac nonnisi hypotheticè admittit matrimonii sacramentalitatem, eaque admissa, equidem docet denegandam esse Ecclesiae potestatem contractum matrimonialem regendi inter christianos; LAUNOIUS, *De Regia in matrimonium potestate;* LE RIDANT, in opere anonymo in indice bibliographico citato, p. 54-96; POTHIER, o. c., speciatim n. 11-12. Ad illum etiam errorem deflexit Synodus Pistoriensis (1786), necnon DE PAULA VIGIL, ex cujus opere desumpta est 68ª propositio damnata Syllabi. Cf. suprà, n. 172 ss.; VLAMING, o. c., n. 40, in nota.

(2) Ita *Gerbais* et *Ballet,* sub n. 420.

(3) Ita *Perrone* et *De Angelis,* n. 420.

(4) Ita *Sanchez* et *Salmanticenses,* de quibus sub n. 415, quos auctores sequitur *Schnitzer.*

dimentum a jure civili mutuatum, illudque canonizet, quemadmodum id fieri contingit in canone 1059, quod spectat impedimentum cognationis legalis: in hoc nullatenus habetur, ex parte Ecclesiae, cessio sui juris exclusivi condendi impedimenta pro fidelibus.

II. **Jus et officium Principis civilis.**

Nimirum A. habet **jus**:

427. Quaenam jura habeat Princeps civilis circa matrimonia fidelium;

1° exercendi suam potestatem legiferam, judiciariam et coercitivam circa illa quae *accidentaliter tantùm accedunt* ad vinculum matrimonii christiani, ac indolis sunt *merè civilis,* uti vidimus sub 425 (1); ejusque competentia in illis causis est *exclusiva,* salva restrictione facta in can. 1961, juxta ibidem notata.

Hujusmodi causae sunt quae spectant quantitatem dotis, determinatam proportionem servandam in successione conjugum erga parentes, sive quoad nobilitatem sive quoad bona (2).

Possunt igitur Principes saeculares varia ordinare circa dictos effectus civiles, et quasdam conditiones imponere observandas, quibus neglectis, talis vel talis effectus civilis matrimonio etiam valido denegetur (3).

2° Potest etiam, juxta proposita sub n. 425, regimen suum extendere ad accidentaliter cum vinculo matrimoniali conjuncta, quae sunt *mixti fori,* salvo tamen casu praeventionis ex parte Ecclesiae. In specie, quod spectat crimina, legem matrimonialem Ecclesiae simul ac ordinem Status civilis laedentia, uti sunt adulterium et abortus, potest illa judicare ac punire; non posset tamen illas causas tractare in ordine praecise ad matrimonium, puta quoad consortium vitae interdicendum vel suspendendum.

3° Jus habet Princeps *recurrendi ad Ecclesiam* et ab ea postulandi ut in sua legislatione matrimoniali, notatim in statuendis

---

(1) Can. 1016, postquam affirmaverit baptizatorum matrimonium regi jure non solum divino, sed etiam canonico, addit: « salva competentia civilis potestatis circa mere civiles ejusdem matrimonii effectus ». Cf. etiam Encycl. *Arcanum* Leonis XIII, ubi haec habet: « Non ipsa (Ecclesia) ignorat neque diffitetur sacramentum matrimonii, cum ad conservationem quoque et incrementum societatis humanae dirigatur, cognationem et necessitudinem habere cum rebus ipsis humanis quae matrimonium quidem consequuntur, sed in genere civili versantur: de quibus rebus jure decernunt et cognoscunt qui reipublicae praesunt ». Item cf. ejusdem Pontificis Litteras ad Ep. Peruvienses, 16 Aug. 1898, necnon ad Episc. Veronensem, 8 Febr. 1893 (A. S. S., XXV, p. 460), ubi ait: « Rursus declarare inopportunum non est potestatem civilem civiles conjugii effectus statuere ac disponere quidem posse; sed quod ipsum matrimonium proxime spectat, Ecclesiae sanciendum relinqui oportere ». Cf. tandem decr. 80 Conc. prov. Mechlin. IV.

(2) Cf. GASPARRI, o. c., n. 278, ubi addit: « Etsi enim conjuges debeant sibi adjutorium, tamen *quantitas* bonorum materialium ab uxore tradenda viro, seu dos, non est jure naturae determinata neque rigorosè necessaria; item a parentibus danda sunt filiis alimenta et educatio regulariter proportionata statui ipsorum, sed haereditas in nobilitate pendet a jure civili; item haereditas quoad bona a jure civili potest *saltem modificari* juxta exigentias societatis ». Cf. PALMIERI, o. c., p. 264.

(3) Ita potest lex disponere ut filii principis non participent de nobili patris genere, nisi sub conditione quod dictus pater matrimonio fuerit copulatus cum principissa. Vide suprà, n. 161.

vel abrogandis impedimentis, rationem habeat variarum necessitatum, in quibus versatur populus christianus ejus civili principatui subditus.

Nec aliena est Ecclesia ab hujusmodi indulgentia adhibenda, in quantum id valet, salvo jure divino suoque proprio: « Ecclesia catholica, ut in re nulla potest ab regione officii et defensione juris sui declinare, ita maxime solet esse ad benignitatem indulgentiamque proclivis in omnibus, quae cum incolumitate jurium et sanctitate officiorum suorum possunt unà consistere;... nec semel suarum ipsa legum praescripta, quoad potuit, mitigavit, quando, ut mitigaret, causae justae et graves impulerunt » (1).

B. Habet **officium**:

428. et quaenam officia.

1° matrimonium inter fideles, juxta canones Ecclesiae validè initum, *agnoscendi qua legitimum,* ipsique agnoscere, in foro civili, effectus inseparabiliter cum valido conjugio connexos, in specie legitimitatem conjugum et prolium quae nascuntur.

2° *Quoad ipsos effectus merè civiles,* matrimoniali vinculo accidentaliter accedentes, quos ordinari posse vidimus a lege civili, oportet ut « proficiscatur a validitate vel invaliditate matrimonii, ut fuerit determinata ab Ecclesia, et ab hoc facto, quod constituere extra illius ordinem est, profecta, deinde disponat de civilibus effectibus » (2).

Profectò ad hoc ut Status legaliter agnoscere valeat matrimonium canonice validum ac licitum, illique effectus civiles tribuere, requiritur ut de contracto matrimonio rite constet in foro civili, ac proinde exigere potest aliquam formalitatem, puta registrationem. Quinimo hujus formalitatis neglectum posset congruis poenis prosequi, non eo usque tamen ut « matrimonium nonnisi a tempore registrationis civilis in foro saeculari habeatur validè atque licitè celebratum ». WERNZ, o. c., n. 83.

3° Officium est etiam Status civilis *Ecclesiam adjuvare* in regimine matrimonii christiani tuendo, ejusque legislationis matrimonialis observantiam promovere, etiam, si ad hoc ab Ecclesia invitetur, legibus poenalibus subditos coercendo (3). Exoptanda est de caetero valdè concordia, cum debita subordinatione, inter utramque potestatem, cum utriusque multopere intersit ut matrimonia christiana ritè moderentur: « Utrique (potestati) expedit, et interest omnium

(1) Leo XIII, *Arcanum.*

(2) *Ibidem.* Cf. etiam Litt. Leonis XIII, 8 Febr. 1893: « profiteatur eadem laica potestas verum ac legitimum matrimonium esse, quod a Christo Jesu institutum fuit et ab Ecclesia reapse proponitur; indeque ad effectus, qui ex civium conjugiis in civili consortio consequuntur, sive concedendos sive denegandos procedat ». L. c., p. 461.

(3) Cf. suprà, n. 418.

hominum ut conjunctio inter eas et concordia intercedat, in iisque rebus quae sint, diversa licet ratione, communis juris et judicii, altera, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera pendeat, cui sunt coelestia concredita. Hujusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus et efficacissimus modus juvandi hominum genus in eo quod pertinet ad actionem vitae et ad spem salutis sempiternae » (1).

Nota. Si contingat Statum civilem, juris sui limites excedendo, varia statuere circa matrimonia fidelium, ac in specie impedimenta inducere matrimonialia, licet impedientia dumtaxat (ad quod Ecclesiam exclusive competentem vidimus suprà, n. 419 s.), nulla illis statutis inest auctoritas, nec adeo ullam ex sese inducunt pro christianis obligationem, sed tantum per accidens, ex praecepto scil. charitatis (ut nempe conjuges damna vertant a se et a prolibus, ex denegatis effectibus civilibus exsurgendis), idque regulariter dumtaxat: salvis nimirum casibus exceptionalibus in quibus, de judicio Ecclesiae, servandae non sunt patriae leges. Cf. infrà, n. 462.

Scholion I. De subjecto activo potestatis *in Ecclesia circa matrimonia fidelium.*

429. Quibusnam in Ecclesia competat regimen matrimonii.

1. *Romanus Pontifex* et *Concilium generale* subjectum sunt plenae et independentis potestatis circa matrimonium christianum, legislativae, judiciariae et coercitivae.

Quod spectat potestatem *legislativam:* dictae supremae auctoritati ecclesiasticae *soli* competit *privative* jus « impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis »; item impedimenta juris ecclesiastici abrogare aut iis derogare (2).

Eidem *supremae* auctoritati ecclesiasticae, juxta can. 1038, § 1, exclusive competit jus divinum authenticè declarare (de quo suprà, n. 426); item, potestate ministeriali, legi indissolubilitatis derogare, intrà limites suprà delineatos.

Quod autem spectat potestatem *judiciariam,* non est potestas exclusiva, cum jus in causas matrimoniales dijudicandas habeant etiam Episcopi, uti statim dicetur, ea tamen lege ut integrum sit S. Sedi quaslibet causas ad se delatas dirimere vel ad suum tribunal avocare aut sibi reservare.

---

(1) Leo XIII, *Arcanum.*
(2) Can. 1038, § 2 et can. 1040.

2. *Episcopi* seorsim sumpti non possunt, sub praesenti Ecclesiae disciplina (1), exercere, pro respectivis suis dioecesibus, potestatem *legislativam* in re matrimoniali, et notatim non possunt inducere impedimenta neque dirimentia neque impedientia (2). Potestatem autem *judiciariam* et *coercitivam* exercere possunt Episcopi, utpote judices fori externi, dependenter tamen a S. Sede, quam modò vidimus posse quasvis causas ad suum tribunal supremum avocare, et attenta reservatione S. Sedi facta pro quibusdam causis, nempe pro causis Principum (can. 1962, coll. can. 1557, § 1, n. 1), pro causis non-consummationis necnon pro illis quae spectant privilegium Paulinum (can. 1963).

3. *Parochi* nequidem sunt judices fori externi (3), ac proinde non tantum non possunt exercere potestatem legislativam, sed nec potestatem judiciariam aut coercitivam. Possunt causam instruere, salva relatione ad Episcopum, et matrimonium provisoriè prohibere, sed non possunt lites matrimoniales judicialiter dirimere; potest etiam pastorali quodam vetito nuptias provisoriè interdicere, causa delata ad Episcopum, sed « improprium illud vetitum non valet poena quadam ecclesiastica communire » (4).

4. Quod attinet organon per quod potestas *judiciaria* circa matrimonium exerceatur *a S. Sede*, sive ad eam directe referatur negotium, sive in via appellationis ad eam recurratur: exercetur *mediantibus SS. Congregationibus et Tribunalibus* ad hoc specialiter deputatis. Nimirum, salva potestate *S. Congr. pro negotiis Rituum orientalium*, ad *S. Officium* pertinent causae matrimoniales circa privilegium Paulinum et circa impedimenta disparitatis cultus ac mixtae Religionis; reliquae autem causae matrimoniales spectant ad *S. Congregationem de disciplina sacramentorum*, quotiescumque *disciplinariter* seu in linea disciplinari (i. e. in tramite administrationis et disciplinae, non observatis formis judiciorum nec ad apicem juris) sunt tractandae; aliàs, ubi via *stricte judiciaria* (servatis scil. adamussim formalitatibus judicii et judicio juxta jus strictum peracto) est sequenda (5), deferendae sunt causae

(1) Dicitur: *in praesenti Ecclesiae disciplina;* quia exclusiva illa S. Sedis potestas legislativa non est juris divini, sed juris ecclesiastici, quatenus S. Sedes illam legislativam potestatem sibi reservaverit: unde nihil impedit quod olim Episcopi illam exercuerint aut quod illa ipsis futuro tempore agnoscatur.

(2) Possunt quidem Episcopi (absque clausula irritante), in casu particulari, prohibere, ad normam can. 1039, matrimonii alicujus celebrationem, sed unicè ob rationes in jure fundatas, adeo ut non introducant jus novum, sed jus vigens merè applicent et urgeant: est potius exercitium potestatis judiciariae ac coercitivae quam exercitium potestatis legislativae. Cf. BENED. XIV, *De Synod. dioec.*, l. VIII, c. 14, n. 5; can. 1039, § 1. Cf. etiam infrà, ubi de *Interdicto Ecclesiae*, sub n. 486 s., coll. n. 463 et n. 476.

(3) *Collat. Brug.*, t. VI, p. 594 s.

(4) WERNZ-VIDAL, o. c., n. 56, coll. infrà, n. 487.

(5) Circa distinctionem inter viam *disciplinarem* et viam *judiciariam*, cf. OJETTI, *De Curia*, n. 12 s.; MONIN, o. c., p. 177 ss.; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 285 s.

coram *S. Rota,* excepta causa non consummationis, quae reservatur S. C. de Sacr., exceptis pariter causis Principum, de quibus « illa S. Congregatio vel illud Tribunal aut specialis ea Commissio exclusive cognoscet, cui eas toties quoties S. Pontifex delegaverit » (1). Tandem *S. Poenitentiaria* dirimendas sibi assumit omnes quaestiones *fori interni* (can. 258). Cf. infrà, n. 704 ss. et 747 s.

Ita statuit Constit. Pii X *Sapienti Consilio,* 29 Junii 1908, apud *Acta Ap. Sedis,* I, p. 7 ss., cui Constitutioni varia connectuntur documenta, nimirum: *Lex propria S. Rom. Rotae et Signaturae Apostolicae,* 29 Junii 1908 (*A. A. S.,* I, p. 20 ss.) *et Regulae servandae apud supremum Signaturae Apostolicae Tribunal,* de die 6 Martii 1912 (*A. A. S.,* IV, p. 187 ss.); *Ordo servandus in SS. Congregationibus, tribunalibus et officiis Romanae Curiae — Normae communes,* 29 Junii 1908 (*A. A. S.,* I, p. 36 ss.) et *Normae Peculiares* (*A. A. S.,* I, p. 59 ss.) (2).

Nota quod *consuetudini* nulla jam agnoscitur vis inducendi aut abrogandi impedimenta, siquidem, ad normam can. 1041, « consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur » (3).

Scholion II. De subjecto passivo *regiminis Ecclesiae circa matrimonia inter fideles.*

430. Descripto regimini obnoxii sunt baptizati omnes,

Attenta restricta latitudine quaestionis positae, seponitur disputatio generalis, infrà, sub n. 438bis solvenda, an et quousque Ecclesia attingere valeat infideles, ac unice quaeritur *quinam* et *quousque* fideles obnoxii existant potestati Ecclesiae, in regendo matrimonio *inter duos fideles* ineundo: sunt autem *omnes* et *soli* baptizati. Nimirum

1. Dicitur: baptizati *omnes. Ratio est* quia omnibus baptizatis inest fundamentum subjectionis, nempe character baptismalis. « Nec obstat quod dicantur *haeretici* per excommunicationem tanquam putrida membra ab Ecclesia abscissi et rejecti: hisce enim unice significatur eos separari ab Ecclesia, in quantum in communibus bonis et suffragiis fidelium fructuosè communicare ne-

(1) Can. 1962, coll. can. 1557, § 1, n. 1. Cf. etiam can. 249, § 3, juxta quem potest S. Congr. de Sacr. causam non consummationis, si id expedire judicaverit, ad S. Rotam remittere; ad hanc etiam vel ad aliam Congregationem negotia sua remittere potest S. Officium, ad normam can. 247, § 3.

(2) Inter commentaria videsis OJETTI, o. c.; DE MEESTER, o. c., RUSSO, *La Curia Romana,* Palermo, 1908; CHOUPIN, apud *Etudes,* tom. CXVII; BESSON, apud *N. R. th.,* 1908 et 1909; SIMIER, apud *Revue Augustinienne,* 1908, et alia citata apud *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 281.

(3) Olim consuedudini generali agnoscebatur virtus illa; imo, tempore Alexandri III, id admittebatur etiam pro consuetudine particulari (3, X, IV, 11). Cf. infrà, n. 432 et n. 585, coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 51; CAPPELLO, o. c., n. 209; TRIEBS, o. c., I, p. 18.

queant; potius comparandi sunt transfugis et perduellibus, qui nihilominus suorum Principum auctoritati subjacent » (1).

De se igitur subduntur *haeretici* regimini Ecclesiae, sicut in alia materia, ita et in re matrimoniali; si eximuntur, non est nisi quia positive vult Ecclesia illos a subjectione ex toto vel ex parte eximere. Ex alia autem parte, ab illa subjectione *generatim* non eximuntur, saltem quod spectat leges ad ordinis publici tuitionem directe tendentes (quales sunt leges matrimoniales) (2), neque generali Ecclesiae statuto, neque praescriptione aut consuetudine contraria, uti latius ostendit FEYE, *De Matrimoniis mixtis*, p. 89 ss., provocando ad plura documenta quae ipsorum subjectionem explicitè urgent (3). Caeterum tenor can. 1038, § 2, Ecclesiae sine restrictione agnoscit potestatem statuendi impedimenta pro *baptizatis;* cf. etiam can. 12 et 87. Ipsa tandem exemptio facta in can. 1099, § 2, ostendit haereticos generatim haberi uti impedimentis obnoxios (4).

Additur: *generatim,* propter specialém disciplinam circa impedimentum clandestinitatis, a quo, juxta Codicem (item juxta Decr.

---

(1) VANDEN BERGHE, *De Legibus*, Brugis, 1904, n. 105; DE SMET, *De Sacramentis in genere...*, Brugis, 1925, n. 243; *Collat. Brug.*, XXIV, p. 209 ss., coll. XXIII, p. 114 ss.

(2) Plures Auctores, non immerito contradicentibus aliis, docent praesumi posse quod Ecclesia nolit in haereticos urgere suas leges *directe* tendentes *in animarum sanctificationem*, uti sunt lex jejunii, observantia festorum etc. Cf. VAN DEN BERGHE, l. c., coll. *Rev. eccl. de Liège* (1925), t. XVI, p. 331 ss.; *Coll. Brug.*, XXIV, p. 209 ss.

(3) Inter haec documenta prae caeteris afferenda est Constit. Benedicti XIV *Singulari nobis*, in qua decernit Pontifex iterandum esse matrimonium absque dispensatione initum inter *hebraeum* et mulierem *protestanticam:* « nam quod antea (ante reconciliationem cum Ecclesia) inierant, irritum omnino fuit propter impedimentum dirimens, quod vocatur disparitatis cultus », licet sola Ecclesiae auctoritate est inductum.

Cf. etiam ejusdem Benedicti XIV Declarationem diei 4 Nov. 1741, apud *Collectan.*, n. 1420; Const. *Magnae nobis;* Const. *Ad tuas manus* et Litteras ad Episcopum Vratislaviensem; Rescriptum Pii VI ad Cardin. de Franckenberg ejusque Litteras ad Archiepiscopum Pragensem etc..., quae documenta, praeter alia, citantur apud FEYE, o. c., p. 91 ss.; cf. etiam Litt. Pii VII ad Archiep. Mogunt., anni 1803, apud *Acta S. Sedis*, VII, p. 62.

Idem constat ex decreto S. C. C. 18 Jan. 1663, ad 3m, apud *Collectan.*, n. 1318; pariter ex Instructione C. S. O. 20 Martii 1860, in qua legitur: « quoad infideles, pensitanda sunt impedimenta legis naturae, pro haeretico vero etiam impedimenta Ecclesiae catholicae cui subjicitur ». *Collect.*, n. 1297. Cf. etiam causam *Parisien.* anni 1903, apud *Anal. eccl.*, 1903, p. 284 s, et causam *Trincomalen.*, 1 Feb. 1913, apud *A. A. S.*, V, p. 201 ss.

Suffragatur tandem tenor facultatis Episcopis olim concedi solitae ad quinquennium, nimirum: « dispensandi in contrahendis et contractis, cum *haereticis* conversis... ».

Circa opinionem contrariam olim apud quosdam vigentem, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 58, in nota 48.

(4) Quodsi objiciatur Ecclesiam, suam legislationem matrimonialem urgendo in acatholicos, in causa esse quod ingens multitudo matrimoniorum nulliter contrahantur, idque absque contrahentium culpa (propter eorum ignorantiam), respondetur objectionem etiam valere, proportione servata, contra dispositionem canonis 16, § 1, vi cujus quivis ignorantes, adeoque etiam catholici, impedimentis dirimentibus ligantur. Cf. infrà, n. 469.

Ne temere), exempti existunt acatholici inter se contrahentes (1); propter specialem etiam disciplinam, a Codice (can. 1070) inductam, circa impedimentum disparitatis cultus, cui pariter obnoxii non sunt acatholici (2).

Pariter *de se* directe subduntur catholici *Orientales;* sed, ad normam can. 1, universim eximuntur a legibus ecclesiasticis in Codice contentis, adeoque ab omnibus impedimentis matrimonialibus, in quantum in Codice statuta occurrunt (3).

431. et soli.

2. Dicitur: baptizati *soli,* ad exclusionem scil. non baptizatorum, etiam catechumenorum, qui, cum in ipsis deficiat subjectionis fundamentum, directe non sunt obnoxii descripto regimini Ecclesiae.

Scholion III. De Forma *qua exercetur potestas Ecclesiae.*

432. Determinatur forma qua exercetur Ecclesiae potestas legislativa et judiciaria.

1. Quod potestatem *legislativam:*

« Ordinaria forma qua Ecclesia impedimenta dirimentia sive impedienta introduxit, est *forma scripta;* non desunt tamen exempla introducti impedimenti per solam consuetudinem v. gr. pro disparitate cultus ». Ita DE BECKER, *De Matr.,* p. 34, coll. infrà, n. 595 et 602. Deinceps consuetudini jam non agnoscitur efficacia nec ad impedimentum introducendum, nec ad illud abrogandum. Can. 1041. Cf. suprà, n. 429, in fine.

2. Quod spectat potestatem *judiciariam,* cf. infrà, n. 702 ss., ubi de *Processu matrimoniali.*

§ 2. DE REGIMINE MATRIMONII DUORUM INFIDELIUM.

I. Jus Principis civilis.

433. Regimen matrimonii infidelium competere Principi civili,

PROPOSITIO. *Praeplacet sententia affirmans penes Principem civilem esse potestatem regendi matrimonia subditorum non baptizatorum, et quidem exclusive (salva restrictione sub n. 437bis in favorem Ecclesiae facienda).*

Probatur

probatur ex natura matrimonii;

1° *Argumento* **ex ratione theologica,** pro quo sufficit provocare ad rationes adductas sub n. 410 et 419.

Nimirum vidimus matrimonium, utpote negotium ordinis publici, esse obnoxium auctoritati sociali, a qua moderetur et regatur. Sola

(1) Cf. n. 140 ss.
(2) Cf. infrà, n. 586.
(3) Cf. suprà, n. 140. — Integrum est Ecclesiae alias exemptiones inducere; non excluditur etiam, attento can. 63, hujusmodi exemptionem consuetudine induci, absque expresso juris textu. Cf. VERMEERSCH, *apud Gregorianum,* 1926, p. 141, contra TRIEBS, o. c., I, p. 48.

autem auctoritas socialis cui obnoxium esse potest matrimonium infidelium, est auctoritas civilis, cum Ecclesia non habeat jurisdictionem in infideles.

Nec obstat matrimonium, etiam non sacramentum, adeoque inter ipsos etiam infideles, esse aliquid sponte sua sacrum. Et sane, si est sponte sua aliquid sacrum, hanc tamen indolem non habet nisi ratione ordinationis quam habet ad multiplicanda membra societatis religiosae in gloriam Dei educanda. Atqui, ratione ordinationis, aequo jure dici potest matrimonium esse aliquid profanum et civile, cum aeque immediatè spectet bonum et incrementum societatis civilis (1). Servat igitur Princeps civilis suum nativum titulum competentiae respectu matrimonii infidelium, et non impeditur hîc, sicut pro matrimonio christiano, a juris sui exercitio, per concurrentiam juris praevalentis Ecclesiae; Ecclesia namque erga infideles omni jurisdictione caret. Cf. suprà, n. 412.

Competit igitur Regi saeculari, eique soli, regimen matrimonii inter duos infideles subditos existentis.

2° *Argumento* **ex auctoritate.**

434. ex auctoritate.

Citantur, in favorem sententiae jus Principum affirmantis, nonnulla documenta S. Sedis, prae caeteris responsum S. C. de P. F. 26 Junii 1820 (2), necnon Instructio ab eadem S. Congregatione missa 5 Dec. 1631 (8 Oct. 1631), ad missionarios Indiae, circa Indos polygamos (3). Minoris autem momenti sunt et infirmiori probandi vi munitae responsio et Instructio C. S. O., respective datae 20 Sept. 1854 et 29 Oct. 1739, quarum textus referunt ac notis illustrant

(1) « Neque nimis urgeri potest illa ratio — sic ait WERNZ, o. c., n. 79 — quod matrimonium etiam infidelium, aliqua ratione sit *res sacra* et *religiosa;* secus tandem totus homo baptismate consecratus potestati civili esset subductus; insuper principes civiles secus nihil statuere possent de *juramento*, quod sane res sacra est, et nihilominus de aetate, sollemnitate, forma, qua praestandum est... condunt leges ».

(2) Cf. apud *Collectanea*, S. C. de P. F., n. 1447, tenorem decreti, in quo declaratur nullum esse matrimonium in infidelitate contractum, « omissa quadam caeremonia cujus omissio juxta Tunkinii regestas censetur impedimentum dirimens », et locum esse novo matrimonio. Porro, uti arguit WERNZ, o. c., n. 80, nota (228), « declaratio nullitatis matrimonii cum plena libertate transeundi ad secundas nuptias a Cardinalibus non datur nec dari potest sine *certa* probatione *juris et facti;* secus gravissime violaretur jus divinum de impedimento ligaminis ».

Descripto decreto adnexa est Instructio, l. c., in nota relata, a Consultore redacta et anno sequenti mitti jussa; dubitatur quidem utrum fuerit missa tanquam instructio S. Congr. (de quo vide RESEMANS, o. c., p. 71 ss. et p. 93), sed in ea diserte affirmatur competentia Principis civilis: « Principes saeculares, sive fideles sive infideles, plenissimam potestatem retinent in matrimonia subditorum infidelium, ut scilicet, appositis impedimentis, quae juri naturali ac divino adversa non sint, eadem non solum quod ad civiles effectus, sed etiam quod ad conjugale vinculum, penitus rescindant ».

(3) « Inde polygami, qui cum omnibus mulieribus suis convertuntur ad fidem et baptizantur, tenentur dimittere omnes uxores praeter primam, quae sola est vera uxor, si in illius matrimonio nullum intervenit impedimentum juris naturalis, vel positivi *conditi ab eorum Principe* ». GASPARRI, o. c., n. 287. Haec tamen Instructio fuit quidem missa jussu S. Congr., sed ut sententia theologorum et canonistarum potius quam ut decretum S. Congr.

passim Auctores (1). In dies etiam communior evadit sententia proposita (2), quamvis non omnes eodem titulo dictam potestatem Principi competere vindicant, uti jam ex mox dicendis liquebit (3).

435. Competit regimen Principi qua tali.

Corollarium I. Regimen in matrimonium infidelium, et speciatim potestas statuendi impedimenta, Principi civili competit *qua tali* et non qua Pontifici religionis, uti innuunt LEHMKUHL, o. c., II, n. 727, et PALMIERI, o. c., p. 279, coll. p. 271 s.

Hanc etiam competentiam dictum matrimonium regendi habet *per se,* et non tantum *per accidens,* seu *jure devolutivo,* uti putant nonnulli, quatenus scilicet « per accidens, ratione necessitatis, devolveretur in supradictis adjunctis ad eum qui solus ibi legitimè praeest, ut bonum sociale utcumque ibi conservetur » (4).

436. Quid importet regimen matrimonii infidelium.

Corollarium II. Ad analogiam doctrinae suprà propositae (n. 416 ss.) pro regimine Ecclesiae, regimen Principi civili competens importat potestatem *legislativam, judiciariam* (5), et *coercitivam;* in specie, hoc attento quod argumenta, suprà, n. 419, invocata pro Ecclesiae potestate, etiam hîc applicantur, importat potestatem statuendi impedimenta tam dirimentia quam impedientia (6), eaque abrogandi, mutandi et dispensandi, salvo in omnibus jure naturali ac divino (7).

Dicitur: « *salvo jure naturali ac divino* ». Ad quod utrumque jus salvandum, debet Princeps civilis, ad normam dictorum sub n. 421 ss.: a/ impedimenta juris naturalis divini in suum catalogum

---

(1) Cf. DE BECKER, *De Matr.*, p. 40 s.; GASPARRI, o. c., p. 286; RESEMANS, o. c., p. 81 ss.; THEOL. MECHL, o. c., p. 211 s.; et prae caeteris WERNZ, o. c., n. 81, sub nota (229), coll. tamen CAPPELLO, o. c., n. 77.

(2) Ita, inter alios modernos, RESEMANS, o. c.; GASPARRI, o. c., n. 281 ss.; WERNZ, o. c., IV, n. 75 ss.; DE BECKER, o. c., p. 38 ss.; HEINER[6], o. c., p. 26; LEITNER, o. c., p. 21 s.; VLAMING, o. c., n. 132; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 43[a]; THEOL. MECHL., o. c., n. 60, quae pristinam sententiam mutavit; SANTI, o. c., IV, tit. I, n. 107; SCHNITZER, o. c., p. 26 ss.; DE LUCA, o. c., n. 90; TRAMPE, o. c., p. 51 s.; VOGT, o. c., p. 9; SILBERNAGEL, o. c., p. 472; CERATO, o. c., p. 44; SCHÄFER, o. c., p. 30; CHELODI, o. c., n. 13; LINNEBORN, o. c., p. 34; VIDAL, in editione operis Wernz, o. c., n. 67; CAPPELLO, o. c., n. 75 ss.; TRIEBS, o. c., I, p. 52 s.

(3) Codex non dirimit controversiam, sed ita ex proposito videtur vitare omne quod contrariae sententiae posset favere, ut censeatur potius in propositam sententiam inclinare. Ita in specie can. 1016.

(4) BILLOT, o. c., II, p. 429. — In eumdem sensum PAOLI, o. c., p. 129-145; LEITNER, o. c., p. 22; CAPPELLO, o. c., n. 79.

(5) Si potestas judiciaria in matrimonia legitima, sicut et ipsa potestas legislativa, reservatur per se Principi civili, *per accidens* contingere potest quod Ecclesia judicandum habeat de matrimonio legitimo, in casu speciali, de quo infrà, n. 702, in nota.

(6) Cf. WERNZ, o. c., n. 77, ubi ostendit quam illogice *Perrone* concedit Principi civili potestatem inducendi impedimenta prohibentia, ipsi autem denegat facultatem statuendi impedimenta dirimentia. Cf. etiam SCHIFFINI, o. c., n. 386, sub III.

(7) Non est igitur concipiendum regimen Principi civili competens in infidelium matrimonia, quasi constringeretur intra limites positos a *Zigliaria.* Juxta ipsum scil., auctoritas civilis potest tantùm determinare quae natura minus determinate praecipit, et quidem ita ut, quae statuit, « non a positiva civili auctoritate sed a lege naturae vigorem habeant ». Cf. MELATA, o. c., 20 et 23.

assumere et juxta illa matrimoniorum validitatem dijudicare (1), quin possit ea abrogare, mutare aut dispensare, ipsi denegata omni potestate ministeriali matrimonia quaevis dissolvendi (2), quin possit etiam jus naturale-divinum authenticè interpretari, sed debeat sese conformari interpretationi ab Ecclesia propositae (suprà, n. 430); debet etiam b/, in statuendis impedimentis juris civilis, rationem habere juris nativi quod unusquisque habet ad nubendum, quod signanter spectat introductionem impedimenti absoluti ac perpetui (3).

437. Observandum practicum.

Observanda practica. 1. Si, ex una parte, in dijudicando valore matrimonii in infidelitate contracti, ratio est habenda, ad normam modò dictorum, impedimentorum dirimentium, quibus obnoxii fuerint nupturientes *juxta patrias leges civiles,* ex alia parte, cum non facilè constet de vi irritativa impedimentorum in variis legislationibus conditorum, saepe opportunum erit, antequam judicium proferatur de nullitate vinculi cum impedimento civili contracti, praevie recursum instituere ad S. Sedem (4).

---

(1) Ita illegitimè egeret judex civilis, validum declarando matrimonium initum a persona, matrimonio canonice valido juncta et civili divortio separata, aut a viro impotente, ubi lex civilis, uti in Belgio, non admittit impotentiam inter impedimenta.

(2) Haec potestas ministerialis soli competit Ecclesiae. — Juxta notata suprà, n. 37, possunt *sponsalia,* inter infideles contracta, a Principe civili dissolvi.

(3) Cf. dicta suprà, ad n. 421 ss. Quibus attentis, liquebit in quibusdam Statibus Foederatis Americae Septentrionalis limites non parum excedi. Ibidem, ante bellum, motus provocabatur non exiguus in promovendam selectionem speciei humanae, seu propagationem prolis mente et corpore sanae (*eugenics,* uti aiunt), exclusa progenie vitiata ac adulterata: quo praetextu conabantur a matrimonio removere illos qui timentur liberos procreaturi haereditaria labe contaminatos.

Ita in Statu *Michegan* a lege declarantur ad nubendum inepti *syphili* vel *gonorrhea* affecti. Similis lex viget in *Utah. Epileptici* et *mente debiles* removentur a matrimonio in *Indiana, Minnesota, New-Jersey* et *Ohio;* item in *Kansas* et *Utah,* nisi mulier aetatem 45 annorum sit egressa. In Statu *Ohio* licentia nubendi non datur, « where either of parties... is an *habitual drunkard...* or who, at the time of making application for said license, is under the influence of any *intoxicating liquor* or *narcoting drog* ». Varias hujusmodi prohibitiones complectitur legislatio vigens in *Washington:* « No woman under the age of 45 yars, or man of any age, except he marry a women over the age of 45 yars, either of whom is a common *drunkard, habitual criminal, epileptic, imbecil, feeble-minded* person, *idiot* or *insane* person, or person who has there been afflicted with hereditary insanity, or is afflicted with *pulmonary tuberculosis,* in its avanced stages, or any contagions venereal disease, shall... intermarry or marry any another person with in this State ».

Cf. descripta statuta apud *The ecclesiastical Review Year Book,* Philadelphia, 1910; *Encycl. Brittanica,* V° *Mariage,* t. XVII; SCHULTE, *Eherecht,* l. c.

(4) Cf. DE BECKER, *De Matr.,* p. 43, ubi sapienter monet: « Prudenter in hac re procedendum est, et prius seriò perpendendum utrum lex civilis juri naturali et divino sit conformis, ac praeterea utrum, implicitè saltem, intentionem habuerint legislatores faciendi legem seu ordinationem, vinculum quoddam in conscientia producentem: fieri enim potest legislatores nequaquam intendisse aliquid statuere circa vinculum ipsum matrimoniale, sed tantummodò circa effectus et consectaria temporalia et civilia matrimonii ». Id in specie contendit VLAMING², o. c., n. 54, pro legislatione Hollandica, aliter opinante SCHAEPMAN, *Het burgerlijk huwelijk* (cf. suprà n. 386 et infrà, n. 454). Ulterius, ubi agitur de nova colonia, puta Congo, ad quam extensa est recenter nova legislatio, saepe dubium erit quousque codex civilis sufficienter fuerit promulgatus, utrum in casu particulari, ob impossibilitatem praescriptiones observandi, urgenda sit lex. Cf. SALSMANS, *Kerk en Staat,* p. 12 s.; item *Recht. Plichtenl.,* n. 105, ubi inclinat in sententiam quae tenet, in legislatione Belgica, impedimenta dirimentia irritare matrimonium. Cf. etiam GENICOT-SALSMANS, *Casus Conscientiae,* n. 989 et 990.

2. Si duo infideles nubentes nulli subsunt auctoritati civili rite constitutae, vel si Princeps civilis cui subsunt nihil statuerit circa jus matrimoniale, obnoxium est illorum matrimonium solis dispositionibus juris naturalis et divini.

437bis Determinatur jus Ecclesiae.

II. **Jus Ecclesiae.**

Ecclesiae jus in matrimonia inter duos infideles contrahenda vel contracta ad hoc limitatur, quod nempe:

1° Ipsi, eique soli, competit, juxta dicta suprà, n. 426, jus naturale-divinum authenticè interpretari, pro infidelibus, non secus ac pro fidelibus (1); adeoque infideles, cum, uti patet, directe subsint juri naturali-divino, etiam directe obnoxii existunt impedimentis juris naturalis-divini, intrà limites ab Ecclesia declaratos ac delineatos.

2° Exinceps, postquam alterutra pars baptismum susceperit, Ecclesiae est moderari applicationem privilegii paulini, ac potestatem habet vinculum dissolvere matrimonii etiam consummati (suprà, n. 353 s. et n. 333), ipsique competit moderari exercitium jurium et officiorum mutuorum vitae conjugalis, in specie quoad cohabitationem et separationem tori et tecti.

§ 3. De regimine matrimonii inter partem fidelem et partem infidelem.

438. Regimen matrimonii inter fidelem et infidelem exclusivè competit Ecclesiae.

PROPOSITIO. *Praeferendam censemus sententiam juxta quam regimen matrimonii, a parte fideli cum parte infideli ineundi, obnoxium esse dicatur exclusivo regimini Ecclesiae, non secus ac matrimonium inter duos fideles.*

Non arguimus (uti fecimus, sub n. 411, pro matrimonio inter duos fideles) ex dignitate sacramentali, quippe quam matrimonio, de quo in thesi, denegandam censemus (n. 179), sed ex eo quod matrimonium sit sponte sua aliquid sacrum (cf. dicta suprà, n. 412), quodque *adeo* consentaneum sit « ut regatur ac temperetur, non Principum imperio, sed divina auctoritate Ecclesiae » (2): ad hoc sufficit ut matrimonium, ratione Baptismatis alterutrius partis, obnoxium sit jurisdictioni Ecclesiae — quod obtinet in casu. Frustra autem opponitur illud matrimonium, ratione infidelitatis alterius partis, obnoxium esse jurisdictioni Principis civilis; non enim est possibile (quemadmodum ratiocinati sumus sub citato num.

(1) Ita can. 1038, collatis ad invicem duabus paragraphis. Dum nimirum, in altera paragrapho, exclusiva competentia Ecclesiae statuendi impedimenta juris ecclesiastici restringitur ad solos baptizatos, in priori paragrapho, sine ulla restrictione affirmatur supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae esse « authenticè declarare, quandonam jus divinum (sive naturale sive positivum) matrimonium impediat vel dirimat ».

(2) Leo XIII, Encycl. *Arcanum*.

412 s.) quod idem ac individuum matrimonium a duplici distincta potestate independenter regatur ac moderetur (1), in jurium autem collisione, vincit jus altius Ecclesiae, cui cedat oportet jus inferius Status civilis (2).

In qua proposita sententia, attendendae sunt, respectu matrimonii inter fidelem et infidelem, dispositiones Ecclesiae ejusque leges matrimoniales dirimentes ac prohibentes, quibus obnoxia est pars fidelis, non autem ratio est habenda, nequidem a parte infideli, dispositionum legis civilis: adeo ut pro valido sit habendum hujusmodi matrimonium, statim ac pars fidelis reperitur ab impedimento canonico immunis, non attentis impedimentis juris civilis, ab ea vel etiam a parte infideli forte contractis.

Eidem sententiae patrocinantur RESEMANS, o. c., p. 2; WERNZ, o. c., p. 94 ss.; *N. R. th.*, 1920, p. 540 s., in nota; GASPARRI, o. c., in ed. 1904, n. 306; CHELODI, o. c., n. 12; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 52; CAPPELLO, o. c., n. 67; TRIEBS, o. c., I, p. 54 s.; contrariae potius sententiae favent VLAMING, o. c., n. 195; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 48; DE BECKER, *De Matr.*, p. 44; LINNEBORN, o. c., p. 34 s.; D'ANNIBALE, *Summula*, III, p. 294 (3).

Nota 1. Pro accuratiori determinatione objecti regiminis ab Ecclesia exercendi, necnon observandorum limitum, cf. suprà, sub § 1, hoc attento quod matrimonium inter partem fidelem et partem infidelem initum, secus ac matrimonium duorum fidelium (n. 421), dissolvi possit ab Ecclesia, etiam postquam copula fuerit consummatum (salva restrictione ibidem facta pro matrimonio cum dispensatione contracto). Cf. suprà, n. 333.

2. Quod spectat *subjectum passivum* potestatis Ecclesiae, in regendo matrimonio, illi *directe* obnoxia existit pars fidelis, *indirecte* vero, mediante scil. subjectione compartis fidelis, conjux infidelis, juxta mox proponenda sub Scholion I, ad 2^{m}, n. 438bis.

---

(1) Quod spectat difficultatem a nobis ibi oppositam, quatenus, in altera sententia, posset ab Ecclesia et a Statu diversa forma contractus ad valorem praescribi, quae simul observari nequiret: frustra conatur quis eam effugere, recurrendo ad exemptionis mutuam communicationem; posset namque ab utraque potestate ita urgeri formae praescriptae observatio ut dicta exemptio unius alteri non communicetur.

Inter Auctores qui tenent partem infidelem obnoxiam esse impedimentis juris civilis, nonnulli illos exemptos declarant a dispositionibus juris civilis circa formam contractus, pro qua forma attendendae sunt solae dispositiones Ecclesiae. Cf. VERMEERSCH, l. citando.

(2) WERNZ-VIDAL, l. c., etiam provocat ad BENEDICTUM XIV, Constit. *Singulari*, 9 Febr. 1749, § 7, quatenus legem Imperatoris Theodosii, qua prohibuerat matrimonium inter christianum et partem hebraeam, declaravit nullam, « utpote a laico principe conditam ».

(3) Difficultatem contra thesim propositam movet etiam VERMEERSCH, apud *Gregorianum*, 1926, p. 141.

438bis. De subjectione infidelium regimini matrimoniali Ecclesiae.

Scholion I. De subjectione infidelium regimini matrimoniali Ecclesiae.

Suprà, n. 430, ad hunc locum lectorem remisimus pro solutione quaestionis generalis, an et quousque scil. Ecclesia, suo regimine matrimoniali, attingere valeat infideles: quae quaestio nunc, attentis principiis hic suprà positis, est solvenda. Et quidem:

1° Quod spectat infideles *respectu matrimonii inter se ineundi aut initi:*

a/ Ipsos, in infidelitate remanentes, non attingit Ecclesia nisi sub hoc respectu quod debeant servare dispositiones juris naturalis-divini, *prout ab Ecclesia fuit authenticè interpretatum* (suprà, n. 437bis).

b/ Alterutro conjuge baptismum suscipiente, eo ipso *indirecte* subjicitur pars infidelis auctoritati Ecclesiae, quod spectat applicationem privilegii paulini, dissolutionem vinculi, ac moderamen exercitii jurium et officiorum conjugalium, ad normam dictorum sub n. 437bis.

2° Quod spectat infidelem *respectu matrimonii cum parte fideli ineundi:*

Pars infidelis non tantum rationem habere debet interpretationis juris naturalis-divini ab Ecclesia factae, juxta modò dicta sub 1°, sed *indirecte* attingitur ab omnibus dispositionibus juris canonici, et signanter a legibus dirimentibus et prohibentibus quibus (iisque solis) directe obnoxia est pars fidelis (1), ac pariter indirecte eam attingit Ecclesia, ubi, juxta dicta sub § 3, dissolvit matrimoniale vinculum.

Quae dicta subjectio indirecta partis infidelis impedimentis ecclesiastici juris, quibus obnoxia reperitur pars fidelis, urgetur non modò ubi agitur de impedimentis relativis, puta consanguinitatem vel affinitatem, sed etiam ubi agitur de impedimentis absolutis, uti est aetas, error circa conditionem servilem, vis et metus (in quantum matrimonium irritat jure ecclesiastico). Unde ab Ecclesia indirecte inhabilitantur infideles ne contrahant cum parte fideli, aetatem canonicam nondum adepta, vel cum persona fideli libera et circa alterius partis conditionem servilem errante, vel metum passa (2).

---

(1) Non potest directe attingi una pars quin indirecte attingatur altera pars: ad valorem enim matrimonialis contractus postulatur habilitas utriusque contrahentis, ac proinde inhabilitas quae directe afficit unam partem, indirecte inhabilem reddit alteram partem; et quod valet de impedimento dirimente, applicatur etiam impedimento impedienti. Can. 1036, § 3.

(2) Censemus non irritari, secluso utique impedimento disparitatis cultus, matrimonium inter partem fidelem et partem infidelem, si haec pars infidelis praescriptam aetatem non est adepta, vel ipsa libera est et in errore versans, vel metum passa.

3° Quod spectat infideles *respectu matrimonii post conversionem ineundi:*

Etiam sub hoc respectu possunt infideles esse obnoxii Ecclesiae regimini, quatenus quaedam sunt *vincula, in infidelitate contracta,* quae quidem, permanente infidelitate, nullum in validitatem matrimonii exercent influxum, ast *post conversionem et susceptum Baptismum* constituunt impedimentum (1).

Hujusmodi sunt vincula physica, quasi ossibus adhaerentia, a natura inducta, aut etiam vincula juridica seu intentionalia, a lege civili cui infideles in ipsa infidelitate subduntur inducta, non autem reliqua vincula merè juridica.

Quibus attentis, ex una parte, *consanguinitas*, in utriusque infidelitate exorta, intra gradus jure ecclesiastico prohibitos, constituit physicum vinculum inter duos infideles; ac adeo constituet impedimentum respectu matrimonii post Baptismum alterutrius partis ineundi. Idem,eadem de ratione, dicendum erat de vinculo *affinitatis,* sub anteriori disciplina, ex copula (licita vel illicita) exorto (2); copula namque inducebat physicum vinculum; cui pristino affinitatis vinculo in hoc aequiparandum videtur *publicae honestatis* vinculum, quale, sub praesenti disciplina, oritur *ex concubinatu publico* (3). Quod autem spectat *cognationem legalem,* inter duas personas infideles exortam, cum sit a lege civili cui subsunt condita, vinculum illud sic in infidelitate contractum poterit, licet juridicum sit dumtaxat seu intentionale, constituere, respectu matrimonii post alterutrius partis Baptismum ineundi, impedimentum canonicum matrimonii. Cf. infrà, n. 498.

Ex alia parte, *crimen* hujusmodi vinculum non constituit, cum sit merum vinculum juridicum seu intentionale, illudque ab Ecclesiae, non societatis civilis, dispositione dependens (4); item *publica*

Posset quidem Ecclesia hujusmodi matrimonium irritare, directe inhabilitando partem fidelem ne cum tali parte infideli contrahat; sed id non videtur facere, uti infrà docetur, n. 530, n. 539 et 547.

(1) Hanc quaestionem suo tempore jam tetigit *Tancredus* (1210-1217), uti liquet ex textu citato a FREISEN, o. c., p. 898.

(2) C. S. O., 26 Aug. 1891, apud *Collectan.*, n. 1247, coll. Instr. C. S. O., 16 Sept. 1824, apud *Collectan.*, n. 1235, sub 2, coll. *R. th fr.*, 1896, p. 574 s.; decr. S. C. de Prop. F., 23 Aug. 1852, apud *Collectan.*, n. 1237; decr. C. S. O., mensis Junii 1895, apud *N. Rev. th.*, XXIX, p. 661; decr., C. S. O., 16 Dec. 1898, apud *R. th. fr.*, 1899, p. 195.

(3) Cf., in eumdem sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 383; VLAMING, o. c., n. 364; CHELODI, o. c., n. 104, licet hi Auctores immerito, ut videtur, idem affirmant de publica honestate ex matrimonio invalido consummato (de quo cf. mox infrà, in nota, circa similem casum affinitatis ex matrimonio consummato); in alium vero sensum, cf. CAPPELLO, o. c., n. 552; VERMEERSCH-CREUSEN, o. c., n. 361.

(4) Congr. de Prop. F., 23 Aug. 1852, affirmative respondit ad postulatum sequens: « Vir infidelis qui ante Baptismum copulam habuit cum intideli uxore alterius, cui, annuente muliere et fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit potestne,

honestas, in quantum, sub praesenti disciplina, oritur *ex matrimonio invalido* (1), necnon *affinitas,* qualis nunc contrahitur, per matrimonium scil. ratum non consummatum (2): sunt namque totidem vincula merè juridica seu intentionalia, a dispositione Ecclesiae, non vero societatis civilis, ortum ducentia, quae proinde censentur in infidelitate non contrahi, nec adeo possunt, post Baptismum, inducere impedimentum matrimonii (3).

439. Jus Status civilis subditos sterilizandi rejicitur;

Scholion II. Circa jus Status civilis subditos quosdam sterilizandi.

Cum quaestione modò suprà, sub corollario II, sub b/ (n. 436), collatis dictis ad n. 421 ss., agitata, intimè connectitur controversia recens exorta, utrum nempe Status non posset quosdam individuos degeneres, abnormes, defectivos et ad crimina proclives, a procreandis prolibus impedire, non tantùm statuto contra illos impedimento dirimente, sed etiam decernendo ut *chirurgicè sterilizentur,* peracta in ipsis *vasectomia* (4).

In hunc sensum latae jam sunt leges in nonnullis Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, notatim in Indiana (5), Utah, Connecticut et California et aliis non paucis (6). Controversia etiam mota est in pluri-

---

post utriusque Baptismum, matrimonium inire cum dicta muliere? ». *Collectanea,* n. 1256.

(1) Publica honestas quae, ante Codicem, oriebatur ex sponsalibus et ex matrimonio invalido, constituebat pariter vinculum intentionale, ab Ecclesiae constitutione dependens, nec adeo inducebat impedimentum respectu matrimonii post Baptismum ineundi. — Quod explicite docebat C. S. O., in decreto 19 Apr. 1837 (*Collectan.,* n. 1254); ad propositam nempe quaestionem: « Titius paganus duxit Maeviam paganam sed non consummavit; post mortem Maeviae Titius fit christianus: potestne ducere Bertham sororem vel consobrinam Maeviae e pagana factam christianam? idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato? », respondit S. Congr.: « impedimentum non subsistere ».

(2) VLAMING, o. c., n. 353, cui consentit WERNZ-VIDAL, o. c., n. 367, sub III et IV, distinguit inter affinitatem ex matrimonio valido et affinitatem ex matrimonio valido et consummato: priorem autem docet, si in infidelitate fuit contracta, non inducere impedimentum pro matrimonio post Baptisma ineundo, alteram vero illud inducere. Quam distinctionem aegre admittendam censemus; cum enim affinitas oriatur independenter a copula matrimonium consummante, ejus effectus juridici independenter ab illa copula aestimandi videntur.

(3) Quod attinet *affinitatem,* etiam ob aliam rationem non est sub hoc respectu attendenda. Et sane, juxta sententiam probabilem (cui contradicunt modò citati *Vlaming* et *Wernz-Vidal*), adeoque practicè tutam ac certam (de qua infrà, n. 613 et 621), ne ipsum quidem affinitatis vinculum juridicum, uti ab Ecclesia constituitur, contrahitur per matrimonium in infidelitate initum, sive inter duos infideles sive inter fidelem et infidelem, cum vinculum juridicum, ab Ecclesia constitutum, non oriatur nisi ex matrimonio rato, inter duos nempe fideles celebrato; non potest proinde postea, post susceptum baptisma, impedimentum inducere.

Dicitur: per matrimonium *in infidelitate* initum; quia potest infidelis affinitatem contrahere ex matrimonio consanguinei, puta fratris, baptizati cum muliere pariter baptizata: cum hac scil. muliere contrahit dictus infidelis affinitatem ex matrimonio rato, et, fratre defuncto, non posset cum illa matrimonium inire; sed id jam non posset ratione subjectionis partis baptizatae, de qua sub 2°, potius quam ratione magis remota, de qua sub 3°.

(4) Cf. notionem datam suprà n. 239, notando in vasectomia viri resectionem fieri solius vasis deferentis, non autem totius funiculi spermatici: sedulò namque intacta servantur nervi, venae et arteria quae vas deferens circumcingunt. Cf. operationis descriptionem apud D^rem O'MALLEY, *Eccles. Review,* t. XLIV, p. 687 ss., et apud GEMELLI, *La Scuola Cattolica,* t. XXI. p. 403 ss. — Restringitur autem controversia ad solam vasectomiam, in viro scil. peractam, relicta fallectomia seu oophorectomia, in muliere peracta.

(5) In illo Statu, uti testatur D^r O'MALLEY, *Eccles. Rev.,* t. XLIV, p. 684, peracta fuit vasectomia, inde ab anno 1907 ad finem anni 1910, in 800 circiter viris.

(6) Non in omnibus Statibus qui leges in hac re tulerunt, imponitur sterilizatio, sed in pluribus permittitur dumtaxat.

bus periodicis (1), et vota hinc inde emittuntur ut ad alias regiones extendatur praxis Americana (2).

Jamvero inhaesitantur *reprobanda censemus hujusmodi statuta*, ac Statui jus illud denegamus auctoritate publica descriptam operationem injungendi.

Quod ita **probatur:**

440. Argumentum.

Vasectomia importat *mutilationem gravem*, etiamsi dicas eam non inducere impotentiam (3): illa namque operatio, quantumvis in se spectata levis videatur, privat virum functione physiologica foecundandi.

Porro non potest auctoritas socialis gravem mutilationem imponere subditis, nisi ad normam dictorum (sub. n. 421 ss.) de libertatis nubendi restrictione: in quantum scil. illa imponenda necessario requiritur, sive 1° ad tuendam vitam vel jura individuorum, sive 2° ad bonum commune societatis salvandum, idque vel puniendo delinquentes, vel directe defendendo et protegendo societatis incolumitatem contra nocentes, eam in discrimen vocantes. Ubi nota ad mutilationem non posse deveniri nisi defectu alterius medii levioris, adeoque non posse procedi ad organi praecisionem, ubi sufficere videtur ejusdem usus restrictio.

Jamvero 1° non est recurrendum ad vasectomiam *ut vita et jura privata tertii vindicentur*, puta contra personas morbo contagioso infectas, ne *compartem* in grave periculum inducant, aut contra mulierum pudicitiae attentantes: praesto namque sunt alia media efficacia, mutilationi prae-

---

(1) Huc spectant de hac re ante bellum scripti articuli sequentes:
DONOVAN, (professor in collegio Franciscano Universitati Washingtonensi adnexo), *Circa liceitatem cujusdam operationis chirurgicae*, apud *Ecclesiastical Review*, tom. XLII (1910), p. 271 ss., collatis *ibidem*, p. 599 ss., necnon tom. XLIV, p. 571 ss., ac tom. XLV, p. 313 ss.; LABOURÉ (professor Seminarii in San Antonio), *De Vasectomia*, *ibidem*, tom. XLIII, p. 80 ss., collatis, p. 320 ss., et 552 ss., necnon tom. XLIV, p. 574 ss., tom. XLV, p. 355 ss., ac tom. LXVIII, p. 553 ss.; RIGBY (professor in collegio Dominicanorum, Romae), *De liceitate vasectomiae*, *ibidem*, p. 70 ss.; SCHMITT, *Vasectomia, eine neue Operation und ihre Erlaubtheit* et *Die Frage nach der Erlaubtheit der Vasektomie*, apud *Zeitschrift für kath. Theologie*, 1911, p. 66 ss., et 759 ss.; et 1913, p. 912 ss., coll. *Ecclesiastical Review*, tom. XLIV, p. 679 ss. et tom. XLV, p. 86 ss.; FERRERES, *De Vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae*, Madrid, 1913; item apud *Razon y Fe*, t. XXVII, p. 374 ss., tom. XXVIII, p. 224 ss., tom. XXXI, p. 495 ss. et tom XXXII, p. 222 ss., tom. XXXIV, p. 502 ss., coll. *Eccles. Rev.*, tom. XLVI (1912), p. 207 ss.; GEMELLI (Dr medicus et professor theol. pastoralis), *De liceitate vasectomiae*, apud *La Scuola Cattolica*, tom. XXI (1911), p. 396 ss.; STUCCHI, *ibidem*, p. 417 ss.; ESCHBACH, *ibidem*, tom. XXII, p. 243 ss.; CAPPELLO, *ibidem*, p. 246 ss.; DE BECKER, *The casus « de liceitate vasectomiae »*, apud *Eccles. Rev.*, tom. XLII, p. 474 s. et tom. XLIII, p. 356 ss.; Dr medicus O'MALLEY, *Vasectomy in defectives*, apud *Eccl. Review*, tom. XLIV, p. 684 ss., coll., tom. XLVI, p. 219 ss.; IDEM, *Inseminatio ad validum matrimonium requisita*, *ibidem*, tom. XLVI, p. 322 ss., coll. t. XLVIII, 213 ss.; WOUTERS, *De Vasectomia*, apud *Nederl. kath. Stemmen*, 1911, p. 19 ss.; *Nouv. Rev. théol.* 1910, p. 417 ss.; KLARMANN, *The crux of pastoral Medicine*, 4th ed., New-York, 1912, p. 182-203; EUG. WILHELM, *Beseitigung der Zeugungsfähigkeit und Körperverletzung*, Halle, 1911; GERRARD, *The Church and Eugenics* (Catholic Studies in social Reform), London, 1912; MICHAUD, *La Vasectomie double*, apud *N. R. th.*, 1914, p. 140-155. Accedit Consultatio theologica RR. PP. VERMEERSCH, DE VILLERS et SALSMANS, in *Eccles. Review*, t. XLII, p. 475; necnon discussio habita coram *International Eugenics Congress* (24-30 Julii 1912), celebrato Londinii ab *Eugenics Education Congress*, ac etiam coram the Guild of St-Luke, in conventu habito in Liverpool, 24 Julii 1912. Cf. tandem SALSMANS, *Geneeskundige plichtenleer*, n. 148 ss.

(2) Cf. *Zeitschrift f. k. Theol.*, 1911, p. 66 s. et *Razon y Fe*, t. XXII, p. 374 s. Cf. etiam discussiones habitas in *Eugenics Congress*, qui congressus per decursum anni 1912 fuit celebratus Londinii, signanter attenta propositione, in 2a sessione facta a Doctore Davenport, Directore of the *Eugenics Record Office* of the United States.

(3) Utrum vasectomia *impotentiam* inducat in viro, eamque *perpetuam*, videsis infrà, ad n. 550.

ferenda, statuendo scil. contra illas personas impedimentum matrimonii, vel eas, si opus sit, recludendo.

Nec Statui recurrendum est ad vasectomiam ut tueatur *jus prolis*, ne procreetur infirma vel defectiva; ut enim jam suprà notavimus, non est subjectum juris illa proles nondum existens, ipsique melius est sic esse quam non esse.

2° Quod spectat *bonum commune societatis:*

a/ Vasectomia non est a Statu infligenda *in poenam* et *punitionem*. Attenta namque natura operationis parùm dolorosae, non habet vasectomia *rationem poenae;* quod etiam experientia comprobatur, cum plurimi eam in se peragendam ultrò postulaverint (1). Caeterùm, si vasectomia imponeretur *ut punitio*, restringenda foret ejus applicatio solis delinquentibus et criminosis stricte dictis.

b/ Vasectomia non est *medium necessarium* quo societas sui incolumitatem *directè protegat et defendat contra nocentes*, quatenus defectivis et fascinerosis auferenda sit foecundandi potentia, ne prolium defectivarum multitudine ipsa societatis existentia periclitetur.

Hic enim praeprimis valet quod, sub n. 424, diximus, non periclitari scil. societatem propter existentiam alicujus turmae prolium defectivarum, quae, in Statu aliunde benè moderato, semper erit relativè exigua. Quodsi periculum adesset exinde, posset ipsi alio modo occurri, viros illos a matrimonio arcendo, vel, si aliter fieri nequeat, eos recludendo, et libertate privando; pravae etiam dispositiones a prolibus forte contractae ex defectivo patre, magna ex parte curari possunt per virilem et christianam educationem (2).

Stat igitur thesis nostra, in eamque convenientes invenimus plerosque Auctores, qui hanc, quod sciamus, quaestionem tractaverint (3).

---

(1) Dr O'MALLEY, apud *Eccles. Review*, t. XLIV, p. 699 s. coll. p. 742, collato etiam SCHMITT, apud *Zeitschr. f. k. Theol.*, 1911, p. 76.

(2) GERRARD, *The Catholic Church and Race Culture* apud *The Dublin Review*, vol. 149 (1911), p. 63 ss. Cf. etiam resolutiones editas a *Guild of St Luke* (societate scil. medicorum), in conventu habito in Liverpool, die 24 julii 1912: « In our opinion the solution of the problem is to be found in attacking the causes of mental deficiency which lie in the defects of our social organisation; in dealing with the education of those mentally defective on christian and elementary lines; in preventing by segregation in suitable cases the multiplication of the unfit; and in the judicious use of the influence of the medical man in directing attention to the dangers attending the marriage of mentally defective persons and in discountenancing them ». *The Universe*, August 2, 1912.

(3) DE BECKER, *Eccles. Review*, t. XLII, p. 474 s., et t. XLIII, p. 356 ss.; VERMEERSCH, SALSMANS, DE VILLERS, *ibidem*, t. XLII, p. 475; SALSMANS, *Geneesk. Plichtenleer*, n. 149 s.; SCHMITT, *Zeitschr. f. k. Theol.*, l. c., et *Eccles. Review*, t. XLIV, p. 679 ss. et t. XLV, p. 86 s.; FERRERES, *Razon, y Fe*, t. XXVII p. 378 s., et t. XXVIII, p. 224; RIGBY, l. c.; Dr O'MALLEY, *Eccles. Review*, t. XLIV, p. 699 ss.; WOUTERS. l. c.; *N. R. th.*, l. c.; STUCCHI, l. c., p. 419; CAPPELLO, l. c., p. 247 s.; ESCHBACH, l. c., p. 243 ss.; GERRARD, l, c., p. 58 ss.; TANQUEREY, o. c., III, in *Supplem.*, p. 3*; CAPPELLO, o. c., n. 376. Ita etiam medici societatis *Guild of St-Luke*, in conventu, de quo modò, congregati, unanimiter damnaverunt praxim vasectomiae in medium selectionis adhibitae: « The proposals to sterilise the mentally defective members of the community are opposed to every principle of human right and human liberty, and we condemn them universally ».

Contradicunt LABOURÉ, *Eccles. Rev.*, t. XLIII, p. 80 ss., p. 320 ss., t. XLIV, p. 574 ss., t. XLV, p. 88 ss. et p. 355 ss.; item, salva restrictione facta, DONOVAN, *Eccles. Rev.*, t. XLII, p. 271 ss., p. 599 ss.; t. XLIV, p. 571 ss. et t. XLV, p. 313 ss.

Cf. etiam discussiones habitas coram *Intern. Eugenics Congress*, de quo modò suprà, in quibus eadem thesis fuit vindicata, signanter a Dr Davenport, directore *Eugenics Record Office* in Statibus Foederatis Americae.

Quam thesim luculenter confirmat doctrina proposita in Conc. Mechlin. quarto, decr. 54, nunquam licere proclamans, « etiam ob praetensam selectionem humanam, quemadmodum in quibusdam regionibus praepostere factum esse noscitur, virum aut mulierem per operationem chirurgicam, data opera, ineptum reddere ad fecundum matrimonium ».

Caeterum obvie apparet quam facile hujusmodi juris exercitium, si Statui agnosceretur, ansam praeberet gravibus abusibus, ac timendum foret ne brevi assumatur vasectomia tanquam instrumentum selectionis humanae, ad normam eorum quae fiunt inter bruta animalia (1).

441. *Nota practica.*

Nota. Quousque posset vasectomia *privata auctoritate* admitti et peragi, latius expositum videsis apud *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 543 ss. Huc summatim redit: Attento scil. bono effectu in eroticis observato, quatenus ex una parte, absque ulla testiculorum atrophia, servatur erectibilitas et activitas in glandulis organismi sexualis, et ex alia parte minuitur seminalis secretio, adeoque et cerebralis congestio eamque consequens erithismus sexualis, videtur, salvo meliori judicio, posse permitti peragenda in viro abnormiter et pathologicè erotico; operatio namque censetur tendere immediatè in bonum totius coporis, ad quod fieri posse docetur mutilatio (2).

Scholion III. Doctrina Protestantica.

442. *Doctrina Protestantica;*

Luther ejusque sequaces docent matrimonium, utpote negotium quoddam merè civile, obnoxium esse penitus regimini Principis civilis: « Weil der Ehestand gar ein weltlich, aüsserlich Ding ist, wie Weib, Kind, Haus und Hof, und Anders, ...zur Oberkeit Regiment gehoret » (3).

Ipsius igitur Principis civilis est inducere formalitates observandas, impedimenta statuere, causas determinare ex quibus vinculum solvatur, salvo tamen in omnibus jure naturali ac divino; unde quaecumque matrimonia, civiliter legitima, admittit Luther pro validis et legitimis, in quantum non violatur jus divinum vel naturale, et civiliter illegitima pro illegitimis habet.

443. *a qua non parum deflectitur in praxi.*

Ex alia parte, licet, juxta enuntiata principia, matrimonium sistatur extra ambitum et potestatem ecclesiae protestanticae, practicè tamen sese ingerit auctoritas religiosa in negotio matrimoniali, salvis utique, in quantum fieri potest, principiis positis.

Nimirum:

1° Ecclesia protestantica urget *formalitates religiosas* a suis respectivè membris servandas, quasi a Statu civili sancitas et acceptas. Hae autem formalitates religiosae, ante matrimonii civilis introductionem, passim exigebantur ad matrimonii valorem (4); introducto autem matrimonio civili, huc tantùm spectant dictae formalitates religiosae ut per eas

(1) Cf. Dr O'MALLEY, *Eccles. Rev.*, t. XLIV, p. 705; SCHMITT, *Zeitschr. f. k. Theol.*, 1911, p. 66 s. et 77; DONOVAN, *Eccles. Rev.*, t. XLV, p. 317 s.

(2) Huic etiam sententiae favet SALSMANS, *Geneesk. Plichtenl.*, n. 149; item PRÜMMER, apud *Th. Pr. Quartalschr.*, 1923, p.671 s.

(3) Cf. suprà, n. 89 et 162, coll. *Realencykl.*, XXI, p. 862; FRIEDBERG, *Das Recht*, p. 159 ss. et 198. Etiam hanc potestatem Principis civilis agnoscunt illi qui matrimonium habent ut quid sacrum. Cf. SOHM, o. c., p. 2.

(4) Cf. *Realencykl.*, V, p. 203 s.; FRIEDBERG, *Das Recht*, p. 272 s., 300-305; SOHM, *Das Recht*, p. 254 et 267 s.; VAN DER MEER, apud *Ephem. theol. Lovan.*, 1925, p. 550 ss.

matrimonium, juxta formas civiles ritè contractum et ex hoc capite ab ecclesia validum reputatum, coram ecclesia officialiter recognoscatur ac immatriculetur (1).

2° Induxit pariter ecclesiastica auctoritas propria sua *impedimenta.* Atvero hisce non agnoscit vim impedimenti matrimonii, vim scil. attingendi ipsum matrimonium, illudque signanter dirimendi, nisi in quantum illa a jure divino statuuntur vel a jure civili sanciuntur: nempe, si aliquod servavit impedimentum a jure divino vel civili non sancitum, matrimonium cum tali impedimento initum reputatur ab ecclesia in se validum, et huc tantum redit impedimenti effectus ut minister sacer prohibeatur formalitates religiosas in illo complere, sicque avertantur fideles a talibus matrimoniis contrahendis (2).

Caeterum vix non in omnibus suum jus matrimoniale conforme reddidit ecclesia protestantica cum jure civili, praesertim in Germania; unum tamen alterumve speciale impedimentum servat, puta impedimentum disparitatis cultus, illudque urget modo indicato (3).

3° Determinat ecclesia protestantica suas proprias causas dissolutionis a vinculo; quatenus scil. hinc inde restringit causas in variis legislationibus civilibus admissas, easque reducit ad tramites juris naturalis et divini, ac illegitimam habet dissolutionem factam ex causa quam rejicit jus divinum vel jus naturale. Caeterum, in jure divino et naturali interpretando, laxe procedit et quam maxime sese conformat juri civili, causas divortii amplianti. Cf. *Realencykl.*, t. XXI, V° *Scheidungsrecht;* ROEDENBECK, o. c., p. 129 ss. Cf. etiam suprà, n. 369.

4° Habent Protestantes suum tribunal ecclesiasticum, consistorium scil., vel synodum coram quo lites matrimoniales religiosae, attentis principiis expositis, dirimuntur (4).

444.

Nota. *Nota* expositam doctrinam (quae sola logica videtur) de vi mere declarativa caeremoniae religiosae, non admitti ab omnibus protestantibus. Nimirum sunt, quales *Sohm* et *Roedenbeck,* qui, conformiter ad suum conceptum de natura matrimonii coram jure protestantico (cf. suprà, n. 98, in nota), caeremoniam religiosam habent uti elementum constitutivum matrimonii: matrimonium scil. civile non est nisi matrimonium initiatum, existens in ratione meri contractus solo consensu constantis, quod, uti ipsi volunt, petit compleri et perfici traditione reali et effectiva; hoc autem alterum elementum perfectivum praestat caeremonia religiosa (5). Cf. SHOM, *Das Recht,* p. 284-314, praeprimis p. 289 s.; *Trauung und Verlobung,* p. 146 s.; ROEDENBECK, o. c., p. 34-37. Contrà FRIEDBERG, *Verlobung und Trauung,* p. 70-78; EBELING, o. c., p. 62 s. et 66-68; cf. etiam VERING, o. c., p. 881 s.; WERNZ, o. c., n. 207, nota 345.

(1) *Realencykl.*, t. V, p. 206. In ecclesia reformata Hollandica, vocatur haec caeremonia: confirmatio.

(2) *Realencykl.*, t. V, p. 208; VAN DER MEER, l. c., p. 551, coll. infrà, n. 516, in nota.

(3) *Realencykl.*, t. V, p. 211.

(4) In ecclesia reformata neerlandica, supremum regimen exercetur a synodo; regimen autem in singulis paroeciis intra manus est Consistorii (Kerkeraad), cujus munus etiam est prospicere puritati doctrinae. Cf. VAN DER MEER, l. c., p. 550 s.

(5) Mediam aliquam sententiam proponit DIECKHOFF, o. c., p. 296-320.

Parergon I.

FATA ECCLESIAE CIRCA REGIMEN MATRIMONII.

1ª Periodus (1).

445. Stadia per quae 1° Ecclesia successive pervenit ad regimen matrimonii fidelium;

In prioribus saeculis a condita Ecclesia, matrimonium spectabatur a potestate civili ut contractus merè civilis et qua talis tractabatur; unde regebatur a Principe civili, legem ferente et jurisdictionem exercente independenter et seorsim a potestate ecclesiastica.

Juxta matrimonium civile existebat matrimonium religiosum, pro fidelibus solum verum, quod ab Ecclesia regebatur et dijudicabatur ad normam juris proprii canonici (2). Inde *dualismus* erat ac duplex vigebat separata legislatio et jurisdictio, cum frequenti conflictu inter forum civile et forum ecclesiasticum; quem conflictum conabatur Ecclesia minuere, partim suum jus conformando juri civili, assumptis et agnitis hujus dispositionibus, in quantum erant juri naturali ac divino conformes (3), partim conando ut jus civile conformaretur juri canonico (4).

2ª Periodus: *Transitio ad exclusivum regimen Ecclesiae.*

Sub motione et influxu Ecclesiae, in dies plures dispositiones juris canonici sancitae sunt et adoptatae a jure civili, ita ut pedetentim legislatio civilis cum legislatione ecclesiastica conveniret; utraque tamen *legislatio,* licet materialiter vix non conveniens in unum, erat formaliter distincta. Cf. Fahrner, o. c., p. 92-95.

Quod autem attinet potestatem *judiciariam:* etiam haec hucusque ab utraque auctoritate sejunctim exercebatur, signanter in re divortii, ea lege ut judex civilis de existentia criminis cognosceret, divortium legitimantis, potius quam de solutione vinculi, quae coram civili jure servabat suam indolem actus privati, judex vero ecclesiasticus directe spectaret vinculi dissolutionem (5). Ast ex ipsa dicta legum concordantia, paulatim factum est ut causae matrimoniales deferrentur ad judicem ecclesiasticum, utque, partibus non reclamantibus, ejusdem judicis solutioni stare-

(1) In hac notitia historica prae oculis habemus praesertim *Galliam* et *Belgium,* eamque perducimus usque ad introductionem matrimonii civilis, de qua sub Parergon II.

(2) Cf. Schnitzer, o. c., p. 40. Ita S. Hieronymus, in *Epist.* LXXIII *ad Oceanum:* « Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papianus, aliud Paulus noster praecipit ». *Migne,* XXII, p. 691.

(3) Cf. Köstler, o. c., p. 73-76; Schnitzer, o. c., p. 41 s., coll. cap. 1, Dist. X, et infrà, n. 519.

(4) Inde est quod tot praescriptiones canonicae in Corpore juris civilis fuerint insertae. Non est igitur absque restrictione dicendum Ecclesiam priores suas leges matrimoniales desumpsisse ex jure Romano: utique quasdam dispositiones juris Romani canonizavit Ecclesia, praesertim ex antiquo jure depromptas, sed non paucae dispositiones recentioris juris Romani assumptae sunt ex ipsius canonibus Ecclesiae. Cf. Troplong, o. c.; Laurin, o. c., p. 261 s.; Köstler, o. c., p. 69; Bernard, o. c., p. 71. Exemplum influxus Ecclesiae in jus Romanum habemus pro impedimento *affinitatis* in linea collaterali, ab antiquo jure Romano ignoto, et ex jure canonico assumpto, uti egregiè ostendit Caron, o. c., p. 61 ss. Influxum etiam Ecclesiae observavimus suprà, in negotio divortii, quatenus scil. conata sit legislationem civilem ad majorem conformitatem cum suis principiis gradatim adducere; et sic in citato (n. 358) can. 8 Synodi Carthagenensis, post enuntiatum strictae indissolubilitatis principium, additur: « in qua causa legem imperialem petendum est promulgari ».

(5) Cf. Fahrner, o. c., p. 67-71, coll. p. 97 s.

tur in ipso foro civili; undè gradatim substractae sunt praefatae causae jurisdictioni civili, adeo ut tandem aliquando solum agnosceretur forum ecclesiasticum: cui evolutioni non parum favit debilitas regiae potestatis coram excrescente auctoritate Ecclesiae (1). Et sic inchoatur, inde a saeculo decimo, saltem versus finem vergente:

3ª **Periodus:** *Regimen exclusivum Ecclesiae* (saec. X-saec. XV).

Ecclesia nimirum vix non plenè gaudet nativa sua et exclusiva potestate super matrimonio fidelium, tam legislativa quam judiciaria (2); imo, favente Principum imbecillitate, ad ejusdem Ecclesiae forum deducebantur non modò causae matrimoniales proprie dictae, spectantes scil. ipsum vinculum vel cum vinculo inseparabiliter connexae, sed etiam, per aliquod tempus, causae spectantes meros effectus civiles de se pertinentes ad forum civile (3).

Hanc exclusivam in negotiis matrimonialibus competentiam, tam legislativam quam judiciariam, sancivit Conc. Trid., uti vidimus, eamque in praxi multum firmavit in illis regionibus in quibus fuit ab ipsa potestate civili acceptam et promulgatam (4).

446.

2º Status civilis successive usurpavit jurisdictionem in matrimonia:

4ª **Periodus:** *Ingerentia Principis civilis* (saec. XV-saec. XVIII).

Illa ingerentia civilis Principis quae prius merè practica fuit, dum jurìdicè agnoscebatur exclusiva Ecclesiae competentia, deinceps etiam juridicè fuit admissa.

1º *Ingerentia practica.*

a/ per viam ingerentiae practicae;

Brevi contigit ut Principes civiles nativum suum jus reassumerent regendi effectus merè civiles, ac judicandi de causis effectus merè civiles spectantibus. Porro in hisce limites sensim excesserunt et usurpaverunt de facto auctoritatem in re matrimoniali, inchoando ab exercitio potestatis judiciariae, usquedum usurpaverint potestatem etiam legiferam.

Nimirum a/ quod spectat potestatem *judiciariam;* primò variis artificiis, sub specie judicii lati de effectibus merè civilibus, conati sunt attingere causas spectantes ipsum vinculum (5); secundò, ope instituti sic dicti « appel comme d'abus », frequenter sese ingerebant judices civiles in causis coram tribunali ecclesiastico actis et agendis (6).

b/ quod spectat potestatem *legiferam:* varias ediderunt ordinationes circa matrimonium, plerumque quidem juri canonico conformes, sed hinc inde ab illo declinantes, idque sub praetextu quod quaedam dispositiones canonicae laedebant libertates Gallicanas, vel incompletae videbantur et complendae. Exemplum habetur in variis ordinationibus editis in Gallia circa matrimonia clandestina (7), vel sine parentum consensu contracta (8).

---

(1) Cf. BERNARD, o. c., p. 78 s.

(2) Cf. FAHRNER, o. c., p. 215-224. Non rarò tamen ab Ecclesia subsidiariè invocantur dispositiones civilis juris.

(3) Inde etiam factum est ut Ecclesia, sola judex in negotio matrimoniali, tam minuta statuerit, utque in suis canonibus et codicibus tantopere habuerit rationem variarum legislationum et usuum vigentium.

(4) Ita in Hispania, Italia, Austria et aliis regnis catholicis; non autem in Gallia, quam hic maximè attendimus.

(5) Cf. LEMAIRE, o. c., n. 22; ESMEIN, o. c., I, p. 36-42; LAFOURCADE, o. c., p. 196 ss.; DUMAS, o. c., p. 55; KISELSTEIN, l. c., p. 511-513.

(6) KISELSTEIN, *ibidem.*

(7) LEMAIRE, o. c., p. 49 ss.; DESFORGES, o. c., p. 124 ss.

(8) BERNARD, o. c., p. 106-147.

Attamen primitus ingerentia illa erat ad solam praxim restricta, quatenus theoretice, tam in ordine judiciario quam in ordine legislativo, agnoscebatur a Principe competentia exclusiva Ecclesiae (1): indirectè dumtaxat et subrepticiè Status civilis usurpabat de facto partem in regimine matrimonii (2).

2° *Ingerentia juridica.*

447
b/ *per viam ingerentiae juridicae,*

Practicam illam ingerentiam juridicè vindicavit et uti legitimam prodidit *theoria civilistica* nuncupata, seu Gallicana, distinctionem inducendo inter sacramentum et contractum, hunc habendo pro contractu merè civili (3).

Juxta hanc nempe theoriam, matrimonium fidelium duplici constat elemento, *contractu* scilicet, qui de se *civilis* est ac profanus, et *sacramento*. Porro hujusmodi inter contractum et sacramentum distinctio, quomodocúmque intelligatur (4), fundamentum praebet, modò simul contractui qua tali vindicetur indoles civilis et profana (5), ad vindicandam Principi civili auctoritatem in matrimonium, non quidem exclusivam sed partialem, in quantum nempe contractus est, relicto Ecclesiae regimini matrimonii in quantum sacramentum est. Unde auctores illi Gallicani, descriptam theoriam tuentes, legitimam regi tribuebant potestatem moderandi matrimonium *qua contractum,* signanter impedimenta statuendi matrimonii; Ecclesiae autem potestatem agnoscebant moderandi sacramentum, non vero contractum, adeoque reipsa ipsi denegabant potestatem inducendi impedimenta saltem dirimentia, utpote quae non possunt directe afficere sacramentum, sed solum contractum (6); et ideo legibus Ecclesiae irritantibus (vel et prohibentibus) vim non adscribebant irritandi (aut prohibendi) *contractum* nuptialem, nisi in quantum a potestate civili fuerint sancitae et adoptatae (7).

---

(1) Cf. DESFORGES, o. c., p. 141 s.

(2) Sic in specie pro « appel comme d'abus », Comitia publica causas matrimoniales coram ipsis delatas, quasi essent illegaliter judicatae, causas, inquam, illas non dirimebant, sed ad aliam officialitatem ecclesiasticam remittebant.

Item quod spectat ordinationes circa consensus paterni necessitatem, ostendit BERNARD, o. c., p. 13 s., et 135 ss., quomodo reges Galliae prius sub variis sanctionibus prohibuerint matrimonia absque paterno consensu ineunda, non ut contradicerent canonibus Ecclesiae vel contra Ecclesiam legem ferrent, sed ut canonum defectui supplerent, salvo vinculi valore ab Ecclesia agnito; quodsi postea edixerint nullitatem hujusmodi matrimonii, id conati sunt legitimare quasi illa connubia essent canonicè irrita ob impedimentum raptus. Cf. infrà, n. 519; PLANIOL, o. c., I, n. 1060; LAFOURCADE, o. c., p. 187 ss.; DESFORGES, o. c., p. 143 ss.; VANTROYS, o. c., p. 209-304.

(3) Cf. suprà, n. 426.

(4) Varia ratione concipitur illa distinctio: sive cum Natzio adaequata ponatur, sive inadaequata cum Melchiore Cano, sive tandem explicatio admittatur Billuart, quam sequitur, uti videtur, Pothier, quatenus contractus quidem totum constituat sacramentum eique pro substrato sit, sed ita ut contractus possit existere quin sacramentum sit.

(5) Notetur hoc duplex elementum doctrinae civilisticae constitutivum: distinctio nempe contractus a sacramento, ejusque indoles civilis. Sola distinctio inter contractum et sacramentum, ad mentem Billuart aut Melchioris Cani, non legitimat conclusionem Gallicanorum circa potestatem Principis regendi *contractum*. Cf. secundum argumentum inductum sub n. 412; multi etiam Auctores catholici olim vindicabant, simul cum distinctione praefata, exclusivum jus Ecclesiae.

(6) Cf. suprà, n. 420, in nota.

(7) « Le mariage n'étant soumis à la puissance ecclésiastique qu'en tant qu'il est sacrement, et n'étant aucunement soumis à cette puissance en tant que contrat civil, les empêchements que l'Eglise établit, seuls et par eux-mêmes, ne peuvent concerner que le sacrement, et ne peuvent seuls et par eux-mêmes donner atteinte

Sedulò tamen nota hucusque nondum praesto esse *matrimonium civile:* Status civilis adhuc habebat matrimonium uti institutum *civili-religiosum,* civile scilicet ratione contractus, et simul religiosum ac sacrum, ratione dignitatis sacramentalis adnexae, adeoque ab utraque potestate conjunctim regendum et juxta utriusque leges celebrandum (1).

448 usque ad introductionem matrimonii civilis.

5ª Periodus:

Successit, sub Perturbatione Gallica, *matrimonium civile,* idque sub forma obligatoria, cum usurpatione regia omnis regiminis super illo, penitus exclusa Ecclesia. De hoc sub Parergon II.

PARERGON II

DE MATRIMONIO CIVILI.

I. NOTIO.

449. Notio matrimonii civilis.

Matrimonium civile, in sensu stricto, est contractus coram officiali civili initus et sola lege civili, quoad formam contractus et personarum habilitatem, moderatus, quasi contractus profanus. Utrumque elementum, subjectio scil. legislationi civili, et caeremonia civilis in celebratione, requiritur ad matrimonium civile *stricte dictum.* Primum autem elementum est elementum praecipuum et determinans: quo solo deficiente, matrimonium cessat esse civile, quo solo praesente, evadit matrimonium civile *late dictum.* Aliis verbis, usurpatio caeremoniae civilis potest consistere cum matrimonio religioso seu canonico, modò lege canonica regatur (2); ex alia parte, subjectio legi civili, non obstante caeremonia religiosa, reddit matrimonium civile, sed sensu minus stricto tantùm (3).

---

au contrat civil. Mais lorsque le prince, pour entretenir le concert qui doit être entre le sacerdoce et l'empire, a adopté et fait recevoir dans ses Etats les canons qui établissent ces empêchements, l'approbation que le prince y donne, rend les empêchements établis par ces canons, empêchements dirimants de mariage, même comme contrat civil ». POTHIER, o. c., n. 20.

(1) « Le mariage, ait POTHIER, o. c., n. 19, étant contrat et sacrement, s'il est, en tant que contrat civil, soumis aux lois séculières, il est, en tant que sacrement, soumis aux lois de l'Église ». Matrimonium nempe fidelium, juxta Gallicanos, conformiter ad leges civiles initum, erat validum in ratione contractus, sed non erat, etiam coram foro civili, in sua specie perfectum et completum, donec ex parte Ecclesiae ipsi accesserit dignitas sacramentalis: ideo, juxta eosdem Gallicanos, reges Galliae, volentes matrimonium catholicorum esse ex utraque parte perfectum, tanquam conditionem pro valore ipsius contractus urgebant ut coram sacerdote celebraretur: sacerdos simul erat, coram foro civili, minister contractus civilis, nomine Principis agens, et minister sacramenti, nomine Ecclesiae, uti ipse dicebat Portalis: « Anciennement les mariages étaient célébrés devant le propre curé des parties, qui était à la fois ministre du contrat, au nom de l'Etat, et ministre du sacrement, au nom de l'Église ». Cf. etiam celebrem epistolam Cancellarii de Pontchartrain, anni 1712, apud FRIEDBERG, *Das Recht,* p. 549 s., in nota. Non erat etiam matrimonium civile illud quod in legislationem Austriacam induxit Josephus II, anno 1783: erat potius practica applicatio doctrinae civilisticae descriptae. Cf. FRIEDBERG, *Das Recht,* p. 142 ss.; ESMEIN, o. c., I, p. 45 s.; *Apol. du mariage chrét.,* coll. suprà, n. 426, coll. etiam HUBERT, *Les princes-évêques de Liége et les édits de Joseph II en matière ecclésiastique,* Bruxelles, 1923.

(2) Ita, in Concilio Tridentino, propositum fuit ut matrimonium celebraretur coram notario et duobus testibus: mansisset, in casu, matrimonium religiosum, sensu minus stricto. Cf. suprà, n. 182.

(3) Cf. infrà, n. 454.

Jamvero regimen matrimonii civilis stricte dicti *vario gradu* existere potest et existit:

Vel 1° *sub forma plena:* quatenus scil. omnibus indiscriminatim imponitur, adeo ut coram foro civili nemo habeatur qua matrimonio junctus, nisi civiliter contraxerit. Dicitur matrimonium civile *obligatorium* (*Zwangcivilehe*).

Vel 2° *sub forma mixta,* idque vel quatenus

a/ civibus integrum sit matrimonium inire civile aut matrimonium (stricto aut lato sensu) religiosum, utroque matrimonio pro valido habito coram Statu civili. Dicitur matrimonium civile *facultativum* (*Facultative Civilehe*).

vel b/ quatenus matrimonium civile a Statu apud illos solos pro legitimo habeatur qui vel religiosum matrimonium non habent, puta infideles, areligiosos, dissidentes, vel qui ad religiosas nuptias existunt inhabiles; dum reliqui tenentur matrimonium inire stricto vel lato sensu religiosum. Dicitur *Nothcivilehe,* seu matrimonium civile *subsidiarium* (1).

450. Fata matrimonii civilis in Gallia:

Regimen matrimonii civilis, et quidem sub forma obligatoria, introductum fuit, *in Gallia,* a Coetu legislativo anni 1792, sed diu ante praeparatum; successive autem agemus de illius praeparatione et introductione, deinde breviter describetur legislatio nostra circa matrimonium civile, ejusdem crisis instituetur, ac tandem quaedam conclusiones deducentur.

II. PRAEPARATIO.

451. causa et circumstantiae ejus introductioni faventes.

1. **Causa** quae verè provocavit introductionem matrimonii civilis in Galliam fuit *philosophismus* saeculi XVIII, necnon, altius ascendendo, *protestantismus,* quatenus sub illorum errorum potissimum influxu irrepserit conceptus ille matrimonii profani, Statui civili penitus obnoxii (2), cujus conceptus practicam formulam exhibet matrimonium civile.

2. **Circumstantia favens** fuit una *theoretica,* sparsa scilicet doctrina civilistica de matrimonio, distinctionem inducens inter contractum civilem et sacramentum, altera *practica,* constitutio nempe formae civiliter celebrandi matrimonia, pro protestantibus, favore celebris edicti regii anni 1787. Et revera, quod spectat *priorem* circumstantiam, facilè apparet quantopere faverit conceptui matrimonii civilis promovendo: semel scilicet admissa illa distinctione contractus civilis a sacramento, pronum fuit dicere, sub influxu doctrinae saeculi XVII, negligendum esse a Statu civili sacramentum, et solum considerandum esse elementum contractus civilis, abstractione facta a ratione sacramenti; abstractio autem facilè ducit ad negationem.

Profectò theoria Gallicana non importat logicè matrimonium civile, et, concessa distinctione contractus a sacramento, etiamsi contractus qua talis civilis dicatur, non cessat matrimonium esse institutum religiosum, et ideo theoriam Gallicanam non dicimus esse *causam* matrimonii civilis; sed transitum ad illud faciliorem reddidit sub influxu philosophis-

(1) Cf. HOLLWECK, o. c., p. 39-42, ubi distinguit inter *relative* Nothcivilehe et *absolute* Nothcivilehe.

(2) Cf. doctrinam Lutheri et Calvini suprà, n. 89, 162 et 442 s.; HOLLWECK, o. c., p. 6 s.; BÖCKHOFF, o. c., p. 11 s.

mi, ac inermes existebant doctrinae civilisticae patroni ad illam evolutionem cohibendam (1).

Quod attinet *alteram* circumstantiam, huc redit quod, ad vitanda varia incommoda quibus ansam praebebat jus anterius (2), quo urgebantur protestantes, non secus ac catholici, ad nubendum coram parocho catholico, constituta est, per edictum anni 1787, pro acatholicis, norma celebrandi matrimonium extra formam Ecclesiae et absque sacerdotis catholici praesentia; poterant nempe suo modo celebrare matrimonium, in cujus legalem probationem sufficiebat declaratio partium facta parocho vel judici civili, quatenus se sumpserant et sumebant mutuò in conjuges (3).

Profectò nondum erat saecularizatio matrimonii nec regimen matrimonii civilis stricte dicti et obligatorii: coram Principe civili matrimonium adhuc erat institutum religiosum, ab Ecclesia moderatum, uti notavimus, et, si a protestantibus non plus exigebat quam formalitatum civilium adimpletionem, erat concessio facta ex necessitate cogente, ut potuerit moderari eorum conditio civilis; erat aliqua species *Nothcivilehe*. Ast eo ipso via erat strata ad ulteriora, et specimen existebat matrimonii civilis, postea ad omnes obligatorio modo extendendi (4).

Sic igitur utraque circumstantia suo modo, theoretice et practice, influxum exercuit: « La doctrine Gallicane, uti dicit LEMAIRE, o. c., p. 89, a été l'antécédent théorique du mariage civil, et l'édit de Louis XVI, l'antécédent pratique ».

452 formula transitionis;

3. Formula transitionis inter doctrinam Gallicanam, de distinctione scil. inter contractum et sacramentum, ac conceptum matrimonii civilis, occurrit in tenore art. 7 tit. II, Constitutionis Gallicae anni 1791: « La loi *ne*

---

(1) Quam efficacius restitissent philosophis, indolem sacram matrimonii evertere nitentibus, si potuissent germanam opponere doctrinam catholicam, ac identitatem urgere inter contractum et sacramentum! « Alors que les protestants, uti arguit LEMAIRE, o. c., p. 98, niaient le caractère sacramentel du mariage, alors que les philosophes niaient même son caractère sacré et religieux, il eût fallu une doctrine de tradition ferme, une théologie solide et résistante, c. à. d. tout le contraire de ce qu'était le Gallicanisme. Si donc nous n'accusons pas la doctrine gallicane d'avoir été la source directe du mariage civil, nous disons formellement qu'elle en a favorisé l'avènement d'une façon extraordinaire. Elle n'a pas donné le mariage civil à la France catholique, mais elle a livré la France catholique au mariage civil ».

(2) Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 845 s.

(3) Revera inextricabilis erat conditio Protestantium, ante edictum anni 1787. Nimirum ex una parte, inde a revocatione de l'Edit de Nantes (1685), religio protestantica erat proscripta in Gallia, et omnes cives jure praesumebantur catholici, ac sola admittebatur corum lege civili, pro matrimonii celebratione, forma Tridentina, praesente parocho catholico; ex alia autem parte parochi catholici renuebant protestantes admittere ad matrimonii celebrationem, nolentes profanare sacramentum. Unde impossibile erat pro protestantibus legaliter inire matrimonium, nisi praevie conversi ad catholicismum; inde est quod plurimi conversionem simulabant vel recurrebant ad matrimonium « par surprise », ex improviso adeuntes sacerdotem catholicum et coram illo consensum emittentes. Equidem plures celebrabant matrimonium in exteris regionibus vel, uti dicebatur, « au désert », in nocturnis scil. et secretis conventibus, in locis abditis, coram ministro protestantico; sed hujusmodi matrimonia non erant legaliter agnita et ita nupti obnoxii erant, ex hoc capite, persecutionibus, et sub gravibus poenis prohibebantur cohabitare. Cf. BONIFAS, o. c., p. 92-170, et DESFORGES, o. c., p. 183.

(4) « La nouvelle déclaration de mariage instituée par l'édit de 1787 ne peut être regardée comme l'inauguration du mariage civil; elle n'est que la consécration inconsciente du Gallicanisme. Seulement... la forme en laquelle elle se trouve ainsi consacrée est telle, qu'elle pourra servir presque sans changement pour le mariage civil ». LEMAIRE, o. c., p. 89. Cf. etiam BASDEVANT, o. c., p. 181, ubi verba referuntur Durand de Maillane.

considère le mariage que comme contrat civil ». Gallicani utrumque elementum, utut distinctum, simul attendebant, et simul moderandum ac ab utraque potestate concorditer regendum docebant; Constitutio anni 1791 non negat quidem caracterem sacramentalem matrimonii, imo eum implicitè agnoscit (1), ast *abstrahit* ab eo eumque negligit, ac de nuptiis legiferendum pronuntiat quasi essent merè civiles, *sepositо* caractere sacro.

Brevi autem dicetur matrimonium non esse nisi contractum mere civilem, *negata* ratione sacra.

III. INTRODUCTIO.

453. circumstantiae in quibus fuit introductum.

Introducta fuit oeconomia *matrimonii civilis,* et quidem sub forma obligatoria, a Coetu legislativo (Assemblée législative), anno 1792. Nimirum, in executionem relati art. 7 Constitutionis, edixit matrimonium ab omnibus indiscriminatim esse celebrandum civiliter, juxta formalitates civiles, *quasi contractum purè civilem;* ac ita quidem disposuit Coetus legislativus, non quia *abstrahebat* a caractere sacramentali matrimonii, quemadmodum Constitutio, sub art. 7, sed quia illum caracterem penitus *negabat* et nuptiali foederi indolem agnoscebat contractus merè profani, legislationi civili obnoxii. Hoc constat tum ex declaratione facta a Muraire, legis relatore (2), tum ex ipso tenore legis (3), necnon ex integra legislatione deinceps data circa divortium: quatenus, uti suprà vidimus, hoc qua principium fuerit sancitum, matrimonium contrahentium voluntate esse dissolubile, non secus ac reliquos contractus civiles.

Nondum tamen eò processerunt reformatores ut excluderent existentiam parallelam matrimonii alterius pro catholicis, seorsim et independenter celebrandi. Nimirum matrimonium civile coram foro civili sufficiebat, ac plenam suam nanciscebatur perfectionem, per se stantem, independenter ab omni caractere sacro (et in hoc recedunt a conceptu Gallicano et a formula Constitutionis); sed libertatem relinquebant catholicis aliud praeterea matrimonium ineundi coram Ecclesia, illisque jus agnoscebant ut matrimonium civile non haberent qua validum in conscientia.

Eo ipso implicitè agnoscebatur pro catholicis et de facto inducebatur duplex matrimonium, quasi parallelum et utrimque independens, unum civile pro foro civili, et alterum religiosum pro foro Ecclesiae et conscientiae: *dualismus* (4) ergo.

Postea conati sunt pseudo-legislatores anni 1795 et 1797 ita extollere matrimonium civile illudque solemnizare, ut etiam pro catholicis locum sumeret matrimonii religiosi, in hoc nitentes ut solum exclusive regnaret matrimonium civile, et sic ad apicem saecularizationis deduceretur. In hunc finem, vi legis 1795 et 1797 (3 Brum. anni IV et 13 Fructidor anni VI), varias instituerunt sollemnitates et caeremonias occasione matrimonii civilis peragendas, ad supplendum defectui caeremoniarum religiosa-

(1) Rejectus est tenor prius propositus: « Le roi *ne reconnaît* le mariage que comme contrat civil ». Caeterum relator articuli 7, Durand de Maillane, favebat adhuc theoriae Gallicanae, indolem sacram matrimonii urgenti, uti apparet ex ejusdem verbis citatis apud BASDEVANT, o. c., p. 177-180, necnon, juxta inferius dicenda, ex propositione clausulae de anterioritate formalitatum civilium.

(2) Cf. LEMAIRE, o. c., p. 98.

(3) *Ibidem,* p. 104, ubi citatur praeambulum legis divortii.

(4) Dualismus scilicet est in hoc quod una eademque persona, puta catholica, duplex debeat inire matrimonium distinctum, ut legitimè existat conjuncta in foro civili et in foro religioso.

rum (1). Porro redactores *Codicis civilis* satius duxerunt redire ad regimen legis 1792, retinentes ex una parte matrimonium purè civile, merè civiliter celebrandum, ac omni caractere sacro destitutum; sed non excludentes ex alia parte existentiam parallelam alterius matrimonii pro catholicis (2), a priori independentis (3).

454. Regimen vigens in aliis regionibus.

Nota. Regimen matrimonii civilis vix non ubique existit aliquo gradu (4). Nimirum

1° *In gradu pleno,* sub forma obligatoria, existit, praeterquam in Belgio et Hollandia (5), in Germania (6), in Helvetia, in Hungaria (1894) (7), in Italia et Lusitania (15 Dec. 1910), in Russia, inde ab anno 1918 (8), necnon in pluribus Statibus Americae meridionalais (9).

---

(1) Lege descriptionem apud LEMAIRE, o. c., p. 108-112. Cf. etiam p. 102, ubi notat laudatus Auctor jam anno 1892, coram Coetu legislativo, simile quid fuisse propositum a Gohier, sed frustrà. Hujusmodi ridiculas institutiones non verentur imitari quidam ex nostris officialibus status civilis, media in nostra populatione catholica. Cf. *Le Bien Public,* 29 Febr. 1908, coll. 5 et 7 Martii ejusdem anni.

(2) Imo Portalis, qui praecipuas noscitur habuisse partes in Codicis civilis confectione, tantum ab hoc abfuit ut aliquando favisse videatur theoriae Gallicanae, vel potius formulae suprà descriptae Constitutionis 1791, ac matrimonium habuerit qua constans contractu a Principe regendo et sacramento a Statu civili non attendendo (n. 447, in nota). Ad hanc nempe theoriam provocavit, uti mox dicetur, ut vindicaret clausulam anterioritatis matrimonii civilis. Adhuc propius accedit ad theoriam Gallicanam orator Tribunatus Bonteville, in oratione coram Coetu legislativo (17 Martii 1803, apud LOCRÉ, o. c., IV, p. 550), ubi, in ipso arguendo contra exaggerationem regiminis medii aevi, explicite agnoscit distinctum a contractu civili caracterem sacramentalem: « Ils oubliaient donc qu'élevé à la dignité de sacrement, le mariage ne cesse pas d'être un contrat civil, nécessairement soumis, comme tout autre, à l'autorité publique ». Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 11 s.; ALLÈGRE, o. c., p. 117 s.; FRIEDBERG, *Das Recht,* p. 549 s.

(3) Clausula urgens anterioritatem matrimonii civilis, de qua infrà, si hanc independentiam de facto restrinxit, tamen, in intentione legislatorum, ad eam laedendam non fuit inducta.

(4) Loquimur passim de statu obtinente ante bellum.

(5) Cf. SCHAEPMAN, *Het burg. huwelijk,* p. 91. — Cf. hîc VLAMING, o. c., n. 49 (coll. n. 54 et n. 697), ubi contendit, contra Schaepman, legem civilem Neerlandicam non intendere ut ipsum vînculum conjugale moderetur, sed solas relationes quae inde nascuntur civiles: qua in sententia non potest dici in Hollandia vigere regimen matrimonii civilis. Cf. suprà, n. 386 et 437.

(6) Fata matrimonii civilis in variis regionibus Germaniae, ante constitutum Imperium, exponit HOLLWECK, o. c., p. 9 ss.; item exponit quomodo inductum fuerit civile matrimonium sub Imperio, vi legis 6 Febr. 1875, et definitive sancitum in novo Codice anni 1900.

(7) Circa speciale regimen quarumdam provinciarum Hungariae, cf. mox infrà, in textu et nota.

(8) Art. 58 statuit solum matrimonium civile, in registro officiali inscriptum, agnosci uti matrimonium, ad modum vigentem in aliis legislationibus pluribus, modò enumeratis. Atvero, attentis aliis dispositionibus ejusdem Codicis Russici sovietici, apparet dispositionem articuli 52, juxta quam primo aspectu videtur solum matrimonium legaliter inscriptum a lege agnosci, radicaliter enervari et aequivalenter abrogari, adeo ut regimen matrimonii civilis locum cedat regimini unionis liberae. Et sic, quod spectat filiationem, art. 133 statuit quod « il n'est fait aucune différence entre la parenté hors mariage et la parenté en mariage »; et ibidem additur: « les enfants, dont les parents ne sont pas mariés ensemble, sont en tous égards égaux en droit aux enfants nés de personnes unies par un mariage enrégistré ». Caeterum, in commentario officiali Codicis, cynicè agnoscitur quod matrimonium legaliter inscriptum « ne fonde aucun droit particulier, n'accorde point de privilège spécial, soit aux époux, soit aux enfants nés d'une pareille union légale; c'est une mesure transitoire, dont l'unique raison est de faciliter à la femme la preuve de la paternité de l'homme qui refuse de payer la pension de l'enfant ». *Etudes,* 20 mai 1926, p. 440 s., coll. suprà, n. 380.

(9) « En Amérique, la contractation obligatoirement civile du mariage a été introduite dans les Etats principalement catholiques suivants: Mexique, 1884; Chili, 1884; Uruguay, 1885; République Argentine, 1888-1889; Brésil, 1890 ». ROGUIN, o. c., p. 142.

2° *In gradu mixto:*

a/ sub forma *facultativa* obtinet in Anglia (1), in pluribus Statibus Americae septentrionalis (2), et, inde ab anno 1908 (6 nov.), in Suecia (3), ac, inde a 22 maii 1919, in Tschecho-Slovakia.

b/ sub forma *Nothcivilehe*, cum nonnullis tamen varietatibus, in Serbia, Montenegro, Hispania, Austria, Norvegia et Dania (4).

Porro notetur quod spectat 2°, sub b/, non levem occurrere distinctionem inter regiones enumeratas. In Serbia scilicet, Montenegro, in quibusdam provinciis Imperii Austriaci (Croatia, Slovania, Bosnia et Herzogovina), et in Hispania, matrimonium religiosum, ad quod recurrendum est a christianis et catholicis, est matrimonium religiosum *stricte dictum*, auctoritati civili subductum et ritu religioso celebratum, dum, in aliis regionibus, intelligitur matrimonium religiosum *late dictum*, quod nempe ritu religioso celebratur sed ab auctoritate civili regitur (5).

---

(1) Intelligitur hic Anglia distincta ab Hibernia et Scotia, alia legislatione fruentibus. Ita, in *Scotia*, duplex admittitur species matrimonii, regularis nempe et irregularis. Cf. LEHR, o. c., p. 231 ss.; ALLÈGRE, o. c., p. 120 s., ubi memorantur etiam matrimonia sic dicta *Gretna-Green*. Cf. etiam *De la Jurisdiction*, p. 200 s.

In *Anglia* diu viguit (salva quadam periodo transitoria matrimonii civilis obligatorii, de qua in fine hujus numeri) regimen matrimonii in sensu stricto religiosi, quatenus non tantum a Statu sanciebatur celebratio religiosa coram ministro anglicano praestanda (inde ab anno 1836, etiam coram ministris religionis dissidentis), sed et integra legislatio ac jurisdictio matrimonialis intra manus ecclesiae Anglicanae committebatur.

Atvero, inde ab anno 1857, translata est jurisdictio matrimonialis ad judices civiles, et ipsa etiam legislatio de facto (si non de jure) exercetur a Comitiis publicis, a quibus, contra statuta ecclesiae Anglicanae, introductum est, dicto anno 1857, divortium a vinculo, et, anno 1907, abrogatum est impedimentum affinitatis in 1° gradu lineae collateralis quatenus exinde validum declaretur matrimonium ineundum a viduo cum sorore defunctae uxoris, quoad caetera servatis in codice civili dispositionibus et impedimentis codicis matrimonialis ecclesiae Anglicanae. Cf. GALICHET, o. c., p. 140 ss.

Servatur autem, ad libitum nupturientium, celebratio religiosa coram ministro religionis Anglicanae vel religionis dissidentis: huic nempe ministro agnoscitur qualitas officialis civilis (registrar), adeo ut matrimonium coram ipso celebratum, in loco legaliter recognito, ipso facto valeat in foro civili. Catholici hucusque non utuntur illo privilegio quo, inde ab anno 1898, gaudent; solet a catholicis celebrari matrimonium religiosum in licensed building, quo absoluto, partes emittunt coram registrar formulam matrimonii civilis, quam subsignant simul cum parocho et testibus.

(2) Legislationem Stat. Foeder. Amer. Septentr. describit SCHULZE, *Eherecht*, l. c., p. 754-760.

(3) Cf. TRAVERS, o. c., II, n. 610.

(4) Circa varia illa regimina cf. ROGUIN, o. c., p. 116-152, coll. HERGENRÖTHER-HOLLWECK, o. c., n. 1015; VERING, o. c., p. 875 ss.; SÄGMÜLLER, o. c., p. 540; SCHNITZER, o. c., p. 52 ss.; LEITNER, *Lehrb.*, p. 840. In specie, quod spectat Bosniam et Herzogovinam, cf. LEITNER, *Ne temere*, p. 91.; quod spectat Austriam, cf. LAURIN, *Introd. in jus matrim.*, p. 125 ss., coll. p. 97 ss.; SCHEICHER, o. c., p. 335 s.; HOLLWECK, o. c., p. 9; *Th. Pr. Quartalschr.*, 1909, p. 500 ss.; NEUMAN-ETTENREICH, o. c., p. 3 ss.; quod spectat Hispaniam, cf. infrà, n. 458. In Lusitania simile regimen ac in Hispania vigebat, ante recentem perturbationem. Cf. ROGUIN, o. c., p. 291 s.

(5) Ita pro Austria: Status civilis est qui regit matrimonia, ac determinat inhabilitates nubendi et impedimenta, licet quaedam illorum indolem religiosam prae se ferant, uti impedimenta ordinis et disparitatis cultus, ita ut appareat conatus fuisse adhibitos ut legislatio civilis sese accomodaret, pro catholicis, legislationi canonicae. Legislatio scil. matrimonialis, quantumvis similis codici canonico, est legislatio *formaliter civilis;* ac matrimonia vim et valorem habent, coram Statu Austriaco, in quantum et quatenus ineuntur conformiter ad codicem matrimonialem jure civili sancitum. Et ita, si matrimonium catholicorum non est validum nisi quando celebratur coram parocho proprio, valorem tamen et vim suam non mutuatur nisi a jure civili, illam formalitatem pro catholicis praescribente. Parochus etiam, antequam ad matrimonii celebrationem procedit, pro dijudicanda sponsorum habilitate, non debet attendere dispositiones juris canonici, sed dispositiones codicis civilis; imo, pro ipsis formalitatibus servandis in celebratione, non debet attendere formalitates prouti ab Ecclesia praescribuntur, ratione habita v. gr. decreti *Ne temere* et novi Codicis, sed prouti a codice civili praescribuntur, nulla ratione habita decreti *Ne temere* nec Codicis.

Juvat addere matrimonium civile, sub forma facultativa, jam exstitisse in Hollandia et Frisia, anno 1580, quatenus matrimonium erat celebrandum vel coram officiali civili vel coram ministello acatholico (1); quae disciplina, anno 1656, extensa fuit ad omnes status foederatos Hollandiae. Etiam in Anglia inductum est, per aliquod tempus, regimen matrimonii civilis obligatorii.

III. Legislatio nostra Belgica circa matrimonium civile.

A. **Forma celebrandi.**

455. Dispositiones Codicis Belgici circa matrimonium civile,

Suprà, n. 146, coll. infrà n. 478, describuntur formalitates in celebratione matrimonii civilis pro valore observandae, attentis mutationibus nuper inductis favore legis diei 7 Januarii 1908.

B. **Impedimenta** enumerantur infrà, sub n. 478 ss.

C. **Anterioritas matrimonii civilis prae matrimonio religioso.**

456. in specie quod spectat anterioritatem matrimonii civilis.

Illa dispositio urgens anterioritatem formalitatum civilium ante formalitates religiosas, prima vice fuit proposita a relatore art. 7 Constitutionis anni 1791: et quidem logicum erat corollarium conceptûs Gallicanismum sapientis, quem habebat, uti vidimus, de matrimonio: si nempe concipiendum erat matrimonium uti contractus civilis cui accedat sacramentum, contractum perficiens, logicum erat, quamvis lex civilis a caractere sacramentali penitus abstraheret, prohibere quominus benedictio nuptialis contractum civilem praecederet (2).

Dictae obligatoriae anterioritati non erat locus *sub regimine legis 1792,* matrimonium instituentis purè civile, ab omni caractere sacro destitutum, nulla caeremonia religiosa perficiendum, ac planè independens et distinctum a matrimonio religioso, quod catholicis libuerit inire. Caeterum nec lex anni 1792, nec pejor lex anni 1795, de hoc quidquam statuebant, non curantes utrum matrimonium religiosum praecesserit aut successerit (3).

Introducta est illa clausula *in Concordato,* sub articulo organico 54, et postea, anno 1810, in Codice poenali, art. 199 et 200, gravibus poenalitatibus est sancita; introducta est autem *ob motiva opportunitatis practicae,* idque prae caeteris ob periculum ne plures sponsi coram sola Ecclesia nuberent, neglecto matrimonio civili, unde, ut timebant, multis anomaliis praeberetur ansa in determinando statu civili civium (4). Cae-

(1) Friedberg, *Das Recht,* p. 481 ss. Per statutum illud 1 apr. 1580, ex una parte concessio fiebat catholicis, quatenus jam non cogebantur nubere coram ministro protestantico, uti urgebant reformatores; sed, ex alia parte, sola electione relicta inter matrimonium coram ministro acatholico et matrimonium civile, aquivalenter inducebatur matrimonium civile obligatorium pro catholicis, quippe quibus impossibile erat coram ministro protestantico celebrare matrimonium. Vlaming, o. c., n. 48, in nota.

(2) Suam priorem propositionem retraxit Durand de Maillane coram reclamationibus factis.

(3) Unice statuebat lex 1795 non posse ab officiali civili exigi probationem ex parte sponsorum de adimpleta caeremonia religiosa.

(4) Juvat tamen notare quomodo Portalis, reipsa motus rationibus opportunitatis practicae, hanc dispositionem, cujus illogicitatem perspectam habebat, conatus sit legitimare, uti modò notavimus, antiquam resuscitando theoriam Gallicanam de contractu-sacramento, ex qua logicè sequi vidimus anterioritatem contractus prae benedictione nuptiali. Cf. Basdevant, o. c., p. 200 et 204; Friedberg, *Das Recht,* p. 567 s.; Hebrard, Les *articles organiques,* Paris, 1870, p. 285 s.; Delassus, o. c., p. 7 s.; ubi notatur eamdem theoriam fuisse invocatam in *Exposé des motifs,* ad art. 199 et 200 Cod. poen.

teroquin non defuerunt etiam sacerdotes et Ordinarii ad illa incommoda provocantes, in favorem hujusmodi anterioritatis civilis matrimonii (1).

Eadem disciplina viget *in Belgio* (2), vi art. 16 Constitutionis (3), ac gravibus sub poenis urgetur (4): providetur autem, in ipso tenore art. 16 Constitutionis, a lege induci posse exceptiones, cujus clausulae favore propositio est facta a D. Woeste coram comitiis publicis (5), eum in finem ut matrimonia *in extremis* permittantur coram sacerdote celebrari, antequam fuerint civiliter inita; quae propositio, leviter moderata, fuit adoptata et in legem sancita die 3 Aug. 1909 (6).

---

(1) LEMAIRE, o. c., p. 116, in nota.

(2) Item passim in aliis regionibus in quibus existit matrimonium civile: exceptio tamen est facienda pro Italia et Chili. Quod spectat dispositiones legis Hungaricae, Germanicae, Neerlandicae, ac poenalitates sub quibus urgent anterioritatem matrimonii civilis, cf. BALOG, o. c., respective p. 9 s., 25 s., 35 s.; cf. etiam p. 22 ss., ubi notat, in codice Helvetico, vim habente inde ab anno 1912, servari legem anterioritatis, abrogari autem poenalitates antea vigentes.

(3)« Le mariage civil devra toujours précéder la bénédiction nuptiale, sauf les exceptions à établir par la loi, s'il y a lieu ».

Circa hunc articulum, ac discussiones quas provocavit, vide HUYTTENS, o. c., I, p. 587-621, et II, p. 466-472: unde innotescit, ex una parte, oratores dicto articulo faventes vix invocasse principia theoretica, sed maxime institisse in hoc quod, absque obligatione praemittendi matrimonium civile, plures negligerent formalitates civiles et solo uterentur matrimonio coram Ecclesia, uti experientia jam probaverat; ex alia parte, plures catholicos reluctasse contra sanctionem illius dispositionis, ob exceptiones quae possent a lege induci. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 517 s., ubi paucis exposuimus disciplinam quae in hac re obtinuit apud nos sub dominatione Hollandica, ac sub Gubernio provisorio; cf. etiam *Revue cath. des Institutions et du droit*, 1903, t. 31, p. 136 s.; LECLER, *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 254 s.; STANDAERT, *Collat. Gandav.*, IV, p. 62 ss.

(4) *Code pénal Belge*, art. 267: « Sera puni d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs tout ministre d'un culte qui, hors les cas formellement exceptés par la loi, procédera à la bénédiction nuptiale avant la célébration du mariage civil.

En cas de nouvelle infraction de même espèce, il pourra, en outre, être condamné à un emprisonnement de huit jours à trois mois ».

Quod spectat *interpretationem* legis, attenta jurisprudentia in Belgio vigente, nota *primò* quod, juxta declarationem factam a Ministro Justitiae De Lantsheere, in Senatu, die 29 Julii 1909, occasione discussionis legis 3 Aug. 1909, verba « bénédiction nuptiale », tum in Constitutione, tum in Codice poenali, « visent tous les cas où la présence d'un prêtre est nécessaire pour rendre valable un mariage religieux » (*Annales Parlem.* — Sénat, Session de 1908-1909,p. 587); quod *secundò*, juxta decisionem supremae Curiae Bruxellensis, 19 Jan. 1852 (*Pasicrisie*, 1852, I, p. 85), dispositio legis applicatur etiam matrimoniis coram ministro cultus celebrandis inter sponsos extraneos, pertinentes ad regionem in qua lex civilis agnoscit matrimonium canonice celebratum coram Ecclesia ceu unicè validum; quod *tertiò*, ad delicti existentiam sufficiat assistentia merè passiva sacerdotis, qualis olim praebebatur in matrimoniis mixtis (*Pandectes Belges*, v° *Acte de Mariage*, n. 47, collata decisione Trib. Antverp., 9 Mart. 1876, Trib. Bruxellensis, 18 Nov. 1876 et supremae Curiae, 26 Dec. 1876, apud *Pasicrisie*, 1876, p. 97, et 1877, p. 21 et 46, in causa *Sacré*, Decani Antverpiensis); *quartò*, quod admittatur, ad tramites art. 66 et 67 Cod. poen., cooperatio in delicto, ex quo capite damnatus fuit laudatus Decanus Antverpiensis, quia vicarium pro assistentia delegaverat. *Ibidem*, collata oratione Ministri regii, coram Camera Repraesentantium, 27 Nov. 1908, apud *Annales*, p. 142. Cf. etiam LECLER, *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 256 s.

Adde, quod attinet *poenae applicationem*, sacerdotem, vi art. 267 damnatum, posse frui beneficio condemnationis conditionalis. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 133.

(5) Occasio fuit recens condemnatio R. D. Van Langenhove, vicepastoris in Overboelare, qui, die 4 Oct. 1907, matrimonium celebraverat in extremis. Cf. *Exposé des motifs*, apud *Documents Parlementaires* (Chambre des Représ., 1907-1908), n. 134; *Collat. Namurc.*, t. IX, p. 257; *Collat. Gandav.*, IV, p. 61 s.

(6) En tenorem novae dispositionis: « *Article unique*. L'art. 267, § 1^{r}, du Code pénal est modifié comme il suit: Sera puni d'une amende de cinquante francs à cinq cents francs, tout ministre d'un culte qui procèdera à la bénédiction nuptiale avant la célébration du mariage civil.

Cette disposition ne sera pas applicable lorsque l'une des personnes qui ont reçu la bénédiction nuptiale, était en danger de mort, et que tout retard apporté à

Circa quaestionem an et quousque illa lex, matrimonii religiosi celebrationem prohibens ante matrimonium civile, adhuc urgeat in Gallia, sub regimine separationis, v. *Rev. Augustinienne,* 1906, t. IX, p. 424 ss.; *Canon. contemporain,* 1906, p. 641 ss.; *Revue pratique d'apologétique,* t. X (1910), p. 529 ss.; DELASSUS, o. c., p. 12 ss.; PLANIOL, o. c., I, n. 850. Soluta est illa quaestio a suprema Curia, 9 Nov. 1906, in sensum affirmativum (1).

457. Damnanda nostra legislatio civilis,

IV. CRISIS LEGISLATIONIS NOSTRAE CIVILIS.

A. **Legislatio vigens damnanda:**

1° *In ipsa institutione matrimonii civilis:*

tum in ipsa institutione matrimonii civilis,

Ex principiis suprà positis liquida deducitur conclusio, sub n. 425 enuntiata, institutum scilicet matrimonii civilis, quale a nostro legislatore intenditur, ut nempe ipsum tangat vinculum conjugale etiam christianorum, iniquam contra jus Ecclesiae constituere usurpationem (2).

Ulterius sic prorsus adulteratur natura matrimonii christiani quod reducitur ad meram formalitatem laicam et profanam, necnon ridiculus inducitur dualismus. Hujus porro *dualismi* abnormitatem egregie ostendit saepius laudatus LEMAIRE, o. c., p. 189: « Il est impossible d'asseoir la conception matrimoniale d'un peuple sur cette idée que pour se marier il faut se marier deux fois; la législation et le droit ont avec la morale des accomodements que le bon sens populaire et la morale pratique ne connaissent pas. Pourquoi dire *oui* à l'église, ensuite *oui* à la mairie, ou bien *oui* à la mairie, ensuite *oui* à l'église? Ce sera toujours deux fois *oui* dont l'un qui vaut, et l'autre qui ne vaut pas ». Ex eodem etiam dualismo natum est sequi frequentem conflictum inter forum legale et forum conscientiae, quatenus nullum sit matrimonium coram conscientiâ, quod validum proclamat et urget lex civilis, et vice versa (3).

458. tum in clausula anterioritatis.

2° *In clausula anterioritatis.*

Illa dispositio, licet uti notavimus, non fuerit introducta in odium religionis ac matrimonii religiosi, multum tamen promovit opinionem popu-

---

cette cérémonie eût pu avoir pour effet de la rendre impossible ». *Moniteur Belge,* 1909, n. 224, p. 4441. Hujus dispositionis brevem commentarium proposuimus apud *Collat. Brug.,* t. XV. p. 99 ss., coll. t. XIII, p. 514 ss. et infrà, n. 898. Cf. *Collat. Gandav.,* IV, p. 67 s.

Similis exceptio ad legem anterioritatis obligatoriae agnoscitur in Germania (TRIEBS, o. c., I, p. 86) et Lusitania. In Hollandia dicta exceptio non sancitur a lege, sed authentice declaratum est a Ministro regio, anno 1880: « Wat het huwelijk *in extremis* betreft, kan men rekenen op de prudentie van het Openbaar Ministerie ». Cf. VLAMING, n. 256.

(1) Fatetur decisionis relator logicam fore sententiam negativam, faventem suppressioni prohibitionis ac sanctionis poenalis; sed urget illius conservationem ad vitandam turbationem ordinis publici, oriundam ex licentia facta contrahendi matrimonia dumtaxat coram Ecclesia. — De facto recenter, anno scil. 1923, tribunal de Lorient, ex hoc capite, mulcta 16 fr. plexit parochum d'Auray.

(2) Haec ratio valet non tantùm contra nostrum matrimonium civile obligatorium, sed et, proportione servata, contra institutum matrimonii civilis facultativi, ac imo subsidiarii. Cf. n. 425.

(3) Cf. LEMAIRE, o. c., p. 128-135, ubi inter alia observat, p. 130: « Dès lors qu'il n'y a pas harmonie entre la règlementation du mariage religieux et celle du mariage civil, et que cependant il y a obligation de respecter l'une et l'autre, la première par devoir de conscience, la seconde par prescription légale, il en résultera, dans toutes les circonstances où cette double satisfaction ne sera pas possible, un tiraillement douloureux, un pénible conflit, dont les parties sont les victimes ». Cf. etiam HOLLWECK, o. c., p. 43-77, ubi fusè crisim instituit matrimonii civilis obligatorii.

larem, matrimonium civile praestare matrimonio religioso, et hoc alterum esse habendum ad modum caeremoniae accessoriae (1). Insuper evidenter apparet tanquam illogica et libertatis destructiva; tandem non valent, saltem nunc, rationes opportunitatis invocatae. Et quidem clausula

a/ *illogica* est, uti diximus, nec conformis cum ipso principio matrimonii civilis cumque oeconomia separationis et mutuae independentiae inter duo fora; quemadmodum fatentur et ipsi adversarii (2).

b/ Est *libertatis destructiva,* quatenus facile continget quod urgeatur matrimonium coràm Deo contrahendum a personis quibus hic et nunc impossibile est praemittere matrimonium civile: sive ob existentiam impedimenti in foro civili indispensabilis, sive ob temporis angustias quae non sinunt praeviè recurri ad forum civile (3). Quae libertatis violatio a pluribus fuit agnita in ipso Congressu 1830-1831 (4).

c/ Quod autem spectat *rationes opportunitatis* practicae, quae fuerunt olim invocatae, jam non est, in praesenti rerum statu, illis locus. Abunde satis nempe norunt homines etiam gregarii beneficia legis civilis, nec leviter illis renuntiabunt negligendo formalitates civiles (5); neque amplius timenda est illa confusio quam timebant redactores Codicis civilis, ex eo quod usque ad illa tempora parochus, matrimoniis benedicens, simul munere functus fuerat officialis civilis, nomine Principis (6).

---

(1) Lege eloquentes litteras Leonis XIII ad Episcopos provinciae Venetianae, contra similem legem condendam (8 febr. 1893), apud *Acta S. Sedis,* XXV, p. 469 ss. Cf. etiam LEMAIRE, o. c., p. 147 s.; DELASSUS, o. c., p. 3 et 4, ubi citantur verba Pii IX, in allocutione ad Belgas, 3 Oct. 1875, et in Brevi 15 jan. 1876.

(2) « De deux choses l'une, jam exclamabat *Batbie,* anno 1867: ou le mariage religieux n'est rien aux yeux du législateur, et alors pourquoi les articles 199 et 200 du Code pénal, qui érigent en délit un acte de religion? ou le mariage religieux est un fait important, et alors pourquoi le Code civil n'en tient-il aucun compte? Il faudrait choisir entre les deux partis. Que le mariage religieux soit non existant pour la loi civile, et existant pour la loi, c'est une contradiction manifeste ». LEMAIRE, o. c., p. 122; cf. *ibidem,* p. 124, verba *Laurent.* Cf. etiam notanda verba D. Van Kaay, relata a SCHAEPMAN, o. c., p. 21 s.

In eumdem sensum loquuntur *La Chronique,* 7 Mars 1908 et *Le Peuple,* 20 Mars 1908, quorum testimonium retulimus apud *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 519.

(3) Ne putes hanc hypothesim rarius obtinere; contrà frequentes sunt hujusmodi casus, sepositis matrimoniis in extremis, uti luculenter constat ex relationibus factis a Societate S. Francisci Regis. Exinde autem plerumque contingunt quod negetur consensus parentum, vel quod non praesto sint acta authentica quibus constet de actu reverentiali, de obitu prioris conjugis, vel quia tempestive adimpleri nequeunt formalitates quae exiguntur a sponsis exterae regionis: juxta dispositiones nempe congressus Hagae Comitum (La Haye), leges patriae sunt observandae quoad jus et habilitatem nubendi. Cf. *Collat. Brug.,* t. XV, p. 105, ubi plura de hoc habentur.

(4) Cf. *Exposé des motifs* D. Woeste, ad vindicandam propositionem legis de qua suprà.

(5) « En wie er in den aanvang ook al onnoozel genoeg wezen mocht, om de burgerlijke huwelijksvoltrekking te verzuimen, de allertreurigste gevolgen van zijn verzuim zouden hem alras tot die burgerlijke huwelijksvoltrekking nopen, en de andere zouden zich uit louter eigenbelang wel wachten zijn verkeerd voorbeeld te volgen ». SCHAEPMAN, o. c., p. 13 s.

(6) Olim, praecise ob illam recentem rerum mutationem, non sine specie veritatis poterat ad illam possibilem confusionem provocari, cum Portalis: « Les ministres qui procèdent aux cérémonies religieuses d'un mariage, sans qu'il leur ait été justifié de l'acte de mariage reçu par les officiers de l'état civil, compromettent évidemment l'état civil des gens simples, d'autant plus disposés à confondre la bénédiction nuptiale avec l'acte constitutif du mariage, que le droit d'imprimer au mariage le sceau de la loi était naguère dans les mains de ces ministres ».

Nunc autem, uti arguit *La Chronique,* l. c., « le temps a passé, on sait que le prêtre ne peut conférer le caractère légal à l'union de l'homme avec la femme »; « chacun sait pertinemment, ait *Le Peuple,* l. c., à quoi s'en tenir sur la valeur respective des diverses formes du mariage ».

B. **Remedia.**

459. Quomodo medendum infaustis sequelis,

1° Radicale remedium esset in moderanda civili legislatione matrimoniali conformiter cum principiis catholicis suprà expositis, adeo ut Princeps regat matrimonium civile pro subditis suis infidelibus, pro fidelibus vero Ecclesiae relinquat exclusivum regimen matrimoniale: exigere posset utique lex civilis quod de eorum matrimonio, juxta leges Ecclesiae celebrato, in foro civili ritè constet, ad hoc ut hujusmodi conjuges qua tales valeat recognoscere eorumque unioni effectus civiles adscribere; exigere proinde posset ut matrimonii canonicè celebrati notitia transmittatur ad officialem status civilis, vel ut dictus officialis matrimonii celebrationi assistat.

Ita, *in Hispania,* matrimonium catholicorum, in suis impedimentis et forma celebrandi, regitur ab Ecclesia, ac celebratur, ita disponente lege civili, in forma canonica (1); ad hoc autem ut de illo constet in foro civili, providetur, sub art. 359: « à l'acte de la célébration du mariage canonique doit assister le juge municipal ou un autre fonctionnaire de l'Etat, afin d'en assurer l'inscription immédiate sur le régistre civil »; item, pro judiciis in re matrimoniali ferendis a judice ecclesiastico: « le jugement est inscrit sur le régistre civil et présenté au tribunal ordinaire aux fins d'en obtenir l'exécution quant aux effets civils » (2). Ex alia parte determinantur formalitates civiles observandae ab illis qui praeviè declarant sese non profiteri religionem catholicam. De quibus cf. LEMAIRE, o. c., p. 188-220; LEHR, o. c., p. 160 ss.; SCHERER, apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, t. LX, p. 98 ss.; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 274.

Imo tolerari posset ab Ecclesia, rationem habente adjunctorum, quemadmodum id toleratur in Hispania, ut forma civilis a lege praescripta etiam applicetur illis fidelibus catholicis qui nolunt sese conformare legislationi matrimoniali Ecclesiae: ne scilicet horum matrimonia informia existant et arbitrio individuorum relinquantur (3).

Etiam favendum esset introductioni regiminis matrimonii facultativi, quale existit in Anglia et Statibus Foederatis. Non est quidem regimen conforme principiis, cum Status civilis sibi reservet moderamen matrimonii christiani; sed ipso facto evanescit in illo regimine infaustus dualismus, de quo suprà, adeoque uti minus malum est habendum.

460. in specie quod spectat anterioritatem.

2° Quodsi hoc, attenta animorum dispositione, sperari non licet, saltem medendum esset infaustis sequelis quae consequuntur *obligatoriam anterioritatem matrimonii civilis.* Et quidem

---

Caeterum, si valeret haec ratio quod nempe plures sponsi viverent extra matrimonium civile, deberet legislator civilis, vi ejusdem motivi, quoscumque concubinarios a concubinatu cohibere, quemadmodum scitè advertit *De Gerlache,* coram Congressu Nationali (HUYTTENS o, c., p. 590). Tandem abusus, si essent timendi, possent opportuna Episcoporum interventione praecaveri.

(1) « Les conditions, forme et solemnités pour la célébration du mariage canonique sont régies par les dispositions du Concile de Trente, admises comme lois du royaume... La connaissance des instances en nullité ou en séparation de mariages canoniques appartient aux tribunaux ecclésiastiques ». Art. 358 et 362, in 1ª parte. Ita etiam officialiter tanquam lex regni promulgatum est a Gubernio decretum *Ne temere,* cujus promulgationis tenorem exhibet DOMAICA, o. c., p. 61.

Ad hoc ut civiliter nubere possint Hispani, debent praevie declarare se non profiteri religionem catholicam. Circa cujus declarationis necessitatem recenter ortae sunt difficultates et conatus adhibiti ut abrogaretur. Cf. *Etudes,* t. CXI, p. 46 s.

(2) Art. 362, in 2ª parte.

(3) Circa tolerantiam hujusmodi *Nothcivilehe,* cf. HOLLWECK, o. c., p. 39-42; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 589, p. 687.

a/ Logica solutio esset in *totali abrogatione* art. 16 Constitutionis Belgicae, vel saltem sanctionis poenalis, quam abrogationem reclamant vel ipsi Ecclesiae osores (1).

b/ Si ad hanc abrogationem pertingi non possit, conandum est ut lex *eludatur*. Quod varia ratione fieri posset:

Vel reducatur jurisprudentia ad germanam legis interpretationem, quatenus prohibitio et sanctio poenalis non afficiant nisi benedictionem nuptialem seu caeremonias religiosas (2): satis esset tunc sacerdoti, ad evitandas poenalitates, ut assistat tanquam testis auctorizabilis, secluso omni ritu sacro, solo requisito et excepto censensu.

Vel in praxim deducatur, salvo, extra urgentem casum, recursu ad S. Sedem, sententia juxta quam matrimonium possit validè et licitè iniri coram duobus dumtaxat testibus, in casu quo parochus, propter legem anterioritatis, assistere nequeat absque poenae comminatione (suprà, n. 137). Lex namque anterioritatis ejusque sanctio poenalis solum attingit *ministrum sacrum*, non testes neque nupturientes; admittit quidem jurisprudentia Belgica, uti notavimus sub n. 456, cooperationem in delicto (et ex hoc capite possent forsitan testes sanctioni poenali obnoxii reputari tanquam coauctores cum sacerdote nuptiis assistente), sed cooperatio supponit delictum, quod nullum adest ubi sacerdotis interventio prorsus deest. Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 106, cum nota.

c/ Manet etiam remedium minus radicale, hucusque successivè adhibitum, in hoc scilicet consistens quod ex una parte mitigetur ipsa lex anterioritatem urgens (3), et quod ex alia parte moderentur variae formalitates ad matrimonium civile severius requisitae et quae frequentius conflictum provocant inter utrumque forum (4).

---

(1) Ita *Le Peuple*, l. c.; *La Chronique*, l. c., ubi concludit: « Nous serions d'avis d'aller plus loin (que Mr Woeste) et de supprimer tout simplement l'art. 267 du Code pénal. Sous sommes ainsi conséquents avec nous-mêmes: nous avons toujours dit que ce qui se passe à l'église ne nous regarde pas ».

Ex alia parte, mirum videbitur quomodo BOUDINHON, apud *Can. Contemp.*, 1906, p. 641 ss., impugnet abrogationem clausulae in Gallia, utpote quam in praxi nocivam habet; consentire videtur *Rev. prat. d'apolog.*, l. c. Cf. *N. R. th.*, 1913, p. 7, in nota 2.

(2) Id suadet ipse textus legis, caeteroquin stricte interpretandus; suadet etiam finis legis primitus conditae, uti ostendit SCHAEPMAN, *Ned. Kath. Stemmen*, 1905, p. 368 s. et 1916, p. 70, necnon in opusculo (*Het burgerlijk huw.*) citato p. 23. Favet etiam interpretatio data a Curia suprema Hollandiae, die 22 Julii 1850, teste periodico *Ned. Kath. Stemmen*, p. 366. Cf. etiam BALOG, o. c., p. 38 s.; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., 248; VLAMING, o. c., n. 256, coll. in alium sensum WOUTERS, *De forma...*, p. 43-46.

(3) Huc spectat lex Belgica 3 Aug. 1909, statuens matrimonia *in extremis* legi anterioritatis subtrahi. Cf. suprà, n. 456. Haec eadem *exceptio*, quam caeteroquin suggerit ipse tenor art. 16 Constitutionis Belgicae, jam viget in Germania (*Rev. eccl. de Metz*, 1900, p. 338), et fuit, anno 1900, proposita in Hollandia, addita etiam alia dispositione derogatoria, sese extendenda ad casum quo sponsi, extra mortis periculum, formaliter declaraverint sese in concubinatu vivere. Cf. SCHAEPMAN, o.c., p. 34 s., coll. *De Tijd*, 1900, 9, 10, 11 Oct., coll. *Le Bien Public*, 13 Oct. 1900. Existit dicta exceptio in Hungaria, juxta tenorem relatum apud BALOG, o. c. Cf. etiam moderationem propositam a VERMEERSCH, *Manuel social*, Louvain, I, p. 270 s.

(4) Huc spectant leges in Belgio introductae: 26 Dec. 1891, circa publicationes antenuptiales (suprà, n. 72); 16 aug. 1887 et 30 aprilis 1896, circa consensum parentum (*Collat. Brug.*, t. VI, p. 188 ss.); 7 Januarii 1908, circa quasdam formalitates celebrationis (*Collat. Brug.*, t. XIII, p. 386 ss.); necnon aliae leges minoris momenti, quae omnes et singulae referuntur et exponuntur in appendice ad *Compterendu* de la société de S. François Régis, 1883-1892 et 1893-1900, necnon apud VERMEERSCH, *Manuel social*, I, p. 263 ss.

461.

V. CONCLUSIO PRACTICA.

Conclusiones practicae :

Quousque manet oeconomia matrimonii civilis, quousque etiam manet infausta anterioritatis obligatio, en normam in hoc negotio sequendam, attentis dictis suprà, n. 158[bis]:

in specie quoad dijudicandum matrimonium civile ;

1° Matrimonium civile *inter duos infideles* initum est habendum uti validum, salvo jure naturali et divino.

2°. Matrimonium civile, *inter baptizatos* vel inter fidelem et infidelem civiliter celebratum, *qua tale et in se spectatum* (1), est habendum pro pseudo-matrimonio, ac imo pro mera formalitate, absque ullo valore in se.

Etenim matrimonium inter personas, quarum alterutra saltem pars est baptizata, penitus subducitur regimini Principis civilis, ac solius Ecclesiae regimini existit obnoxium (n. 438); adeoque matrimonium civile, qua tale, non habet, pro dictis personis, rationem veri matrimonii, sed meram constituit formalitatem civilem, ad solos effectus civiles ordinatam (2), praesupponentem vinculum canonicè validum (3).

Dicitur: matrimonium civile *qua tale* et *in se spectatum*. Potest namque, *in intentione contrahentium,* iniri matrimonium civile, non tanquam caeremonia ad meros effectus civiles ordinata, qualis est in rerum objectivitate, sed tanquam verum matrimonium. Tunc autem, si contrahentes exempti sunt a lege clandestinitatis, *validè* contrahunt, seposito quovis impedimento canonico dirimente: non quia servantur formalitates legis civilis, sed quia sponsi, dum illas formalitates observant, consensum emittunt verè matrimonialem, naturaliter validum (4). Quodsi contrahentes sunt legi obnoxii, *invalidè* ineunt matrimonium, ob vitium clandestinitatis, sed potest hujusmodi matrimonium, supposita intentione verum consensum conjugalem emittendi (5), in radice sanari (infrà, n. 733 et 736), licet, juxta dicta sub n. 158, ipsi non agnoscatur species

(1) Hunc respectum intendunt RR. Pont. et documenta Romana, quando matrimonium civile dicunt nullius valoris et concubinatum, uti ostendit HEINER, *Gültigkeit oder Ungultigkeit der Civilehen,* p. 475 s., coll. p. 477-481.

(2) Omnibus exploratum esse debet, sic monet Leo XIII, *Arcanum,* conjunctionem « viri et mulieris, inter christifideles, citra sacramentum..., quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen valoris pluris esse non posse quam ritum aut morem jure civili introductum ».

(3) Dr HEINER, *Gültigkeit...,* l. c., p. 475 et 477, illam veri matrimonii indolem matrimonio civili abjudicat, ex eo quod dissolubile sit, adeoque careat proprietate essentiali; sed altius quaerenda est illa ratio, in ipsa scil. natura matrimonii civilis inter christianos, ita ut ratio attingat matrimonium civile, etiam in locis ubi non admittitur divortium civile, quemadmodum in Italia. Cf. etiam *Folium* in Causa *Argentinen.,* 23 Febr. 1912, apud A. A. S., IV, p. 380 ss., in qua causa Dr HEINER fuit Ponens.

(4) Ille consensus matrimonialis inter sponsos, lege clandestinitatis non ligatos et religiosum matrimonium negligentes, generatim praesumi potest, adeo ut praesumptio stet pro matrimonii valore; quae praesumptio in favorem emissi veri consensus in specie admittetur pro casu quo duo acatholici, signanter protestantes, civiliter contrahunt, cum passim habeant matrimonium civile pro vero matrimonio. Attamen non est nisi praesumptio, et ideo in singulis casibus perscrutanda est intentio contrahentium. Cf. HEINER, l. c., p. 483-491 (coll. *A. A. S.,* IV, p. 388); BÖCKENHOFF, *Strassb. Diozesanblatt,* 1911, p. 18 ss.; ARENDT, apud *Pastor Bonus,* t. XXVI, p. 282 s.; BECKER, apud *Th. Pr. Quartalschr.,* 1913, p. 517 ss., coll. causa *Argentinensi,* 22 Julii 1912, apud *A. A. S.,* V, p. 164 ss., et causa *Coloniensi,* 27 Aug. 1910, apud *A. A. S.,* II, p. 917 ss., speciatim p. 922 et 928; necnon, pro secunda instantia, t. IV, p. 632 s.; item cf. causam *Argentinen.,* 18 Nov. 1918, *A. A. S.,* XI, p. 358 ss. Cf. etiam *Instr. pastor. Eystetten.,* n. 489, sub III; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 590, nota 30.

(5) Haec intentio, attento quod ab Ecclesia reprobatur (cf. sub 4°), non praesumitur apud hujusmodi contrahentes, sed debet probari.

matrimonii (1); venit etiam sub nomine *matrimonii contracti*, cujus mentio est facienda in supplica pro dispensatione (infrà, n. 848); potest etiam haberi uti *matrimonium attentatum*, et sic, ubi conjungitur cum adulterio, inducere impedimentum criminis (infrà, n. 660); non vero habendum esse videtur, ob denegatam speciem matrimonii, uti matrimonium invalidum, ex quo oriatur publica honestas (n. 626), sed haec induci potest a matrimonio civili, in quantum importat notorium concubinatum (n. 628 s.).

3° Catholici qui, neglecto matrimonio canonico (pro ipsis unicè valido) ac solis adimpletis formalitatibus civilibus, maritaliter vivunt, tractandi sunt tanquam publici concubinarii (2), ac infames infamia facti (can. 2293, § 3) et, qua tales, excludendi sunt ab actibus legitimis ecclesiasticis (can. 2294, § 2, coll. can. 2357, § 2); sunt etiam irregulares ex delicto (can. 985, n. 3); item sunt privandi sepultura ecclesiastica (can. 1240, § 1, n. 6), « nisi saltem moribundi, coram testibus omni fide dignis, se praebuerint vere poenitentes atque paratos, sine mora, pro posse peragere quae sunt necessaria ad matrimonii revalidationem » (3).

462. et circa varias tolerantias Ecclesiae.

4° Tolerat Ecclesia ut formalitates illae civiles, licet a foro civili ipsis agnoscatur ratio veri matrimonii, equidem adimpleantur a fidelibus, clandestinitatis legi obnoxiis, etiam, ad id urgente legis dispositione, ante matrimonium canonicum; imo, ne effectibus civilibus destituantur nuptiae, neve conflictus provocentur, ad legis observationem regulariter adducendi sunt sponsi (4); quinimo, in locis in quibus viget lex anteritatis obligatoriae, parochi *regulariter* ad nuptiarum celebrationem non possunt admittere sponsos, ad civile matrimonium aptos (5), nisi prius formalitates civiles adimpleverint (6). Ex alia autem parte vult Ecclesia

(1) Vidimus, sub n. 158, matrimonium civile, inter personas legi clandestinitatis non subjectas, de quibus sub priori hypothesi, generatim haberi posse uti speciem referens matrimonii.

(2) TRIEBS, o. c., I, p. 83 ss., hujusmodi matrimonium civile, si consensus fuerit emissus naturaliter sufficiens, immeritò negat haberi posse uti concubinatum, et impugnat Auctores qui utrumque conceptum miscent. — Equidem non est negauda distinctio inter utrumque conceptum, cum ad concubinatum sufficiat condictum quoddam inter virum et mulierem maritaliter ad invicem convivendi (infrà, n. 628), nec ullatenus requiritur matrimonialis consensus invalidus, ac imo sponte intelligitur concubinatus institui extra omnem matrimonialem consensum, et sic institutus venit strictissimo nomine concubinatus; atvero id nullatenus impedit quominus matrimonium invalidum, non qualecumque, sed *cui deest species matrimonii*, quale vidimus esse matrimonium civile inter personas formae canonicae obnoxias, aequiparetur concubinatui, quodque tali vinculo conjuncti, licet emiserint consensum matrimonialem naturaliter validum, tractentur tanquam concubinarii. Caeterum TRIEBS, p. 84, ipse fatetur a Pio IX et Leone XIII, dictum matrimonium civile nuncupatum fuisse concubinatum; cf. etiam Conc. Mechlin. quartum, decr. 80.

(3) Cf. Conc. Mechlin. quartum, decr. 80. Item *Instr. past. Eystetten.*, n. 490, sub VI, ubi additur: « mulierem in ejusmodi conjugio permanentem nunquam posse suscipere benedictionem puerperarum; ... liberos ex civili matrimonio procreatos, tum quoad Baptismum, tum sub omni alio respectu, ut illegitimos fore tractandos in foro Ecclesiae ».

(4) Sponsorum animis notata esse debent, « ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere, ipsa non abnuente Ecclesia, quae *vult atque optat* ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ». Encycl. *Arcanum*. Etiam in *Catéchisme de la doctrine chrétienne* (publié par ordre de Pie X), Paris, 1913, p. 100, ad quaestionem: « Les époux doivent-ils accomplir aussi l'acte civil? », respondetur: « Les époux doivent accomplir aussi l'acte civil, bien qu'il ne soit pas un sacrement, afin de s'assurer à eux-mêmes et à leurs enfants, les effets de la société conjugale; c'est pourquoi l'Eglise ne permet pas d'ordinaire le mariage religieux, si on n'accomplit pas aussi les actes prescrits par l'Etat ».

(5) *Instructio* S. Poenitentiariae 15 Jan. 1866, n. 6, apud *Collectanea*, n. 1406.

(6) Cf. Conc. Mechlin. quartum, decr. 80, coll. decr. 214. — Ita etiam, initio

ut fidelibus inculcetur tunc contrahi matrimonium, quando consensus emittitur coram Ecclesia, non vero quando adimplentur caeremoniae civiles, quas habeant oportet pro mera formalitate (1); monet etiam ut, quando praemittendum fuit matrimonium civile, matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur (2).

5° Tolerat Ecclesia ut magistratus civilis assistat civili matrimonio a fidelibus celebrando, modò illud habeat uti meram caeremoniam et formalitatem, non vero uti ipsum matrimonium. Imo tolerat, variis in locis, ipsos *clericos* et sacerdotes officio fungi magistratus civilis, et coram ipsis celebrari matrimonia civilia.

Illa tolerantia, quod spectat magistratus *laicos*, videtur illimitata et extendenda etiam ad matrimonia acatholicorum, ac imo, uti vidimus suprà, n. 406, ad matrimonia illorum qui, ob impedimentum dirimens indispensabile, signanter ob impedimentum ligaminis, inhabiles existunt matrimonium canonice validum contrahendi. Quod vero spectat magistratus *clericos* aut sacerdotes, limitatur tolerantia ad assistentiam matrimoniis catholicorum, ea saltem lege ut non universim liceat ipsis assistere matrimonio civili acatholicorum (3); certò non possent assistentiam suam praebere matrimoniis illorum qui inhabiles sunt ad matrimonium canonicè validum. Cf. hic WERNZ-VIDAL, o. c., n. 591.

6° Possunt dari et dantur casus in quibus ex una parte necessitas urget matrimonium coram Ecclesia celebrandi, ut conscientiae consulatur aut prolium legitimationi, et ex alia parte non potest ad matrimonium civile procedi, vel deficit temporis copia ad praemittendas formalitas civiles: quo casu applicanda curetur, praevie instituto recursu Romano, norma sub n. 134 ss. proposita, curando ut matrimonium, positis ponendis,ineatur coram duobus testibus, sine praesentia sacerdotis; vel celebretur matrimonium in modum matrimonii conscientiae, nec vereatur zelosus parochus officio suo fungi non obstante poenalitatum

---

anni 1911, ab Ordinario Brugensi receptum est rescriptum dispensationis super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis, cum hac clausula ut dispensatio non fulminaretur, antequam fuerit impetrata dispensatio regia super impedimento civili, in ordine ad celebrationem matrimonii civilis. Cf. etiam solutionem dubii datam a S. C. de Sacr., 2 Julii 1917, apud *N. R. th.*, XLVII, p. 622.

(1) « Non ideo, quemadmodum notat ROSSET, o. c., n. 2317 (post Secretarium S. C. C., in Causae discussione anni 1879), internum veri matrimonii consensum praestant, neque mendacium proferunt contrahentes civiliter, etsi coram magistratu civili eadem verba aut signa adhibeant ac in matrimonio canonico. Nam verba et signa quae sic coacti compelluntur adhibere, directa sunt ad significandum obsequium erga legem civilem, et ad satisfaciendum ejus praecepto, ut verum matrimonium jam contractum, vel deinde contrahendum, non debitis privetur civilibus effectibus. Talis significatio verborum ac signorum determinatur sive ex sensu Ecclesiae, juxta cujus leges intendunt contrahere, sive ex communi fidelium usu et opinione, sive ex natura actus prout licitè fieri potest. Quapropter non sunt idonea ad naturaliter significandum consensum internum contrahendi de praesenti, quia, urgente necessitate, ad alium finem tendunt, ac recte in eo consistunt, quoad eos etiam sane plurimos, qui nullum tunc matrimonium peragere volunt ».

(2) Cf. *Instr. S. Poenitentariae*, n. 7. Quod monitum inculcat *Liber Manualis* Brugensis, p. 190, volens a parochis invigilari ad hoc ut ipso die matrimonium celebretur quo formalitates civiles implentur.

(3) Cf. decreta C. S. O., 20 Dec. 1837, 11 Dec. 1850, 12 Jan. 1881 (*Collectan.*, n. 1523, 1525 et 1533) ac 26 Jan. 1895 (*Canon. Contemp.*, 1895, p. 501); quorum decretorum tenor, in aliis benignior, in aliis rigidior est circa assistentiam *a sacerdote* praestandam nuptiis *acatholicorum:* quibus attentis responsis, non posset assistentia sacerdotis ad huiusmodi matrimonia haberi qua *universim* tolerata.

comminatione, prudentur utique et cautè adhibitis cautelis ut quo meliori potest modo conflictum vitet ac poenalem sanctionem (1).

Nota. In difficultatibus enodandis in ordine ad matrimonium civile, in procurandis authenticis actis quae lege civili requiruntur, ac facultatibus opportunis consequendis, maximo adjutorio esse potest non satis laudanda Societas S. Francisci Regis, cujus zelosa industria toties et tantopere profuit indigentibus praesertim ac extraneis.

(1) Dicta sub 6° supponunt legem anterioritatis *obligatoriae,* uti in Belgio. Quodsi hypothesis, de qua hîc (quatenus scil. non possunt impleri formalitates civiles), obtinet in aliis locis ubi non viget illa anterioritas obligatoria, quemadmodum in Italia: vult S. Sedes ut sponsi in scripto assumant, coram Ordinarii delegato, obligationem civiles formalitates adimplendi, quamprimum poterint, in seque sumant responsabilitatem omnium incommodorum suae conditioni inhaerentium; debetque Ordinarius habere certitudinem moralem quod a matrimonio religioso non recedent. Si non possunt civiliter jungi, quia anteriori jam civili vinculo ligantur, nec ab hoc obtinere possunt (quod semper tentandum) legalem separationem, ulterius constare debet Ordinario, quod ille conjux, cum quo prius fuit civiliter copulatus, non exigit nec exiget legaliter cohabitationem. Ita S. C. de Sacr., 16 Nov. 1909, apud BUCCERONI, *Suppl. alterum,* n. 973, p. 94 ss. Cf. etiam suprà, n. 138.

PARS SECUNDA

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

Sectio Prima

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII IN GENERE

463. Praenotandum.

Monitum. Sub hac parte secunda, sicut et in parte tertia sequente, ex professo agimus de *solis* impedimentis *canonicis,* ab Ecclesia scil. ex jure naturali aut divino acceptis et sancitis vel ab ea de novo conditis, quibus obnoxia vidimus matrimonia inter baptizatos vel inter baptizatum et non baptizatum; nonnisi obiter et incidenter verbulum miscebitur de impedimentis *civilibus,* quibus (simul ac impedimentis canonicis ex jure naturali aut divino oriundis) obnoxia existunt matrimonia inter infideles. Cf. n. 464, sub 2°.

§ 1. Notio et species impedimenti.

I. Notio.

Impedimenti notio,

Impedimentum matrimonii est circumstantia quae *vi legis* (universalis vel particularis) reddit *contractum* matrimonialem *invalidum* vel *illicitum.* Can. 1036. Qua in notione attende circumstantiam intelligi quae directe afficiat matrimonium *qua contractus est;* unde illae quae directe spectant sacramentum, ejusque susceptionem invalidam reddunt aut infructuosam aut illicitam, cujusmodi est defectus intentionis suscipiendi sacramentum, aut status peccati, aut quaevis indignitas (1), non sunt impedimenta matrimonii. Additur in notione: *vi legis,* et sic non est impedimentum, nisi lato sensu, interdictum seu vetitum Ecclesiae, utpote non lege inductum, sed praecepto, in casu particulari et transeunter. Cf. infrà, n. 476, coll. n. 486, ac suprà, n. 429, in nota (2).

(1) Cf. suprà, n. 194 ss.

(2) Ibi observatur interdictum illud ab Episcopo non posse ferri nisi unice ob rationes in jure communi fundatas, ita ut non inducatur statutum novi juris, sed mere applicetur jus vigens.

Inter impedimenta contractum matrimonialem prohibentia vel irritantia solebant distingui: impedimenta quae directe afficiunt vel consensum, uti error, vel formam consensus, uti clandestinitas aut omissio bannorum, vel directe afficiunt personas, uti aetas, impotentia (1). Jamvero *Codex,* in catalogo impedimentorum, sive impedientium sive dirimentium, quae respective enumerantur sub cap. III et cap. IV Tituli VII, non recenset nisi impedimenta quae directe afficiunt personas (2).

Haec igitur et haec sola habebimus uti impedimenta *propriè dicta;* reliqua vero non habebuntur nisi pro impedimentis improprio sensu sumptis, nec venient sub nomine impedimenti matrimonialis simpliciter dicti (3).

Attamen, uti jam notavimus suprà, n. 102^{b1a}, ne nimium disturbetur ordo in praecedentibus editionibus adoptatus, tractabimus, sub hac parte secunda (de impedimentis inscripta), etiam de impedimentis improprie dictis, signanter de defectibus consensus, potius quam in proprio loco, a Codice assignato, in parte scil. prima, sectione I, cap. I, disput. 2^{a}, ubi de consensu matrimoniali. De impedimento improprie dicto clandestinitatis, formam contractus afficiente, actum est suprà, n. 103 ss., sub titulo: De formalitatibus consensus.

II. **Variae species.**

464. species;

1° Distinguuntur impedimenta *dirimentia* et *impedientia.* « Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur ». « Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus validè contrahatur » (4). Ita can. 1036, § 1 et § 2, ubi, sub § 3, additur

(1) De impedimentis stricte dictis, personam inhabilitantibus, tractat Codex, a can. 1035 ad can. 1080; de illis quae afficiunt consensum, a can. 1080 ad can. 1093, et a can. 1094 ad can. 1103, de impedimentis afficientibus formam consensus.

(2) Hanc notionis impedimenti restrictionem ad impedimenta afficientia personas, jam proponebat CARD. GASPARRI, o. c., I, n. 248. Cf. etiam, circa notionem impedimenti Codici conformem, *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 18 ss. — Distinctionem inter triplicem illam speciem impedimentorum (stricte dictorum et late dictorum) nitidè fieri apparet in can. 1965.

(3) Suprà, sub n. 106, notavimus clandestinitatem equidem impedimentis adnumerari in Indice alphabetico, ad Codicem adnexo.

(4) Irritatur matrimonium ita ut ipso facto sit nullum et incapax ullum effectum inducendi, quin opus sit ut a judice annulletur. Requiritur tamen ad libertatis recuperationem, post matrimonium contractum, ut intervenerit sententia judicis declaratoria, uti dicetur ad n. 702, collato n. 564; non potest etiam matrimonium, quod contractum reperitur cum impedimento dirimente, a qualicumque persona judicialiter impugnari. Cf. n. 703, coll. n. 478, quo altero loco notio exponitur et natura impedimenti dirimentis coram foro civili. Vocantur flandrice *verhinderende* seu *tenietdoende* beletsels ac respective *verbiedende* beletsels.

Matrimonium cum impedimento dirimente celebratum, indifferenter dicitur invalidum, nullum, irritum, et jam non attenditur in Codice (cf. can. 1133, § 1 et 1136, § 1) ad distinctionem olim nonnunquam usurpatam, quatenus *nullum* nuncupatur, si est invalidum ob omissam formam substantialem, *irritum,* si invalidatur aliunde.

quod « quanquam impedimentum ex una tantùm parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum »; matrimonium scil. non claudicat (1).

2° Sunt, attento fonte a quo derivant, impedimenta *juris divini,* sive *naturalis* sive *positivi* (a. v. juris naturalis aut juris divini), vel impedimenta *juris humani,* sive *ecclesiastici* sive *civilis.*

Quocirca notetur impedimenta juris naturalis aut divini non esse impedimenta *canonica,* nisi in quantum tanquam impedimentum assumuntur et agnoscuntur in foro Ecclesiae (n. 463); et sic vidimus suprà, n. 25, sponsalia constituere impedimentum juris naturalis, non vero impedimentum canonicum, adeo ut obligent quidem in conscientia, non vero in foro externo Ecclesiae. Cf. etiam infrà, n. 476.

3° Sunt vel *absoluta,* quae nempe irritant aut prohibent matrimonium cum quacumque persona; vel *relativa,* quae nuptias dirimunt aut impediunt cum determinatis dumtaxat personis. Prioris speciei sunt votum, ordo, aetas; alterius speciei sunt consanguinitas, affinitas, crimen; impotentia potest constituere impedimentum absolutum ac etiam relativum (2).

4° Sunt vel *perpetua,* quae scil. de se perseverant, licet dispensatione tolli queant; vel *temporanea:* quae decursu temporis sponte recedunt, uti obtinet cum impedimento aetatis.

5° Impedimenta alia sunt *gradus minoris,* alia *majoris.* Dicuntur etiam impedimenta *minora* vel *majora* (can. 1054). Priora sunt consanguinitas in 3$^{i°}$ gradu lineae collateralis, aequali vel inaequali, saltem si primus gradus non tangatur (3); affinitas in 2° gradu lineae collateralis, rursus saltem si non tangatur primus gradus (4); publica honestas in 2° gradu; cognatio spiritualis et

---

(1) Gulielmus Altissiodorensis impedimenta dirimentia vocat *substantialia,* impedientia vero nuncupat *accidentalia.* Cf. STRAKE, *Die Sakramentenlehre des Wilhelm von Auxerre,* Paderborn, 1917, p. 210.

(2) Impedimentum interdum alio sensu dicitur *absolutum,* in oppositione scil. ad impedimentum conditionatum, si nempe existit independenter a facto hominis, uti est v. gr. impedimentum consanguinitatis, secus ac est v. gr. impedimentum voti, quod dependet a libero facto hominis, et dicitur conditionatum. Cf. infrà, n. 746.

(3) In Indulto S. C. de Sacr., de quo infrà, sub n. 770, inter impedimenta *majoris gradus* recensetur: « consanguinitas in (secundo aut in) tertio *cum primo mixtis* ». Hoc non obstante, censet VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 755, servandam esse distinctionem, can. 1042 statutam, quatenus universim ad gradum minorem pertineat consanguinitas in 3^{io} gradu, quod primus tangatur vel non. In nostrum sensum cf. Instr. Episcopi Trevirensis 15 Sept. 1922, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1922, p. 105; cf. etiam notam 1^{m} pag. seq.

(4) Ibidem inter impedimenta majora recensetur: « affinitas in primo lineae collateralis gradu (aequali vel) mixto cum secundo ».

crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii (1). Reliqua sunt gradus majoris. Can. 1042 (2).

465. inter quas peculiariter attendenda divisio in impedimentum publicum et occultum;

6° Alia impedimenta sunt *occulta;* alia sunt *publica.* Quae ultima divisio sedulò notanda est (signanter in ordine ad dispensationem) et breviter evolvenda:

Impedimentum *publicum* censetur « *quod probari in foro externo potest* »; *occultum* vero impedimentum est quod nequit probari in foro externo. Can. 1037.

Porro probationi in foro externo obnoxia esse possunt impedimenta sive ratione eorum naturae, sive ratione notitiae in quam de facto devenerunt; priora dici possunt *natura publica* (3), alia *publica facto,* quae nempe natura sua sunt occulta, sed ratione notitiae obnoxia probationi. Quibus attentis, ceu *publica* habentur impedimenta quae sive natura sive facto sunt publica; reliqua vero censentur *occulta,* quaecumque scil. impedimenta quae neque natura neque facto sunt publica, seu natura simul et facto sunt occulta. Jamvero

a/ Impedimenta *natura publica* sunt illa quae obnoxia sunt probationi in foro externo, quia vel resultant ex facto quod petit contingere coram foro Ecclesiae aut in coetu fidelium, qualia sunt impedimenta ligaminis, orientis ex matrimonio in facie Ecclesiae celebrato, impedimenta ordinis et voti sollemnis, necnon voti simplicis in congregatione emissi; vel resultant ex facto quod petit consignari in registris publicis: et talia sunt impedimenta aetatis, consanguinitatis legitimae, affinitatis, publicae honestatis (affinitatem et publicam honestatem attendendo respectu consanguinei

---

(1) Juxta *Normas peculiares* Curiae reformatae, cap. VII, art. 3, n. 19 et n. 20, impedimenta gradus minoris erant consanguinitas et affinitas licita in 3° et 4° gradu, aequali vel inaequali, affinitas illicita in 1° et 2° gradu, cognatio spiritualis et publica honestas. Impedimenta vero majoris gradus erant consanguinitas 2^1 gradus, et 2^1 vel 3^{11} gradus primum attingentis; affinitas licita in 1° et 2° gradu aequali ac in 2° vel tertio primum attingente; crimen ex adulterio cum promissione futuri matrimonii.

(2) Dubitari posset utrum distinctio inter impedimenta gradus majoris et impedimenta gradus minoris afficiat sola impedimenta *dirimentia.* Si afficiat distinctio impedimenta etiam prohibentia, omnia haec impedientia impedimenta sunt dicenda gradus majoris; enumerantur enim impedimenta minoris gradus et reliqua dicuntur gradus majoris; et huic sententiae favet tenor can. 1042, § 3; can. 1061, § 1, n. 1, coll. can. 1054, necnon tenor indulti S. C. de Sacr. pro Ordinariis Europae (n. 770), ubi dispensandi facultas extenditur, praeter impedimenta minoris gradus, ad vota, de quibus in can. 1058. Sententiae autem, juxta quam distinctio sola afficit impedimenta dirimentia, favet distinctio facta apud *Normas pecul.,* necnon tenor decr. S. C. Consist., 25 Apr. 1918, sub 4/, ad b, ubi dispensandi facultas extenditur, praeter impedimenta majora, ad mixtam religionem. Alteri sententiae favet SCHAEPMAN, *Codex,* p. 19; item RÖSCH, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1921, p. 170; WERNZ-VIDAL, o. c., p. 168; priori opinioni adhaeremus, eique patrocinantur TRIEBS, o. c., p. 148 s.; VLAMING, o. c., n. 393^{b18}; SCHÄFER, o. c., p. 69; HARING, o. c., p. 10; LEITNER, o. c., p. 298.

(3) Alluditur ad impedimenta *natura* publica, in can. 1971, § 1, n. 2.

legitimi prioris compartis) (1), cognationis spiritualis et legalis, disparitatis cultus ac etiam mixtae religionis (2).

Natura occulta sunt crimen, impotentia, votum privatum, consanguinitas illegitima (3), necnon affinitas et publica honestas respectu consanguinei illegitimi prioris compartis.

b/ Impedimentum censetur *facto publicum,* ita ut in foro externo probari possit:

α/ vel quatenus est notorium, sive notorietate juris, sive notorietate facti (4); vel

β/ quatenus, quin sit notorium, divulgatum est sive in actu secundo, sive saltem in actu primo, quatenus « talibus contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri » (can. 2197, n. 1); vel

γ/ quatenus determinatis quidem et restrictis personis notum est, sed talibus quarum testimonium probationem in foro externo inducere possit, ad tramites can. 1791, juxta quem: plenam fidem facit unius testis depositio, si sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis; item sufficiens probatio habetur ex depositione sub fide juramenti facta a duobus vel tribus personis omni exceptione majoribus, sibi firmiter cohaerentibus de aliqua re vel facto in judicio testificantibus de scientia propria (5).

Reliqua impedimenta censentur *facto occulta.*

Nota 1. *Ut facto publicum* habeatur impedimentum, sufficit quod *materialiter* sit publicum, licet *formaliter* occultum; quod obtinet quotiescumque « patratum crimen publice quidem innotescit, criminis tamen conscii prorsus ignorant an impedimentum dirimens

(1) Publica honestas intenditur contracta ex matrimonio invalido publice celebrato; spectari etiam posset publica honestas ex publico concubinatu; attentis modò notandis sub 1, sufficit quod impedimentum sit materialiter publicum.

(2) Etiam hoc titulo publicum est impedimentum ligaminis, licet matrimonium, ex quo oritur, fuit celebratum absque praesentia ministri Ecclesiae, coram duobus tantum testibus.

(3) Sic in elencho facultatum quae missionariis Vicariatus Nankinensis communicari solebant, occurrebat, sub art. 4°, facultas dispensandi *in foro conscientiae* super impedimento consanguinitatis in secundo gradu collaterali, ex copula illicita et occulta provenientis. Item, inter facultates jubilaei extensionis anni 1926, occurrit facultas, pro confessario, dispensandi in foro conscientiae sacramentali, « ab impedimento prorsus occulto consanguinitatis (in 3 et 2 gradu)... quod ex generatione illicita proveniat ». Cf. *Monita,* n. 198; cf. etiam *Das Dispensenwesen,* apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1912, p. 491, collato tamen *ibidem,* 1913, p. 680.

(4) Juxta can. 2197, n. 2 et 3, notorium est factum *notorietate juris,* « post sententiam judicis competentis quae in rem judicatam transierit aut post confessionem delinquentis in judicio factam »; notorium vero *notorietate facti,* « si publice notum sit et in talibus adjunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit ». Facta notoria ita publica censentur ut nulla probatione indigeant. Can. 1747, n. 1.

(5) Excipitur casus quo « in aliqua causa judex, ob maximam negotii gravitatem, vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem ».

Observa etiam esse facta quorum jam non admittitur probatio (can. 1972).

cum eodem crimine conjungatur » (1); supponitur autem *delictum*, in quo nititur impedimentum, publicum tum materialiter tum formaliter, ita ut nec delictum lateat nec imputabilitas (2).

2. Jam non videtur esse locus distinctioni, ante Codicem passim in usu, inter impedimenta *simpliciter* occulta et impedimenta *omninò* occulta, saltem ad modum quo hucusque usurpari solebat dicta distinctio (3): omnino occultum censebatur quod nemini, praeter partes et confessarium, erat notum, dum uti simpliciter occultum habebatur impedimentum a paucis cognitum, puta a quinque vel sex personis in oppido et a septem vel octo in civitate.

3. Impedimenta *natura publica* id habent sibi particulare quod, ad normam can. 1971, § 1, habilis ad accusandum in illis est, praeter conjuges, etiam promotor justitiae; unde nonnunquam vocantur impedimenta *juris publici*, dum alia, in quibus ad accusandum habiles sunt soli conjuges, dicuntur *juris privati*. — Quam divisionem rejiciunt TRIEBS, o. c., I, p. 151 s. et, post illum, HILLING, apud *Arch. f. k. K.*, 1925, p. 295, eam autem servandam urget SCHÖNEGGER, apud *Zeitschr. f. k. Theol.*, 1926, p. 427.

466. necnon divisio in impedimentum fori interni et fori externi.

7° Connexa est cum praecedenti divisione distinctio inter impedimenta *fori externi* et impedimenta *fori interni*.

Nimirum impedimenta *fori externi* sunt impedimenta per se et regulariter in foro externo dispensanda; impedimenta autem *fori interni* sunt impedimenta in foro interno dispensanda. Jamvero impedimenta publica per se et regulariter dispensanda sunt in foro externo, concessa dispensatione fori externi; impedimenta verò occulta regulariter dispensanda sunt in foro interno, concessa dispensatione fori interni. Cf. infrà, n. 737 s., ubi exponetur quid sit dispensatio fori externi et fori interni, et n. 830 et 833, ubi accuratius determinabitur cujusnam fori impetranda et concedenda sit dispensatio.

Scholia.

467. Notanda.

1ᵐ. Non rarò proponitur divisio inter impedimenta matrimonium *praecedentia* et impedimenta matrimonio validè contracto *supervenientia*, qualia olim interdum constituebant affinitas illicita aut cognatio spiritualis,

(1) Cf. resp. S. Poenitentiariae anni 1875, relatum apud A. S. S., XIV, p. 157, ubi declaratur, in facultate Episcopis concessa super impedimentis *occultis* dispensandi, *non comprehendi* impedimenta *materialiter publica* sed *formaliter occulta*. Cf. etiam BENED. XIV, *Instit*, 87ª, n. 41. — Sententia illa, quae hucusque passim habebatur uti probabilior, confirmatur ex notione can. 1037: impedimentum namque materialiter tantum publicum probari potest in foro externo.

(2) Ita non esset habendum uti publicum impedimentum criminis, quando notum quidem est conjugicidium, sed reputatur fortuitò patratum aut in casu legitimae defensionis. Cf. can. 2197, n. 4.

(3) In elencho facultatum pro confessariis jubilaei extensionis anni 1926, occurrit tamen distinctio inter impedimentum occultum et impedimentum *prorsus* occultum.

post initum matrimonium contractae (1). Ast immerito inter impedimenta proprii nominis adhuc recensentur impedimenta supervenientia, cum, ad normam can. 1036, impedimenta proprie dicta afficiant matrimonium *contrahendum,* non vero contractum. Caeterum sic dicta impedimenta supervenientia non attingunt ipsum vinculum matrimoniale, sed solum usum matrimonii, si casum excipias *voti sollemnis,* matrimonio non consummato supervenientis: quod votum hujusmodi matrimonii vinculum dissolvit, et sic dissolutionis causam constituit, non vero impedimentum, seu circumstantiam inhabilitantem.

2m. Impedimenta sunt *stricte interpretanda.* Lex namque statuens impedimentum est lex restrictiva juris, cuicumque agniti, in can. 1035, ad matrimonium ineundum, adeoque dictae legi applicanda est dispositio can. 19.

3m. Impedimenta exstiterunt in jure ecclesiastico inde a prioribus saeculis, uti constat ex canonibus Conciliorum 4i et 5i saeculi; atvero diu mansit inaccurata distinctio inter impedimenta dirimentia et merè prohibitiva (2), et eadem impedimenta, variis temporibus et variis in locis, erant impedientia aut irritantia (3). Diu etiam fluctuans fuit numerus impedimentorum nec usque ad haec ultima tempora plena vigebat concordantia in catalogo Auctorum.

Circa notionem impedimenti ejusque historicam evolutionem cf. ESMEIN, o. c., I, p. 205 ss.; WERNZ, o. c., IV, n. 217; SCHERER, o. c., par. 114; VILLIEN, apud *Canon. contemp.,* 1903, p. 420-433, et 543-547.

§ 2. De potestate statuendi impedimenta.

468. Recoluntur principia circa potestatem statuendi impedimenta.

Suprà, n. 411 ss., Ecclesiae vindicavimus potestatem, eamque exclusivam, statuendi impedimenta pro matrimoniis inter baptizatos aut inter baptizatum et non baptizatum, relicta Principi civili potestate condendi impedimenta pro matrimoniis inter infideles. Ibidem (n. 429) determinavimus subjectum *activum* dictae potestatis, quam potestatem vidimus exclusivè residere in S. Sede, cui privativè competit impedimenta *condere* pro baptizatis, tam impedientia quam dirimentia; cui S. Sedi pariter exclusive competit *interpretari* jus naturale et divinum, etiam respectu matrimonii infidelium (n. 426 et 430), atque impedimenta existentia etiam mere impedientia *abrogare* aut illis derogare, reprobata omni consuetudine, etiam immemoriali, novum impedimentum inducente aut im-

(1) Sub nova oeconomia, jam non est locus affinitati supervenienti, et vix adhuc locus esse potest cognationi spirituali supervenienti, uti innotescit ex dictis suprà, n. 233 et 234; facilius matrimonio supervenire posset publica honestas ex publico concubinatu.

(2) Terminus impedimenti et divisio in impedimenta dirimentia et prohibentia usurpari coepit sub fine saeculi XII, signanter in *Summula de matrimonio* Bernardi Papiensis (1171). Impedimentum dirimens designabatur uti impedimentum impediens matrimonium contrahendum et dirimens post contractum.

(3) Ecclesia, in prioribus saeculis, quando nondum erat penes ipsam regimen matrimonii, plerumque non irritabat matrimonium ab ipsa reprobatum, sed illud sub sanctione poenae canonicae prohibebat.

pedimentis existentibus contraria (1). Determinavimus quoque (n. 430 s. et 438[bis]) subjectum *passivum* dictae potestatis; unde habemus omnes quidem sponsos obnoxios esse impedimentis juris naturae et juris divini, solos autem baptizatos directe adstringi impedimentis juris ecclesiastici, eosque omnes, non exceptis haereticis, nisi in quantum peculiari dispositione ab eis fuerint exempti.

§ 3. Scholia canonica et moralia.

469. Ab impedimento dirimente non excusat ignorantia, nec impossibilitas particularis, nisi forsan in casu urgentissimae necessitatis.

I. Circa ignorantiam impedimenti dirimentis, ac impossibilitatem illud vitandi.

Impedimenta *dirimentia* (2) afficiunt etiam **ignorantes** eorumdem existentiam. Canone namque 16, § 1, universim enuntiatur principium: « nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur » (3). Attenta autem generalitate principii positi, non est cur excipiatur impedimentum criminis, uti olim nonnulli Auctores illud excipiendum tenebant (4); nec refert quod ignorantia communis sit ac prorsus invincibilis.

Utrum autem et quousque **impossibilitas** legem irritantem observandi eam cessare faciat, disputari potest. Passim docetur legem irritantem juris ecclesiastici qua talem cessare *ex epikeia,* ob impossibilitatem *communem* (5); quod autem spectat casum necessitatis *particularis*, plures Auctores absolute negant unquam invocari

(1) Suprà, n. 429, sub fine.

(2) Restringitur quaestio ad sola impedimenta dirimentia. Quod autem spectat impedimenta merè impedientia, patet ab illorum prohibitione excusare ignorantiam, seu ignorantes licitè contrahere matrimonium, non obstante impedimento impediente.

(3) Hanc doctrinam jam antea proponebat S. Sedes. Nimirum in Instructione C. S. O., 9 Dec. 1874, memoratur responsum anni 1854 sequentis tenoris: « Animadvertendum est, etiam quoad impedimenta dirimentia, ignorantiam invincibilem aut bonam fidem non sufficere ut validè contrahatur matrimonium. Et si quandoque... illa ignorantia et bona fides excusare valeat a peccato, tamen nunquam efficere potest matrimonium validum quod obice dirimente fuerit irritum ». *Collectanea,* n. 1301, p. 451.

(4) Caeterum impedimentum criminis, esto inductum sit etiam in poenam delicti, *principaliter* tamen institutum est, uti infrà, n. 657 et 668, ostendetur, *ob rationem boni publici,* ob indecentiam scil. publicam hujusmodi matrimonii inter complices ineundi, necnon ob securitatem conjugum. Imo, etiamsi impedimentum inductum fuerit principaliter tanquam poena vindicativa, equidem tunc afficeret, in praesenti disciplina, ignorantes, siquidem, ad normam can. 2229, § 3, n. 1, « ignorantia... poenae... excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis ».

(5) Exemplum classicum erat pro impedimento *clandestinitatis,* quatenus, in locis ubi non datur possibilitas adeundi parochum ejusve delegatum, sufficeret, ad valorem matrimonii, nubere coram duobus testibus. Nunc autem huic casui est provisum per canonem 1098 (suprà, n. 129 ss.). Posset tamen adhuc poni quaestio pro casu quo impossibile sit matrimonium inire coram testibus, de quo casu cf. Schaepman, *Codex,* p. 67 s. Casus etiam esse posset pro impedimento *disparitatis cultus,* puta in locis missionum, quando christiani recesserint in regiones valdè dissitas ubi nullus datur christianus, adeoque nubere non valent nisi cum infidelibus, ac, prae nimia distantia, dispensationem impetrare nequeunt. Cf. De Becker, *De Matr.*, p. 230 s., in notis. Cf. Collet, o. c., III, p. 58 ss.; Vlaming[2], o. c., n. 198; Cappello, o. c., n. 199; Wernz-Vidal, o. c., n. 273, in nota 41.

posse epikeiam ut cesset lex in quantum est irritans, dum alii epikeiam admittunt in urgentissima necessitate, et haec sententia admitti posse videtur, saltem quod spectat impedimenta in quibus Ecclesia dispensare solet (1).

II. **Circa valorem matrimonii contracti a reputante subesse impedimentum dirimens.**

470. Non obstat valori matrimonii dubium de existentia impedimenti dirimentis,

1° Si nupturiens *dubitat* dumtaxat obesse impedimentum dirimens, nihil impedit quominus *validè* contrahat, modò reipsà non adsit impedimentum, cum hujusmodi dubium non excludat voluntatem hypotheticam veri matrimonii: si forté impedimentum non existat. Quodsi impedimentum reipsa adsit, matrimonium utique est invalidum, sed nihil impedit quominus praestetur consensus naturaliter validus, adeoque sanabilis, juxta dicenda sub 2°.

nec etiam, positis ponendis, certa scientia.

2° Si *uti certam habet* existentiam impedimenti irritantis, manet adhuc possibile quod valide praestetur consensus, — in supposito impedimenti reapse non existentis (2) — vel quod saltem praestetur consensus naturaliter validus ac sanabilis — in supposito scil. subsistentis impedimenti: ad hoc sufficit quod nupturiens non plenè perspiciat efficaciam impedimenti absolutè irritandi matrimonium, vel ad eam actu non advertat, vel quod, dictae efficaciae probé conscius, seriò tamen consentiat quasi hypotheticè, pro casu quo forsitan vim suam non exerat impedimentum.

Hoc nititur in principio in canone 1085 enuntiato: « scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit », seu potius non necessario excludit. Statuitur nimirum possibilitas consensus naturaliter validi etiam in casu *scientiae* circa impedimentum reipsa existens (3): matrimonium quidem invalidum est, sed datur consensus naturaliter validus ac matrimonium non est invalidum ex defectu consensus, adeoque sanari posset in radice.

Quod principium minorem difficultatem facit quando agitur de impedimento juris ecclesiastici; sed et extendendum illud censemus ad casum quo impedimentum obstat juris divini, sive natura-

---

(1) Cf. suprà, n. 238 et infrà, n. 837 ss. — Cf. in varium sensum VAN DEN BERGHE, o. c., n. 125; *Collat. Brug.*, t. VII, p. 366, ac t. XII, p. 548 s., et ll. cc.; *Prakt. theol. Quartalschr.* (Lintz), 1899, p. 870; CAPPELLO, l. c.; HILLING, *Die algemeinen Normen des C. J. C.*, Freiburg, 1926, p. 87 s.

(2) Sic si super impedimento fuerit dispensatum, insciis partibus.

(3) Si consensus naturaliter validus non excluditur et possibilis manet, non tamen dicendus est semper praestari, uti videtur affirmare FERRUGIA, o. c., n. 28, sub *quaer. 3°*.

lis sive positivi (1): huic namque etiam casui applicantur rationes inductae, nec restrictio ulla affertur in tenore canonis 1085 (2).

III. Utrum et quousque liceat matrimonium inire cum dubio circa impedimenti existentiam.

Supponimus dubium *probabile,* post examen serium *permanens.*

471. *An liceat matrimonium inire cum dubio circa existentiam impedimenti:*

A. Si agitur de impedimento **impediente:** potest, favore dubii, ad matrimonii celebrationem procedi, neglecto impedimento, idque sive agatur de dubio juris sive de dubio facti; nihil enim impedit, cum res sit de sola liceitate, quominus transeatur a probabilitate speculativa ad practicam.

a/ impedientis;

Et haec solutio valet pro quocumque impedimento impediente, quod sit juris naturalis, vel positivi divini aut ecclesiastici.

B. Si agitur de impedimento **dirimente:**

472. *b/ dirimentis.*

1° Si dubium afficit impedimentum juris *naturalis* vel juris *positivi divini,* non licet ad matrimonium procedere, sive sit dubium juris sive dubium facti (3), siquidem transitui a probabilitate speculativa ad practicam hic obstat altius principium; excipitur autem casus quo agitur de impedimento quod *omne* matrimonium absolute excludit: tunc nempe praevalet nativum jus quod habet unusquisque ad nubendum, salvo jure tertii (4); et sic non est impediendum matrimonium personae dubie impotentis impotentia absoluta, sive dubium sit juris sive dubium facti (5).

2° Si dubium afficit impedimentum juris *ecclesiastici:*

a/ in *dubio juris,* potest ad matrimonii celebrationem procedi, vi principii enuntiati in canone 15: « leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio juris non urgent »(6). Exempla praesto erunt infrà (7).

---

(1) Ita validum consensum praestare potuit, positis ponendis, mulier illa de qua narratur eam, sub bello, novum iniisse matrimonium, non obstante erronea opinione in qua versabatur de viro, militiae adscripto, adhuc superstite. Cf. VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 774.

(2) Ratio forte dubitandi esset in can. 1139, § 2, ubi asseritur ab Ecclesia non sanari in radice « matrimonium contractum cum impedimento juris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit »: unde posset quis concludere in casu non posse emitti consensum naturaliter validum. Atvero non declaratur in tenore dictum matrimonium *non posse* sanari, sed *non sanari.* Cf. infrà, ubi de sanatione in radice; cf. etiam *Irish eccl. Record,* Avril 1919, p. 295 ss.

(3) Inde est quod, juxta canonem 1076, § 3, « nunquam matrimonium permittatur (nequidem infidelibus), si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis ». Cf. infrà, n. 607 et n. 608, coll. *Th. Pr. Quartalschr.,* 1923, p. 683 s. Cf. etiam can. 1069, § 2.

(4) Dicitur: *salvo jure tertii;* et ideo exceptio non esset applicanda impedimento ligaminis, nec adeo possent dubitanti de morte conjugis novae nuptiae permitti, quia salvandum est jus probabile tertii, i. e. compartis.

(5) Cf. can. 1068, § 2, coll. infrà, n. 558. Principium videtur applicandum soli impotentiae absolutae et non censetur extendendum ad impotentiam relativam: pro hac enim non valet principii ratio.

(6) Ante novam disciplinam Codicis, pariter matrimonium permittebant Auctores in casu, recurrendo non ad cessationem legis, sed ad suppletionem Ecclesiae. Jam nunc radicalis est solutio; et, cum lex in dubio juris simpliciter cesset, jam non est anxiandum de valore matrimonii in tali dubio contracti, si postea innotescat adfuisse reipsa impedimentum.

(7) Ita videbimus infrà, n. 496 s., quomodo, ante declarationem Concilii Mechlinien-

b/ in *dubio facti*, non licet procedere; sed, juxta citatum canonem 15, Ordinarius dispensare potest super impedimentis super quibus R. Pontifex dispensare solet.

Nota 1. In casu dubii impedimenti impedientis, necnon in casu dubii, dubio juris, circa impedimentum dirimens juris ecclesiastici, ad matrimonii celebrationem non procedatur, inconsulto Ordinario. Can. 1031, § 1, n. 3. Cf. suprà, n. 60bis.

2. Post factum autem, celebrato scil. matrimonio cum dubio probabili circa existentiam impedimenti dirimentis: si impedimentum reperitur a parte rei defuisse, momento contracti matrimonii (1), vel si, impedimento reipsa existente, contractum est matrimonium cum dubio probabili juris ecclesiastici, matrimonium erit certò validum; erit autem invalidum, si impedimentum dirimens reipsa adfuit, et dubium erat dubium facti aut juris divini, sive naturalis sive positivi; quodsi praesentia impedimenti manet dubia, nec fuit matrimonium contractum cum dubio juris ecclesiastici, matrimonium censetur dubiè validum, ac applicandum est principium de quo statim.

IV. **Quomodo dijudicandum matrimonium quod reperitur dubiè validum?**

472bis. Quomodo dijudicandum matrimonium quod reperitur dubie validum.

Si, omnibus attentis, matrimonium contractum apparet dubii valoris, quod dubium afficiat vitium in consensu vel formam contractus vel praesentiam impedimenti dirimentis, *de norma* applicandum est principium canonis 1014: « *standum est pro valore matrimonii,* donec contrarium probetur », adeoque matrimonium praesumitur validum, praesumptione juris (2).

Nimirum matrimonium *gaudet favore* juris: qui favor nititur in hoc quod matrimonium sit institutum quod interest boni publici, intuitu scil. prolium et morum puritatis, quodque, juxta c. 47, X, II, 20, «tolerabilius sit aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare ».

Ad hoc autem ut favor juris applicetur matrimonio, sufficit quod figuram habeat seu speciem matrimonii (suprà, n. 158); nec a dicto favore excipiuntur matrimonia infidelium, et principium valet tam

---

sis, dubium fuerit, dubio juris, utrum, in Belgio, impedimentum cognationis legalis irritans esset an prohibitivum tantùm. Cf. etiam dubium circa affinitatis impedimentum, de quo infrà, n. 613, coll. suprà, n. 438bis, in nota.

(1) Supponitur emissum fuisse verum consensum matrimonialem, ad normam dictorum sub n. 470, ad 2^{m}.

(2) Applicationem principii exhibent can. 1070, § 2 (de quo infrà, n. 587), can. 1092, num. 1 (de quo suprà, n. 153, b), et can. 1972 (de quo infrà, n. 703). Cf. etiam suprà, n. 156.

in foro interno quam in foro externo. Dictum est: *de norma* applicandum esse enuntiatum principium, quia *exceptio* datur, in ipso tenore can. 1014 memorata et formiter statuta in can. 1127: « in re dubia *privilegium fidei* gaudet favore juris », i. e., occurrente dubio circa applicationem casus apostoli, judicandum est in favorem libertatis partis fidelis, potius quam in favorem vinculi (1). Cf. suprà, n. 355 (2).

Circa *usum* matrimonii dubie contracti, cf. suprà, n. 237 s.

V. **Circa specialem malitiam fornicationis admissae inter personas impedimento obnoxias.**

A. *Utrum specialis detur malitia?*

Respondetur distinguendo:

473. Utrum in fornicatione inter personas, impedimento dirimenti obnoxias, adsit specialis malitia;

1° Quando impedimentum inductum est propter inordinationem specialem (oppositam scil. speciali virtuti vel alicui virtuti speciali modo), afficientem *ipsam copulam,* tunc censetur contrahi in fornicatione specialis malitia, a specie luxuriae distincta.

Hujusmodi sunt impedimenta consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, publicae honestatis (3), voti, ordinis, ligaminis (4).

2° Si impedimentum statutum est ex alio motivo, nempe in poenam criminis, vel propter inordinationem afficientem non tam ipsam copulam quam potius *cohabitationem et vitae societatem,* non inducitur specialis malitia.

---

(1) Juvat hic notare, cum WERNZ-VIDAL, o. c., n. 44, quod « juridica explicatio (hujus exceptionis) nequaquam eadem est ac explicatio principii cujus constituit exceptionem; nam sententia judicis decernentis non constare de nullitate matrimonii ad normam principii generalis..., nullam mutat objectivam veritatem propter dubium subjectivum exortum; at, si in casu dubii ob favorem fidei per sententiam judicialem declaratoriam pronuntiaretur pro nullitate matrimonii, sententiae humani judicis tribueretur vis immutandi objectivam rei veritatem pro casu quo dubium subjectivum de valore matrimonii conjugeretur cum objectivo ipsius valore. Ergo ad exceptionem explicandam necesse est interveniat, quatenus opus sit, pontificia dispensatio seu matrimonii dubii dissolutio ». Cf. suprà, n. 354 s., coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 631, nota 61.

(2) Hoc etiam advertendum quod, ubi dubium circa valorem matrimonii contracti oritur ex dubia impotentia, et signanter ex dubia impotentiae perpetuitate aut antecedentia, potest, si adjuncta id suadeant, obtineri ut a S. Sede juridicus processus instituatur circa matrimonii non consummationem, et, si de ea constiterit, dispensatio concedatur super matrimonio non consummato.

(3) A quibusdam Auctoribus, inter quos NOLDIN, *De Sexto praecepto decalogi,* n. 21; GÉNICOT-SALSMANS, o. c., I, n. 392; CAPPELLO, o. c., n. 210, non admittitur specialem malitiam contrahi (nisi forsan dubiam, adeoque practice nullam) per copulam inter personas *publica honestate* conjunctas. Contra est quod olim id fuerit absque haesitatione admissum, puta a LUGO, *De Sacrament. Poenitentiae,* disp. XVI, n. 331; SANCHEZ, *De Matr.,* l. VII, disp. 5, n. 11; RONCAGLIA, *Universa theol. mor.,* I, tr. XII, cap. V, c. 3. Caeterum reverentia conjunctis debita, quae est una ex rationibus cur matrimonium interdicatur inter consanguineos et affines, quia laederetur per copulam, cum proportione existit hic et suas partes habet in interdictione matrimonii ex capite publicae honestatis.

(4) Specialis illa malitia quae contrahitur non est ejusdem speciei, sed induit, pro varia natura impedimenti, speciem incestus, sacrilegii vel injustitiae.

Hujusmodi sunt impedimenta criminis, raptus et etiam disparitatis cultus ac mixtae religionis (1).

B. *Utrum specialis illa malitia maneat fornicationi adnexa, post dispensationem?*

474. utrum maneat post dispensationem.

Regulariter dispensatio concessa super impedimento non aufert malitiam illam specialem a copula extra matrimonium peracta. Ratio est quia *regulariter* inordinatio, specialem malitiam copulae adnectens, existit antecedenter ad impedimentum et independenter ab illo, nec proinde directe et absolutè removeri censetur a copula per dispensationem impedimentum removentem. Dispensatio legitimat futuram copulam *matrimonialem,* non autem copulam *fornicariam.*

Attamen *probabiliter* sustinetur, pro impedimentis *consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis* et *legalis* necnon *publicae honestatis,* specialem malitiam removeri dispensatione.

Ratio est quia hîc inordinatio specialis, quae inhaeret copulae peractae inter personas hisce impedimentis obnoxias, aliquatenus pendet ab existentia impedimenti: practicè nempe censetur illa inordinatio limitari ad limites existentis impedimenti (2), adeoque ablata censetur, impedimento per dispensationem remoto.

Practicè igitur, attento probabili dubio, non sunt habendi tanquam incestus reatui obnoxii sponsi consanguinei, affines etc., qui fornicantur ante initum matrimonium, sed post dispensationem concessam et fulminatam (3).

475. De dispositionibus novi Codicis earumque vi retroactiva.

VI. **Circa dispositiones novi Codicis quoad impedimenta matrimonii, earumque vim retroactivam.**

Dispositiones Codicis circa impedimenta matrimonii vim legis habent, uti in limine tractatus praenotavimus, *inde a die Pentecostes,* i. e. *a 19 Maii, anni 1918. Non* habent autem *vim retroactivam* (4).

Inde sequitur:

---

(1) Abstinemus a controversia inter Auctores vigente, utrum et qua ratione specie differant incestus admissus per copulam cum variis consanguineis, in variis lineis et gradibus, institutam; aut utrum specie differat incestus cum consanguineo ab incesto cum affine vel spiritualiter (vel legaliter) cognato: de quibus controversiis cf. CAPPELLO, o. c., n. 211-213, et Auctores morales passim.

(2) Ita postquam ab Ecclesia reductum est impedimentum consanguinitatis ad tertium gradum, eo ipso evanuit specialis malitia incestus, quae antea incurrebatur ratione copulae habitae inter consanguineos in 4° gradu.

(3) Hujusmodi fornicantes etiam non incurrebant reservationem olim adnexam, in dioecesi Brugensi, incestui. Id explicitè monebat ipse *Libellus* reservationis, pro dioecesi Brugensi, p. 49. Casus erat practicus pro sponsis ad invicem affinibus in 1° gradu.

(4) Pont. Commissio, in solutione 2-3 Junii 1918, apud A. A. S., X, p. 346.

1° Matrimonia *inde ab illa data contracta aut contrahenda* dijudicanda sunt juxta novam legislationem matrimonialem, adeoque invalida sunt habenda aut valida prouti ipsis obstiterit seu obstet vel non impedimentum dirimens in Codice admissum, nulla ratione habita impedimentorum antea vigentium et in Codice abrogatorum.

Ita matrimonium exinceps contractum inter consanguineos in 4° gradu valet; item matrimonium inter patrinum et matrem prolis susceptae: videbimus enim abrogatum esse impedimentum consanguinitatis in 4° gradu, necnon impedimentum compaternitatis. Contrà matrimonium exinceps initum aut ineundum inter virum et filiam mulieris cum qua vir contraxit matrimonium non consummatum ex defectu consensus invalidum, irritum est ob noviter extensum impedimentum publicae honestatis, quatenus exsurgit, secus ac antea, ex matrimonio undecumque invalido (infrà, n. 627).

Nec refert quod factum, in quo nititur novum aut abrogatum impedimentum, contigerit ante inductam novam disciplinam. Et sic matrimonium, de quo suprà, invalidum est ob publicae honestatis impedimentum, licet matrimonium ex consensus defectu nullum, unde orta est publica honestas, fuerit contractum ante praefatam datam; matrimonium vero inter compatrem et commatrem est validum, quantumvis susceptio locum habuerit adeoque contracta fuerit compaternitas ante novam disciplinam (infrà, n. 647); item, uti notavimus suprà, n. 26, juvenis qui ante Pentecosten 1918 valida contraxit sponsalia, validè iniret matrimonium cum sorore sponsae, nec etiam in foro externo foret ab hoc matrimonio prohibendus, abrogato impedimento ex sponsalibus dirimente et prohibente; sola agnosceretur actio in reparationem damnorum. Cf. solutionem dubiorum, Pont. Commiss., 2-3 Junii 1918, ad 6^{m}, 7^{m} et 8^{m}.

2° Matrimonia *ante Pentecosten 1918 contracta* dijudicanda sunt juxta disciplinam Codici praeviam, adeoque censenda sunt invalida vel valida prouti obstiterit necne impedimentum dirimens tunc vigens, nulla ratione habita novae disciplinae, abrogantis aut de novo inducentis impedimenta (1).

Ita validè contracta sunt et valida manent matrimonia, ante illam datam contracta inter virum et filiam mulieris cum qua vir contraxerat matrimonium non consummatum ex defectu consensus invalidum. Contra invalidè tunc initum est matrimonium inter consanguineos in 4° gradu, aut inter patrinum et matrem prolis sus-

(1) Inde est quod in futurum, per aliquod temporis spatium, ratio adhuc erit habenda, in ordine ad dijudicandam validitatem matrimoniorum contractorum, juris matrimonialis antea in usu, et signanter impedimentorum dirimentium antea existentium.

ceptae (1); et, quod sedulò nota, matrimonia sic invalidè contracta talia manserunt et manent post inductam novam legislationem Codicis: non convalescunt nec convaluerunt per promulgationem Codicis, quippe qui vi retroactiva caret, adeoque etiam post dictam promulgationem indigent convalidatione, juxta dicenda infrà, sub n. 730 (2).

Nota 1. Uti exponetur infrà, n. 587, praesumptio, canone 1070, § 2, statuta, de favore praestando, juxta normam canonis 1014, matrimonii valori, applicanda videtur matrimoniis de quorum validitate nunc est judicandum, licet contracta sint sub disciplina Codici anteriori, sub qua disciplina vigebat praesumptio in favorem Baptismi.

2. Matrimonia sub conditione suspensiva contracta ante Codicem, quorum matrimoniorum conditio apposita verificatur post inductum Codicem, dijudicanda sunt juxta disciplinam Codici anteriorem, juxta disciplinam scil. temporis quo matrimonium est initum (3).

3. Processus nunc instaurandus super matrimonio sequitur normas in Codice statutas, quantumvis matrimonium fuerit ante Codicem celebratum.

---

(1) Item uti invalidum est habendum matrimonium ante illam datam, absque dispensatione initum inter partem non baptizatam et partem acatholicè baptizatam; etiam matrimonium tunc contractum inter sponsum et sororem sponsae.

(2) Juvat notare eamdem ac nunc actam esse quaestionem inter Auctores illius temporis, occasione restrictionis, quam, anno 1215, induxit Concilium Lateranense IV, in impedimento consanguinitatis, quatenus exinceps jam non irritaret matrimonium nisi usque ad 4^{m} lineae collateralis gradum inclusive. Cf. BRYS, o. c., p. 179 s., coll. infrà, n. 604 et 611.

(3) Cf. TRIEBS, o. c., I, p. 17.

Sectio Secunda

DE IMPEDIMENTIS IN SPECIE

Prooemium. Catalogus Impedimentorum.

I. *Quod spectat impedimenta* **canonica:**

476. *Enumerantur impedimenta*

A. Impedimenta **impedientia** strictè dicta, in Codice qua talia recensita et a nobis uti talia habita, reducuntur ad haec tria: *votum* (votum scil. castitatis, coelibatus, religionis et ordinis), *mixta religio* ac, positis ponendis, *cognatio legalis*. Verbulum autem praemittetur de vetito Ecclesiae, de quo in Codice, sub can. 1039, licet prohibitio inde exsurgens procedat, non ex lege, sed ex praecepto in casu particulari, nec adeo verum impedimentum constituat (1).

a/ *canonica: impedientia;*

Reliquae circumstantiae, matrimonii celebrationem prohibentes, puta omissio proclamationum et absentia parochi domicilii, quasi-domicilii aut mensilis commorationis, non sunt impedimenta propriè dicta, utpote quae non afficiunt personam, sed formam contractus (cf. suprà, n. 463); de hisce actum est suprà, n. 40 et seq., ubi de proclamationibus, et n. 125 seq., ubi de formalitatibus pro liceitate matrimonii servandis. Minori adhuc jure impedimentis impedientibus adnumerarentur variae circumstantiae quae vel non important strictam prohibitionem contractus, vel quae non prohibent matrimonium qua contractus est, sed qua sacramentum est, aut prohibent solas sollemnitates nuptiales. Ita dissensus parentum, coll. tenore can. 1034; indignitas ratione peccati aut censurae aut ignorantiae in rebus fidei, coll. can. 1065 et 1066, can. 1020, § 2, et decreto Commiss. Codicis, 3-4 junii 1918, ad 3^{m}; tempus feriatum (2). Quod autem attinet sponsalia, si dici potest impedimentum juris naturalis, non est impedimentum *canonicum,* uti notavimus sub n. 464, sub 2°, coll. n. 25 (3).

---

(1) Cf. suprà, n. 463 et infrà, n. 486. — Vetitum passim matrimonium mere prohibet, et ideo ad impedimenta impedientia accedit; potest tamen nuptias dirimere seu irritare, ratione clausulae irritantis a R. Pontifice adnexae. Can. 1039.

(2) De tempore feriato, cf. dicta suprà, n. 199 et n. 198.

(3) Cf. Wernz-Vidal, o. c., n. 149, in nota 22 (coll. n. 96, nota 102), ubi difficultas movetur contra suppressionem impedimenti sponsalium, in supposito quod sponsalibus validis agnoscenda sit absoluta (et non alternativa tantum) vis prohibitiva in conscientia respectu matrimonii cum tertia persona ineundi, de quo suprà, n. 24.

Olim plura adhuc alia in jure nota erant impedimenta prohibitiva. Ita impedimentum *catechismi,* quod erat species aliqua cognationis spiritualis (1); ita variae etiam nubendi prohibitiones orientes *ex crimine:* nempe ex incestu (2), raptu alienae sponsae (3), homicidio sacerdotis, uxoricidio, attentatione matrimonii cum moniali etc.; fuit quoque tempus quo publicae *poenitentiae* impositio importabat praescriptum abstinendi a nuptiis, etiam post absolutum poenitentiae spatium, licet poenitentia imposita fuerit ob delicta de se a matrimonio non excludentia (4). Porro una ex causis quae provocaverunt successivam diminutionem illius numeri impedimentorum prohibentium, fuit decretum clandestinitatis, uti notat ESMEIN, o. c., II, p. 288 s.

Antiquam disciplinam spectant noti versiculi quatuor:

Incestus, raptus sponsatae, mors muliebris,
Susceptus propriae sobolis (5), mors presbyteralis,
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem
Accipiat: prohibent haec conjugium sociandum.

477. dirimentia; B. Impedimenta **dirimentia** strictè dicta, *personas* scil. directe attingentia (n. 463), sunt: aetas, impotentia, ligamen, vōtum sollemne (vel simplex privilegiatum), ordo, disparitas cultus, consanguinitas, affinitas, publica honestas, cognatio spiritualis necnon raptus (6) et crimen. Accedit autem cognatio legalis, in locis in quibus adoptio constituit, coram jure civili, impedimentum dirimens (7).

Reliquae circumstantiae, matrimonium irritantes, non constituunt impedimenta proprie dicta (n. 463), sive afficiant formam substan-

---

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. XI, p. 33 s., et infrà, ubi de cognatione spirituali.

(2) Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 208 et 399; GEFFCKEN, o. c., p. 60 s.; JUNGMANN, o. c., III, p. 337 s.; SCHRÖRS, o. c., p. 198 s.; HÉFÉLÉ-LECLERCQ, o. c., IV, p. 238; SDRALEK, o. c., p. 133-137 et p. 154-156: ex horum doctrina et documentis citatis liquet *incestum,* tempore Hincmari Rhemensis, a quibusdam fuisse habitum uti impedimentum *dirimens,* incestuosos inhabiles reddens ad nubendum *cuicumque* personae. Inde intelligitur Hincmari solutio in celebri causa Lotharii, quatenus huic novas nuptias permiserit, repudiata Theutberga, si haec rea fuisset reperta incestus cum suo fratre patrati: eo ipso scil. invalidum fuerit matrimonium ab ea deinceps cum Lothario attentatum.

(3) Raptori alienae uxoris aut sponsae interdicebatur in poenam delicti matrimonium cum quacumque persona (c. 34, C. XXVII, 2). Cf. infrà, n. 648 et 655.

(4) Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 398 ss.

(5) Agitur de crimine conjugis, qui malitiosè suscipiebat prolem propriam, eo fine ut jam non posset debitum petere: huic etiam interdicebatur quodcumque matrimonium, soluto priore. Cf. suprà, n. 234.

(6) *Raptum,* qui in anterioribus editionibus recensebatur inter impedimenta afficientia consensum, quia principaliter statuitur in vindictam libertatis consensus, deinceps adnumeramus impedimentis afficientibus personam, cum inter illa referri videatur à Codice.

(7) Olim, quando inter impedimenta adnumerabantur etiam illa quae consensum afficiunt et formam contractus, solebat elenchus impedimentorum dirimentium hisce versiculis citari:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Amens, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Impubes, ni forte potentia suppleat annos;
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Enumerantur in hisce vulgatis versibus impedimenta numero *octodecim,* hoc attento quod sub nomine *cognationis* veniant consanguinitas, cognatio spiritualis ac cognatio legalis.

tialem consensus (clandestinitas scil., de qua suprà, n. 107 ss.), sive afficiant ipsum consensum, de quibus agetur infrà, n. 523 ss.

II. *Quod spectat impedimenta* **juris civilis Belgici** (1):

478.

En catalogum impedimentorum dirimentium respective et prohibentium, licet non nitidè appareat distinctio inter impedimenta dirimentia et merè impedientia; notandum etiam, inter impedimenta coram foro civili dirimentia, alia dari quae reddunt matrimonium inexistens, et alia quae illud reddunt nullum (2). b/ *civilia :*

A. **Impedimenta dirimentia:**

1° quae reddunt matrimonium *inexistens,* sunt, praeter identitatem sexus et absentiam consensus (a. 146) (3), omissio formalitatis praestandae ab officiali civili unionem pronuntiante (4). *dirimentia ;*

2° quae reddunt matrimonium, sensu indicato, *nullum,* sunt:

a/ defectus libertatis in consensu, a. 180, coll. a. 1112-1113;

b/ error, a. 180, coll. a. 1112-1115;

c/ defectus consensus parentum, vel avorum, juxta dicenda infrà, n. 520;

d/ defectus aetatis requisitae (18 anni pro maribus et 15 pro feminis), a. 144;

---

(1) Horum impedimentorum ratio est habenda, ad normam principiorum suprà positorum, pro dijudicandis matrimoniis infidelium; ac utiliter prae oculis habentur pro matrimoniis fidelium, ut conflictus vitentur cum foro civili.

(2) Circa *naturam actus nullius,* coram Codice nostro civili, sollemnis est controversia. Plures Auctores distinguunt actus nullos in actus *inexistentes,* quorum nullitas non est a judice pronuntianda sed mere *declaranda,* et actus *nullos* seu *annullabiles,* quorum nullitas, ut existat, indiget pronuntiari a judice, actum *cassante;* horum autem actuum alii sunt nulli nullitate *absoluta,* alii nullitate *relativa,* prouti omnibus competit actio in nullitatem, vel determinatis dumtaxat personis. Cf. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 27 ss. Quidam auctores contrà, repudiantes distinctionem inter actus inexistentes et nullos, potius dividunt actus in *nullos,* quos nullos pleno jure nuncupant, et *annullabiles;* inter priores recensendo actus nullos nullitate *absoluta,* quos docent a judice non cassari sed nullos mere declarari, inter posteriores autem recensendo actus nullos nullitate *relativa.* Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 326-349.

Porro, quidquid sit de hac controversia circa naturam actus nullius in genere, saltem pro matrimonio, admittenda videtur, in intentione legislatoris Codicis Napoleonis, distinctio inter actum inexistentem et actum nullum, ad mentem prioris sententiae. Nimirum.

a/ Matrimonium civile censetur *inexistens,* quando ipsi deest elementum ad ejus essentiam requisitum, sive ex jure naturali sive ex jure positivo.

b/ Censetur *nullum* seu *annullabile,* ita ut juridice existat donec a judice annulletur: quando, praesuppositis elementis ad ejus existentiam requisitis, conditio deficit ad valorem actus requisita, adeoque vitio laborat unde annullari queat. Matrimonium autem dicto sensu nullum, vel nullum est nullitate *absoluta* vel nullitate *relativa,* prout nullitas fundatur in motivo ordinis publici, actione in nullitatem aperta ministerio publico et omnibus personis qualecumque interesse habentibus (art. 184 et 191), vel fundatur in motivo ordinis privati, actione in nullitatem restricta ad personas omninò determinatas (art. 180 et 182, coll. PLANIOL, o. c., I, n. 1031-1044 et 1066). Circa haec vide PLANIOL, o. c., I, notatim n. 1045, 1089, et 1046 s., ubi reprehendit propositam conceptionem legislatoris nostri circa naturam matrimonii nullius. Cf. hîc HOLLWECK, o. c., p. 186 ss.; SCHAUB, o. c., p. 132 s. et ENGLMANN, o. c., p. 332-339, circa oeconomiam codicis germanici, in quo, seposita distinctione inter matrimonium inexistens et nullum, distinguitur duplex actio in nullitatem: *Nichtigkeitsklage* et *Anfechtungsklage:* haec utraque actio correspondet quasi duplici nullitatis speciei, apud nos, quatenus prior actio conceditur respectu matrimonii quod censetur nullum nullitate *absoluta,* altera vero contra matrimonium nullum nullitate *relativa.*

(3) « Il n'y a pas de mariage quand il n'y a pas de consentement »; intellige: « une absence absolue de consentement et non pas l'existence d'un consentement vicié..., ce qui rendrait le mariage simplement annullable ». PLANIOL, o. c., I, n. 1009; cf. VAN HEMEL, o. c., p. 12 s.

(4) Cf. suprà, n. 146.

e/ existentia alterius vinculi conjugalis, civiliter validi, a. 147;
f/ defectus publicitatis in ipso actu matrimonii, a. 165 et 191 (1);
g/ absentia officialis *competentis*, a. 165 et a. 191 (2);
h/ consanguinitas, in linea recta pro omni gradu, et, in linea collaterali, intrà primum gradum et primum mixtum cum 2° et 3°, juxta computum ecclesiasticum, a. 161-163, cum nota; in linea recta et in linea collaterali, intrà 1^m^ gradum, comprehenditur consanguinitas illegitima, non autem ultra.
i/ affinitas in linea recta, in omni gradu; in linea vero collaterali, in primo gradu, juxta computum ecclesiasticum, hac salva restrictione quod jam non urgeatur vis irritativa « après le décès du conjoint qui la (affinité) produisait » (3).

479. prohibentia. B. **Impedimenta prohibentia** sunt:
a/ defectus actus reverentialis, in casibus infrà descriptis, n. 521;
b/ omissio publicationum et dilationis legalis, ad normam dictorum suprà, n. 72 (4);
c/ factum oppositionis legaliter institutae; v. suprà, n. 73;
d/ prohibitio viduae facta novas nuptias ineundi ante finem 10^i^ mensis inde a morte mariti, a. 228 (4).
d/ prohibitio viduae facta novas nuptias ineundi ante finem 10^i^ mensis dum post sententiam divortii, a. 296, 297 et 298. Cf. suprà, n. 384.
f/ speciales prohibitiones pro militibus, signanter pro officialibus (6), de quibus ad calcem art. 75 Cod. civ.

---

(1) Cf. suprà, n. 146.

(2) Officialis potest esse *incompetens*, vel ex defectu qualitatis requisitae, uti contigit anno 1909, cum scabino Leodiensi, qui non erat Belga, vel ex inobservatis limitibus jurisdictionis, respectu *personae* conjungendae, quatenus scil., respectu nupturientium, non sit officialis *proprius* (suprà, n. 146); notat etiam PLANIOL, o. c., n. 1025 s., magnam latitudinem relinqui judici in nullitate pronuntianda ex hoc capite. Cf. etiam VAN HEMEL, o. c., p. 27 ss. Addi juvat, in novo Codice Germanico, admitti principium in jure canonico vigens, de quo suprà, n. 118, quatenus pro valido habeatur matrimonium celebratum coram officiali *putativo*, qui scil. officio suo fungitur publicè, et communiter habetur ut legitimus (a. 1319). Cf. CRÉTINON, l. c., p. 162 s. Sunt auctores qui idem principium applicari posse censent sub disciplina Codicis Napoleonis, licet nullus textus legis huic opinoni faveat; provocant ad jus Romanum et ad adagium: *error communis facit jus*.

(3) Lex Belgica diei 11 Febr. 1920, coll. *Collat. Brug.*, XX, p. 196 ss. Vinculum scil. affinitatis, post mortem v. gr. uxoris, manet inter viduum defunctae uxoris et hujus sororem, sed jam non constituit impedimentum matrimonii; maneret autem etiam impedimentum si intercesserit inter dictum virum ejusque uxorem divortium civile. Cf. infrà, n. 623 et n. 625.

(4) Cf. art. 192, coll. PLANIOL, o. c., n. 1020.

(5) Cf. suprà, n. 302. Haec prohibitio rationabiliter applicaretur etiam casui quo matrimonium declaratur nulliter contractum. Cf. CARTERON, o. c., p. 15 s.

Viduo non imponit civilis lex dilationem pro novo matrimonio ineundo; recenter tamen a ministro regio Van den Heuvel inducta fuerat praxis non dispensandi cum viduo, v. gr. super affinitate, nisi ea lege ut inter mortem prioris uxoris et novas nuptias spatium intercesserit 6 mensium. Caeterum ratio ob quam introductum est vetitum contra uxorem, non est unicè, licet omninò principaliter, ne misceantur proles, i. e. ad vitandam turbationem sanguinis, uti dicitur, seu confusio partus (la confusion de part), sed etiam quia non convenit ut novae nuptiae ineantur illicò; et ideo manet prohibitio etiam ubi uxor peperit ante finem 10^i^ mensis. Cf. CASTAN, o. c., p. 31 s.; *Conférences de Paris*, III, p. 92 s.; PHILIPPE, in *Canon. Cont.*, 1895, p. 413 s. Aliter in Codice Germanico, ubi, juxta a. 1313, impedimentum cessat cum parturitione.

(6) Les officiers de tout grade... ne peuvent se marier qu'avec l'autorisation royale... Les sous-officiers et soldats ne peuvent se marier qu'avec le consentement par écrit de leur chef de corps ». ROLAND ET WOUTERS, o. c., n. 590 s. — Usque ad 24 Martii 1920, licentia regia praesupponebat « qu'indépendemment de la solde des officiers jusqu'au grade de capitaine inclusivement, les époux auront un revenu de 600 florins, aujourd'hui 1600 frs ». *Ibidem*. Exinde autem per regium rescriptum statutum est qu'« il ne sera

g/ cognatio legalis, intra limites a. 348 statutos (1).

480. *Varia notanda,*

Nota. 1° Impedimenta matrimonium reddentia civiliter nullum *nullitate absoluta,* sunt illa quae recensentur sub A, ad d/ e/ f/ g/ h/ et i/, dum priora, enumerata sub litteris a/ b/ c/, reddunt matrimonium nullum nullitate *relativa:* restringitur scil. actio in nullitatem ex capite erroris vel violentiae ad solum conjugem cujus consensus vitiatur (a. 180), ex capite vero defectus consensus parentum, ad solam partem minorennem et personam cujus consensus defuit (a. 182).

2° Matrimonium, sententia judicis annulatum, omni caret effectu, idque *cum vi retroactiva,* adeo ut censeatur nunquam exstitisse (2).

Excipitur casus quo matrimonium annulatum fuerit *putativum,* contractum scil. bona fide: hujus nempe effectus manent, etiam post nullitatis sententiam, quicumque fuerint secuti usque ad momentum annullationis (a. 201), ea tamen lege ut, si *alterutra* tantum pars fuerit bonae fidei, « le mariage ne produit les effets civils qu'en faveur de cet époux et des enfants issus du mariage » (a. 202). PLANIOL, o. c., I, n. 1112 ss.

3° Effectus nullitatis matrimonii annullabilis aliquando sponte removeri potest per quamdam speciem matrimonii *convalidationis,* ita ut extinguatur omne jus matrimonium impugnandi. Ita, pro defectu *aetatis* seu pubertatis, sufficit, ad hoc ut matrimonium censeatur revalidatum, spatium sex mensium inde a pubertate adepta (art. 185); pro casu *erroris* vel *violentiae,* sufficit « cohabitation continuée pendant six mois depuis que l'époux a aquis sa pleine liberté ou que l'erreur a été par lui reconnue » (a. 181); pro defectu *consensus* ex parte ascendentium, juxta art. 183, « l'action en nullité ne peut plus être intentée ni par les époux ni par les parents dont le consentement était requis, toutes les fois que le mariage a été approuvé expressément ou tacitement par ceux dont le consentement était nécessaire, ou lorsqu'il s'est écoulé une année sans réclamation de leur part, depuis qu'ils ont connaissance du mariage; elle ne peut être intentée non plus par l'époux, lorsqu'il s'est écoulé une année sans réclamation de sa part, depuis qu'il a atteint l'âge compétent pour consentir par lui-même au mariage » (3).

---

plus exigé de dot ni de garantie dotale en ce qui concerne le mariage des officiers et assimilés ». Quod autem spectat inferiores milites: vi dispositionis inductae die 25 Junii 1924, les sous-officiers, brigadiers et gendarmes possunt nubendi permissionem obtinere post tres annos incorporationis.

(1) Controvertitur inter jurisperitos circa prohibitiones factas *legaliter cognatis ex adoptione* (a. 348) (item pro divortio ob causam adulterii separatis, juxta art. 298), utrum nempe sint prohibitiones irritativae an mere prohibitivae. Jam vero illae prohibitiones qua merè prohibitivae habentur coram jurisprudentia et a pluribus auctoribus modernis: in hoc autem praeprimis nituntur quod non recensentur dictae prohibitiones in cap. IV, Tit. V, in quo capite censentur exclusive statui omnia capita nullitatis. Non desunt tamen auctores aliter sentientes, et habentes illa impedimenta uti dirimentia; juxta illos, in citato cap. IV, tit. V, potius determinantur personae quibus competit actio in nullitatem. Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 994-997, coll. n. 1114; cf. etiam, quod spectat cognationem legalem, infrà, n. 495 s.

(2) Consequentias nullitatis in foro civili exhibet PLANIOL, o. c., I, n. 1092.

(3) Dispositio art. 196, providentis ut, « lorsqu'il y a possession d'état et que l'acte de célébration du mariage devant l'officier de l'état civil est représenté, les époux sont respectivement non recevables à demander la nullité de cet acte », dispositio, inquam, illa non exhibet modum *convalidandi* matrimonium, cum actio in nullitatem non extinguatur *absolute,* sed respectu *conjugum* dumtaxat.

Quod autem spectat alteram partem art. 185, disponentis impubertatem non amplius nocere valori matrimonii, « lorsque la femme qui n'avait pas cet âge, a conçu avant

4° *Dispensatur* a rege, per intermedium Ministrum Justitiae, super aetate (a. 145), signanter ob mulieris praegnantiam, super consanguinitate (1) in linea collaterali, ultra primum gradum (canonicum) (2); a procuratore regio, super publicationibus et dilatione; cf. n. 72.

481. in specie circa matrimonia alienigenarum :

5° Quoad matrimonia *alienigenarum,* variae conventiones inter varias nationes sunt statutae in Conferentia Hagae Comitum (La Haye), quas expositas reperies apud TRAVERS, o. c., coll. *Archiv. f. k. Kirchenrecht,* 1906, p. 465-485 (3). Haec autem sunt duo palmaria principia dicti juris internationalis: quatenus, pro Statibus Conventioni in hoc adhaerentibus (4), *primo,* de regula generali, attendenda est, quoad *jus et facultatem nubendi,* seu quoad *habilitatem* nupturientium, legislatio patria uniuscujusque contrahentis, et quatenus *secundo,* quoad *formam contractus,* locus regit actum. Nimirum

482. quod spectat habilitatem nupturientium,

Quod spectat a/ *habilitatem nupturientium,* art. 1[e] Conventionis sic habet: « Le droit de contracter mariage est reglé par la loi nationale de chacun des futurs époux »; i. e. uterque sponsus debet esse immunis ab impedimentis latis lege sua patria respectiva, idque sufficit.

Huic regulae generali adsunt *derogationes* non leves, quatenus, Status in quo matrimonia celebrantur potest quaedam matrimonia, patria lege permissa, interdicere, et quatenus potest quaedam matrimonia, patriae legi contraria, permittere. Nimirum

a/ Potest dictus Status prohibere (non annullare) matrimonia quoad personarum habilitatem legi patriae conformia, si contradicant legi locali, sive in materia consanguinitatis vel affinitatis, sive in materia impedimenti criminis (5).

Potest etiam matrimonia, legi patriae conformia, interdicere, illaque, si equidem celebrentur, habere, in suo territorio, uti invalida, si contrarientur legi locali, ratione anterioris matrimonii vel ratione impedimenti nitentis in motivo religioso (6).

β/ Potest idem Status permittere matrimonia quae sunt legi patriae

---

l'échéance de six mois »: pariter non agitur de *convalidatione,* sed potius de restrictione allata impedimento impubertatis, quatenus scil. non dirimat matrimonium, conformiter cum jure canonico, ubi malitia supplet aetatem; cujus facti indicium est praegnantia. Cf. infrà, n. 549.

(1) Usque ad legem 11 Febr. 1920, locus erat dispensationi super *affinitate,* super qua, vi legis 23 Apr. 1827 et decreti 28 Febr. 1831, dispensari poterat a rege in linea *collaterali,* modò matrimonium solutum fuerat morte naturali alterutrius conjugis. Inde ab inducta dicta lege (cf. suprà, n. 478), hujusmodi dispensationi jam non est locus, cum in solo casu in quo, ad normam legis 23 Apr. 1827 et 28 Febr. 1831, poterat concedi dispensatio, affinitas jam non constituat impedimentum: in linea scil. collaterali, post mortem conjugis affinitatem inducentis. Cf. infrà, n. 625.

(2) Vi art. 164, potest dispensari super consanguinitate inter avunculum et neptem, ac inter materteram et nepotem; item inter magnum avunculum et proneptem, ac inter magnam materteram et pronepotem. Cf. n. 478.

(3) Conventio diei 12 Junii 1902, fuit per legem Belgicam sancita, die 27 Junii 1904. — *Moniteur,* 10 Juillet 1904.

(4) Cf. suprà, n. 381.

(5) Art. 2, in priori parte. — Ita v. gr. si matrimonium in Belgio celebratur inter avunculum et neptem, et sponsi extranei pertinent ad Statum conventioni adhaerentem, in quo permittuntur hujusmodi matrimonia: potest tale matrimonium interdici in Belgio. Item in casu quo sponsi complices in adulterio pertinent ad Statum, puta ad Galliam, ubi permittitur matrimonium inter adulterum, divortio separatum, et complicem.

(6) Juxta art. 2[m], in altera parte, potest matrimonium interdici ineundem inter sponsos quorum alteruter, valido matrimonio junctus, divortium obtinuit in patria, cum facultate novi matrimonii celebrandi: si in loco celebrationis hujusmodi matrimonia non admittuntur a lege. Ita si duo Belgae vel Galli contrahant in Italia.

contraria, si inhabilitas nititur in motivo religioso; reliqui vero Status non debent agnoscere validitatem hujusmodi matrimoniorum (1).

483. et formam contractus.

Quod spectat b/ *formam contractus,* art. 5[s] Conventionis sic sonat: « Sera reconnu partout comme valable, quant à la forme, le mariage célébré suivant la loi du pays où il a eu lieu » (2).

Cui normae generali rursus non desunt *derogationes:*

α/ Matrimonia celebrata « devant un agent diplomatique ou consulaire », valide contrahuntur juxta formam patriae, « si aucune des parties contractantes n'est ressortissante de l'Etat où le mariage a été célébré et si cet Etat ne s'y oppose pas » (3).

β/ Matrimonium celebratum extra formam loci, sed juxta formam patriam utriusque sponsi, potest agnosci uti validum in patria, necnon in aliis Statibus praeter Statum in cujus territorio celebratio locum habuit (4).

γ/ Matrimonia celebrata juxta formam loci possunt non agnosci uti valida a Statu cujus legislatio matrimonialis exigit celebrationem religiosam, quae in casu non fuit servata (5). Sic art. 5[s], 2° alinea.

484. Nota.

Nota. Publicationes possunt haberi uti pertinentes ad formam contractus; ipsis tamen non applicatur principium de loco regente actum, sed potius principium circa habilitatem personarum: quatenus, ad tramites articuli 5[1], 3[1°] alin., servari debet circa illas lex patria, cum hac restrictione, quod omissio illarum proclamationum non possit inducere nullitatem matrimonii nisi respectu patriae tantùm, cujus lex violatur, non vero respectu aliorum regnorum (6). Cf. suprà, n. 146.

CAPUT I

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

485. Connexio rerum.

Attentis praenotatis sub n. 476, sola tractanda habemus impedimenta voti, cognationis legalis et mixtae religionis, praemissa brevi tractatione de interdicto seu vetito Ecclesiae. Per modum appendicis adnectetur concinna tractatio de dissensu parentum: licet ille

(1) Art. 3[s]. — Ita in Roumania existit impedimentum cognationis spiritualis, et etiam, ut videtur, voti et ordinis; si duo igitur sponsi ex Roumania, obnoxii hujusmodi impedimento in patria vigenti, velint contrahere in Belgio, potest matrimonium permitti a Statu Belgico et agnosci uti validum; validitas autem potest non admitti in aliis Statibus.

(2) Norma igitur est ut matrimonium, quod in Belgio celebratur inter duos alienigenas pertinentes ad Statum qui Conventioni adhaesit, ineatur juxta formam Codicis civilis Belgici (v. n. 144); et vicissim, ut duo Belgae, ineuntes matrimonium in alio Statu, celebrent matrimonium in forma contractus vigente in illo Statu.

(3) Art. 6[s], ubi additur: « Il (l'Etat où le mariage est célébré) ne peut pas s'y opposer quand il s'agit d'un mariage qui, à raison d'un mariage antérieur ou d'un obstacle d'ordre religieux, serait contraire à ses lois ».

(4) Art. 7[s]. Ita matrimonium inter duos Italos celebratum in Belgio, juxta formam Italiae, neglecta forma pro valore praescripta in Belgio, potest ab Italia et ab aliis Statibus, praeter Belgium, reputari et tractari tanquam validum. Item si duo catholici Sueciae inirent in Belgio matrimonium in forma religiosa in Suecia valente pro catholicis (suprà, n. 454).

(5) Ita matrimonium in Belgio celebratum, juxta formam praescriptam Belgicam, inter duos catholicos Sueciae, potest a Suecia haberi uti invalidum.

(6) In Belgio id non est practicum, siquidem publicationes non exiguntur faciendae extra Belgium, uti notatum est suprà, n. 146.

dissensus jam non constituat canonicum impedimentum, uti notavimus, non pauca utiliter advertenda veniunt circa prohibitionem juris civilis ex hoc capite.

PUNCTUM PRAEVIUM. DE INTERDICTO ECCLESIAE.

486. Interdictum est in prohibitione nubendi, in casu particulari,

Interdictum seu *Vetitum* consistit in prohibitione facta ineundi nuptias per modum praecepti, *in casu particulari,* dum impedimenta proprie dicta per modum legis sunt inducta et spectant communitatem, sive totam sive ejusdem partem (cf. suprà, n. 463 et n. 476); ideo dicitur interdictum latum *ab homine* et non a jure. Interdictum regulariter non excedit limites merae prohibitionis, potest tamen a R. Pontifice adnecti clausula irritans, ita ut constituat impedimentum dirimens.

Causae, ob quas interdictum fertur, passim sunt: suspicio de impedimenti existentia (1), oppositio parentum contra matrimonium minorennium vel timor scandali provocandi.

487. lata a R. Pontifice vel ab Episcopo.

Solus R. Póntifex habet facultatem matrimonium prohibendi cum clausula irritante (2).

Ordinarius loci potest interdictum ferre mere prohibitivum (absque clausula irritante), idque judicialiter et cum sanctione poenali, cum habeat potestatem judiciariam et coercitivam super matrimonio (3).

Juxta canonem autem 1039, § 1, vetitum ferre non potest nisi justa de causa eaque perdurante (puta ob suspicionem impedimenti aut gravis nocumenti temporanei exorituri), et nonnisi *ad tempus,* pro tempore scil. quo durat causa ob quam matrimonium interdicitur; hujusmodi autem decretum ferre potest pro « omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii ».

Parochus quoddam interdictum ferre potest mere prohibitivum, sed nonnisi provisoriè et extrajudicialiter, ac dependenter ab Ordinario; non habet enim ne judiciariam quidem nec coercitivam potestatem in re matrimoniali. Cf. suprà, n. 429, coll. n. 71.

488. Nota.

Nota. In *jure nostro civili Belgico,* verum impedimentum prohibitivum importat *oppositio legaliter facta* a persona ad hoc competente; talis nempe oppositio importat pro officiali civili verum interdictum, judicis sententia auferendum, ne celebret matrimonium. Cf. suprà, n. 73.

Non ita in jure canonico, vi cujus parochus, recipiens oppositionem a persona competente, potest ad matrimonium procedere etiam absque judicis sententia, statim ac ipsi clarè apparet oppositionem non niti in praesentia impedimenti canonici, excepto casu quo judex, ad quem causa fuerit delata, tulerit decretum inhibitorium. Disciplinam olim vigentem exhibet FREISEN, o. c., p. 651-656.

---

(1) Hoc obtinet, uti vidimus suprà, n. 331ter, in casu dissolutionis matrimonii rati non consummati; quando nempe suspicio manet de impotentia alterutrius partis, additur interdictum merè prohibitivum: « vetito transitu ad novas nuptias inconsulta S. Sede ».

(2) Can. 1039, § 2. Notat *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 376, hujusmodi clausulam irritativam esse exspectandam a S. Sede in casu quo uxor votum simplex emiserit, viro ad ordines promoto; probabiliter scil. S. Pontifex non permitteret marito ascensum ad ordines nisi addita clausula irritativa voto uxoris, respectu matrimonii ab ipsa forte contrahendi post mortem viri. Cf. infrà, n. 489 et n. 570 et ll. cc.

(3) Poenam infligere non potest Vicarius Generalis, sine mandato speciali Episcopi. Can. 2220, § 2.

ARTICULUS 1[s]. De impedimento Voti.

I. Impedimentum ex voto oriens:

489. Matrimonium prohibet :

Impedimentum prohibens matrimonii constituit votum coelibatus, votum virginitatis, votum amplectendi statum religiosum, votum ordinis sacri suscipiendi necnon votum simplex castitatis, si huic voto non fuit speciali S. Sedis statuto adnexa vis irritativa. Can. 1058.

Explicatio.

a/ votum coelibatus ;

Votum *coelibatus* complectitur votum non nubendi, adeoque directe ac absolutè excludit matrimonium; votum *virginitatis* importat servandam integritatem corporis, adeoque abstinentiam a primo opere carnali consummato, ac proinde excludit matrimonii consummationem; a fortiori votum *castitatis,* utpote quod importat abstinentiam ab omni delectatione venerea, adeoque ab omni actu externo vel interno castitati repugnante (1); votum suscipiendi *ordines* et votum amplectendi *statum religiosum* (sive in Ordine sive in Congregatione religiosa) prohibent matrimonium ineundum, quia important obligationem amplectendi statum cum vita matrimoniali incompossibilem.

b/ votum virginitatis ;

c/ votum castitatis ;

d/ votum suscipiendi ordines ;

e/ votum amplectendi statum religiosum.

Hisce attentis, liquet prohibitionem matrimonii, qualis *coram jure naturali* et *divino* exsurgit ex voto virginitatis, castitatis, ordinis, status religiosi, non esse absolutam (2); cum illis namque votis consistere posset matrimonium, si nempe intenditur excludi vitam et usum conjugalem, nec adest periculum proximum ne votum violetur. Posset proinde matrimonium esse coram jure naturali et divino licitum, non obstante uno ex illis quatuor votis, supposita utique gravi causa (cf. suprà, n. 229). Atvero, cessante prohibitione juris naturalis et divini, non ideo cessare videtur prohibitio *juris ecclesiastici;* absolutè namque et sine restrictione pronuntiatur, can. 1058, § 1, interdictio matrimonii; non posset proinde, in proposito casu et stante voto, matrimonium permitti absque Ecclesiae dispensatione (3).

(1) Cf. suprà, n. 232. — Haec tria vota analogiam ad invicem habent nec a plebaeis accuratè distinguuntur. Quodsi dubitetur quodnam ex illis votum fuerit emissum, adjumento esse potest interrogatio, quam suggerit VLAMING, o. c., n. 199, circa *motivum* quo quis ductus fuerit ad vovendum. Si nempe « vovit ex desiderio specifico declinandi onera matrimonialia, praesumi potest coelibatum vovisse;... si impulsus fuit desiderio specialem aureolam virginum sibi comparandi, aut carnem servandi illaesam, concludi potest virginitatem presse sumptam Deo promissam fuisse; quodsi denique ex amore ipsius virtutis puritatis permotus fuit, formaliter castitatem vovisse dicendus est », quod passim contingit.

(2) Solum votum coelibatus vidimus ex jure naturali et divino inducere matrimonii prohibitionem absolutam.

(3) Impedimentum attingere etiam votum secretum et merè internum, meritò urget, contra CAPPELLO (o. c., n. 296), WERNZ-VIDAL, o. c., n. 159. Immerito etiam, ut videtur, dubium movet idem CAPPELLO, o. c., n. 300, circa votum castitatis privatum, i. e. extra congregationem religiosam nuncupatum, necnon circa votum extra Ecclesiam catholicam emissum: de quo altero voto cf. resp. S. Poenit., 29 Nov. 1842, apud *Collectanea S. C. de P. F.*, n. 2086.

Quod autem spectat *votum castitatis:* impedimentum *impediens* restringitur ad votum *simplex,* sive privatim sive in religione emissum, et quidem ad votum simplex cui non fuit adnexa vis irritativa; excluditur proinde votum castitatis sollemne (1), necnon votum simplex a scholasticis S. J. emissum post biennium novitiatus (2), quod utriusque speciei votum videbimus infrà, n. 568 s. (uti jam notavimus suprà, n. 229), constituere impedimentum *dirimens.*

II. **Cessatio impedimenti.**

490. Quomodo cesset impedimentum.

Impedimentum cessat cessante voto; suspenditur autem, suspenso voto; posset etiam per dispensationem auferri impedimentum, remanente voto, quatenus ab Ecclesia permittatur, non obstante voto remanente ac non suspenso, matrimonium celebrari, seposita utique, juxta modò dicta, prohibitione juris naturalis et divini.

Quod spectat *cessationem* aut *suspensionem* voti: *cessare* contingit *ab intrinseco,* si objectum voti evasit impossibile in persona scil. virginitatis voto ligata, si actum consummatum admiserit (3), vel, in vovente Ordinem sacrum aut statum religiosum, si per auctoritatem competentem ab Ordine vel a religione suscipienda fuit definitivè remotus; *suspenditur* autem ab intrinseco in illis qui, postquam voverint Ordinem aut religionem, illegitime matrimonium inire praesumunt, adeo ut, vinculo matrimoniali dissoluto aut definitiva separatione instituta, adhuc voto ligentur. Etiam votum coelibatus absolutum et perpetuum suspenditur, durante matrimonii illegitime inito, ac reviviscit, dissoluto vinculo (4); item votum castitatis. *Cessat* vero vel *suspenditur ab extrinseco* per dispensationem aut commutationem, aut per dispensationem-commutando, qua votum, seu potius debitum voto contractum, relaxatur (5): sive absolutè, penitus sublato voto, sive restrictive et suspensive, in ordine scil. ad praesens matrimonium ineundum, hujusque legitimum usum (6); cessat etiam ab extrinseco per irritationem, qualis procedere potest a parentibus respectu voti a filio impubere (aut forsan minorenni non emancipato) emissi (7).

(1) Circa distinctionem inter votum sollemne et votum simplex, cf. n. 335 et n. 568.

(2) Huic voto simplici adnexit Gregorius XIII, anno 1584, privilegium irritandi matrimonium contrahendum. Cf. n. 336 et n. 569. Votum simplex pariter constitueret impedimentum dirimens, si ipsi clausula irritativa fuit a S. Sede adnexa, in casu particulari, de quo cf. modò suprà, n. 487.

(3) Votum *virginitatis* non potest consistere cum actu consummato, et ideo validè emitti nequit ab illo qui actum consummatum unquam admiserit (adeoque non obligat), et *cessat* statim ac voto succedit actus consummatus.

(4) Cf. suprà, n. 232.

(5) Ecclesia super voto dispensare potest, licet in jure naturali et divino nitatur debitum per illud contractum; ad hoc ipsi praesto est potestas ministerialis, de qua suprà, n. 297 et seq. — Videbimus autem infrà, n. 733, hanc dispensationem esse latè dictam.

(6) Cf. infrà, n. 889. — Alia restrictio occurrere potest in dispensatione super voto *religionis,* quatenus non concedatur licentia nubendi, sed sola licentia vitam coelibem ducendi in saeculo. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 166.

(7) Utrum et quousque a marito irritari possit votum castitatis, apud uxorem, cf. n. 230.

Nota 1. Quid efficiat quoad usum matrimonii votum castitatis ante matrimonium emissum, exponitur suprà, n. 229; num. vero 230, quid efficiat votum castitatis matrimonio superveniens; addito, sub n. 232, verbulo de usu matrimonii, post unum ex aliis votis indebitè contracti. *Nota.*

2. Religiosi aut religiosae, professi votorum simplicium perpetuorum, tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantùm contrahere praesumentes, incurrunt excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam. Can. 2388 (1).

Insuper religiosi ipso jure habentur ut legitime dimissi (c. 646, § 1, n. 3). Cf. etiam can. 985, n. 3.

ARTICULUS 2^s^. **De impedimento Cognationis legalis.**

I. Notio.

491. Notio cognationis legalis, ejusque variae species.

Cognatio legalis est propinquitas inter duas personas exoriens ex adoptione; *adoptio* autem est contractus quo ab aliquo aliena persona in filium vel nepotem assumitur. — Dicitur cognatio *legalis,* quia nititur in dispositione legis civilis, adoptionem et cognationem legalem ex illa orientem constituentis ejusque limites determinantis. Cognationis legalis triplex species distinguitur: *paternitas* nempe legalis inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes; *fraternitas,* inter adoptatum et naturales filios legitimos adoptantis; *affinitas* legalis, inter adoptantem et adoptati uxorem, ac vicissim inter adoptatatum et adoptantis uxorem.

II. Dispositiones juris canonici:

492. An et quousque cognatio legalis constituerit impedimentum canonicum sub disciplina Codici anteriori.

A. **Ante Codicem,** juxta probabiliorem sententiam, Ecclesia tanquam *impedimentum,* illudque *dirimens,* agnoscebat cognationem legalem orientem ex adoptione, qualis coram jure Romano Justiniano matrimonium irritabat, sive plena et perfecta (adrogatio dicta), sive saltem simplex seu imperfecta et semi plena; impedimentum autem illud urgebat in omnibus locis in quibus, coram lege civili, admittebatur hujusmodi adoptio, sive adoptio ibi constituebat impedimentum civile sive non.

Nimirum in jure Romano primitus distinguebatur *duplex* adoptionis *species:* adoptio nempe *sollemnis,* seu *adrogatio,* quae erat adoptio personae sui juris, cum variis sollemnitatibus, de consensu adoptandi et auctoritate Principis peragenda; et adoptio *simplex,* adoptio scil. filiifamilias, quae minori sollemnitate et de consensu patrisfamilias ac auctoritate judicis seu magistratus fiebat.

Utraque haec adoptionis species effectum habebat juridicum adoptatum transferendi in familiam et sub potestate adoptantis, cujus agnatus fiebat. Postea verò, sic disponente Justiniano, adoptioni simplici filiifamilias dictus effectus amplius non est adscriptus, excepto casu quo filius-familias in adoptionem tradebatur avo aut proavo suo, adeo ut in

(1) Cf. SOLE, *De Delictis et poenis,* n. 448.

una persona concurrerent et sanguinis et adoptionis jura; aliàs simplex adoptio deinceps jam non transferebat adoptatum sub potestate adoptantis; conferebat autem adoptato jus haereditatis ab intestato, quin tamen eum constitueret haeredem necessarium: habebatur non ut filius ac de familia adoptantis, sed ad modum filii (1).

Jamvero in Jure Romano, etiam postjustiniano, uti impedimentum inducens habebatur adoptio, non modò sollemnis et perfecta, seu adrogatio, sed et simplex et imperfecta; impedimentum etiam censebatur *dirimens* (2).

Ecclesia autem, ex sua parte, canonizaverat dispositiones juris Romani, admittens inter sua canonica impedimenta (3), eaque dirimentia (4). cognationem ex adoptione, etiam imperfecta (5), quin tamen eamdem ac in Jure Romano agnoverit impedimenti extensionem (6).

Unde sequebatur exstitisse, sub anteriori disciplina, etiam postquam jus Romanum cessaverit esse jus commune in nostris regionibus, canonicum impedimentum, illudque irritans, in omnibus regionibus in quibus a lege civili agnoscitur adoptio, Romanae adoptioni saltem imperfectae substantialiter conformis (7) (quemadmodum contingere censetur in legislatione Belgica) (8), independenter a quaestione utrum, in determinata regione, adoptio induceret coram jure civili impedimentum necne, vel constitueret impedimentum impediens dumtaxat.

---

(1) Varias dispositiones juris Romani, in materia adoptionis, exhibet WERNZ-VIDAL, o. c., n. 193, in nota 63, coll. CAPPELLO, o. c., n. 323, in nota 5.

(2) Id apparet liquidò ex *Instit.*, l. I, tit. 10, § 12. Cf. LINDNER, o. c., p. 32.

(3) Cap. 1, C. XXX, qu. 3 (Nicolaus I ad Consulta Bulgarorum, anno 866); cap. unic., IV, X, 12, *De cognatione legali.* — Est primum documentum expresse memorans nostrum impedimentum, licet videatur antea jam ab Ecclesia admissum. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 188, ubi breviter exponuntur fata impedimenti.

(4) Indolem *irritativam* impedimenti, coram jure canonico, agnitam fuisse, a plerisque Auctoribus medii aevi, liquet ex textibus citatis apud LINDNER, o. c., p. 72-88, coll. GILLMANN, *Spender der Bischofsweihe,* Beilage I, p. 31-33, ubi observatur Auctores illius aevi, qui mere prohibitivam vim agnoscebant impedimento, solam prae oculis habuisse cognationem in linea collaterali.

(5) Sententia impedimentum canonicum agnoscens, sub anteriori disciplina, cognationi legali ortae ex adoptione Romana imperfecta, ex hoc suadetur quod *Instit.*, I, tit. 10, *De Nupt.*, sub paragr. 1ª, sine restrictione dicitur matrimonium interdici ob adoptionem, idque in eodem libro quo Justinianus distinguit adoptionem in perfectam et imperfectam. Cf. fusam disputationem apud *N. R. th.*, I, p. 1-30, coll. t. XLV, p. 472 s.; in priori loco impugnatur sententia proposita, ad quam exinceps accesserunt, inter alios, SCHERER, o. c., II, p. 323 ss.; ROSSET, o. c., n. 1907; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 189, necnon, in tertia sua editione, GASPARRI, o. c., n. 858, contradicente DE BECKER, *De Matr.*, p. 212, cui favet *Instr. Austr.*, par. 28 et 29. — Cf. apud LINDNER, o. c., p. 68-79, integram seriem Auctorum medii aevi propositae sententiae faventium; quocirca rursus observat GILLMANN, o. c., p. 31 s., Auctores illius aevi contradicentes solam attendisse cognationem in linea collaterali.

(6) Extensionem impedimenti canonici, sub anteriori disciplina, descriptam videsis apud WERNZ-VIDAL, o. c., n. 189, sub fine.

(7) Cf. Causam actam, die 10 Junii 1911, coram S. Rota, apud A. A. S., III, p. 438 ss., coll. *N. R. th.*, XLV, p. 473 ss. — Conclusio in textu proposita non est ita intelligenda ac si vis irritativa impedimenti canonici esset a jure Romano, cum tota quanta derivaretur ab Ecclesia, jus Romanum in hac re sanciente. Adhuc minus procedebat virtus irritans a nostris legibus civilibus adoptionem consecrantibus; ab hisce unicè pendebat utrum necne vigeret, in aliqua regione, adoptionis institutum, ad instar adoptionis in Jure Romano matrimonium dirimentis: hoc nempe posito, Ecclesia urgebat suum impedimentum a Romano Jure desumptum, quin referret utrum in jure civili hodierno, adoptio impedimentum matrimonii importaret necne.

(8) Veram, in legislatione civili Belgica, admitti adoptionem, adoptioni Romanae, saltem imperfectae, conformem, ostendetur infrà, sub n. 492.

B. **Sub disciplina Codicis,** canonizantur directe et immediate ipsae dispositiones legis civilis hodiernae, prouti in variis regionibus vigent (1), tum quod spectat ipsam existentiam impedimenti juris civilis, tum quod spectat naturam impedimenti, dirimentis scil. vel impedientis, tum quod spectat impedimenti extensionem.

493. Nunc autem inducit impedimentum dirimens vel impediens, juxta naturam impedimenti civilis moderni.

Aliis verbis, in locis in quibus cognatio legalis, ex adoptione orta, constituit impedimentum in foro civili, in illis locis, in iisque solis, impedimentum constituit canonicum; et, si in jure civili impedimento adnectitur vis irritativa, erit impedimentum dirimens in foro ecclesiastico; tandem eamdem amplitudinem ac durationem habebit impedimentum canonicum, qualem, in variis regionibus, obtinet civile impedimentum.

Ita statuunt canones 1059 et 1080.

Ad hoc autem ut Ecclesia tanquam impedimentum canonicum assumat et agnoscat impedimentum cognationis legalis, in variis legislationibus, coram foro civili existens, supponitur vera et legitima cognatio legalis ex adoptione, eaque, ut videtur, talis quae, ad normam adoptionis Romanae, ex parte effectus, efficiat ut adoptatus sit, respectu adoptantis, ad modum filii, quaeque, ex parte formae, requirat interventionem auctoritatis publicae, quin sufficiat conventio privatim inita.

Porro non refert utrum adoptio, cognationem inducens, coram lege civili concipiatur ad modum adrogationis Romanae, seu adoptionis plenae ac perfectae et sollemnis, utrum vero ad modum adoptionis quae, coram jure Romano, habebatur uti simplex et imperfecta: huic alteri adoptionis Romanae speciei substantialis conformitas sufficit.

Eo ipso magna ex parte solvitur controversia antea vigens circa principia determinativa impedimenti canonici; manet tantùm difficultas applicationis practicae, quae tota quanta pendet ab interpretatione legislationis civilis in variis regionibus existentis: utrum nempe agnoscatur adoptio legitima, utrum et quale et quousque inducat impedimentum civile.

Quibus positis, inquirendum est, in unaquaque legislatione, utrum agnoscatur adoptio descripta, adoptioni scil. Romanae saltem imperfectae substantialiter conformis; utrum per eam irritetur vel merè prohibeatur matrimonium, et intra quosnam limites.

---

(1) Sub anteriori disciplina, uti vidimus, directe et immediatè canonizabantur dispositiones juris Romani, jus vero civile hodiernum, in variis regionibus vigens, nonnisi indirecte tantum et consequenter, in quantum scil. conformitatem habebat cum jure Romano, quoad indolem adoptionis. Inde est quod, juxta modò dicta, canonicum impedimentum vigebat etiam in locis ubi adoptio non constituebat impedimentum civile, modò ibidem agnosceretur adoptio quoad substantiam conformis adoptioni Romanae.

Jamvero, ad **Belgium** (et **Galliam**) quod spectat:

494. In Belgio et Gallia constituit impedimentum,

1° Non est dubium in lege Belgica *veram* admitti *adoptionem,* in sensu descripto. Ex una namque parte, adoptatus nomen accipit adoptantis (art. 347 Cod. civ.), et, quoad bona adoptantis, eadem jura habet ac filius legitimus (art. 350); ex alia parte, adoptio non inducitur per conventionem privatam, sed per actum juridicum auctoritatis publicae (art. 353 ss.).

2° Certum etiam est adoptionem constituere *impedimentum* civile, uti, in art. 348, expressis verbis disponitur, simul indicatis impedimenti limitibus.

Atvero 3° *controvertitur* circa naturam impedimenti civilis, utrum scil. sit *irritans* vel *prohibitivum dumtaxat.*

495. quod, attenta controversia juris civilis,

Plerique auctores moderni, conformiter ad jurisprudentiam, impedimento non agnoscunt nisi *vim prohibitivam tantum;* nituntur in hoc principio quod coram lege non sit admittenda nullitas, in re matrimoniali, nisi pronuntietur expresse ab ipsa lege; quae declaratio desideratur pro impedimento adoptionis, attento scil. tenore art. 348, et signanter attento facto quod prohibitio articuli 348 non recensetur in cap. IV, Tit. V, Codicis civilis, ubi enumerantur capita nullitatis. Cf., in hunc sensum, LAURENT, *Principes,* II, n. 430-432 et 484; DE MOLOMBE, o. c., III, n. 335 et 338; AUBRY ET RAU, o. c., V, par. 463; *Pandectes Belges,* V° *Mariage,* n. 708; ARNTZ, *Cours de droit civil français,* 1879, I, n. 302; THIRY, o. c., I, n. 348 s.; BELTJENS, *Encyclopédie du droit civil Belge,* 1905, ad art. 348-352; *Ami du clergé,* du 8 Mai 1919, p. 806; DURIEUX, *Le mariage,* n. 84; *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 377 s.; GÉNICOT-SALSMANS, o. c., n. 508.

Alteram sententiam, vim irritativam agnoscentem impedimento, propugnant, inter alios, DALLOZ, *Répertoire,* XXXI, V° Mariage, n. 575; item *Supplément au Répertoire,* 1892, X, V° Mariage, n. 309; MERLIN, *Répertoire,* V° Mariage, sect. VI, art. 184; DEMANTE, *Cours analytique,* I, n. 260; PLANIOL, o. c., I, n. 996 et 1002, ubi contendit in Codice civili, cap. IV, Tit. V, determinari personas quibus competat actio in nullitatem potius quam exclusive statui capita nullitatis.

496. habendum est uti mere impediens.

Hac stante controversia, certum quidem est adoptionem, in *Gallia* et *Belgio,* ad minus inducere impedimentum civile prohibitivum; probabile autem est illam non inducere impedimentum irritans. Unde eo ipso probabile est impedimentum canonicum cognationis legalis esse impediens tantùm.

Quo posito dubio probabili, et hoc attento quod sit dubium juris, sufficit applicare canonem 15, et principium in eo nitens, de quo sub n. 472, leges scil. etiam irritantes in dubio juris non urgere: adeo ut certa evadat conclusio impedimentum canonicum cognationis legalis, in Gallia et Belgio, practicè esse habendum uti impedimentum *prohibens* tantùm.

Quam conclusionem, ex normis juris deductam, authentice confirmavit, quod spectat Belgium, *Conc. Mechlin. quartum,* in quo, sub decreto 210, statuitur: « Legalis cognatio ex adoptione orta, in Belgio, spectata civili lege et jurisprudentia, inducit impedimentum *dumtaxat impediens,* ita ut nuptias reddat illicitas, non autem invalidas ».

497. Extensio impedimenti.

Porro *limites impedimenti* illi sunt qui determinantur in art. 348 Codicis civilis, nempe:

a/ inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes (impedimentum paternitatis);

b/ inter diversos adoptatos ejusdem adoptantis ad invicem; item inter adoptatum et proles adoptantis (impedimentum fraternitatis);

c/ inter adoptatum et adoptantis compartem, ac vicissim inter adoptantem et compartem adoptati (impedimentum affinitatis).

498. Notanda.

Nota 1° Impedimentum cognationis legalis nititur quidem, uti vidimus, in instituto legis civilis, ac imo praesupponit existentiam civilis impedimenti ejusque limites sequitur (1); est tamen impedimentum formaliter *canonicum,* adeoque Ecclesiae, non vero Status civilis, dispensatione auferendum (2).

2° Impedimentum *canonicum* cognationis legalis non afficit *infideles directe,* sed *indirecte* tantum: ratione scil. subjectionis partis baptizatae, et etiam quatenus cognatio, in infidelitate contracta, impedimentum evadat in ordine ad matrimonium post Baptisma contrahendum (3). Obnoxii autem sunt directe legi irritanti *civili.*

---

(1) Ita adoptatus impedimentum coram Ecclesia non contrahit cum muliere cui adoptans junctus est matrimonio canonice quidem valido, civiliter verò invalido: tunc enim non oritur impedimentum coram jure civili, adeoque nec coram jure canonico. Contrà impedimentum contrahit cum dicta muliere, si adoptans cum ea matrimonium inierat civiliter validum, licet canonicè irritum. Cf. *Jus Pontif.,* III (1923), p. 97 ss., ubi duplex casus proponitur huc spectans, non autem in nostrum sensum solvitur uterque.

(2) Rarius, quod spectat Galliam et Belgium, locus erit dispensationi petendae: ex una namque parte, vi art. 343 Codicis civilis, adoptans debet attigisse quinquaginta ad minus annos, antequam aliquam personam adoptare possit, et quindecim annorum spatio seniorem esse adoptato: unde inter adoptatum et adoptantem eorumque respective uxores matrimonia efficacius vitantur.

(3) Difficultas fieri potest ex eo quod vinculum ex adoptione sit vinculum merè intentionale et juridicum, sicut in publica honestate, non autem vinculum physicum ossibus adhaerens, sicut olim in affinitate; unde dicendum videretur de cognatione legali sicut de publica honestate, vinculum scil. in infidelitate contractum non evadere impedimentum respectu matrimonii post Baptisma contrahendi. Atvero, juxta dicta sub n. 438bis, ratio hujus disciplinae quoad publicam honestatem est in hoc quod non modò impedimentum, sed quod ipsum vinculum publicae honestatis totum quantum

3° *Rationes legis* dirimentis aut prohibentis matrimonium inter personas adoptionis vinculo conjunctas, eaedem sunt, proportione servata, ac illae quae infrà, n. 606, invocantur in favorem impedimenti consanguinitatis: signanter reverentia ad invicem debita, cui contrariatur usus matrimonii, necnon, attenta cohabitatione inter dictas personas frequenter instituta, periculum pro moribus.

4° Attendendum utrum cognatio legalis non coincidat cum consanguinitate illegitima, eaque forsan indispensabili, puta si vir adoptaverit filiam illegitimam; per eam intercederet impedimentum indispensabile juris naturae inter adoptantem et adoptatam, necnon inter filium adoptantis et adoptatam.

499. Disciplina vigens in aliis regionibus.

Scholion. In *Germania,* juxta Codicem anni 1900, adoptio inducit civile impedimentum, adeoque et canonicum, *mere impediens,* sese extendens tantum inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes, quousque durat adoptio. Art. 1311, coll. art. 1771. Solum nempe existit impedimentam paternitatis. Cf. KNECHT, o. c., p. 61 s.; LINNEBORN, o. c., p. 175 s.

In *Hungaria,* agnoscitur etiam impedimentum *impediens,* ac item in *Helvetia.*

In *Italia,* adoptio constituit, coram jure civili, adeoque et coram jure canonico, impedimentum *dirimens:* existens inter adoptantem et adoptatum ejusque descendentes; inter filios adoptivos ejusdem personae adoptantis; inter adoptatum et filios exinde natos adoptanti; inter adoptatum et conjugem adoptantis et inter adoptantem et conjugem adoptati. Cf. CERATO, o. c., p. 105 s.; PIGHI, o. c., n. 86, coll. n. 33.

In *Hispania* etiam *dirimens* inducitur impedimentum.

In *Austria,* adoptio non constituit impedimentum civile, nec adeo inducit impedimentum canonicum. Cf. HEINER[6], o. c., p. 102; SCHMÖGER, o. c., p. 30; SCHNITZER, o. c., p. 435; SCHULTE, o. c., p. 523. Item in *Anglia,* de cujus legislatione in hac re cf. *Irish eccl. Record,* Febr. 1919, p. 139 s.

In *Hollandia,* jus civile non admittit adoptionem, adeoque non est iocus impedimento cognationis legalis coram jure civili, nec consequenter coram jure canonico. Cf. VAN DEN BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 167; VLAMING[2], o. c., n. 206, coll. A. A. S., III, p. 441 s.

Circa regimen vigens in aliis regionibus, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 191; CAPPELLO, o. c., n. 324 et n. 570, coll. *Jus Pontificium,* II, p. 93 ss. — Quodsi dubium habetur probabile utrum, in aliqua regione, existat civile impedimentum adoptionis, vel utrum dirimens sit aut impediens tantùm, applicari potest principium suprà, n. 496, invocatum, ac practice haberi impedimentum aut tanquam non existens, aut tanquam impediens tantùm.

---

pendet *a constitutione Ecclesiae,* adeoque logicè censetur non induci inter infideles: unde postea non potest reviviscere et impedimentum constituere; dum contrà cognationis legalis vinculum inducitur per adoptionem legalem vi legis civilis, cui obnoxii sunt infideles, ac sponte evadit canonicum impedimentum, statim ac per Baptismum obnoxii existunt juri ecclesiastico, coram quo dictum vinculum nuptias irritat vel prohibet.

ARTICULUS 3^us^. De impedimento Mixtae Religionis.

Ad hoc impedimentum, nuptias mixtas prohibens, declarandum, exponetur, praemissa *notione* matrimonii mixti: 1° illud esse validum sed illicitum; 2° illud dispensatione posse fieri licitum, et quibusdam sub cautelis; 3° describetur officium parochi circa matrimonium mixtum contrahendum vel praeviè contractum.

PUNCTUM I. NOTIO MATRIMONII MIXTI.

500. Notio matrimonii mixti.

Matrimonium mixtum est matrimonium initum inter duas personas *baptizatas* (1), quarum una *catholica* et altera *acatholica,* sive haeretica sit sive schismatica (2).

Catholica censetur, in hac materia, omnis et sola persona quae hic et nunc Ecclesiae catholicae est adscripta, exclusis illis quae haeresi vel schismati nunc adhaerent, sed olim ad Ecclesiam catholicam Baptismo vel professione pertinuerunt.

Acatholica hîc habetur omnis et sola persona hic et nunc sectae haereticae vel schismaticae adscripta; *omnis,* non exceptis scil. illis qui in Ecclesia catholica sunt baptizati aut olim ad eam fuerunt conversi; *sola,* exclusis scil. illis qui quidem fidem abjecerunt aut reatum haereseos vel schismatis incurrerunt, aut etiam haereseos vel schismatis fuerunt personaliter damnati (3), sed nulli sectae nomen dederunt (4).

Pro hac sensus utriusque vocabuli determinatione, nitimur tum in tenore canonis 1060, qui, secus quam canon 1099, simpliciter loquitur de persona catholica et de persona sectae haereticae aut schismaticae adscripta; tum in fine legis latae, quippe quae intendit occurrere periculo perversionis in fide, ex commixtione professionum oriundo: qui finis supponit unam partem esse hic et nunc,

(1) Si unus nupturiens, positis ponendis, est baptizatus, et alter non, tunc intercedit impedimentum, non mixtae religionis, sed *disparitatis cultus.* Ubi autem Baptisma alterutrius nupturientis est dubium, specialis applicatur solutio, exponenda ubi de disparitate cultus, sub n. 587 et seq.

(2) Ad dubium propositum: « An matrimonia catholicos inter et *schismaticos*..., quoad conditiones canonicas praemitti solitas, aequiparanda sint matrimoniis mixtis, i. e. catholicos inter et haereticos contrahendis? », respondit S. C. de P. F.; *affirmative.* — Cf. THEOL. MECHL., o. c., p. 214.

(3) Cum vigeat controversia circa extensionem impedimenti ad illos qui personaliter damnati sunt haereseos vel schismatis, sed nulli sectae nomen dederunt, existentia impedimenti quoad illos est dubia dubio juris, adeoque, ratione habita can. 15, non attendenda.

(4) Equidem reprobandae sunt et ab Ecclesia reprobantur nuptiae inter partem catholicam et alteram quae fidem abjecit aut a communione recessit, licet nulli sectae adhaeserit; sed non sunt obnoxiae hujusmodi nuptiae impedimento canonico ac speciali prohibitioni Ecclesiae, super qua sub peculiaribus cautelis sit dispensandum. Cf. decr. C. S. O., 30 Jan. 1867, apud *Collectan*^2^., n. 1300.

tempore scil. celebrandi matrimonii, catholicam, alteram hic et nunc acatholicam. Cf. suprà, n. 140.

PUNCTUM II. VALOR ET ILLICEITAS.

I. **Valor.**

501. Matrimonium mixtum validum est,

Indubium est matrimonia mixta esse *per se valida,* uti constat ex variis documentis allatis a Feye (1), et speciatim ex Instructione C. S. O., 12 Dec. 1888 (2): « Catholicorum cum haereticis, et contrà, nuptiae illicitae sunt quidem, sed nihilominus *valent.* Ingens propterea discrimen intercedit inter impedimentum mixtae communionis seu religionis, et alterum quod propria appellatione dicitur disparitatis cultus...; conjugia inter personas cultu dispares sunt prorsus irrita, mixta vero valida, sed graviter illicita ». Etiam can. 1060 habet hujusmodi matrimonia ab Ecclesia severissime *prohiberi* (3).

Dicitur *per se,* quia *per accidens* frequenter contingit descripta connubia etiam esse irrita, ob aliud impedimentum juris divini, naturalis aut positivi (4), vel juris ecclesiastici: hujus nempe juris divini (4) vel ecclesiastici impedimentis generatim obnoxios esse vidimus (n. 430), ratione characteris baptismalis, nupturientes haereticos (5).

II. **Illiceitas.**

Matrimonia mixta sunt *graviter illicita:*

502. sed graviter illicitum,

1° *ex jure ecclesiastico,* propter legem Ecclesiae tales nuptias sub gravi prohibentem, ex praesumptione periculi universalis.

Periculum quod plerumque aderit imprimis est periculum perversionis partis catholicae et acatholicae educationis prolium; accedit periculum indifferentismi promovendi in negotio religionis, ac discordiae excitandae inter animos conjugum religione diversorum; adde et occasionem praeberi communicationi in divinis, quatenus parti catholicae sacramentum matrimonii a parte haeretica ministratur. Cf. Litt. Ap. Clem. XIII, 16 Nov. 1763 (*Collectan.,* n. 1421); item Pii VIII, 25 Martii 1830 et Gregorii XVI, 30 Aprilis 1841; Instr. Secret. Status, 15 Nov. 1858; Instr. C. S. O., 3 Jan. 1871 (6);

(1) *De matrimoniis mixtis,* p. 82-88.
(2) *Collectan.,* n. 1444, ad 1m.
(3) Cf. infrà, sub n. 516, evolutionem legislationis ecclesiasticae circa matrimonia mixta.
(4) Ita speciali studio indagandum est utrum, saltem a parte acatholica, matrimonium non fuerit initum sub conditione suspensiva repugnante substantiae matrimonii, puta sub conditione dissolvendi matrimonium in casu adulterii.
(5) Ita attendendum est, praesertim sub nova disciplina, ad impedimentum clandestinitatis.
(6) Cf. tenorem documentorum illorum apud *Collectanea,* respective n. 1426, 1428, 1430 et 1434.

Constit. *Arcanum* Leonis XIII (1); Instr. C. S. O., 12 Dec. 1888 (2).

Hanc prohibitionem, de qua jam abundè constat ex variis documentis modò citatis, necnon ex declaratione Bened. XIV, 4 nov. 1741, et Litt. encycl. S. C. de P. F., 11 Martii 1868 (3), explicite enuntiat, in priori sua parte, canon 1060. Cf. etiam BENED. XIV, *De Syn. dioec.*, l. IX, c. III, n. 1, et fontes allatos a FEYE, *De matrim. mixtis*, p. 171-176, et *De imped.*, n. 567, cum nota; item documenta ex S. Scriptura, ex SS. Patribus et RR. Pontificibus, adducta apud Ill. KORUM, o. c., p. 21 ss., et ENGLMANN, o. c., p. 283 ss.

Notandum autem mixta connubia manere *absolute* illicita *jure ecclesiastico*, etiam cessantibus, in casu particulari, periculis ob quae est inducta lex; fundatur enim lex ecclesiastica, uti modò diximus, non in praesumptione facti, sed in praesumptione periculi universalis (4).

2° *ex jure naturali et divino*, non quidem absolutè et in omni hypothesi, sed in quantum de facto, in casu, « adsit perversionis periculum conjugis catholici et prolis ». Can. 1060, in parte altera. Periculum perversionis, inducens prohibitionem juris naturalis et divini, intelligitur *proximum:* si periculum est remotum factum, non datur, modò praesto sit causa proportionata, prohibitio juris naturalis et divini. Cf. n. 503 et n. 506 (5).

---

(1) « Ab hujusmodi conjugiis ex eo maximè perspicitur esse abhorrendum, quod occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant conjugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine ».

(2) Hunc infaustum influxum matrimonii mixti eloquenter describit Ill. *Korum*, in egregia sua opella in elencho citata: ostendens quantopere religionis diversitas noceat intimae animorum unioni ac familiari in omnibus ad invicem conversationi (p. 5-13); — quantopere noceat etiam stabilitati vinculi, quippe quod ab acatholicis habetur uti dissolubile (*ibidem*); — quantopere promoveat, apud partem catholicam, indifferentismum religiosum (p. 13 s.); — quantum praesertim detrimentum afferat religiosae informationi prolium, etiam ubi pars acatholica sinat eas catholicè educari, praetermisso scil. periculo adeo gravi ac frequenti ne religiosa prolis informatio prorsus adulteretur (p. 14-17). Cf. etiam VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 275; VLAMING², o. c., n. 210.

Circa malas sequelas quas ex matrimoniis mixtis, per ultima decennia, passa sit Germania, cf. *Rev. eccl. de Metz*, 1903, p. 633-643; 1906, p. 264; *Rev. d'Hist. ecclés.*, 1906, p. 685 ss.; *Le Bien Public*, 21 Févr. 1908; BÖCKENHOFF, *Ehret die Ehe*, p. 29 ss.; *Etudes religieuses*, 20 Oct. 1904, p. 191 ss.: quo ultimo loco referuntur fata heroicae luctae, ob causam matrimoniorum mixtorum sustentatae a variis Episcopis Germaniae, ineunte saeculo 19°. Cf. etiam *Archiv. f. k. Kirchenrecht*, 1909, p. 570 s.

Ita etiam *Le XX^e Siècle* (8 Févr. 1912) refert computum factum in regno Wurtemburgensi. Pro 1464 matrimoniis mixtis, 819 celebrata sunt coram ministro protestantico, 225 merè civiliter et 416 dumtaxat ritu catholico; pro 3526 prolibus sexus masculini e mixtis nuptiis natis, 2131 educantur protestantice, 388 non sunt baptizatae et 1164 educantur in religione catholica. Cf. etiam *Th. Pr. Quartalschr.*, 1914, p. 540-572, ubi proponitur quomodo protestantica ecclesia sese habeat respectu matrimoniorum mixtorum. Cf. tandem *Rev. apolog.*, 15 Août 1926, p. 628 ss.: « *Le fléau des mariages mixtes en Allemagne* ».

(3) *Collectanea*, n. 1420 et 1433.

(4) Can. 21; « Leges latae ad praecavendem periculum generale urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit ».

(5) Etiam uti jure divino prohibitae haberi possent mixtae nuptiae, quatenus earum

PUNCTUM III. DISPENSATIONIS NECESSITAS EJUSQUE CAUTELAE CAUTIONES AC CAUSA.

I. Necessitas dispensationis.

503. nisi dispensetur,

Dispensationis *necessitas* sequitur ex modò dictis, ex eo scil. quod mixta connubia a jure ecclesiastico prohibentur *absolutè,* non vero dependenter tantum ab existentia hic et nunc prohibitionis naturalis et divinae aut periculorum ob quae haec est inducta.

Debet igitur lex prohibitiva Ecclesiae in casu particulari auferri semper; aufertur autem *dispensatione* eaque *solâ,* ac frustrà provocatur ad consuetudinem legem abrogantem (1) aut ad tolerantiam Ecclesiae (2).

Quod nunc spectat concessionem dispensationis: ad eam praesupponitur ablata prohibitio juris naturalis et divini, quatenus vel hic et nunc non adsit proximum perversionis periculum, vel, si adsit, quatenus fuerit remotum effectum, tam quoad partem catholicam quam quoad prolem, quod passim fit per cautelarum, de quibus mox, injunctionem et acceptationem; hoc nempe posito, nihil jam obstat quominus Ecclesia, illaeso jure naturali et divino ac supposita causa proportionata, propriae suae legi deroget (3). Ecclesia autem, quando dispensat, simul ac propriam legem relaxat, implicitè declarat non urgere jus naturale et divinum (4).

Propositam doctrinam paucis comprehendit Instr. C. S. O., 12 Dec. 1888, l. c., n. 7: « Positis igitur canonicis causis, ac praehabitis memoratis cautionibus, quibus arcentur quae legi naturali aut divinae adversantur, ab ecclesiastica competente auctoritate dispensatio in lege mixta connubia prohibente impetranda est, ut absque piaculo celebrari possint; ea deficiente numquam gravi culpa vacant ». Quod confirmat can. 1061.

---

celebratio involveret haereseos approbationem ex parte nupturientis catholici; sed hujusmodi haereseos approbationi passim non est locus, adeoque practicè negligi potest prohibitio juris divini ex hoc capite; caeterum ad illam non alludit can. 1060.

(1) Instr. C. S. O., 3 Jan. 1871 (*Collect.*, n. 1434, sub 2): « Etsi jamdiu opinio inolevit licite posse mixtas iniri nuptias absque S. Sedis dispensatione, haec tamen opinio, qualibet non obstante consuetudine, tolerari nequit ». Item BENED. XIV, *De Syn. dioec.*, l. II, c. III, n. 2: « Neque est ut, hac in re, contraria ulla consuetudo opponatur, quoties non adsit positiva pontificia dispensatio ». Cf. FEYE, *De matr. mixtis*, p. 177 ss.; *N. R. th.*, XV, 502 ss.

(2) *De Syn. dioec.*, l. c.; Litt. Apost. Gregorii XVI, anni 1841 (*Collect.*, n. 1428): « Quodsi alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur, id profecto ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione approbationis vel consensus cujuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad majora vitanda mala affert necessitas, non voluntas ». Cf. etiam Instr. S. C. de P. F. anni 1858, *Collect.*, n. 1429.

(3) Permittendo nuptias mixtas, relaxat Ecclesia non tantùm impedimentum ecclesiasticum mixtae religionis, sed etiam legem ecclesiasticam non communicandi in divinis cum haeretico.

(4) BENED. XIV, *De Syn. dioec.*, l. IX, cap. III, n. 5.

II. **Cautelae et cautiones.**

504. praevie injunctis opportunis cautelis,

1. Praevie ad dispensationem injungi oportet observandas **cautelas** hasce duas, ut nempe a/ exclusum sit a parte catholica proximum perversionis periculum; b/ universa proles utriusque sexus in sancta religione educetur. Can. 1061, § 1, n. 2.

Quas cautelas vidimus passim requiri ex ipso jure naturali et divino, ad hoc scil. ut proximum perversionis periculum removeatur; ex jure autem ecclesiastico urgentur, etiam in casu quo hic et nunc abest dictum periculum aut alio modo fuit remotum; nec unquam penitus relaxantur (1), nec circa illas bona fides admittitur (2).

505 et cautionibus,

2. Non tantum injungendae sunt descriptae cautelae duae; oportet, antequam ad dispensationem procedatur, ut « **cautionem** (3) praestiterit conjux acatholicus de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo », libertate ipsi relicta religionem catholicam profitendi, « et uterque conjux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda » (4).

Nimirum conjuges debent, pro parte ipsos spectante, promittere cautelarum injunctarum observationem, et quidem seriò et fidenter. Pro valore tamen dispensationis sufficit quod cautiones exigantur ac praestentur, licet datae fuerint ficte. Cf. infrà, n. 874 (5).

Quod spectat *formam,* juxta quam cautiones sint praestandae: postquam hactenus in jure communi fuerat arbitrio relicta Episcoporum, in novo Codice imponitur regulariter adhibenda forma *scripta* (can. 1061, § 2) (6); non autem exigitur juramentum (7).

Dicitur: regulariter; et ideo haec forma scripta non exigitur absolutè et sine exceptione; potest Ordinarius, in casu particulari, a scriptura exigenda abstinere, si id opportunum judicaverit.

---

(1) *Instr. Secr. Status,* 15 Nov. 1853, apud *Collect.,* n. 1430, collatis documentis relatis n. 1434 et 1444. Cf. etiam decr. C. S. O., 18 Martii 1891 (*Collect.,* n. 2188); item *Instr.* C. S. O., ad Episc. Hungariae, 21 Julii 1880 (*N. R. th.,* XIV, p. 5 ss.); necnon *Litt.* Cardin. Rampolla ad Hungariae Primatem, 7 Julii et 26 Sept. 1890 (*N. R. th.,* XXII, p. 387 ss.), in quibus documentis S. Sedes urget conditiones, maximè de educanda christianè universa prole, contra iniquas leges servandas civiles.

(2) Nimirum debet pars catholica de dictis conditionibus servandis moneri, « neque ab hujusmodi faciendis admonitionibus et instructionibus propterea se excusare posset parochus, quia pars catholica in bona fide versatur, et quia cavendum est ne peccatum materiale fiat formale ». *Instr.* C. S. O., 3 Jan. 1871, n. 1434, sub 4/.

(3) Ne confundas cautiones cum conditionibus seu cautelis: de harum observatione constat per illas, per formalem scil. promissionem formiter praestitam. Non rarò tamen cautiones vulgari usu usurpantur pro conditionibus seu cautelis.

(4) Can. 1061, § 1, n. 2, coll. *Instr.* C. S. O., 21 Julii 1880, apud *N. R. th.,* XIX, p. 7.

(5) Juxta decr. C. S. O., 10 Dec. 1902, ad 2, regulariter non sufficit « assertio partis catholicae sub juramento data, partem acatholicam de conditionibus implendis sibi fidem praestitisse »; in casu tamen extraordinario potest id admitti. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 311, coll. n. 312.

(6) Quid voluerit antiqua praxis Ecclesiae, cf. *N. R. th.,* XIV, p. 511 et XV, p. 576.

(7) Cf. hic decr. C. S. O., 7 Febr. 1875, apud CAPPELLO, o. c., n. 310, sub 7.

3. Non modò praestandae sunt cautiones a partibus contrahentibus, sed ita praestentur oportet ut « *moralis certitudo habeatur de cautionum adimplemento* ». Can. 1061, § 1, n. 3.

Quod urgetur tum in dispensationum apostolicarum rescriptis (infrà, n. 874), tum in dispensandi indulto, sub I (n. 770), idque *sub poena nullitatis:* necessitas namque tum conditionum, tum cautionis, tum moralis certitudinis, penes dispensantem, de futuro adimplemento, inducitur per formulam « nisi » aut « dummodò ». Cf. n. 870.

Et haec est *norma* quam urget Ecclesia, etiam in mortis discrimine (can. 1043), idque pro ipso dispensationis valore: quatenus nempe requiritur non modò ut cessaverit vel remotum fuerit effectum periculum perversionis pro parte catholica et prolibus, sed ut de cessatione vel remotione dicti periculi constet per cautiones a partibus praestitas, de quarum adimplemento moralis certitudo habeatur (1).

Huic novae disciplinae juris communis conforme existit *jus particulare Brugense.* Antequam scil. petatur dispensatio, ambo nupturientes propria manu subsignare debent scriptam promissionem (absque juramento) (2), qua se obligant ad observandas fideliter cautelas utramque partem respective spectantes. Quae promissiones seu cautiones scripto exaratae et a partibus subscriptae adnecti debent libello supplici (quin satis sit a parocho declarari partes esse paratas ad illas cautiones praestandas), simul cum attestatione parochi de morali certitudine futuri cautionum implementi. Exarentur autem cautiones *in duplici exemplari:* unum supplicae adnectatur, et alterum a partibus retineatur in perennem memoriam assumptarum obligationum (3).

III. Causa.

506. ac supposita causa proportionata.

Praeter enumeratas cautelas nupturientibus injungendas, ad dispensandum requiritur *causa,* eaque justa et gravis (4), et quidem ex duplici capite: tum a/ ratione derogationis factae ipsi legi ecclesiasticae, ad quam derogationem, juxta generalia principia, proportionata causa intercedat oportet (5); tum b/ ad hoc ut cesset prohibitio juris naturalis et divini signanter ut perversionis periculo,

(1) In dicto can. 1043, adhibetur ablativum absolutum « praestitis consuetis cautionibus »; quod ad normam juris communis censemus intelligendum, adeo ut illa clausula urgeat ad dispensationis valorem. Cf. infrà, n. 870.

(2) In Concilio Americae Latinae, Romae celebrato anno 1899, requiritur scripta promissio *sub Juramento.* Cf. *Acta et Decreta,* n. 591. Etiam Romae exigi solebat juramentum ex parte sponsi. Cf. *Instr.,* l. c., p. 607. — In Hollandia, saltem in dioecesi Harlemensi, injungitur « ut instrumentum utrumque subscriptione *duorum testium* ac ipsius *parochi* necnon parochiae sigillo *confirmetur* ». VLAMING, o. c., n. 220. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 179, nota 33; *Ami du clergé,* 1926, p. 384.

(3) Decr. Congreg. Prosyn. anni 1922, sub II. Cf. infrà, n. 849 et 874, ubi formulae proponuntur. — Hujusmodi dispositiones juris particularis, cum non sint contra jus commune, sunt servandae.

(4) Can. 1061, § 1, n. 1.

(5) Can. 84. Cf. VAN DEN BERGHE, o. c., n. 150.

quantumvis remoto, sese exponere permittatur persona catholica. Hoc alterum innuit *Instr.* C. S. O., 12 Dec. 1888, in textu suprà citato (1).

Causa autem proportionata requiritur ad dispensationis *liceitatem,* in quocumque casu, etiam ubi a S. Sede dispensatio conceditur; requiritur etiam ad dispensationis *validitatem,* quotiescumque dispensatur ab inferiore. Cf. infrà, n. 772.

Quaenam causa postuletur, accuratè determinari nequit. Sane requiritur causa verè gravis, et praestat inducere causam ad *bonum publicum* spectantem, quales proponuntur a Bangen (2): « a/ si princeps acatholicus adhibitis cautionibus ducere velit catholicam, indeque magna catholicae religionis commoda forent speranda; b/ si probabilis adsit spes ut familia acatholica, ad veram fidem inclinans, per matrimonium mixtum ad Ecclesiam revertatur; c/ si matrimonium mixtum unicum sit remedium ut liberi, jam ex alio matrimonio mixto procreati, in religione catholica educentur; d/ si magna scandala ex diffamatione, gravidatione, vel alio modo (puta ex matrimonio coram ministello contrahendo) oritura, evitari nequeunt nisi per matrimonium mixtum ».

Non excluduntur tamen, nostro tempore (3), causae ordinis *privati,* uti angustia loci, aetas superadulta, et alia hujusmodi (4), quatenus, si seorsim sumptae non sufficiant, earum tamen ratio habetur, si plures concurrant vel eis aliunde pondus accrescat.

507. Notanda circa obligationem curandi conversionem partis acatholicae, et prohibitionem adeundi ministrum haereticum;

Nota. 1° Salva duplici cautela descripta, cujus injunctio, cum cautione et morali certitudine, constituit conditionem ad dispensationis impetrationem, « conjux catholicus obligatione tenetur conversionem conjugis acatholici prudenter curandi » (5); habetur etiam prohibitio, pro utroque conjuge, « vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum (6),

(1) Cf. etiam *Litt. encycl.* S. C. de P. F., 11 Martii 1868, apud *Collectan.*, n. 1433: « Ad matrimonium mixtum permittendum minimè sufficit ut sponsi cautiones admittere parati sint, necnon caeteras clausulas in rescriptis Ap. Sedis adhiberi solitas, sed omnino justae gravesque requiruntur *causae,* ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licitè executioni mandetur. Cautiones (seu potius cautelae) enim illae ideo naturali divinoque jure exiguntur atque exigi debent, ut pericula intrinseca quae mixtis intersunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis, etiam sub opportunis cautionibus, fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum caeteroquin haud evitandum immineat necesse est ».

(2) *Inst. pract.*, IV, p. 20 s.

(3) Cf. WERNZ, o. c., n. 586; *Collectan.*, n. 1426.

(4) Si causa invocata non attenditur nisi ex parte unius nupturientis, sicut angustia loci et aetas superadulta, quae non attenduntur nisi ex parte sponsae (infrà, n. 817 s.), notari juvat quod Ecclesia non admittat nisi causas existentes *in parte catholica.*

(5) Can. 1062. — Debet scil. pars catholica oratione et exemplo compartem ad veram fidem adducere; non vero tenetur ad hoc ut inopportunis precibus eam ad fidem catholicam amplectandam urgeat, nec ut de fide altercetur cum ea. Cf. VLAMING, o. c., n. 224 et n. 239.

(6) Dicitur: « *uti sacris addictum* » quia, quemadmodum monet ipse can. 1063, § 3, « non improbatur quod, lege civili jubente, conjuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia ». Oportet autem ut minister acatholicus solo munere fungatur officialis civilis; et non licet ipsum adire, quando, simul ac agit personam officialis civilis, etiam agit ministrum religiosum, uti contingit in Anglia.

ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum » (1).

Haec obligatio et haec prohibitio urgent quidem partes et sunt regulariter inculcandae, sed, juxta novam disciplinam Codicis, non est exigenda cautio de illarum observatione, nec illarum injunctio, quod nota, amplius constituit conditionem ad dispensationis impetrationem et concessionem (2). Cf. infrà, n. 874.

Posset proinde, nisi in dispensationis rescripto aut indulto aliter caveatur (3), ad dispensationem procedi quin dictae obligatio et prohibitio fuerint inculcatae, et quin de earum observatione moralis certitudo habeatur; disponit tamen canon 1063, § 2, quod, « si parochus certe noverit sponsos hanc legem (prohibentem descriptum accessum ad ministrum acatholicum) violaturos esse vel jam violasse (4), eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et *consulto prius Ordinario* » (5).

Cf. VAN DE BURGHT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 232, sub 5°, coll. AYRINHAC, o. c., n. 126; *Revue eccl. de Metz*, 1923, p. 386 s.

« Tunc, uti notât CAPPELLO, o. c., n. 317, minister acatholicus aditur uti sacris addictus, cum caeremoniam religiosam expleat. Idque semper videtur verificari quoties ille in templo aut vestibus sacris indutus conjuges recipit et alloquitur ». Cf. etiam *ibidem*, n. 318.

(1) Can. 1063, § 1. — Juxta jam citatum decr. C. S. O., 10 Dec. 1902, ad 3, excusari nequit emissio consensus coram ministro acatholico, licet « pars catholica in scriptis declaraverit mere passive se gerere et nullo modo ritui protestantico adhaerere velle ».

(2) Hucusque solebat observatio obligationis de curanda conversione conjugis acatholici, in indultis et rescriptis, imponi *tanquam conditio ad dispensationem*, ejusque cautio exigi; ac idem non rarò contingebat cum prohibitione non adeundi ministrum acatholicum.

Attamen jam coepit, inde ab aliquo tempore, mitigatio adduci in disciplina. Nimirum, quod spectat prohibitionem *de non adeundo ministello*, nonnunquam poterant conjuges in bona fide relinqui circa illam, quemadmodum constat ex *Instr.* C. S. O., 17 Febr. 1864 et 12 Dec. 1888, apud *Collectan.*, n. 1431 et 1444, sub 8 et 9, coll. *N. R. th.*, XV, p. 122 ss. et 593 ss., ac XLV, p. 11; *Canon. Contemp.*, 1912, p. 503; *Eccles. Record*, 1913, p. 539; *Collat. Brug.*, VIII, p. 571 s. — Quod autem spectat obligationem *curandi conversionem partis acatholicae*, jam notabat S. Rota, in causa *Baltimorensi*, 30 Junii 1910 (A. A. S., II, p. 595 s.), illam conditionem posse a S. Sede remitti vel saltem non expresse exigi.

Haec erat disciplina usque ad introductionem Codicis vigens. Antiquiori tempore aliae adhuc clausulae inserebantur in indultis et rescriptis, signanter clausula: « exceptis *Italis* de quibus non constet Italicum domicilium omnino deseruisse ». Quae clausula per decr. C. S. O., 4 Maii 1887 est sublata. Cf. *N. R. th.*, XX, p. 37 et XV, p. 575; quo altero loco additur: « L'intention du Saint-Siége était de préserver l'Italie de l'hérésie et du séjour des hérétiques. C'est dans le même but que le S. Office a adopté une mesure indiquée par De Angelis: « Si personae etiam exterae maneant in Italia, semper praecipitur ut matrimonium contrahatur extra Italiae fines ». Cf. infrà, n. 590.

Circa conditionem « ejurata haeresi », quae quondam exigebatur, cf. *N. R. th.*, XV, 521 ss.; WERNZ, o. c., n. 576.

(3) In tenore indulti, de quo n. 770, et rescripti apostolici, de quo n. 874, imponitur declaranda illa obligatio de conversione compartis curanda, et monendi dicuntur nupturientes de non adeundo ministro acatholico.

(4) Haec sanctio can. 1063, § 2, non attingit nisi transgressionem factam vel praevisam dispositionis enuntiatae in can. 1063, § 1, quatenus scil. sponsi ad ministellum accesserint vel accessuri praevidentur *intuitu consensus emittendi*. Quodsi illum aditurì sint aut jam adierint *solam benedictionem recepturi*, adesset quidem vetita communicatio in sacris (can. 1258, § 1), sed non esset locus sanctioni canonis 1063, § 2; praecavendum tamen foret scandalum, antequam matrimonio assistat.

(5) Si de facto sponsi dictam legem jam violaverunt, consensu emisso coram ministro acatholico, ratio est etiam habenda dicendorum infrà, n. 514, circa absolutionem a censura.

508. circa quamdam mitigationem in normis.

2° Si norma, sub n. 504-505 descripta, passim urgetur, uti vidimus, et nunquam penitus relaxatur, *exceptionaliter* tamen contingit quod *mitigatio* aliqua intercedat: quatenus scil., ad obtinendam dispensationem *a S. Sede,* in casu *urgentissimae necessitatis,* quo aliter quam per matrimonium partis catholicae saluti consuli nequit, sufficiat perversionis periculum cessasse vel remotum esse factum — quod, utpote jure divino requisitum, semper exigi vidimus (n. 503) — quin de illa cessatione vel remotione constet per cautionem ex parte sponsi acatholici praestitam. Cf. *N. R. th.,* XV, p. 427; De Becker, *De matr.,* p. 242 s., coll. decretis citatis apud *Collectanea,* n. 1263, 1271 et 1273, necnon decr. C. S. O., 12 Apr. 1899, apud *N. R. th.,* XXXI, p. 654. In hoc ultimo decreto agitur de matrimonio *contracto convalidando;* cum proportione autem valet doctrina proposita pro casu matrimonii *contrahendi* (1). Cf. infrà, n. 515.

Punctum IV. Officium Parochi et Confessarii.

I. Ante matrimonium mixtum contrahendum.

509. Officium parochi:

1° Omni quo par est zelo conetur parochus suos subditos, matrimonium mixtum ambientes, ab hoc avertere (2).

1° ante matrimonium;

2° Si a proposito averti nequeunt, « omni studio curet ne nuptiae contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur » (3), sollicitè adlaborando ut cautio praestetur de exequendis clausulis praescriptis, et dispensatio praevie impetretur (4).

---

(1) Non posset ad dispensationem procedere *Ordinarius,* dispensans vi indulti vel vi rescripti, in quibus dictae clausulae inseruntur, neque etiam vi potestatis ordinariae, de qua in can. 1043 et 1045 (infrà, n. 762 s.). Non remaneret, si desit tempus recurrendi Romam, nisi ut Episcopus declaret impedimentum impediens ecclesiasticum, in hujusmodi urgentissima necessitate, cessare, ac matrimonii celebrationem permittat; vel ut toleret parochum assistere matrimonio illicitè celebrando, juxta mox dicenda sub n. 512. Aliter sane res se habet si in ipso indulti tenore id conceditur, uti in indulto sanandi in radice quod solet C. S. O. nunc ad quinquennium elargiri (infrà, n. 770).

(2) Cf. can. 1064, n. 1, coll. decr. 211 et 291 *Conc. Mechlin. quarti.* — Juvat, in locis in quibus hujusmodi matrimonia occurrunt frequentiora, identidem e cathedra exponere coram populo malas sequelas exinde sequi natas et strictam inculcare Ecclesiae disciplinam in hac re. Non desunt etiam regiones, signanter in Hollandia, ubi solent parochi recusare dispensationem petendam, eo fine ut efficacius deterreantur fideles a contrahendis nuptiis mixtis, ex timore scil ne debeant absque dispensatione illicite ac sine assistentia parochi invalidè contrahere. Cf. Schaepman, *Codex,* p. 31 ss. et *Ned. Kath. Stemmen,* 1919, p. 43 ss.; Vlaming, apud *Ned. kath. Stemmen,* 1919, p. 10 s.. ubi invocatur auctoritas Cardinalium Van Rossum et Gasparri. Cf. etiam, circa modum agendi confessarii erga mixtas nuptias inituros, *Ned. kath. Stemmen,* 1923, p. 37 ss.

(3) Can. 1064, n. 2.

(4) Difficultas obtinendi promissionem de exequendis cautelis plerumque oritur ex parte nupturientis acatholici, utpote qui praejudiciis contra religionem catholicam occupatur. Porro apud *Eccles. Review,* 1909, p. 742 ss.; *Ned. kath. Stemmen,* 1911, p. 185 ss., et apud Schulte, *Handb. des k. Eher.,* p. 821 s., proponitur, tanquam remedium ad illa praejudicia removenda, ut exigatur a parte acatholica frequentatio instructionis in catholica religione praeviè ad matrimonium: quod in quibusdam dioecesibus (in specie in dioecesibus Omahensi ac Denverensi necnon in dioecesibus provinciae Milwachiensis) in praxim deducitur, denegata scil. dispensatione, nisi praemissa hujusmodi instructione. Cf. *Eccl. Review,* t. XXXIX, p. 436 ss. Cf. etiam *Conc. Mechl. quartum,* decr. 291, ubi monentur parochi ut « partem acatholicam in-

3° Si statuerint nupturientes matrimonium illicité inire, sive quia renuunt conditionibus satisfacere, sive quia dispensationem impetrare negligunt, sive quia ministrum acatholicum sunt adituri, zelosè sunt, pro posse, ad meliorem frugem reducendi, comminatis etiam poenis, de quibus infrà, sub n. 517, et attentis dictis suprà, sub n. 507.

Quodsi frustrà conatus adhibuerit parochus, illique in nefario proposito perseveraverint, equidem non sunt absolvendi, sed ideo non sunt prorsus dereliquendi; contrà nitendum est a parocho, ut, in quantum fieri potest, cautelarum adimpletioni, illius potissimum quae spectat educationem prolium, provideatur. Can. 1064, n. 2 et 3.

II. In ipsa celebratione matrimonii mixti.

510.

2° in ipsa celebratione matrimonii mixti.

Quoad **assistentiam** *praestandam a parocho*, en normas sequendas:

1° « *Omnes sacri ritus prohibentur* », hac salva moderatione quod, « si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere ». Can. 1102, § 2.

Regula igitur est ut omittantur omnes caeremoniae sacrae, utque sacerdos assistat, juxta vulgatum dictum, in nigris, absque ornamentis sacris. Aliunde discretioni Ordinarii relinquitur hanc regulam, pro variis adjunctis id exigentibus (1), relaxare, concedendo unum alterumque ritum sacrum adhiberi (2), modò excludatur missa (3).

---

ducere satagant ad instructionem religiosam ad minus per mensem frequentandam, eum in finem ut, si non convertatur, saltem falsas et praeconceptas contra fidem catholicam opiniones derelinquat ».

(1) Cf. Epist, S. C. de P. F., 4 Dec. 1862, apud *Collectan.*², n. 1232, coll. *N. R. th.*, XV, p. 586. Ibidem enumerantur quaedam incommoda quae suadere possunt relaxationem normae. Nimirum a/ « quotiescumque, ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem, faciles excitarentur haereticorum queremoniae et odia adversus fideles legesque ecclesiasticas; b/ quotiescumque (timendum esset ne), denegata a parocho catholico benedictione, sponsi... ministellum adeant...; c/ quotiescumque insuper timendum esset quod, recusata ab ipsis expetita benedictione, aut non servarentur necessariae cautiones... aut, quod detestabilius foret, ne pars catholica ad haereticorum castra, in sui et futurae prolis aeternam perniciem, transiret ».

(2) Cf. decr. C. S. O., 17 Jan. 1877, et *Instr.* C. S. O., 9 Dec. 1874, ubi, in casu particulari, suadetur parocho usus solius superpellicei, omissis reliquis ritibus; et ita quondam concessum est, in dioecesi Brugensi, ut, attentis gravibus adjunctis, matrimonium quoddam mixtum celebraretur (praemissa una proclamatione) in ecclesia, ad laterale altare, coram parocho superpelliceo induto, cum sacrista assistente pariter in habitu ecclesiastico. Potest etiam concedi, arbitrio Episcopi, ut conciuncula instituatur (C. S. O., 25 Junii 1885, apud *Collectan.*, n. 1443).

In Anglia, consuetudine tolerantur plerique ritus sacri, cum debitis restrictionibus, inter quas vetatur deferri pluviale, apponi peculiaria ornamenta in sanctuario, accendi candelas, et sanctuarium occupari a sponsis. In hunc sensum conventus Episcoporum anni 1898, ubi additur posse permitti musicae executionem in recessu sponsorum.

In dioecesi Eystettensi, parochus omnia peragit quae in nuptiarum celebratione de norma observantur, « excepta benedictione annuli, et, mutata forma, dicat: *matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, et ego in facie Ecclesiae illud solemnizo,* omissis verbis: *et ego illud approbo;* similiter mutata forma, quae in lingua vernacula pronunciari solet, omissa tum benedictione tum vocabulis ultimis, approbationem et benedictionem designantibus, porrigat sponsis, statim et nullis additis precibus derelictaque aspersione sponsorum cum aqua benedicta, vinum non benedictum, in signum mutui amoris inter eos fovendi ». *Instr. pastor. Eystetten.*, n. 531. Cf. etiam TANQUEREY, o. c., n. 1037, circa praxim vigentem in Statibus Faeder. Amer. septentr.

(3) Ad tramites decr. C. S. O., 17 Jan. 1872 (*N. R. th.*, XX, 462 ss.; GASPARRI, o. c.,

2° Juxta can. 1026, regula est ut *banna omittantur*. Sed etiam hîc potest, judicio Ordinarii, a norma recedi: potest scil. bannorum proclamationem permittere, dummodò removeatur scandalum, dispensatio praecesserit ac mentio omittatur religionis partis non catholicae (1).

3° Matrimonia mixta « *extra ecclesiam* celebrentur », hac rursus salva restrictione ut, « si Ordinarius prudenter judicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti ejus arbitrio committatur hac super re dispensare ». Can. 1109, § 3.

Locus ad hoc aptus est sacristia, vel, « pro parochiis ubi sacristia apta et conveniens non adest, in alio loco ecclesiae adjuncto, ut capella remota, sine cereis accensis, nec quocumque ornatu speciali » (2); juxta FEYE, *De Imped.*, n. 571, melius est ut assistat potius in loco omninò profano sed decenti, modò contrarium non ferant statuta vel usus dioeceseos (3).

4° Juxta can. 1102, § 1, coll. can. 1064, n. 4, « interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3 », quatenus scil. parochus assistens, excluso metu gravi vel vi, « *requirat excipiatque contrahentium consensum* »: idque, quod nota, *sub poena nullitatis*.

Hae variae dispositiones inductae sunt ab Ecclesia in odium matrimonii mixti, ad hoc scil. ut fideles ab illo avertantur.

511. Notanda.

Nota 1. Assistentia absque ritu sacro vocari solet *assistentia passiva*. Attenta tamen dispositione de qua modò sub 4°, assistentia non est omninò passiva, sicut contingebat ante Decretum *Ne temere* (4).

---

n. 463), vigore clausulae *exclusa tamen semper Missae celebratione*, prohibetur non tantùm (licet directè et principaliter) Missa *pro sponsis*, cum orationibus et benedictionibus uti in Missali Romano, sed quaelibet Missa, etiam privata, interdicitur ex industria celebranda coram sponsis et comitibus post matrimonium, ita ut ea Missa ex adjunctis habeatur tanquam complementum caeremoniae matrimonii, licet sponsis non detur distincta sedes. Quod confirmatur responso *Pont. Comm. ad Cod. interpr.*, 10 Nov. 1925, ad IX, apud A. A. S., XVII, p. 583.

(1) Cf. suprà, n. 58 et n. 62, coll. Litt. C. S. O., 4 Julii 1874 (*Collectan.*, n. 1223), coll. etiam *N. R. th.*, XV, p. 589 ss. — Quoad matrimonia ineunda inter illos quorum una pars hic et nunc acatholica est, sed inter catholicos est assumenda ante matrimonii celebrationem, videtur applicanda norma communis canonis 1022. Cf. *Ned. Kath. St.*, 1923, p. 380.

(2) Decr. C. S. O., 17 Jan. 1877, apud *N. R. th.*, XX, p. 462 ss.; THEOL. MECH., o. c., n. 62, qu. 6.

(3) Nedum jus particulare Brugense hujusmodi praxi contrarietur, potius favet et suadet ut in *aula pastorali* consensus nuptialis praestetur: ita vitatur inconveniens quod in sacristia contracturi sollicitent sollemniter ingredi ecclesiam et per eam transire ad sacristiam.

Opportune autem observat HILLING, apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1925, p. 111 ss., non esse consentaneum menti legislatoris universim permittere ut hujusmodi matrimonia celebrentur in ipsorum nupturientium aedibus privatis: hujusmodi namque celebratio potius cederet in favorem matrimonii mixti quam in odium.

(4) Olim sufficiebat assistentia *merè et omnino* passiva, absque ullo positivo parochi actu, ac satis erat ipsum audiisse consensum et de ejusdem praestatione posse testari. Contrà Decretum *Ne Temere*, sub art. IV, ad ipsum valorem matrimonii, exigebat

2. *Ratio* cur adeo severè urgeat Ecclesia suam disciplinam in hac re est, quemadmodum docet *Instr.* anni 1858 (*Collectan.*, n. 1430), « ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere et deterrere ab iisdem mixtis conjugiis, in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis ».

512. Quid de matrimonio sine dispensatione inito.

Scholion. Supponitur, sub hoc II, matrimonium celebrari licite, praevia dispensatione.

Quodsi postulatur assistentia parochi matrimonio *illicite* celebrando, recusatis scil. cautionibus aut spreta vel denegata dispensatione: assistentia *universim est deneganda,* abrogata (1) exceptione olim facta pro quibusdam regionibus, quales sunt plures regiones Germaniae (provincia Coloniensis et Bavaria), Austriae et Hungariae (2), in quibus, de venia S. Sedis, tolerabatur, in casu, parochi assistentia (3). Solus relinquitur recursus ad S. Sedem quando, ob gravia adjuncta, praesentia sacerdotis judicatur, in casu particulari, necessaria (4).

---

ut parochi « invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti, requirant excipiantque contrahentium consensum »: quam dispositionem etiam in celebratione matrimonii mixti urgebat decr. S. C. C., 27 Julii 1908, ad 3m, salva tamen derogatione de qua sub n. 512. Nunc vero, sub disciplina novi Codicis, etiam haec derogatio censetur abrogata, et norma can. 1095, § 1, n. 3, urgetur universim et absolute. Cf. mox infrà, n. 512.

(1) Decr. C. S. O., 26 Nov. 1919, quod decretum, in A. A. S., nondum vulgatum, exhibet *Th. Pr. Quartalschr.*, 1921, p. 249 (cf. etiam *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1920, p. 28), quale fuit Ordinario Pragensi communicatum:

« Ad consultationem Rmi Ordinariatus Pragensis S. C. S. Officii ita respondit:

In concessu habito feria IV, die 26 Nov. 1919, propositis precibus istius archiepiscopalis Curiae, datis die 5 Aprilis 1918, quibus petis quomodo se gerere debeat in excipiendo consensu sacerdos, qui adsistit celebrationi matrimonii inter catholicum et acatholicum, qui non dant cautiones. Emi ac Rmi Domini Cardinales una mecum Inquisitores Generales respondendum mandarunt, in omnibus servandas esse praescriptiones Codicis Juris canonici. Hinc sacerdos his matrimoniis adsistere nequit, nisi, praestitis cautionibus, obtenta fuerit dispensatio super impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, ad normam can. 1060 et 1061; consensum vero requirendum ad normam can. 1102 et 1095. Contrariae S. Sedis praescriptiones atque contraria indulta per ipsum Codicem J. C. abrogata sunt.

R. Card. Merry del Val ».

(2) Circa illam specialem concessionem cf. Litteras Gregorii XVI, 30 Aprilis 1841, ad Episcopos Hungariae, apud *Collectan.*, n. 1428; cf. Litt. Apost. Pii VIII, 25 Martii 1830, n. 1426; Instr. S. C. de P. F., anni 1858, n. 1429; Instr. Card. Lambruschini, adnexam Litteris Gregorii XVI, n. 1428, in nota; Instr. Card. Bernetti ad Episcopos Bavariae, 12 Sept. 1834, apud *N. R. th.*, XV, p. 513; Instr.,22 Maii 1841, ad Episcopos Austriae ditionis in faederatis Germaniae partibus, apud KUTSCHKER, o. c., IV, p. 720 ss., vel apud SCHÄFER, o. c., p. 151 s.

Peculiaria autem adjuncta ob quae S. Sedes in variis locis tolerantia utendum censuerit (ac facilius concessura esset licentiam, in casu particulari), sunt in hoc quod vel ad assistentiam cogatur sacerdos (*N. R. th.*, XV, p. 511; GASPARRI, o. c., n. 447), vel quia timendum sit ne ex denegata assistentia plurima connubia coram ministello celebrentur, aut invalidé contrahantur.

(3) Juxta decr. C. S. O., 2 Aug. 1916 (A. A. S., VIII, p. 316), matrimonia, extra illas regiones cum assistentia passiva celebrata, erant *invalida.*

(4) Non improbabile etiam videtur quod, in casu urgenti, quando deest tempus adeundi S. Sedem, illam assistentiam permittere posset Ordinarius ex potestate ordinaria, de qua in can. 81. Cf. modò dicta, in nota ad n. 508, coll. infra n. 716.

Quandocumque autem contingat assistentiam praestari matrimonio sic illicitè ineundo, applicanda est, juxta modò notata sub n. 511, norma can. 1102, quae, in canone 1064, n. 4, sine restrictione urgetur servanda, idque pro valore, in matrimoniis mixtis, quatenus etiam hîc exigatur requisitio et exceptio consensus, non autem sufficiat assistentia merè passiva.

Hucusque permittebatur, etiam sub disciplina *Ne temere,* in matrimoniis mixtis illicitè celebrandis, pro quibus, ob peculiaria adjuncta, tolerabatur assistentia parochi, permittebatur, inquam, assistentia merè passiva (decr. C. S. O., 21 Junii 1912 et 5 Aug. 1916): haec autem abrogata est penitus, sub regimine Codicis, etiam pro illis casibus exceptionalibus, uti constat ex tenore decreti modò relati.

III. **Post matrimonium mixtum contractum.**

513.
3° Officium parochi post matrimonium contractum

A. Si **licité** fuerit contractum, sufficit parocho ut invigilet cautelarum observationi, sollicité curando ne periculum perversionis immineat parti catholicae, neve christiana educatio prolium negligatur. Can. 1064, n. 3 (1).

a/ licitè;

B. Si **illicité** fuerit initum, sive quia dispensationem neglexerunt, aut clausulas observare renuerunt, aut ministrum acatholicum adierunt:

514.
b/ illicitè:

1° Ubi matrimonium fuit **validum:**

si fuit validum;

a/ « Admoneantur conjuges catholici et instruantur tum de peccato commisso, tum vero etiam de districta, qua tenentur, obligatione, consuetas cautelas observandi et speciatim universam prolem, quoad poterunt, catholicé instituendi, quin contrariis promissionibus, utpote injustis, quantumvis jurejurando firmatis, obligentur » (2).

b/ « Quodsi docibiles facti et veré poenitentes revertantur ad cor, *admitti* utique poterunt *ad sacramentorum participationem,...* impositis quidem poenitentiis salutaribus, et sanctissima addita lege ut, quantum in ipsis est, conditionibus in jure naturali et divino fundatis satisfaciant » (3).

Oportet autem ut de conditionum observatione futura constet cautione praestita, idque regulariter in forma scripta, si in hac

(1) Quomodo practice procurari possit a parte catholica cautelarum observatio, signanter quod spectat catholicam educationem prolium, egregie exponit VLAMING², o. c., n. 239-241.
(2) *Instr.* C. S. O., 3 Jan. 1871, apud *Collectan.*, n. 1434, sub 5.
(3) *Ibidem.*

forma nondum praestita fuit fides (1). Ita etiam reparari potest scandalum quod suo modo agendi provocaverit pars catholica.

Quodsi consensus fuerit emissus coram ministro acatholico (2), requiritur, praevié ad reconciliationem, *absolutio a censuris* forsan contractis (3): quae absolutio deberet, ad apicem juris, concedi *in foro externo* (4); practice autem sufficere potest absolutio *pro foro interno,* etiam sacramentali, qua data, conjugi permitti potest accessus ad sacramenta, nisi adsit ratio scandali removendi (5), vel nisi Ordinarius censuram urgeat in foro externo: quod potest facere « nisi concessio absolutionis probetur aut saltem legitimè praesumatur in foro externo » (can. 2251). Ratio cur generatim sufficiat absolutio in foro interno est quia, ad tramites ejusdem can. 2251, absolutus in foro interno potest, seclusa duplici hypothesi facta, uti absolutum se habere etiam in actibus fori externi (6). De caetero attendi debent dispositiones juris particularis (7).

Circa a/ et b/ cf. *Instr.* Card. Lambruschini, 30 Apr. 1841, apud *Collectan.,* n. 1429, in nota; et documenta relata apud *Collectan.,* n. 1426, et 1438 et 2186.

c/ Si pars acatholica interea fuerit ad Ecclesiam conversa, possent conjuges, aliunde benè dispositi, admitti ad *benedictionem*

---

(1) Cf. *N. R. th.,* XV, p. 119 ss.; Litter. C. S. O. 12 Martii 1881, apud *Collectan.,* n. 1440.

(2) Intenditur comparutio coram ministello, uti sacris addicto, juxta notata suprà, n. 507.

(3) Pars catholica, matrimonium *celebrando* coram ministro haeretico qua tali, juxta can. 2319, § 1, n. 1, excommunicationem incurrit latae sententiae *Ordinario reservatam.* Antea censebatur inde contrahere excommunicationem (S. Pontifici specialiter reservatam) adnexam haeresi, sive qua « haereticis credens », ad mentem LEITNER[2], o. c., p. 356, sive ut « haereticis favens », ad mentem WERNZ, o. c., n. 588, nota 42. Circa hoc cf. *Can. cont.,* 1919, p. 17 s. Cf. etiam tenorem indulti super disparitate cultus, infrà, sub n. 770.

Circa alia capita ex quibus censura contrahi possit, cf. infrà, n. 517, sub 3°.

(4) Circa absolutionem a censuris *in foro externo,* cf. declar. C. S. O., 16 Febr. 1916, apud A. A. S., VIII, p. 61. Cf. etiam *N. R. th.,* XV, p. 595 s.; *Collat. Brug.,* t. V, p. 305; GASPARRI, o. c., n. 468; WERNZ, o. c., IV, n. 588, sub nota (42). Cf. etiam decr. C. S. O., 17 Martii 1874; 23 Aug. 1877; 10 Febr. 1892 (*Collectanea,* n. 1435, 1438 et 2186), necnon decr. S. C. de Sacr., *Dromoren.,* 26 Martii 1909, apud *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 617.

(5) Juxta Instructionem dioecesanam *Metensem* (*Rev. eccl. de Metz,* 1906, p. 263), sufficit absolutio in foro interno, quotiescumque factum haereticae matrimonii celebrationis ignoratur nec praevidetur divulgandum.

(6) Quod nunc spectat casum quo, omnibus attentis, danda esset absolutio in foro externo, nec opportunum apparet conjuges relinquere in bona fide, quemadmodum nonnunquam juvat illos in ea relinquere, nihil impedit quominus poenitens a confessario, facultatem habente aut facultate utente ipsi facta a can. 2254, § 1, absolvatur, positis ponendis, in foro interno, si desit tempus ad Episcopum recurrendi, injuncto onere postea impetrandi absolutionem in foro externo. Cf. etiam LEITNER, *Lehrb.,* p. 368 ss.; WERNZ, l. c.; PUTZER, o. c., n. 145; *Archiv für kath. Kirchenr.,* 1912, p. 497.

(7) Cf. VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 282, sub 5°, ubi docet, in locis in quibus grassantur haereses, absolutionem solere dari in foro dumtaxat *interno* sacramentali, siquidem in illis locis vix unquam aliquis deducitur ad forum contentiosum. Item *Instr. pastor. Eystettensis,* n. 534, non urget absolutionem in foro externo, nisi pro casu causae deductae ad forum contentiosum; addit autem ne in foro quidem interno esse absolvendum poenitentem, qui declarat se latam censuram ignorasse momento delicti commissi, siquidem eatenus non contraxit censuram in foro interno.

nuptialem, praemissa monitione de indole merè rituali dictae caeremoniae.

d/ Si pars acatholica est male disposita nec vult cautelarum observationem spondere, equidem potest pars catholica, bene disposita et cautelarum observationem pro sua parte promittens, ad sacramentorum participationem recipi (1).

Posset etiam pars catholica, moribunda et sensibus destituta, conditionate absolvi, licet non sciatur benè disposita nec potuerit resipiscentiae signa dare (2). Decr. C. S. O., 6 Julii 1898, ad 2[m] (3).

Nota, in casu, de quo sub hoc 1°, nihil obstare licito usui matrimonii, nec locum esse dispensationi dandae vel convalidationi.

515. si fuit invalidum.

2° Ubi matrimonium fuit **invalidum,** sive ob vitium clandestinitatis (quod vitium, sub praesenti disciplina, facilius incurritur) (4), sive ob praesentiam alterius impedimenti dirimentis:

a/ Nisi separatio sit possibilis et consulenda, parochus regulariter curare debet ut matrimonium *convalidetur* (cf. infrà, n. 721).

Ad hanc autem convalidationem requiruntur, praeter dispensationem (5), observandae cautelae et cautiones, suprà descriptae in ordine ad matrimonium contrahendum, praemissa etiam, ubi opus est, absolutione a censuris: haec tamen attendatur restrictio quod nempe, si pars acatholica est malè disposita nec vult conditiones observandas promittere, equidem potest exceptionaliter dispensatio seu potius convalidatio obtineri, in gratiam partis bene dispositae necnon prolis legitimandae, modò absit vel remotum factum sit periculum perversionis (6); pro qua convalidatione recurrendum esse monet C. S. O. (22 Dec. 1916, A. A. S., IX, p. 13) ad sanationem in radice: quae caeteroquin sanatio sola manet solutio, quando pars male disposita renuit consensum, etiam per procuratorem, renovare in forma Ecclesiae (7). Cf. infrà, n. 914.

(1) In hunc sensum data est, die 2 Junii 1910, solutio a C. S. O., ad dubium propositum ab Episcopo Brugensi, exponente casum uxoris catholicae bene dispositae, cujus maritus nolebat promittere educationem christianam prolis *jam natae;* responsum est scil.: « oratrix acquiescat, curet tamen pro viribus prolis etiam jam natae catholicam educationem ».

(2) Quod spectat *sepulturam ecclesiasticam* hujusmodi personae, si moriatur: ipsi foret deneganda, si nullum unquam dederit resipiscentiae signum (decr. C. S. O., 8 Maii 1907, apud *Anal. eccl.*, 1908, p. 487); posset autem concedi, si dicta pars, non obstante sensuum externorum privatione, potuerit ad contritionem excitari; monet autem S. Sedes ut, in casu, evulgentur resipiscentiae signa et omittantur ecclesiasticae pompae et sollemnitates exequiarum. Can. 1240, § 1, coll. decr. C. S. O., 6 Julii 1898, ad 1[m].

(3) *Collectanea*[2], n. 2007. In decreto, remittit S. Congregatio ad doctrinam S. ALPHONSI, *Theol. mor.*, l. VI, n. 483.

(4) Cf. suprà, n. 139 ss., ubi vidimus matrimonia mixta obnoxia esse legi clandestinitatis, etiam post obtentam dispensationem.

(5) Si matrimonium invalidum fuit ex vitio clandestinitatis, quae est frequentior causa nullitatis, sola requiritur dispensatio super mixta religione, si nondum fuerat obtenta.

(6) Cf. suprà, n. 508.

(7) Hujusmodi rescriptum sanationis in radice obtinuit Ordinarius Brugensis, die

b/ Convalidato matrimonio, potest conjux catholicus *ad sacramenta admitti,* vel ab illis debet arceri, juxta normam indicatam sub 1°, ad d/.

c/ Etiam, non convalidato matrimonio, posset pars catholica, moribunda et sensibus destituta, conditionatè absolvi, ad normam ibidem dictorum.

516. Notitia historica.

Notitia historica. Inde a saeculo 3° finiente, plures a variis conciliis latae sunt leges *prohibentes* matrimonia cum acatholicis ineunda (1), agnita tamen, usque ad Conc. Trullanum, eorum validitate.

In hac Trullana Synodo (692), matrimonia cum haereticis *sub poena nullitatis* reprobantur, et haec mansit disciplina in Ecclesia *Graeca,* saltem non unita, quae irritat matrimonia ab orthodoxis contrahenda, non quidem cum schismaticis, sed cum haereticis, quos caeteroquin infidelibus aequiparandos ducit (2).

Ecclesia *Latina* non irritabat matrimonia mixta cum haereticis, sed, jure saltem communi, ut illicita dumtaxat illa habebat (3); erant autem prohibitae nuptiae etiam cum schismaticis et non tantùm cum solis haereticis (4).

Tempore Reformationis recruduit quaestio, eousque vix non sopita, de matrimoniis mixtis: cum autem a Conc. Trid., ad valorem matrimonii, exigeretur celebratio coram Ecclesia, eo ipso poterant ab ea efficaciter et sub poena nullitatis conditiones apponi, pro obtinenda licentia (seu dispensatione) observandae. Porro primitus uti conditio injungebatur abjuratio haereseos ex parte sponsi acatholici, vel saltem conversionis seria et indubia promissio: qua deficiente conditione, nonnisi ob gravissimam boni publici causam dispensabant Pontifices Romani, idque sub stricta cautela educationis catholicae prolium ac liberi pro parte catholica religionis exercitii; vix unquam etiam, ante saec. 18^{m}, delegata fuit a S. Sede illa dispensandi facultas.

Exinceps, inde jam a saeculo 17°, remissum est paulatim a rigore descriptae disciplinae. Imo apud quosdam doctores invaluit opinio, in

---

26 Martii 1914, in favorem mulieris catholicae, quae cum viro acatholico, dubie baptizato, matrimonium nulliter contraxerat coram ministello, praestito vero consensu matrimoniali: vir autem nolebat cautelas spondere nec consensum coram Ecclesia renovare. Cf. *Th.-Pr. Quartalschr.,* 1914, p. 382 ss., et 1921, p. 247 ss., collato casu citato apud *Collat. Brug.,* t. VI, p. 599 s.; cf. etiam AYRINHAC, o. c., n. 121 et 129; *Ned. kath. Stemmen,* 1919, p. 60 ss.; *l'Ami du clergé,* 1925, p. 229 s.; *N. R. th.,* XV, p. 579 s.; *R. th. fr.,* 1897, p. 477 ss.; *Litter.* C. S. O., 22 Nov. 1889, apud *Collectan.,* n. 1569; et prae caeteris, decr. S. C. O., 12 Apr. 1899, apud *Anal. eccl.,* 1899, p. 235 s. Caeterum, in ipso tenore facultatis, quam nonnulli Ordinarii accipiunt, sanandi in radice matrimonia mixta attentata, ad hanc sanationem procedi posse dicitur quando consensus legitime renovari nequit, « sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat..., sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut *ad cautiones praestandas*... ullo modo induci nequeat ».

(1) Conc. Illiber. (306), cc. 15 et 16; Conc. Laodicen. (343-381), cc. 10 et 31; Conc. Hippon. (393), c. 12; Conc. Calcedonen. (451), c. 14.

(2) SCHNITZER, o. c., p. 238 s.; SCHERER, o. c., p. 407, coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 169, nota 5.

(3) Non defuerunt tamen decreta particularia quae videntur irritasse matrimonia mixta; non unus etiam inter theologos et canonistas medii aevi matrimonii mixti nullitatem vindicabat. Cf. GILLMANN, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1912, p. 194 et *Der Katholik,* 1910, p. 480; ESMEIN, o. c., I, p. 218.

(4) Notat WERNZ-VIDAL, l. c., hanc praxim de solâ vi prohibitiva impedimenti etiam usurpari nunc in Ecclesia Orientali unita, seu catholica, derelicto rigore disciplinae Trullanae.

locis nempe ubi haereses impune grassantur, speciatim in Germania, matrimonia mixta posse permitti absque dispensatione, modò debitae cautelae praesto fuerint. Huic opinioni conformis vigebat praxis, praesertim in Germania; quinimo, graviori adhuc abusu, ibidem tolerabantur hujusmodi matrimonia, etiam ubi negligebantur necessariae cautelae, ubi nempe, juxta exigentias Status civilis, proles pro educatione religiosa segregandae praeviderentur juxta sexum, quatenus scil. filii sequerentur religionem patris et filiae religionem matris. Quae rerum conditio mansit usque ad initia saeculi 19[1], donec, per repetitas Instructiones S. Sedis et post gloriosam luctam (Mischehen-Kulturkampf), praesens doctrina et praxis Ecclesiae praevaluerit, signanter quod spectat necessitatem dispensationis et cautelarum. Cf. SCHNITZER, o. c., p. 244 ss. (1).

517. Poenalitates.

Poenalitates. 1° « Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto *ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi* manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint ». Can. 2375, coll. can. 2256, n. 2. (2).

2° « Subsunt, uti modo vidimus, sub n. 514, excommunicationi latae sententiae *Ordinario reservatae* catholici qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico ». Can. 2319, § 1, n. 1.

3° Quodsi matrimonium inierit pars catholica « cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam », etiam ex hoc capite subest eidem excommunicationi Ordinario reservatae, ac insuper est suspecta de haeresi. Ita can. 2319, § 1, n. 2 et § 2. Item si scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumpserit, aut eos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradiderit. Can. 2319, § 1, n. 3 et 4, coll. suprà, n. 275.

APPENDIX: DE DISSENSU PARENTUM.

518. Disciplina canonica praesens.

Neque absentia consensus parentum, neque eorum dissensus, etiam rationabilis, constituit, in praesenti disciplina, impedimentum canonicum, nequidem impediens (3), uti innotescit ex tenore can. 1034, et uti jam notavimus sub n. 476 et n. 485.

Attamen 1° Filii *minorennes*, qui scil. vigesimum primum aetatis

(1) Juvat notare quomodo, in ecclesia reformata Neerlandica, inducta sit (anno 1922, a Consistorio Harlemensi et, anno 1924, a Consistorio de Hilversum) dispositio aliqua similis contra matrimonia a reformatis ineunda cum membro confessionis dissidentis protestanticae aut cum haeretico (signanter catholico). Non quidem conditur impedimentum — quod esset contra eorum conceptionem de matrimonio (suprà, n. 442 s.) — sed dissuadenda proclamantur hujusmodi matrimonia mixta, eisque denegatur sic dicta « confirmatio », seu recognitio ecclesiastica matrimonii civiliter contracti. Non denegatur tamen dicta confirmatio si quibusdam cautelis et cautionibus fit satis, signanter circa prolis educationem in reformata ecclesia. Cf. VAN DER MEER, apud *Ephem. theol. Lovan.*, 1925, pp. 550 ss.

(2) Juxta can. 2256, num. 2, « nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere judicis, auditoris... advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis, munus patrini agere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; jus patronatus exercere ».

(3) Quod spectat existentiam impedimenti *dirimentis*, cf. infrà, n. 519, ubi refertur a Synodo Tridentina anathemate damnatam fuisse doctrinam hujusmodi impedimenti existentiam affirmantium.

annum non expleverunt (can. 88, § 1), *graviter peccant* si, insciis et non consultis aut rationabiliter invitis parentibus, matrimonium contrahant (1). In hunc sensum, juxta can. 1034, graviter sunt monendi *a parocho,* et, si insciis aut rationabiliter invitis parentibus equidem nubere velint, « eorum matrimonio non assistat (parochus) nisi *consulto* prius *loci Ordinario* » (2). Cf. suprà, n. 30 et n. 275.

2° Quod spectat *majorennes:* sane admodum *conveniens est,* et honor et reverentia debita parentibus omninò *suadet,* ut in hoc negotio parentum consilium invocetur utque huic consilio, in quantum rationabile est, morem gerant; stricta tamen obligatio non videtur adesse, cum, ad normam can. 89, « plenum habeant suorum jurium exercitium », nec ulla imponitur interventio parochi aut recursus ad Ordinarium, si insciis aut rationabiliter invitis parentibus nuptias inire velint.

3° Ratio est habenda *impedimenti civilis,* sicubi existit; et, si timetur conflictus cum jure civili, res deferenda foret ad Episcopum. Statuta autem juris civilis Belgici videsis mox infrà, n. 520 ss.

Nota. Ex dictis sequitur nihil, ex parte Ecclesiae, obstare celebrationi matrimonii, cui *irrationabiliter* denegatur consensus parentum, nequidem si agitur de *minorennibus.* Prudenter tamen in hoc negotio procedere debet parochus: et quidem *primò,* sponsis querentibus de injusta parentum oppositione non leviter fidem adhibeat parochus, cum saepe sibi fucum faciant et passionis aestu obcaecentur, sed sedulò perpendat omnia adjuncta; *secundò,* etiam ubi constat de irrationabilitate dissensus, nec ullo modo consensus paternus obtineri potest — quem obtinere prius conari debet parochus — etiam tunc passim abstinebit parochus a positivè suadendo filiofamilias ut nubat: secus enim facilè odia in se concitaret, cum parentes soleant in hac re jura sua exaggerare et aegre ferre contradictionem.

Scholion I. Notitia historica.

519. Notitia historica circa disciplinam anteriorem.

Gratianus jam non requirebat consensum parentum, nec uti elementum constitutivum consensus matrimonialis, nec uti conditionem ad ejusdem validitatem; illum requirebat ad solam *legitimitatem* (*Dict.* p. c. 12, C. XXXII, q. 2), i. e., attento *Dict.* p. c. 17, C. XXVIII, q. 1, ad plenam matrimonii perfectionem (Vollgültigkeit), adeo ut matrimonium, sine consensu parentum initum, habuerit ceu validum quidem, sed minus perfectum (3).

---

(1) Ut graviter peccet minorennis, insciis et inconsultis parentibus, matrimonium iniens, supponitur consuli posse parentes absque gravi incommodo; etiam a consilio petendo excusare posset certitudo paterni consensus.

(2) Ordinarii erit normam agendi proponere parocho, puta vetando *ad tempus* matrimonii celebrationem, ad normam can. 1039, § 1.

(3) Cf. MITTERER, o. c., p. 32 ss.; VANTROYS, o. c., p. 170 ss.; SCHULTE, o. c.,

Decretistae, etiam illi qui, brevi post Magistrum, hujus Decretum interpretati sunt, ulterius procedunt ac plenè legitimum (non tantùm validum) docent esse matrimonium absque paterno consensu contractum. Ita Mag. Rolandus.

Quae sententia de non requisito consensu parentum ad matrimonii validitatem confirmatur ex doctrina tum vigente circa raptum seductionis seu raptum in parentes. Nimirum Decretistae, sicut ipse caeteroquîn Gratianus, non admittebant praesto esse raptum, adeoque irritari matrimonium, si consentiens mulier abducta fuerit insciis parentibus, sed tantùm si abducta fuerit violentia illata parentibus aut hisce positive renitentibus; imo exinceps non admittebant raptum et matrimonii impedimentum in abductione mulieris nubilis, in abductionem simul ac in matrimonium consentientis, etiam contra positivam voluntatem paternam, sic ad ultimam consequentiam urgentes thesim de non requisito consensu paterno (1): quae doctrina authenticè fuit sancita in decretali Lucii III (1181-1185), c. 6, X, V, 17.

Quaestio de necessitate consensus parentum fuit multùm agitata coram *Synodo Tridentina,* occasione decreti de clandestinitate (2). Triplici sub forma successive propositus est canon consensum paternum requirens pro valore matrimonii (ac etiam sponsalium) filiorum, infrà determinatam quamdam aetatem (3); sed nulla sub forma nactus est canon assensum Patrum Concilii, adeo ut relictus sit filiorum matrimonio nativus suus valor, secluso parentum consensu, et retentum fuerit solum impedimentum impediens (4). Cf., apud LAFOURCADE, o. c., p. 186, rationis momenta quae Patres conciliares moverint.

Circa leges et ordinationes Gallicas, quomodo deinceps abusive statuerint impedimentum *dirimens,* quasi defectus consensus paterni involverit raptum, et ex hoc capite induxerit matrimonii nullitatem, cf. BERNARD, o. c., p. 106-147, collatis suprà notatis ad n. 445 (5).

---

p. 320 s.; GILLMANN, apud *Archiv f. k. K.*, 1911, p. 378, et 1912, p. 193 s. — Aliter KÖSTLER, o. c., p. 68-76.

(1) Sic etiam practice repudiatur, uti matrimonii impedimentum, raptus seductionis. Cf. infrà, n. 655.

(2) Tempore Concilii Tridentini, existebat opinionum motus in favorem nullitatis matrimonii ex defectu consensus paterni. Qui motus praesertim procedebat ex ratione orta in favorem juris Romani. Rex etiam Galliae urgebat Concilium ut in illum sensum conderet canonem. Cf. BERNARD, o. c., p. 93 ss.

(3) Sub *prima* forma canon habebat: « Eadem S. Synodus ea quoque matrimonia, quae *filii* familias, ante *decimum octavum, filiae* vero, ante *decimum sextum* suae aetatis annum completum, *sine parentum consensu* de caetero contraxerint, praesenti decreto *irritat et annullat* ».

Sub *secunda* forma canon ita disponebat: « Eadem S. Synodus *filios* quoque familias qui ante *vigesimum, filias* vero familias quae ante *decimum octavum* suae aetatis annum completum, *sine parentum consensu,* de caetero matrimonium sive sponsalia contrahere attentaverint, ad matrimonium sive sponsalia sic contrahenda inhabiles reddit, atque hujusmodi contractum *irritat et annullat,* nisi, parentibus per se vel per alios requisitis, ut nuptiis ab eis honesté optatis assentiantur, illis inique (Praelati judicio) renuentibus, *de ejusdem Praelati licentia, id fecerint* ».

Sub *tertia* forma, canon idem statuebat ac sub 2ª forma, nisi quod requirebat consensum *patris vel avi paterni catholici,* et aetatem reducebat ad annum 18^{m} respective et 16^{m}. De hisce cf. ESMEIN, o. c., II, p. 155-168; et prae caeteris BERNARD, o. c., p. 90-105; KÖSTLER, o. c., p. 155 ss.

(4) Ita Sess. XXIV, can. 1, *De Reform. matr.:* « S. Synodus anathemate damnat... (eos) qui falsò affirmant matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit ». Cf. etiam *Catech. Conc. Trid.*, P. II, c. VIII, § 32.

(5) Nimirum, in matrimoniis minorennium, defectus consensus paterni inducebat,

520. Dispositiones legis civilis: a/ quoad legitime natos:

Scholion II. DISPOSITIONES LEGIS CIVILIS BELGICAE (1).

I. Quoad legitimé natos:

A. Ante aetatem 21 annorum plene adeptam:

1° Filius et filia nequeunt matrimonium civile valide (2) inire absque praevio consensu parentum; ita tamen ut

minorennes; a/ dissentiente matre, sufficiat consensus patris (a. 148);

b/ defuncto patre vel matre, vel alterutro absente, vel ad voluntatem manifestandam impedito, sufficiat unius consensus. A. 149.

2° Utroque parente defuncto vel absente vel ad manifestandam voluntatem impedito, requiritur consensus avorum vel aviarum, ea rursus lege ut

a/ dissentiente avia, sufficiat consensus avi in respectiva linea, materna vel paterna, et

b/ ut dissensus inter ascendentes unius et ascendentes alterius lineae aequivaleat consensui. A. 150.

3° Si deficiunt parentes et avi et aviae (et, uti videtur, etiam proavi et proaviae), vel absunt, vel voluntatem suam declarare non valent, requiritur consensus consilii familiae. A. 160.

521. majorennes; B. *Post aetatem 21 annorum plene adeptam:*

1° Non jam indigent *consensu*, sed tenentur (3), per actum reverentialem et formalem, *petere consilium patris et matris*. A. 151.

2° Si dicti parentes voluntatem suam manifestare non valent, ad nihil jam obligantur filius et filia. *Ibidem.*

3° Si non obtinetur consensus hac ratione sollicitatus, potest nihilominus ad matrimonium procedi *post mensem* (4). A. 152.

---

coram auctoritate civili, praesumptionem, eamque, juxta POTHIER, o. c., p. 123 s., et alios, juris et de jure, raptus, raptus scil. *seductionis*, et ex hoc capite constituebat impedimentum dirimens matrimonii. Ast immerito, et quidem a/ quia, etiamsi praesumptio valeret, soli raptui *violentiae* agnoscebatur vis irritativa (cf. infrà, n. 648 et 655, coll. VANTROYS, o. c., p. 237 s.); et b/ quia merus defectus consensus parentum non importabat raptum seductionis, nequidem apud minorennes, sed ad illum requirebatur aut violentia illata parentibus aut horum renitentia positiva. Cf. etiam MITTERER, o. c., p. 116; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 143.

(1) Praecipuas tantùm dispositiones indicamus, juxta legem 30 Aprilis 1896; pro reliquis remittimus ad *Collat. Brug.*, t. VI, p. 188 ss.; coll. t. XIII, p. 386 ss., ubi quaedam mutationes exponuntur introductae favore legis diei 7 Jan. 1908. Cf. etiam *Compte-Rendu* de la Société S^t^ François Régis, 1883-1892 et 1893-1900, ubi leges Belgicae in hoc negotio successive latae exponuntur et variis commentariis ac documentis illustrantur, indicatis etiam praecipuis mutationibus in aliis regionibus introductis. Cf. MECHELINCK ET SERVAIS, *Les Codes*, art. 148-160, ubi notantur dispositiones nostri juris civilis ante 1896; BERNARD, o. c., p. 228 ss.; *Revue cathol. de Droit*, 1907-1908, p. 341 ss. (coll. VERMEERSCH, *Manuel social*, I, p. 271 s.), ubi proponitur nova moderatio inducenda, quatenus speciatim possent minorennes ad judicem recurrere contra irrationabilem parentum dissensum. Cf. etiam apud *l'Ami du clergé*, 1907 — Jurisprudence, p. 136, et 1913, p. 80, dispositiones legis Gallicae, respective inductas die 21 Junii 1907 et 10 Martii 1913.

Quod autem spectat legislationes variarum aliarum nationum, in hac materia, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 144.

(2) Defectus consensus praescripti non reddit matrimonium civile *inexistens*, sed *nullum* in sensu a jure nostro civili intento: de quibus cf. suprà, n. 478.

(3) Omissio actus reverentialis, praevié ad matrimonium praestandi, reddit contractum civilem *illicitum* tantum.

(4) « Il va de soi que, lorsque le consentement du *père* aura été *obtenu* par un enfant majeur, il pourra être *immédiatement* procédé à la célébration, sans attendre l'expiration d'un mois à partir de la notification de l'acte respectueux à la mère ». Rapport de la commission spéciale de la Chambre des Repr. — *Docum. Parlem.*, 1896, p. 72.

Attamen, antequam filius vel filia attigerunt aetatem 25 annorum, pater vel, hujus defectu, mater possunt, infrà spatium 15 dierum inde a notitia ipsis facta computandum, actui reverentiali legaliter obsistere (1).

4° Eximuntur ab obligatione consilium petendi filius et filia inopes, quorum parentes non habent notam sedem in Belgio; post *mensem,* inde a dictae absentiae legali notificatione, possunt ad matrimonium devenire. A. 153.

II. **Circa illégitimé natos:**

A. *Legaliter agniti:*

522.
b/ quoad illegitime natos.

1° *ante aetatem* 21 *annorum,* indigent *consensu parentum,* iisdem sub restrictionibus quae habentur sub I, A, ad 1^{m}; defuncto autem utroque parente vel ad manifestandam voluntatem impedito, postulatur consensus non avorum et aviarum, sed *tutoris ad hoc.* Art. 158 et 159.

2° *post aetatem* 21 *annorum,* subsunt legislationi legitimé natorum. A. 158.

B. Pro *non agnitis,* aetatem 21 annorum nondum plene adeptis, requiritur praevius consensus *tutoris ad hoc,* et nihil ultra. A. 159.

---

(1) A. 152. Cf. *Pasicrisie,* 1909, III, p. 120, ubi refertur decisio tribunalis, morem gerens oppositioni factae a patre contra matrimonium filii majorennis, hujusque matrimonium prohibens ante aetatem 25 annorum celebrandum. Cf. etiam *Pasicrisie,* 1910, III, p. 301, et 1912, II, p. 279 s.

Notetur, juxta dicta sub n. 73, parentes posse, vi art. 173, contra filiorum matrimonium legalem oppositionem inducere ex quocumque capite, quamcumque aetatem adepti fuerint: haec scil. intercedit differentia quod oppositio vi art. 173 facta, nisi motivo legali nitatur, est a judice removenda, dum, in casu oppositionis, vi art. 152 inductae, judicis discretioni relinquitur statuere de impediendo matrimonio vel permittendo, citra etiam praesentiam legalis impedimenti: sic Curia *Leodiensis,* 30 Junii 1920 (*Pasicr.,* 1923, II, p. 36), admitti vult rationes decentiae, in specie « si la future est de condition sociale inférieure à celle du mari ». Cf. etiam decisionem Curiae Bruxellensis, 15 Jan. 1924 (*Pasicr.,* 1924, II, p. 64).

In *Gallia,* favore legis 21 Junii 1907, quae abstulit necessitatem paterni consensus post filii majorennitatem, nupturientes ad nihil jam tenentur erga parentes, quando annos 30 attigerunt; ante hanc aetatem, si non obtinuerint consensum parentum, debent *notificare* suum futurum matrimonium parentibus, et a 30° inde a notificationis die potest procedi ad nuptias. PLANIOL, o. c., I, n. 775. Circa legislationem *Germanicam,* cf. CRÉTINON, l. c., p. 163 ss.

Caput II

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Disputatio Prima.

DE IMPEDIMENTIS IMPROPRIE DICTIS, EX DEFECTU CONSENSUS (1).

Articulus 1°. **De Defectu usus rationis et amentia.**

522bis. Defectus discretionis vitiat consensum.

I. **Defectus usus rationis** *substantialiter vitiat consensum,* cum volitioni praesupponatur cognitio.

Praesumitur rationis usus in septennibus et censetur deficere in septennium nondum adeptis (can. 88, § 3); est autem praesumptio cedens veritati, seu juris tantum.

II. **Amentia** (2), *quae talem mentis obscurationem importat ut, momento celebrationis nuptialis, sufficiens non relinquatur rationis usus ad intelligendam substantiam contractus matrimonialis, substantialiter vitiat consensum.*

Non refert quod agatur sive de amentia vera et proprie dicta, quae scil. afficiat omnia objecta (3), sive de dementia seu monomania, restricta scil. ad quaedam determinata objecta, modò afficiat rem uxoriam et negotia matrimonialia (4). Quodsi dementia non afficiat negotia matrimonialia, nihil obstare videtur, theoretice loquendo, quominus matrimonium valeat (5).

---

(1) Etiam clandestinitas est impedimentum improprio sensu, afficiens scil. *formam* consensus; de hoc autem actum est in proprio loco, suprà, n. 103 ss., uti jam notavimus sub n. 463 et n. 477.

(2) Amentia, secus ac defectus rationis, supponit personam infantiae annos egressam.

(3) Amentes, in textibus juris, etiam vocantur *furiosi,* licet furia quid addat supra amentiam. Amentibus assimilantur completè idiotae.

(4) Cf. Causam *Quebecen.,* 23 Dec. 1918, apud A. A. S., XII, p. 338 ss., coll. *N. R. th.,* 1921, p. 160 ss.

(5) Videsis, apud Sanchez, o. c., l. I, disp. VIII, n. 22 s., controversiam expositam. — Medici moderni passim grave dubium movent circa possibilitatem, apud illos, consensus deliberati in matrimonium.

Dicitur: « *momento celebrationis nuptialis* »; et ideo, ex una parte, ad irritandum matrimonium non requiritur quod amentia sit perpetua vel continua, sed satis est ut nupturiens illo momento fuerit mente captus; ex alia autem parte, non dirimitur matrimonium ab habitualiter amente initum, si per lucidum intervallum contrahitur (1).

Quodsi validum est hujusmodi matrimonium sub lucido intervallo initum, regulariter illicitum est, ob infaustas sequelas pro conjugibus et potissimum pro prolibus (2): non potest permitti nisi gravissima de ratione et praevie consulto Episcopo (3).

Nota 1° Quod dictum est de amente momentaneo, quatenus vitiatur ejus consensus momento transitoriae amentiae emissus, etiam applicatur illis qui consensum emitterent tempore somni, sive naturalis sive hypnotici, aut tempore perfectae ebrietatis.

2° In praecedentibus supponimus matrimonialem consensum emitti per ipsos nupturientes. Quodsi matrimonium contingat celebrari *per procuratorem:* nullum est matrimonium, si mandans, momento celebrationis, in amentiam inciderit, quia consensus censetur defecisse (suprà, n. 124); valet autem matrimonium si mandans illo momento in somnum inciderit aut ebrietatem.

3° Patet amentiam *supervenientem* non dissolvere matrimonium ejusque validitatem relinquere intactam. Cf. cc. 25 et 26, C. XXXII, q. 7 (4).

---

(1) Cap. 26, Causa XXXII, q. 1, et c. 24, X, IV, 1, cum *Glossa*. Sedulò attende lucidum *intervallum* intelligi non pro diminutione vel etiam cessatione temporanea signorum insaniae, absque hoc quod amens ab aegritudine recreetur; saepe enim, uti observat *Glossa*, « furiosi sunt constituti in conspectu umbratae quietis, nec tamen sunt mentis sanae, licet videantur »: intelligitur pro vera, etsi temporanea, ad sànam mentem restitutione.

Porro, in dubio, praesumitur amentia ipso matrimonii tempore perseverare, quatenus luciditas censeatur mere apparens, si nupturiens brevi ante vel brevi post illud tempus indubia signa dederit amentiae habitualis, licet, sub ipsa sollemnitate nuptiali, nullus actus amentiae prodierit. Cf. Causam *Treviren.*, 22 Julii 1899, apud *Anal. eccl.*, 1899, p. 343 ss.; *Rev. eccl. de Metz*, 1900, p. 122 ss.; Causam *Parisien.*, 18 Martii 1905, apud *Canon. contemp.*, 1905, p. 407 s.; Causam *Argentinen.*, 22 Nov. 1907, apud *Anal. eccl.*, 1907, p. 482 ss.; Causam *Parisien.*, 23 Dec. 1909, apud *Acta Ap. Sed.*, II, p. 121 ss. Cf. etiam Causam *Buscoducen.*, 15 Maii 1915, apud A. A. S., VII, p. 572 ss. et *Quebecen.*, 23 Dec. 1918, A. A. S., XII, p. 338 ss.

(2) Hîc notat WERNZ, o. c., IV, n. 41, in nota 87: « Major benignitas juris canonici facilius admittitur, si ex parte solius viri sit amentia cum lucidis intervallis praesertim longioribus, quoniam in feminis hoc vitio infectis majus periculum imminet proli. Hinc, si ex utraque parte sit amentia, non obstantibus lucidis intervallis, vix unquam matrimonium erit licitum ».

(3) Pariter, ob easdem, proportione servata, rationes, prudenter dissuadenda sunt, licet non strictè interdicenda, matrimonia inter *mente debiliores, fatuos* seu *stupidos*. — Ratio urgens esse potest: legitimanda proles, salvanda fama, bonum regni.

(4) Si tamen amentia sese manifestat immediatè post matrimonii celebrationem, praesumitur esse antecedens, non consequens. Cf. LINNEBORN, o. c., p. 299, cum causis citatis.

ARTICULUS 2°. **De ignorantia et errore.**

PARAGRAPHUS PRIMA. *De Ignorantia.*

522ter. Ignorantia circa substantiale objectum contractus matrimonialis vitiat consensum;

Supposito rationis usu et mentis sanitate, ulterius vitiari potest consensus ob defectum sufficientis cognitionis seu ob ignorantiam.

Jamvero 1° ignorantia circa *ipsum substantiale* objectum matrimonialis contractus *substantialiter vitiat consensum matrimoniale,* cum nihil volitum nisi cognitum, uti jam dictum est, nec defectui consensus ex illa ignorantia orto unquam suppleri posset (1).

Substantiale objectum contractus matrimonialis est in cessione et acceptatione juris in corpus, perpetui et exclusivi, in ordine ad actus de se aptos ad prolis generationem (suprà, n. 75); sufficit autem scientia in confuso et implicita circa dictam cessionem et translationem, implicitè contenta in scientia circa hoc quod matrimonium sit societas permanens inter virum et mulierem ad filios procreandos (can. 1082, § 1, coll. suprà, n. 100). Cf. etiam in hunc sensum Causam Vicariatus Chansi Merid., 29 Nov. 1919, apud A. A. S., XIII, p. 54 ss., ubi, postquam declaratum est pro valido consensu opus esse quod « utraque pars usu rationis ita pollere debet ut quid sit matrimonium ejusdemque essentiales proprietates satis intelligere valeat », additur: « sufficit autem ut haec intelligere valeat *in confuso,* nempe illud consortium perpetuum et exclusivum instituendum esse in ordine ad filios procreandos, quin noverit ea quae spectant ad naturam modumque generationis » (2).

2° Ignorantia *proprietatum* matrimonii, indissolubilitatis nempe, unitatis vel sacramentalitatis, non vitiat consensum. Cf. mox infrà, n. 528, ubi dicenda de errore a fortiori valent de ignorantia.

Nota. Ignorantia circa substantiale objectum matrimonii non praesumitur post pubertatem — ita can. 1082, § 2, — adeo ut puberes praesumantur, praesumptione juris (non juris et de jure), notitiam sufficientem habere de natura matrimonii et de objecto substantiali contractus matrimonialis (3).

---

(1) Cf. infrà, n. 530.

(2) Non requiritur proinde quod sponsi explicitè sciant generationem obtineri per copulam carnalem; nec refert quod illam ignorantes non contraxissent si scivissent. Contrà VLAMING, o. c., n. 524, censet matrimonium invalidè contrahi ab ignorante copulam ejusve naturam: postulat scil. scientiam copulae, non quidem physiologicè exactam, sed eam qua « nupturiens saltem sciat ad filios ex uxore procreandos necessarium esse concursum proprii corporis et idcirco se in sociando conjugio tradere alteri parti *jus in corpus* in ordine ad generationem ». « Non enim, sic arguit, jus quod in matrimonio traditur essentialiter consistit in potestate *filios ex conjugio procreandi,* sed in potestate *exigendi usum corporis* seu *copulam* in ordine ad filiorum procreationem ». In eumdem sensum CAPPELLO, o. c., n. 582; item KISELSTEIN, apud *Revue eccl. de Liége,* XVI (1924), p. 174 s. — Cf., in nostrum sensum, GASPARRI, o. c., n. 791; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 457; *Rev. eccl. de Metz,* 1925, p. 273 ss.

(3) Pubertas attenditur juxta can. 88, § 2, non juxta can. 1067, § 1, uti contendit FERRUGIA, o. c., n. 24.

Paragraphus Secunda. *De Errore.*

I. Notio.

523. Notio erroris.

Error consistit, non in mera ignorantia seu carentia scientiae, sed in falsa notione alicujus rei, quatenus alia reputatur quam revera est.

Porro, in re matrimoniali, distingui potest 1° error *facti,* isque vel cira physicam personam, vel circa ejusdem qualitatem (1);

2° error *juris,* vel circa ipsum substantiale objectum matrimonii, vel circa proprietates ipsius.

Error autem, sive juris sive facti, potest esse *concomitans,* quatenus non influat in matrimonium ineundum, adeo ut errans equidem contraxisset si errorem detexisset, licet forsan minus prompte; vel potest esse *antecedens,* influens scilicet in contractum, ita ut errans non contraxisset si scivisset.

II. Jus vigens.

A. Error facti:

524. Error facti circa identitatem personae irritat consensum;

1° *circa personam physicam* (2): *sive antecedens sive concomitans, sive vincibilis sive invincibilis, irritat consensum matrimonialem.* Can. 1083, § 1.

Ratio est quia consensus matrimonialis ex natura sua dirigitur essentialiter in ipsam personam cum qua contrahitur, adeo ut identitas personae pertineat ad ipsam substantiam consensus; unde error circa personam substantialiter vitiat consensum.

Et sane objectum substantiale consensus matrimonialis, uti vidimus sub n. 522[ter], coll. n. 100, est in cessione juris in corpus *facta determinatae personae,* in condenda societate intima et individua, non cum qualibet persona, sed *cum determinata persona,* ad exclusionem cujuscumque alterius, ita ut identitas personae ingrediatur ipsum substantiale objectum consensus.

525. non autem error circa qualitatem personae,

2° *Circa qualitatem personae: si est concomitans, non irritat matrimonium; si est antecedens, etiam regulariter et per se non irritat consensum, sed per accidens tantum et exceptionaliter.*

Sponte liquet errorem concomitantem circa personae qualitatem consensum relinquere intactum.

---

(1) Inter qualitates autem specialem locum occupat conditio libera aut servilis, sed de ea speciatim agitur sub n. 526.

(2) Error ille vix continget nisi forsitan in matrimonio per procuratorem, uti in Causa Ce - Li meridio - occidentalis, soluta die 16 Apr. 1913, apud A. A. S., V, p. 372 ss.

Quod autem *antecedens* etiam error *regulariter et per se* non irritet consensum, inde est quod, supposita identitate personae, regulariter salvatur objectum essentiale consensus, ita ut qualitas personae de se sonet quid accidentale; non vitiatur proinde consensus substantialiter. Can. 1083, § 2, coll. can. 104 (1).

Accedit et ratio *indirecta,* quatenus secus, si nempe ob errorem circa qualitatem personae irritaretur consensus ac dirimeretur connubium, continuis litibus praeberetur ansa ac incerta foret sors nuptiarum.

« Valet etiam in casu matrimonium, etsi contrahens fuisset per dolum vel fraudem deceptus;... neque fraus illa contractum faceret rescindibilem, quemadmodum contractum sponsalitium, quia matrimonium ex natura sua est indissolubile: injuria alio modo, quantum fieri posset, reparanda foret » (2).

Neque obstat quod, in errore antecedente, errans non contraxisset si scivisset: equidem consensit, idque in essentiale objectum contractus, et non est attendendum quid fecisset, sed quid reapse fecerit. Cf. suprà, n. 151 et infrà, n. 528.

526. nisi exceptionaliter et per accidens.

Exceptionaliter et *per accidens* potest contingere consensum substantialiter vitiari ex errore circa qualitatem. Nimirum

a/ si qualitas, uti aiunt, *redundet in substantiam,* seu « si error qualitatis redundet in errorem personae », i. e. si consideratio personae cedat considerationi qualitatis, adeo ut identitas physica, in mente nupturientis, sit quid accidentale (3);

b/ si ad existentiam qualitatis deficientis, licet non redundantis in substantiam, *alligetur consensus* (4), saltem virtualiter (5): tunc

(1) Cfr PETRUS LOMBARDUS, l. IV *Sent.,* D. XXX, A.

(2) THEOL. MECH., o. c., n. 67, qu. 2.

(3) Can. 1083, § 2, n. 1, coll. can. 104. Cf. S. THOMAS, *Suppl.,* qu. LI, art. 2, ad 5^{m}: « si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit (irritat) matrimonium; unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium; si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille, tunc, si alius praesentetur ei quam filius regis, est error personae et impeditur matrimonium ». Cf. etiam GASPARRI, II, n. 875-790, latius de hoc disserentem et varia exempla afferentem, coll. Causa *Limburgen,* 2 Jan. 1913, in *A. A. S.,* V, p. 46 s. Cf. hic THANER, o. c., p. 36 ss., ubi contra hanc doctrinam insurgit, juxta dicta in nota ad n. 101.

(4) Cf. Causam *Versalien.* (A. A. S., X, p. 388 ss.), die 2 Aug. 1918 solutam coram speciali Commissione Cardinalium, quae nullum declaravit matrimonium initum a muliere cum viro qui declaraverat se non fovisse alios amores, et ad cujus conditionis existentiam consensum suum alligaverat mulier.

Non dicatur, in casu erroris antecedentis, semper adesse consensum *conditionatum,* cum sic errantes non contraxissent si scivissent, vel suspendissent suum consensum ad existentiam hujusmodi qualitatis: rursus namque non est attendendum quid fecissent, sed quid fecerint reipsa, nec sufficit ad consensum conditionatum conditionis appositio interpretaviva, quatenus eam apposuissent si ad eam attendissent, sed oportet ut fuerit realiter apposita, saltem virtuali intentione. Cf. suprà, n. 151.

(5) Dicitur: saltem *virtualiter;* quia non requiritur ut contrahens de conditione apponenda cogitaverit in ipsa matrimonii celebratione; sufficit quod ante fuerit apposita et virtualiter perseveraverit voluntas alligandi ad eam consensum. Non postulatur etiam ut conditionem apponens noverit effectum juridicum conditionis adnexae. Cf. suprà, n. 152; *N. R. th.,* 1913, p. 242 ss.; A. A. S., X, p. 216.

enim habemus consensum conditionatum, quem suprà, n. 153, vidimus sponte sua irritari, statim ac conditio deficit (1);

c/ « si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contrà sit *serva, servitute proprie dicta* » (2). Can. 1083, § 2, n. 1, coll. dicendis sub n. 530 (3).

Nota difficulter probari nullitatem consensus ac matrimonii ex capite erroris circa qualitatem, aut ex capite conditionis appositae, illamque aegerrime admitti in foro externo (4).

B. **Error juris:**

527. Error juris circa objectum substantiale matrimonialis contractus irritat matrimonialem consensum,

1° *Error circa ipsum substantiale objectum matrimonialis contractus, vitiat consensum et irritat matrimonium.* Cf. can. 104.

Et sane, si mera ignorantia dictae substantiae matrimonii substantialiter vitiat, uti modò vidimus, consensum matrimonialem, id a fortiori dicendum est de errore; nota autem intendi errorem etiam simplicem, adeo ut non requiratur quod, sub influxu erroris, a nupturientium consensu positivè excludatur societas conjugalis.

Qui proinde putat matrimonium aliud esse quam societatem viri et mulieris ad filios procreandos, puta amicale consortium tanquam inter fratrem et sororem, invalidè contrahit (5).

Idem autem probabiliter dicendum videtur de illo qui non merè negativè ignorat copulam ac cessionem juris in illam (cf. n. 522[ter]),

(1) Cf. can. 104, ubi statuitur errorem reddere actum irritum, « si... recidat in conditionem sine qua non ».

(2) Requiritur *servitus proprie dicta*, ad quam non sufficit damnatio ad perpetuam reclusionem aut perpetuos labores; requiritur ut quis alteri ex dominio proprietatis ita subjiciatur ut etiam vendi aliisque modis alienari possit. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 474.

(3) Matrimonium ex hoc capite irritatur in solo casu rite delineato personae liberae errantis circa conditionem servilem alterius partis; adeoque non in casu matrimonii ineundi inter duas personas mancipatas, nec in casu matrimonii inter partem liberam et alteram servam, cujus servitus a priori parte cognoscitur.

Notetur etiam quod a matrimonii irritatione non excipitur casus quo pars serva brevi post nuptiarum celebrationem liberatur. Contrà non esset ex hoc capite irritum matrimonium, si pars antea servituti addicta per ipsam matrimonii celebrationem consequitur libertatem. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 587; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 479, nota 43.

(4) Cf. *Causam* relatam apud *Anal. eccl.*, 1907, p. 238 ss., ubi principia egregie recoluntur, occasione litis actae circa matrimonium initum cum muliere, quam vir erronee reputabat ab ipso impraegnatam, et qua talem ducere volebat. Fuit admissa nullitas coram curia Avenionensi, non autem coram S. Congr. Concilii. Cf. etiam Causam *Baltimoren.*, 30 Junii 1910 (apud A. A. S., II, p. 590 s.), ubi preces sunt rejectae; necnon Causam *Cameracen.*, in qua, die 11 Aug. 1910, et iterum die 23 Junii 1911, nullum declaratum est matrimonium ex capite conditionis appositae, idque contra sententiam Rotalem in 1° turno latam (A. A. S., II, p. 961 ss. et III, p. 497 ss.). Cf. n. 153 et *N. R. th.*, 1913, p. 234 ss.

(5) Cf. Causam Vicariatus Apostolici Sueciae, coram S. Rota solutam, die 19 Aug. 1914 (A. A. S., VII, p. 51 ss.), ubi vir matrimonium contraxerat cum muliere, hoc solum intendens ut ipsam ceu sociam haberet quae in recipiendis domi personis officia honoris impleret.

Juxta VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n. 786, pariter esset error vitians consensum in eo qui matrimonium « conciperet tanquam contractum mutuum ad simul educandos filios emptos in mercatu vel caelitus delapsos ».

sed *positivè errat* circa illa, putans nullam intercedere corporum commixtionem. Haec enim, uti dictum est modò suprà, pertinent ad substantiale objectum contractus matrimonialis, circa quae proinde requiritur cognitio, non quidem nitida et explicita, sed saltem confusa et implicita (cf. l. c.); hanc autem cognitionem implicitam excludit dictus error circa copulam, cum, stante errore positivo circa illam, non possit dici, sicut in casu merae ignorantiae, quod explicite admittens societatem ad filios procreandos, eo ipso implicitè admittit mutuam cessionem juris ad copulam.

528. non autem error circa proprietatem matrimonii,

2° *Simplex error,* etiam antecedens seu causam dans contractui, *circa proprietatem matrimonii,* unitatem scil., indissolubilitatem vel sacramentalitatem, *non vitiat substantialiter consensum.* Can. 1084.

Ratio est quia, supposito consensu circa substantiale objectum contractus conjugalis, censetur consensus ferri in proprietates matrimonii, quin obstet ignorantia vel simplex error.

529. modò sit error simplex.

Attende autem sedulò a/ ex una parte supponi *errorem simplicem* et qua talem, qui scil. terminatur in intellectu. Si enim, sub influxu erroris vel concomitanter ad illum, ab alterutro nupturiente eliciatur actus voluntatis, positivè et praevalenter excludens unam ex essentialibus proprietatibus, vel si consensus matrimonialis emittatur sub conditione proprietatis exclusiva, non est dubium quominus irritetur matrimonium: quod caeteroquin expressis verbis confirmat can. 1086, § 2 (1).

Attende b/ ex alia parte, non referre quod simplex error sit antecedens. In ipso etiam tenore can. 1084 id inseritur, ubi dicitur simplicem errorem non vitiare consensum, etsi error ille dederit causam contractui, ita ut non contraxisset si non errasset. Neque dicatur errorem antecedentem circa proprietatem matrimonii importare positivam exclusionem illius proprietatis ex parte voluntatis (de qua modò); nam errans, errore licet antecedente, circa hujusmodi proprietatem, seposito errore circa substantiale objectum matrimonii, equidem generalem retinet intentionem ineundi matrimonium uti est, adeoque cum essentialibus suis proprietatibus. Verum est quod proprietatem illam exclusisset si eam cognovisset: sed non est attendendum, uti jam dictum, quid contrahens fecisset, sed quid reapse fecerit (2).

---

(1) Cf. suprà, n. 155 et 156 et infrà, n. 533; item cf. Causam *Neo-Eboracen.*, coram S. Rota, in tertio turno, solutam die 9 Martii 1915, apud A. A. S., VII, p. 292 ss., coll. Causa *Parisien.*, 17 Aprilis 1915, apud A. A. S., VII, p. 451 s., et signanter Causam *Paderbornen.*, 27 Julii 1917, apud A. A. S., X, p. 216 s. Cf. etiam *Irish eccl. Record,* 1918 (Oct.), p. 286 ss.; *Ami du clergé,* 1925, p. 41 ss.

(2) Cf. Causam *Paderbornen.* modò relatam, l. c.

530. Defectui consensus ex errore supleri nequit,

Nota 1. Defectus in consensu ex errore oritur ex ipso *jure naturali,* excepta dispositione quae inducit derogationem tertiam ad normam propositam pro casu erroris facti circa qualitatem personae (n. 526), derogationem scil. spectantem conditionem servilem: haec enim est *juris mere ecclesiastici* (1), absque cujus dispositione irritativa non esset consensus invalidus ob errorem circa libertatem, nisi in quantum haec qualitas redundare contingat in errorem personae aut reincidere in conditionem sine qua non. Cf. can. 104.

Hac igitur salva dispositione circa conditionem servilem, defectui consensus ex errore *suppleri nequit* (2): matrimonium proinde, ex capite erroris nulliter celebratum, aliter nequit convalescere quam mediante *novo consensu,* a parte errore decepta praestando, *postquam error ac matrimonii nullitas fuerit detecta* (can. 1134), virtualiter perseverante consensu alterius partis. Requiritur consensus renovatio in forma canonica, si error fuerit publicè notus; contrà, si error non fuerit publicè notus, sufficit privata ac secreta consensus renovatio, quae continetur in ipsa cohabitatione post detectum errorem ac cognitam nullitatem perseverante; imo, si defectus in consensu fuerit mere internus, sufficit interna consensus renovatio. Quae attendenda sunt pro causis introductis in nullitatis declarationem ex capite erroris. Cf. can. 1136 et infrà, n. 727.

salva dispositione circa conditionem servilem.

Quod autem spectat dispositionem *circa servitutem:* Ecclesia posset hanc dispositionem, utpote juris ecclesiastici, relaxare seu in ea dispensare; ast practice non recurritur ad dispensationem, et, si contigerit matrimonium ex hoc capite nulliter contrahi, curetur ut spontè sua convalescat, per consensus renovationem a parte decepta praestandam (attentis modò dictis suprà), postquam error fuerit detectus et cognita fuerit matrimonii nullitas inde consequens, ad normam modò dictorum, collatis dicendis sub n. 727 ss. (3). — Observa ulterius dictam dispositionem, cum sit juris merè ecclesiastici, *non afficere directè infideles* (4).

---

(1) Immerito contendit FERRUGIA, o. c., n. 26, « errorem circa conditionem servilem dirimere matrimonium non tantùm jure ecclesiastico sed etiam jure naturali ».

(2) Insupplebilitas consensus vitiati ex errore applicatur etiam consensui vitiato ex ignorantia, de quo sub n. 522ter.

(3) Matrimonium sponte non convalescit per hoc solum quod pars serva libertati restituatur, etiam si liberatio contingat antequam pars libera errorem suum detegerit. Cf. WERNZ-VIDAL, n. 480, coll. nota (43) ad n. 479.

(4) Sic validum esset matrimonium inter duas partes infideles, quarum una libera et altera serva, dum a priori parte libera reputatur. Etiam, ut videtur, licet ratio sit dubitandi, validum esset matrimonium inter partem infidelem liberam et partem fidelem servam — utique abstractione facta ab impedimento disparitatis cultus. Ratio est quia Ecclesia, licet posset matrimonium irritum reddere in casu, cum, juxta principium sub n. 438 positum, illud habeat uti suo regimini exclusivo obnoxium, de facto tamen id non censetur facere, cum impedimentum ita videatur concipiendum ut non afficiat nisi solam partem liberam errantem, hujus consensum irritando, adeo ut illa pars supponatur Ecclesiae directe subdita. Cf. suprà, n. 438bis. Contrà irritum foret matrimonium,

2. Quod spectat errorem *circa validitatem matrimonii,* utrum et quousque irritet consensum, cf. dicta suprà, n. 470.

531. Jus antiquum.

Scholion I. Evolutio juridica afficit unice dispositionem circa *servitutem,* de qua cf. ESMEIN, o. c., I, p. 322-335. Nimirum primitus servitus, apud servum, constituerit plenam incapacitatem matrimonium validè ineundi cum persona libera, non secus ac cognatio incapacitatem inducit respectu personae consanguineae (1).

Jam inde a Gratianō (Causa XXIX, q. 1) et Pedro Lombardo, intervenit error, quatenus, si nullitas matrimonii non directè repetebatur ex errore potius quam ex incapacitate personae mancipatae, matrimonium tamen inter partem liberam et partem servam non habebatur uti invalidum, nisi quando pars libera erravisset circa conditionem servilem alterius partis (2). Deinceps nullitas matrimonii, in casu erroris circa conditionem servilem, magis explicitè fuit repetita *ex ipso errore;* et haec fuit disciplina Decretistarum et Decretalium (c. 2 et 4, X, IV, 9) (3).

Decretales, vestigio adhuc retento pristinae disciplinae, separatim agunt de conditione servili, dum, in praesentis juris textibus, jam refertur ejus tractatio ad errorem; intelligitur etiam quomodo, attenta praesenti indole impedimenti, directe irritetur consensus partis *liberae* errantis circa conditionem alterius partis.

532. Dispositiones juris civilis.

Scholion II. Dispositiones Codicis nostri civilis:

Codex civilis admittit errorem tanquam causam *nullitatis relativae* (a. 180), quotiescumque scil. error afficit non meram qualitatem quantumvis substantialem (4), sed *personam,* sive *physicam,* sive etiam, juxta

---

seclusa disparitate cultus, inter partem fidelem liberam et partem infidelem servam, supposito errore circa conditionem servilem. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 587, et, in alteram partem, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 479, nota 46.

(1) Cf. CHARDON, o. c., p. 266-278, ubi insistit in hoc quod restringebatur impedimentum dirimens ad solam servitutem stricte dictam, non autem ad conditionem servilem, qualis apud populos Germanicos agnoscebatur illis qui nuncupabantur *serfs:* hisce tantum prohibebantur nuptiae cum persona alterius conditionis vel cum persona ejudem conditionis pertinente ad alium dominum; hae nuptiae vocabantur *forismaritagia* ou *fors-mariages* (mariages contractés au dehors), nec licebant absque domini licentia, quae per solutionem vectigalis (droit de fors-mariage) obtinebatur. Cf. DE FORAS, o. c., p. 173 ss.; DU CANGE, *Glossarium,* v° *Forismaritagium.* Cf. etiam *Belgique judiciaire,* 1884, col. 447 s., ubi refertur perceptio juris ab Episcopo Brugensi, pro facultate facta primae noctis nuptiarum transactae extra territorium: « Over 't recht van beslapen eenighe bruits buten sine heerlichede ».

(2) P. LOMBARDUS, licet alio loco (puta l. IV *Sent.,* D. XXX, A) directe provocat ad errorem uti nullitatis matrimonii causam, servum adhuc proponit uti laborantem quadam reducta incapacitate nubendi. Nimirum, l. IV *Sent.,* D. XXXIV, A, haec habet: « Plenè legitimae sunt, quibus non obviat votum continentiae, vel ordo sacer, vel cognatio...; penitus verò illegitimae sunt per ordinem, per cognationem, per disparem cultum; *mediae* vero sunt, nec omnino illegitimae nec plenè legitimae... per *conditionem* ». Persona scil. libera nubere intendens cum persona mancipata, juxta *Magistrum,* non est plene illegitima, quia est habilis ad contrahendum cum illa parte, cognita hujus conditione servili; non est etiam plenè legitima, quia non valet cum illa nubere, ignorata conditione servili. Cf. ESMEIN, l. c., p. 329 s.

(3) Cf. hîc GILLMANN, *Spender u. Ausseres Zeichen.* — Beilage I, p. 38 ss.

(4) Cf. decisionem Curiae Supremae Bruxellensis, 17 Julii 1925 (*Pasicr.,* 1925, I, p. 370 ss.), in causa Baronis 't Serclaes, cujus rejecta fuit actio in nullitatem matrimonii ex capite erroris, quatenus erraverat circa conditionem uxoris, quam reputaverat viduam, dum erat divortio separata a primo marito supervivo: hunc errorem circa qualitatem rejecit Curia tanquam causam nullitatis, etiam in hypothesi quod fuerit adhibitus dolus.

jurisprudentiam, personam *civilem* (1); obtinet autem error circa identitatem personae *civilis*, quando habetur « un changement complet de personnalité, et tel que, par suite de cette erreur, l'un d'eux a épousé une personne civile autre que celle à laquelle il voulait s'unir », putà quando persona aliqua sese exhibuit « comme membre d'une famille qui n'est pas la sienne,... en s'attribuant les conditions d'origine et de filiation qui appartiennent à une autre » (2); ad hoc autem nullatenus sufficit error circa aetatem neque circa praenomen (3).

Juxta art. 181, matrimonium censetur convalidatum, ita ut jam annullari nequeat, « toutes les fois qu'il y a cohabitation continuée pendant six mois, depuis que... l'erreur a été reconnue ». Cf. suprà, n. 480.

In Codice germanico, impedimentum erroris spectant art. 1332-1334. Cf. ENGLMANN, o. c., p. 335 ss.

ARTICULUS 3°. **De Fictione et Simulatione.**

533. Fictio vitiat consensum.

Ad normam dictorum suprà, n. 100, sub 2°, ad valorem consensus matrimonialis requiritur ut sit *internus*. Non sufficit proinde externe verba proferre consensum maritalem exprimentia; oportet ut interna voluntatis dispositio illis verbis conformis existat.

Deficiente autem illa conformitate, dicitur consensus esse *fictus* seu *simulatus:* dum quis labiis declarat se alteram partem sumere in conjugem, interno voluntatis actu renuit illam uti talem sibi copulare.

Non est dubium quin hujusmodi fictio seu simulatio consensum substantialiter vitiet matrimoniumque reddat nullum et irritum.

Attamen *in foro externo* aegre adhibetur fides conjugi fictionem invocanti, ac stricta exigitur probatio, coram qua sola cedit juris praesumptio quam enuntiat can. 1086, § 1: « internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis » (4).

Qua attenta fori externi provida exigentia, natum est fieri ut exsurgat conflictus inter forum internum et forum externum, quatenus, eadem persona a judice fori externi cogatur sese uti conjugem gerere, dum, coram foro interno, officia conjugalia exercere prohibetur.

---

(1) Cf. PLANIOL, o. c., I, n. 1061-1065: THIRY, o. c., I, n. 226; arrêt de la Cour de Cassation de Belgique, 17 Juillet 1925, l. c.

(2) Cf. decisionem datam a tribunali Parisiensi, apud *Le XX^e Siècle*, 31 Dec. 1907; coll. *Le XX^e Siècle*, 28 Jan. 1902, necnon *Le Correspondant*, 10 Oct. 1904, p. 33.

(3) *Pasicrisie*, 1913, IV, p. 140 (tribunal de la Seine, 2 Mai 1913); 1907, IV, p. 31 s., ubi refertur decisio tribunalis Avenionensis diei 3 Aprilis 1906. Cf. etiam VAN HEMEL, o. c., p. 17 s., coll. p. 12 s.

(4) Probationi locus esse potest quando haec tria concurrunt: « *confessio* simulantis, praesertim jurata et incontinenti post contractum edita, manifesta simulationis *causa*, denique circumstantiae antecedentes, concomitantes et sequentes, quae simulationem evincant ». Ita CAPPELLO, o. c., n. 594, ubi invocat Folium Causae, 12 Martii 1729.

Qui conflictus ut removeatur, passim non manet nisi ut pars quae ficte consensit per novum internum consensum matrimonium convalidet. Ad hoc caeteroquin potest aliunde obligari, ex capite scil. damni vix aliter quam per matrimonii convalidationem reparandi (1).

Nota. Ficto et simulato consensui, ipsum matrimonium internè excludenti, aequiparatur, quod spectat juridicum effectum in matrimonium, consensus illius qui, dum externe consensum rite praestat, « positivo voluntatis actu excludat... omne jus ad conjugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem ». Can. 1086, § 2, coll. dictis suprà, n. 529, sub a, et n. 155 (2).

Quodsi internè excludatur non ipsum jus ad copulam, sed solum *juris exercitium,* non ipsa obligatio, sed obligationis executio, non vitiatur consensus, et matrimonium manet validum. Cf. suprà, n. 155.

Item, si quis ita contrahit ut consentiat in vinculi indissolubilitatem, valet consensus, licet ita disponatur ut postea, data occasione, divortium sit attentaturus (3).

ARTICULUS 4^s^. **De Vi et Metu.**

I. **Notio.**

534. Notio vis et metus.

Vis intelligitur non de violentia physica, quae inferri nequit actui voluntatis elicito, qualis est consensus, sed de *vi illata morali,* voluntatem movente per incussum timorem mali physici aut moralis, praesentis aut futuri: talis autem supponitur vis quae consensum internum relinquat, nec proinde adeo perturbet metum patientem ut usus rationis tollatur.

Vis sic intellecta et metus se habent ad invicem correlative, et quod de uno dicitur valet de altero: « Vis consistit in inferente metum, et se habet per modum agentis; metus autem stat in persona cui vis infertur et se habet per modum patientis » (4).

II. **Jus vigens.**

535. Vis seu metus irritat consensum ac matrimonium,

Vis seu metus irritat, saltem ex jure ecclesiastico, consensum matrimonialem, modò 1° *gravis sit,* 2° *ab extrinseco et injuste incussus,* 3° *talis a quo, ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.*

---

(1) Utrum in hoc habeatur simulatio vel potius dissimulatio sacramenti, inter baptizatos, cf. DE SMET, *Tract. de Sacramentis in genere...,* 1925, n. 166.

(2) Hujusmodi proprietates essentiales sunt unitas et indissolubilitas, ac etiam, inter baptizatos, sacramentalitas. Et sic excludens, in matrimonio inter baptizatos, sacramentum, si hoc faciat praedominanti voluntate, invalide contrahit. Cf. suprà, n. 177.

(3) Cf. hic WERNZ-VIDAL, o. c., n. 462.

(4) SCHMALZGRUEBER, o. c., l. IV, n. 384.

Explicatio et probatio.

1° Dicitur: **saltem ex jure ecclesiastico.**

Certum est metum, positis ponendis, consensum irritare *saltem ex jure ecclesiastico,* quemadmodum ex variis documentis lucu- *saltem ex jure ecclesiastico,*
lenter constat, notatim ex can. 1087, § 1 (1), necnon ex c. 1, C. XXXI, 2, cc. 14, 15, 21 et 28, X, IV, 1. Utrum etiam *ex jure naturae* consensum irritet, *disputatur:*

Dubium utique non spectat casum (quem sub n. 534 seposuimus) metus deliberationem et electionem prorsus impedientis, adeo ut voluntarium penitus tollatur: quo casu indubiè irritatur matrimonium ex ipso jure naturae. Spectat solum casum metus non tollentis sed minuentis tantùm voluntarium.

Jamvero *probabiliter* videtur negandum, cum FEYE, *De Imp.,* n. 138 ss.; GASPARRI, o. c., II, n. 811; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., p. 142 ss; CHELODI, o. c., n. 120; HEINER, o. c., p. 72 s.; VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 789; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 376; DURIEUX, o. c., n. 40; KISELSTEIN, apud *Rev. eccl. de Liége,* XVI, p. 240-241 et XVII, p. 72; contra WERNZ, o. c., n. 266; DE BECKER, *De Matr.,* p. 65 s.; *Schweizer. Kirchenzeitung,* 1911, p. 36; GÉNICOT-SALSMANS, o. c., II, n. 463; CATHREIN, *Moralphilos.,* II, p. 408; SCHIFFINI, o. c., n. 381; VLAMING, o. c., II, n. 540; LINNEBORN, o. c., p. 324 s.; LEITNER; o. c., p. 100; CAPPELLO, o. c., n. 609; WERNZ-VIDAL, o .c., n. 502; CERATO, o. c., n. 83.

Revera, facilè quidem, etiam in casu metus non prorsus tollentis voluntarium, *praesumetur* defectus libertatis jure naturae requisitae; sed hoc non semper et necessario obtinet; adeoque non potest dici consensum ipso jure naturae irritari semper, sed potius dicendum adesse rationem ut, ob periculum ac praesumptionem deficientis libertatis, irritetur consensus ex positivo statuto Ecclesiae.

Ulterius, si coram ipso jure naturae substantialiter vitiatur consensus conjugalis, non satis apparet cur *solus* metus *injuste incussus* illum vitiet et matrimonium irritet (2).

Equidem favent oppositae sententiae c. 14, X, V, 1 (3), ac *Instr.* C. S. O., 15 Febr. 1901 (4); sed non omninò urgent haec docu-

(1) « Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et injuste incussum, a quo, ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium ».

(2) WERNZ, l. c., ac *Schweizer. Kirchenz.,* l. c., paritatem inter metum justum et injustum ex eo potissimum negandam volunt quod, in casu metus justi, nulla injuria est facta nec adeo reparanda, dum, in casu metus injusti, injuria est irrogata, quam convenit reparari: quae reparatio impossibilis est si matrimonium est validum, cum sit indissolubile.

(3) Cf. etiam textus allatos a GILLMANN, *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1912, p. 194.

(4) *Anal. eccl.,* 1901, p. 98 s. Docetur impedimentum ex capite vis et metus consensum afficere, adeoque in ipso jure naturali fundamentum habere.

menta, et videntur ita posse intelligi, quasi doceant in jure naturae *adesse congruitatem* ut a jure positivo irritetur matrimonium ex metu contractum: quod ultrò conceditur; caeterum in favorem sententiae propositae validum, licet non cogens, accessit argumentum ex can. 103, § 2, in quo enuntiatur principium de valore « actus positi ex metu gravi et injuste incusso..., nisi aliud jure caveatur ». Favet etiam *Causa Gravinen.*, apud A. A. S., XI, p. 193 s. (1).

2° Requiritur **metus gravis.**

536. modò metus sit a/ gravis;

Et sanè in jure positivo *soli* metui *gravi* agnoscitur vis irritativa, uti constat ex relato canone 1087 (2), coll. c. 15, 28, X, IV, 1, necnon ex *Instr.* C. S. O., 20 Junii 1883 (*Collectan.*, n. 1572), n. 35. Hoc sufficit pro illis qui irritationem deducunt ex jure ecclesiastico; alii autem a fortiori exigere debent metum gravem, cum liqueat levem metum ex jure naturae non irritare consensum: secus enim nimis concuteretur et in discrimen vocaretur necessaria stabilitas matrimonii.

Porro metus est *gravis* quando, attenta natura minarum et attentis omnibus adjunctis personae metum passae et personae metum incutientis, capax censetur extorquendi consensum nuptialem, aliàs non praestandum. Ad quod postulatur ut malum comminatum grave sit, absolutè (capax scil. movendi virum constantem) vel respectivè (3), attentis scil. aetate, sexu, aliisque adjunctis, utque proximè immineat, seu ut minae proveniant ab aliquo illas executuro, nec facilè sint vitandae (4). Non refert autem quod malum non immineat directè ipsi nupturienti, modò impendeat personae illi intimè conjunctae, puta matri vel patri; item matrimonium irritare potest metus, licet incutiatur a parentibus in verum filiorum emolumentum (5).

Quod spectat in specie *metum reverentialem*, qui saepissimè praetextatur in causis nullitatis: metus *purè* reverentialis, quatenus aliquis in matrimonium consentit ut non contristet parentes aut intimè conjunctos, ex reverentia et pietate erga illos, vel etiam ut illorum indignationem vitet, *per se et regulariter* non importat metum *gravem; exceptionaliter* tamen et *per accidens* potest metus esse *gra-*

(1) S. Rota, in causa *Tunkinen.*, 7 Julii 1911 (*A. A. S.*, III, p. 663), dicit metum esse impedimentum dirimens matrimonium *saltem christianorum*. Cf. etiam *A. A. S.*, IV, p. 504, in causa *Tarvisen.*, 11 Martii 1912.

(2) In can. 1087, § 2, additur: «Nullus alius metus... matrimonii nullitatem secumfert».

(3) Ut *in foro externo* admittatur nullitas matrimonii ex capite vis et metus, ratio quidem habetur dispositionis *subjectivae* personae metum patientis, sed requiritur tamen aliqua gravitas *objectiva* in malo comminato; et sic non sufficeret quod nupturiens reipsa fuerit graviter motus ex timore mali omninò levis in se. Cf. prae caeteris *A. A. S.*, IV, p. 505 s., in citata Causa *Tarvicen.*

(4) Cf. *Instr.* C. S. O. 1883, n. 35 et 36; GASPARRI, o. c., n. 815 s.

(5) Causa *Parisien.*, 28 Jan. 1899, apud *Anal. eccl.*, 1899, p. 16 ss.

vis, sive relative, ratione peculiaris animi dispositionis, quae vix attendetur in foro externo, sive etiam absolutè, propter aliquod adjunctum: « minas nempe, verbera, preces importunas et instantes parentum, vel etiam, deficiente hoc adjuncto, si paterna indignatio apprehenditur a metum patiente tanquam diu duratura » (1), vel exhaereditationem importatura (2).

537. b/ incussus ad extorquendum consensum matrimonialem;

3° Requiritur metus sit talis « **a quo, ut quis sese liberet, eligere cogatur matrimonium** ».

Hujusmodi metum requiri urget ipse relatus tenor canonis 1087. *Ratio* autem desumitur ex fine legis irritantis, volentis tueri libertatem consensus matrimonialis; consensus autem non est stricto jure coactus, nisi coactio affecerit ipsum consensum matrimonialem.

Sufficit metus incussus in ordine ad matrimonium in genere, nec requiritur ut incutiatur in ordine ad matrimonium ineundum cum determinata persona; sed debet esse hujusmodi ut consensus in matrimonium sit *unicum* effugium ad metum removendum.

Ante Codicem, communiter docebatur requiri metum incussum *ad extorquendum consensum matrimonialem:* quae pristina formula generatim practice coincidit cum nova formula Codicis, quatenus, ubi matrimonium constituit unicum effugium ut quis a metu incusso se liberet, passim metus incussus erit ad extorquendum consensum, ac facilè uti talis praesumeretur in foro externo, praesertim quando ex metu conceditur matrimonium in favorem metum incutientis, vel unius ex conjunctis ejus, illeque, proposito connubio, statim a minis abstinet. Attamen, uti notat CAPPELLO, o. c., n. 606, « impossibile omnino non est ut, in aliquo casu extraordinario, praesertim si metus a tertia persona inferatur, coactio de qua in can. 1087, § 1, verificetur, quin metus *directe* sit incussus *ad extorquendum consensum* »: quo in casu, verificata scil. dicta coactione, ita ut matri-

(1) Ita in Causa *Colonien.*, 1 Julii 1912, apud *A. A. S.*, IV, p. 871, collata, de hac notione metus reverentialis ejusque influxu in matrimonium, egregia dissertatione apud *R. Th. fr.*, 1903, p. 20 ss. Cf. etiam Causas: *Parisien.*, 18 Juni 1888, apud A. S. S., XXXI, p. 205 ss.; *Parisien.*, 28 Jan. 1899, *ibidem*, XXXII, p. 72 ss.; *Valentinen.*, 19 Maii 1900, apud *Canon. contemp.*, 1900, p. 472 s.; *Versalien.*, 19 Maii 1900, *ibid.*, p. 474; *Mechlinien.*, 25 Jan. 1902, apud *Can. cont.*, 1902, p. 232 ss.; *Camericen.*, 16 Aug. 1902, *ibid.*, p. 590 s.; *Augustudinen.*, 25 Junii 1904, *Can. cont.*, 1904, p. 605 s.; *Versavien.*, et *Militen.*, 17 Junii 1905, *Can. cont.*, 1905, p. 581 ss.; *Parisien.*, 1910, apud *Acta Apost. Sedis*, II, p. 348 ss.; *Versavien.*, 21 Julii 1910, *ibid.*, p. 886 ss.; *Vercellen.*, 20 Martii 1911, *A. A. S.*, III, p. 244 ss.; *Vesprimien.*, 2 Junii 1911, *A. A. S.*, IV, p. 108 ss.; *Tunkinen.*, 7 Julii 1911, *A. A. S.*, III, p. 661 ss.; *Lugdunen.*, 28 Junii 1912, *A. A. S.*, IV, p. 646 ss.; *Vicar. Novae Pomeraniae*, 16 Maii 1913, *A. A. S.*, V, p. 464 ss.; Causas actas 6 Julii 1914, A. A. S., VI, p. 675 ss.; 21 Maii 1915, A. A. S., VIII, p. 45 ss.; 31 Julii 1915, A. A. S., VIII, p. 108 ss.; Causam *Pitilianen.*, 16 Aug. 1915, A. A. S., VIII, p. 184 ss.; *Parisien.*, 4 Martii 1916, A. A. S., VIII, p. 200 ss.

(2) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 497, coll. n. 500.

monium unicum sit effugium a malo injuste comminato, non videtur negandum impedimentum (1).

538. c/ ab extrinseco injuste incussus.

4° Requiritur metus **ab extrinseco et injuste** incussus.

Hoc rursus totidem verbis continetur in canone 1087, § 1. Nimirum debet esse metus:

a/ incussus *ab extrinseco,* et quidem a causa libera, ab homine scil. vim inferente: a sola enim causa libera potest injuste incuti metus; non autem est attendendus metus ab intrinseco proveniens, puta ex imminente periculo morbi vel peccati, nec universim metus proveniens a causa necessaria (2).

b/ *injuste* incussus. Talis autem est *α*) si, sub comminatione gravis mali, exigitur matrimonium ad quod non habetur obligatio, sive absoluta, si matrimonium absolutè exigitur, sive alternativa, si alternative tantùm exigitur (3); *β*) si matrimonium quidem debetur, sed exigitur sub comminatione mali quod metum inferens non habet jus inferendi, sive quia ipsum malum est juris laesivum, sive quia minas proferens non habet titulum ad malum inferendum (4); *γ*) si ad media injusta recurritur ut malum, quod a parte rei non excedit justitiae limites, infligatur, pro casu quo non ineatur matrimonium, quod et ipsum debetur (5).

539. Quid de matrimonio infidelium,

Corollarium I. Attenta controversia, de qua sub n. 535, ad minus probabilis foret valor matrimonii *inter duos infideles*, quorum alteruter esset metum passus, initi, adeoque, ad normam can. 1014, standum esset pro valore (6). Idem censemus dicendum cum GASPARRI, o. c., n. 812, de matrimonio inter partem fidelem et partem

---

(1) Cf., in eumdem sensum, ADLOFF, *Bulletin eccl. de Strasbourg,* 1922, p. 114 ss.; CHELODI, o. c., n. 119; LEITNER, o c., p. 99; KISELSTEIN, apud *Rev. eccl. de Liége,* XVI, p. 241; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 376.

(2) Non est etiam metus ab extrinseco incussus, si filia v. gr. sponte timet iram paternam et mala exinde oriunda, quin illum timorem positivo actu incusserit pater; vel si deflorator virginis timet infamiam incurrendam, et sub hujus timoris influxu matrimonium init.

(3) Ita juste incussus foret metus, si a stupratore, sub poena denuntiationis judiciariae, alternativè exigatur proportionata dos vel matrimonium; item si matrimonium absolutè exigatur a juvene qui virginem cognovit sub promissione matrimonii; non autem si absolutè vel alternativè matrimonium expetatur a viro qui mulierem consentientem cognovit.

(4) Ita si parentes vel tutores seductori et stupratori filiae seu pupillae comminantur mortem inferendam, nisi violatam dotet vel ducat. Item si justae minae procedant a persona non competente, puta a persona extranea quae non sit de familia personae defloratae, nec judex, et ita porro.

(5) Ita si ad dolum vel calumnias recurratur vel ad processum illegaliter institutum. Tunc metus incutitur injuste *quoad modum,* uti dicitur, non vero injustè *quoad substantiam.* Qui modus injustus videtur sufficere ut verificetur conditio injustae incussionis: cui sententiae favet redactio can. 1087, § 1, ubi habetur: metus *injustè incussus,* potius quam *metus injustus.*

(6) Seponitur hypothesis quod vis et metus a lege civili statuatur uti impedimentum dirimens.

infidelem inito, quotiescumque metum passa fuerit pars infidelis (1).

ac de potestate Ecclesiae dispensandi?

Corollarium II. Pariter, eadem attenta controversia, *incertum* est utrum Ecclesia *possit* super vi et metu *dispensare;* certum est autem S. Sedem *de facto* nunquam dispensationem concedere, tum ratione dubiae potestatis, tum quia vult favere libertati nuptiarum.

Matrimonium igitur ex metu invalidum de facto aliter *convalidari* nequit quam per renovationem consensus, a parte nupturientis metum passi praestandam: qui consensus renovari debet post metum ablatum et post cognitam prioris consensus nullitatem (2), supposita alterius partis consensus perseverantia, idque in facie Ecclesiae, si nullitas fuerit publica (3); aliàs, si nempe nullitas est occulta, sufficit renovatio secreta, etiam implicitè contenta in cohabitatione maritali libere continuata; imo, si defectus in consensu fuit merè internus, satis est ut mere interna consensus renovatio accedat. Cf. n. 727 ss., coll. suprà, n. 530.

Observa etiam matrimonium non indigere convalidatione, sed esse validum quando, postquam fuerit gravi metu extortum, in illud, momento celebrationis, consensus *liber* accessit.

540. Jus accusandi matrimonium ex capite metus.

Nota. 1° Multae causae matrimoniales inducuntur in nullitatis declarationem ex capite vis et metus, maximè a parentibus incussi; nonnunquam sententiam definitivam consequuntur, saepius tamen repulsam patiuntur vel differuntur, quia non satis constat de nullitate. Ubi autem, stante dubio circa nullitatem matrimonii, de ejusdem inconsummatione constat, dispensari solet super matrimonio rato non consummato (4).

De *jure accusandi* cf. infrà, n. 703, ubi, attento canone 1971, exponetur quod soli conjuges, ad exclusionem promotoris justitiae (5), jus habent juridice accusandi matrimonium, reliquis relicta sola facultate nullitatem

(1) Casus analogiam habet cum casu erroris circa conditionem servilem, de quo sub n. 530, ubi vidimus validum esse matrimonium initum inter unam partem fidelem servam et alteram partem infidelem liberam, circa compartis conditionem servilem errantem: hic etiam nempe Ecclesia, quantumvis posset matrimonium irritare in casu, de facto id non videtur facere, cum iterum ejus impedimentum ita sit concipiendum ut afficiat partem metum passam, hujus consensum irritando, adeo ut illa pars supponatur Ecclesiae directe subdita. — Cf. suprà, n. 438bis; cf. autem, in alium sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 501, nota 29; CAPPELLO, o. c., n. 610; CHELODI, o. c., n. 120; SCHÄFER, o. c., p. 240 s. Cf., in nostrum sensum, etiam LINNEBORN, l. c. — Abstrahitur hîc, uti patet, ab impedimento disparitatis cultus.

(2) Cf. Causam *Osnabrucen.*, 11 Jan. 1912, apud *A. A. S.*, IV, p. 186; Causam *Vicar. Novae Pomeraniae,* apud *A. A. S.*, V, p. 472.

(3) Ita in Causa *Vesprimien.*, ubi matrimonium declaratur nullum post viginti annos cohabitationis, quin S. Rota sese sollicitam ostenderit de consensu privatim forsan praestito: agebatur de casu metus publicè noti, adeo ut convalidatio debuerit fieri in forma juris. Cf. *A. A. S.*, IV, p. 115 s.

(4) Cf. causas suprà citatas. — Anno 1923, tredecim actae sunt coram S. Rota et solutae causae nullitatis ex capite vis et metus: inter illas sexies declaratum est constare de nullitate matrimonii, sexies vero de illa non constare, et in una causa consulitur danda dispensatio super matrimonio rato, intacta relicta quaestione de nullitate. Cf. A. A. S., 1924, p. 64 ss.

(5) Juxta dictum can. 1971, promotori justitiae non competit accusare matrimonium, nisi in solis impedimentis natura publicis; impedimenta autem consensum afficientia, uti hic in casu, censentur natura occulta.

matrimonii Ordinario vel promotori justitiae denuntiandi (1); a jure autem accusandi matrimonium excluditur conjux qui fuerit impedimenti causa, adeoque ille qui, in praesenti materia, metum incusserit.

541. Poenae contra metum incutientes olim latae.

2° Jam non inseritur in Codice, adeoque pro abrogata est habenda, *poena excommunicationis,* sub cujus comminatione prohibebat Conc. Trid., Sess. XXIV, c. 9, *De refor. matrim.,* « omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, ne quovis modo, directè vel indirectè, subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus liberè matrimonium contrahant ». Circa quam dispositionem cf. De Brabandere-Van Coillie, o. c., II, p. 836 s.; *N. R. th.,* XV, p. 552 ss.; Esmein, o. c., II, p. 255 ss.

Fata impedimenti.

3° Circa fata impedimenti vis et metus, et in specie, quomodo primò per decretum Urbani II (1088-1099) fuerit nitidè uti jus commune proclamatum, quomodo ulterius Decretistae et, post illos, Decretales in illud reincidere fecerint impedimentum raptus, quod postea rursus, tanquam impedimentum distinctum, inductum sit a Concilio Tridentino, cf. infrà, n. 655, coll. Wernz-Vidal, o. c. n. 498.

542. Statuta Codicis civilis.

Scholion. Statuta legis civilis Belgicae.

Matrimonium esse nullum, in sensu legis civilis, ex capite vis et metus, deducunt jurisperiti ex art. 180, et passim docent ad hoc requiri metum *injuste illatum* (2). Applicant autem hîc dispositiones art. 1111 ss., quibus statuitur, pro nullitate contractus, attendendam esse vim, etiamsi est illata a persona alia quam a persona contractum exoptante, vel illata non directè contra personam contracturam, sed contra personam ipsi intimè conjunctam. Solus etiam admittitur metus *gravis,* nec talis reputatur timor mere reverentialis (a. 1114).

Vi art. 181, « la demande en nullité n'est plus recevable, toutes les fois qu'il y a eu cohabitation continuée pendant six mois depuis que l'époux a acquis sa pleine liberté »; cf. suprà, n. 480.

Disputatio Secunda

De impedimentis dirimentibus propriè dictis.

543. Monitum.

Monitum. Primò agemus de impedimentis quae derivantur ex inhabilitate *corporali,* qualia sunt aetas et impotentia; deinde de impedimentis quae dirivantur ex inhabilitate *juridica:* quorum alia sunt *absoluta,* ligamen scil., votum et ordo, alia *relativa;* inter haec autem alia important inhabilitatem ortam ex nimia discrepantia, et hic habemus disparitatem cultus; alia important inhabilitatem

(1) In *Instr.* 20 Junii 1883 (*Collectan.,* n. 1572), n. 35, providebatur: « neminem a jure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur; rejici vero eum qui per longum tempus in matrimonio vixerit, dummodò ei libertas et opportunitas reclamandi non defuerit; ita ut si, liber jam a metu, sua sponte in conjugali domo perstiterit, matrimonialia officia non detrectaverit, audiri amplius non debeat ». Cf. infrà, n. 703.

(2) Statuitur autem nullitas *relativa,* uti constat ex ipso tenore art. 180. Cf. suprà, n. 478.

ortam ex nimia conjunctione, et hîc habemus consanguinitatem, affinitatem, publicam honestatem, cognationem spiritualem (et legalem); et alia important inhabilitatem ortam ex delicto, et hîc habemus impedimenta raptus ac criminis.

ARTICULUS 1°. **De Impedimento Aetatis.**

Jus vigens.

Jure ecclesiastico dirimitur matrimonium contractum a viro ante decimum sextum aetatis annum completum, vel a muliere ante decimum quartum annum item completum. Can. 1067, § 1.

Explicatio et probatio.

544. Defectus aetatis legitimae matrimonium dirimit jure ecclesiastico.

Praesupponitur *discretio* seu *usus rationis,* necnon necessaria cognitio, siquidem hujus defectus vitiat ipsum consensum, uti notatum est suprà sub n. 522bis, coll. n. 102bis.

Supposita autem discretione et cognitione ad consensum matrimonialem necessaria, non obstat, *coram jure naturae,* matrimonii valori, defectus aetatis aut pubertatis, cum ad matrimonii valorem non requiratur potentia ad copulam *hic et nunc instituendam,* sed sola excludenda sit impotentia *perpetua.* Cf. infrà, n. 553, et suprà, n. 84.

Atvero *jus ecclesiasticum* determinatam postulat aetatem, eamque diversam pro juvene ac pro puella: juvenis debet complevisse decimum sextum, et puella decimum quartum aetatis annum. Can. 1067, § 1 (1).

Attentis autem normis adhibendis pro temporis supputatione (can. 31 ss.), ita est numerandum momentum quo validè iniri potest matrimonium, ut non computetur primus dies aetatem complens; unde puella, nata die 30 Januarii anni 1911, non posset matrimonium validè inire ante diem 31 Januarii anni 1925. Can. 34, § 3, n. 3.

Attende ulterius descriptam aetatem, pro valore matrimonii, *requiri* ac *sufficere.* Et quidem primò *requiritur,* adeoque inhabiles sunt juvenis aut puella descriptam aetatem respective non adepti, quantumvis existant legaliter et physiologice puberes (2); etiam

(1) Prima vice refertur impedimentum aetatis a Magistro Rolando, postea Alexandro III.

(2) Legaliter puberes sunt si habent 14 respective et 12 annos (can. 88, § 2); sunt physiologicè puberes, si habent hic et nunc capacitatem coeundi. Cf. mox infrà, n. 548, ubi dicitur quod aetatis suppletio (per adeptam pubertatem physiologicam ante pubertatem legalem) admittebatur in anteriori disciplina, nunc autem pro suppressa est habenda, quidquid in contrarium doceat TANQUEREY, o. c., n. 931. Cf. *L'Ami du clergé,* 1922, p. 270 s.

sufficit descripta aetas: unde ad matrimonium habiles essent, etiam coram jure ecclesiastico, juvenis 16 annorum et puella 14 annorum, licet, praeter normam, nondum essent adepti pubertatem physiologicam seu capacitatem copulam hic et nunc instituendi de se aptam generationi (1).

545. Matrimonium ob defectum aetatis invalidum non convalidatur nisi per novum consensum.

Nota 1° Impedimentum juris ecclesiastici ex defectu aetatis lapsu temporis sponte sua evanescit; matrimonium tamen ex illo capite invalidum non convalescit per ipsam aetatis competentis adeptionem (2): oportet *ut novus consensus,* praevia nullitatis notitia, emittatur, idque in forma can. 1094, cum nullitas censeatur publica, utpote proveniens ex praesentia impedimenti natura publici (3).

546. Monitum practicum.

2° Juxta can. 1067, § 2, « licet matrimonium post praedictam aetatem (16 et respective 14 annorum) contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere juvenes ante aetatem qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet ». In nostris autem regionibus receptum esse videtur ut puella non nubat ante viginti circiter annos, utque majorem aetatem habeat juvenis nupturus (4).

547. Impedimento aetatis non subsunt infideles;

Corollarium I. Impedimentum aetatis, utpote juris merè ecclesiastici, *infideles* non afficit *directè,* sed solos baptizatos, adeo ut matrimonium valeat *inter duos infideles* ratione utentes sed praescriptam aetatem non adeptos. Ratio autem est habenda juris civilis, cui sunt obnoxii.

Quod spectat matrimonium *inter partem fidelem* et *partem infidelem:* si pars fidelis non habet aetatem canonicam, certò irritum est matrimonium; si vero pars infidelis (aliunde ratione utens) dictam aetatem non attigit, benè vero pars fidelis, matrimonium censemus esse validum, abstractione facta ab impedimento disparitatis cultus, idque licet dicta pars infidelis non habeat aetatem a lege civili, sub nullitatis poena statutam (5).

---

(1) Circa liceitatem usus matrimonii, in casu, in specie quod spectat actus non consummatos, cf. suprà, n. 211 et 208bis, coll. infrà, n. 558.

(2) Cap. unic., in VI°, IV, 2.

(3) Can. 1133 ss., coll. infrà, n. 727 ss.

(4) Aetas proinde canonica sufficit ad valorem ubique, et etiam *pro norma practica* haberi potest in quibusdam regionibus meridionalibus, uti in Congo, non vero in nostris regionibus septentrionalibus. Aliàs exoptat Ecclesia ut non diutius differantur nuptiae, quemadmodum constat ex eo quod pro causa dispensationis habeat aetatem 24 annorum completam.

(5) Cf. decreta C. S. O., 28 Junii 1865, apud *Collectan.*, n. 1370; decr. C. S. O., 5 Aug. 1885, apud CAPPELLO, o. c., n. 336, ac decr. 18 Martii 1903, apud *R. th fr.* 1903, p. 661 ss.

Ratio est quia, ex una parte, juxta principium positum sub n. 438, matrimonium inter fidelem et infidelem non est obnoxium regimini Principis civilis, adeoque non est ratio habenda impedimenti juris civilis; et si, ex alia parte, subest regimini Ecclesiae, adeoque ab Ecclesia posset irritari in casu, de facto tamen non censetur dictum matrimonium irritari, cum aetatis impedimentum censeatur afficere solam partem, statutae aetatis annos nondum adeptam, quae proinde pars supponitur directè subdita Ecclesiae. Cf. suprà, n. 438[bis], coll. n. 530 et 539.

Corollarium II. Ex dictis etiam sequitur Ecclesiam (1) *posse dispensare* super impedimento aetatis legitimae, supposita discretione (2). Quodsi Ecclesia dispensare *potest,* aegre et rarò dispensat super hoc impedimento, adeo ut inter impedimenta numeretur super quibus Ecclesia *non solet* dispensare. Cf. infrà, n. 715. *super eo potest dispensari.*

Scholion I. Anterior disciplina.

548. Anterior disciplina.

In disciplina hactenus vigente, jure ecclesiastico irritabatur matrimonium *ante pubertatem* ineundum.

Pubertas autem est duplex: *physiologica,* consistens in capacitate hic et nunc copulam exercendi de se aptam generationi; *legalis,* consistens in aetate qua praesumitur adepta pubertas physiologica, 14 nempe annorum, pro masculis, et 12 annorum, pro feminis (3).

Porro impedimentum constituebat defectus *utriusque* pubertatis; ad habilitatem scil. matrimonialem sufficiebat vel pubertas legalis, deficiente pubertate physiologica, vel pubertas physiologica, nondum adepta pubertatis legalis aetate: tunc, uti dici solebat, malitia supplebat aetatem (4).

Contrà nunc, uti modò vidimus, requiritur et sufficit aetas 16 respective et 14 annorum, independenter ab adepta vel non adepta pubertate. Cf. n. 544 (5).

---

(1) BENED. XIV, Constit. *Magnae Nobis,* 29 Junii 1748.

(2) Profectò supponitur discretio, cum secus substantialiter vitietur ipse consensus. Cf. tamen, apud *Theol. Quartalschr.,* Tubingue, 1904, p. 556-575, exemplum dispensationis a legatis R. Pont. concessae, anno 1160, in ordine ad matrimonium ineundum inter filium septennem regis Angliae et filiam *triennem* regis Galliae. Quod ita forsan est intelligendum, quasi legati nuptias a parentibus nomine prolium initas probaverint et pro ratis habuerint *conditionaliter:* sub conditione scilicet quod postea accesserit proprius ac liber sponsorum consensus. Factum, in quantum est admittendum, in eumdem sensum explicat WERNZ-VIDAL, o. c., n. 212, nota 35, necnon CAPPELLO, o. c., n. 338.

(3) Haec praesumptio jam vigebat in jure Romano Justiniani.

(4) Tota difficultas erat in determinanda praesentia pubertatis physiologicae apud legaliter impuberes. Ad nuptias autem non admittebantur hujusmodi legaliter impuberes nisi postquam ritè constiterit, idque per sententiam declaratoriam Episcopi, de physiologica pubertate, invocato facto copulae institutae vel invocatis aliis criteriis naturalibus, uti est menstruatio pro puellis.

(5) Circa disciplinam olim vigentem, quatenus matrimonium ab impuberibus, non proximis pubertati et in quibus aetatem non supplebat malitia, per verba de praesenti invalidè initum, importabat *sponsalia de futuro,* et ex hoc capite publicam inducebat honestatem, cf. suprà, n. 13.

Scholion II. Legislatio civilis Belgica.

549. Statuta juris civilis.

Art. 144: « L'homme avant *dix-huit* ans révolus, la femme avant *quinze* ans révolus ne peuvent contracter mariage ».

Art. 145: « Néanmoins il est loisible à l'Empereur (au Roi) d'accorder des dispenses d'âge pour des motifs graves »; in specie ob praegnantiam sponsae.

Art. 185: « Le mariage contracté par des époux qui n'avaient point encore l'âge requis, ou dont l'un des deux n'avait point atteint cet âge, ne peut plus être attaqué: 1° lorsqu'il s'est écoulé six mois depuis que cet époux ou ces époux ont atteint l'âge compétent; 2° lorsque la femme qui n'avait point cet âge a conçu avant l'échéance de six mois » (1).

Ante annum 1792, lex civilis, *in Gallia,* sequebatur determinationem juris canonici; exinde statuta est aetas 15 et respective 13 annorum, donec a Codice civili inducta est aetas 18 et respective 15 annorum. Quod spectat regimen *aliarum regionum:* in Anglia servatur aetas pubertatis legalis, quae adoptatur ex jure canonico; in Austria exigitur, pro utroque sexu, aetas 14 annorum; in Italia et Roumenia viget disciplina Codicis Napoleonis; in Russia, Hungaria, Hollandia, Helvetia, aetas postulatur respectiva 18 et 16 annorum; in Dania, 20 et 16 annorum. In Codice Germanico anni 1900, apta habetur ad matrimonium puella inde a 16° anno completo, juvenis vero non ante majorennitatem aut emancipationem, nec pro juvene locus est dispensationi (2).

ARTICULUS 2°. De Impedimento Impotentiae.

I. Notio.

550. Notio impotentiae.

Impotentia concipi potest *dupliciter:* incapacitas *coeundi,* et incapacitas *generandi* seu *foecundandi.* Prior importat incapacitatem copulam exercendi *de se* et *ex parte actus* generationi idoneam, adeoque supponit absentiam organorum *ad ipsam copulam* peragendam requisitorum, vel, si praesto sunt organa, illorum ineptitudinem sive ex vitio functionali sive ex causa psychica; altera importat incapacitatem foecundandi ex defectu organi *ad foecundationem, extra copulae actum,* necessarii.

Sub priori acceptione, impotentia datur quotiescumque praesto non sunt organa expedita ad penetrationem vasis debiti, cum emissione seminis virilis: virga scil. erectibilis, ex parte viri, cum testiculis ad semen elaborandum necessariis, ac canali pervio ad urethrum, et, ex parte feminae, vagina pervia. Unde impotentiam

(1) Intenditur restrictio: « nisi malitia suppleverit aetatem »; spectat autem unicè sponsam, ita ut praegnantia sponsae non auferat actionem in nullitatem pro casu quo sponsus nondum attigerat aetatem legalem.

(2) Cf. hic WERNZ-VIDAL, o. c., n. 210.

importaret, apud *virum,* absentia virgae (1), anaphrodisia (2) ac aphrodisia (3), disproportio virgae, absentia testiculorum (4), resectio utriusque canalis deferentis per vasectomiam (5), vel quaevis infirmitas quae penetrationem physice impediat aut seminationem intra vas (6); non autem impotens redderetur vir ex eo quod semen per accidens non sit prolificum seu spermatozoidis expers existat, uti solet contingere in senibus. In *muliere,* impotentiam constituit defectus vaginae, nimia arctitudo aut vaginismus (7), vel etiam,

---

(1) Datur in Roumenia secta, Skopsky nuncupata, cujus membra sese mutilant ablatione testiculorum ac etiam virgae. Cf. BROUARDEL, o. c., p. 27 s.

(2) Consistit in absentia erectibilitatis ad perficiendam copulam, quae frigiditas passim provenit ex infirmitate aliqua nervosa, aut alio vitio functionali, potest etiam oriri ex causa psychica, puta ex indifferentia erga uxorem, vel ex timore incusso aut per autosuggestionem suscepto; id olim plerumque adscribebatur *maleficiis,* de quibus cf. suprà, n. 192; ESCHBACH, *Disputationes,* p. 148 s.; BROUARDEL, o. c., p. 118 s.; BOUVIER, *Dissert. in VI decalogi praeceptum,* p. 135 et 139; ANTONELLI, *Medicina pastoralis,* II, p. 117 ss.; FRANZ, o. c., p. 178 ss. et ESMEIN, o. c., I, p. 242 ss., ubi fusè de hoc disseritur.

(3) *Aphrodisia* consistit in excessiva excitatione venerea, qua fit ut seminis secretio penetrationem praeveniat. Cf. SURBLED, o. c., t. II, p. 142 ss.

(4) *Spadones* generatim dicuntur virilitate et in specie testiculis carentes, sive a natura sive ope chirurgicae operationis, dum *castrati* sunt illi quibus testiculi operatione sunt ablati (cf. FORCELLINI, *Totius Latinitatis Lexicon,* v° *spado*). Sunt etiam auctores qui duplicem distinguunt operationem evirationis: unam qua soli testiculi exsecantur, et alteram qua integrum organon virile praescinditur; priorem operationem passos vocant *castratos,* alteram passos dicunt *eunuchos* (cf. WILHELM, *Beseitigung,* p. 10 s.). Quibus autem post adeptam pubertatem ablati sunt testiculi, possunt esse verae seminationis capaces in prima vel altera copulatione post evirationem peracta, usquedum scil. evacutae fuerint vesiculae seminales (cf. BROUARDEL, o. c., p. 121 s.); non rarò remanent exinceps ad erectionem et penetrationem habiles (cf. suprà, n. 83; WILHELM, *Beseitigung,* p. 34; FERRERES, *Razon y Fe,* t. XXXII (1912), p. 223, et o. c., n. 172 ss., necnon in *Eccles. Review,* t. XLVI, p. 216 ss. Absentiam testiculorum ne confundas cum cryptorchidia, quae supponit testiculos in interiori corpore occultatos. Circa spadones notissima habetur Constitutio Sixti V, *Cum frequenter,* 27 Junii 1587, ubi inhabiles declarantur ad matrimonium, de qua constitutione suprà, n. 83.

(5) Nimirum vasectomiam passi, non secus ac eunuchi, incapaces sunt, post evacuationem vesicularum seminalium, ad emittendum verum semen virile, siquidem omnis communicatio cum testiculis semen elaborantibus est abrupta. Possunt quidem hi sicut et illi servare secretionem seminis internam ac erectibilitatem virgae, possunt et vaginam penetrare ac imo liquidum quoddam ejaculare, ast hoc liquidum non est verum semen, sed humor aliquis aquosus a glandula *prostata* et glandulis Cowper secretus. Cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 536 ss., ubi fusius vindicatur thesis, refutato etiam argumento in favorem alterius sententiae inducto ex paritate cum senibus. Nobis consentiunt DE BECKER, *Eccles. Review,* t. XLIII, p. 357; FERRERES, *Eccles. Rev.,* t. XLVI, p. 207 ss., *Razon y Fe,* t. XXVII, p. 376 ss. et t. XXXI, p. 496 ss., necnon *De Vasectomia,* n. 21 ss.; SCHMITT, apud *Zeitschr. f. k. Theol.,* 1913, p. 912; RYGBY, l. c.; STUCCHI, l. c.; TANQUEREY, o. c., III, *Supplem.,* n. 5; ESCHBACH, l. c.; OJETTI, *Synopsis,* n. 2425; DAY, o. c., p. 68; ARENDT, *De Impotentia feminae ad generandum,* 1913, n. 36; FERRUGIA, o. c., n. 148; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 233; MICHAUD, apud *N. R. th.,* 1914, p. 141 ss., ubi etiam, p. 154 s., refutat paritatem invocatam cum laborantibus epididymite. Contrarium opinantur DONOVAN (licet haesitanter), l. c.; LABOURÉ, l. c., et prae caeteris GEMELLI, l. c., ac O'MALLEY *Eccles. Review,* t. XLIV, ubi ait per vasectomiam non magis induci impotentiam quam per tonsionem barbae, coll. t. XLVI, p. 219 ss. et 322 ss. Hisce etiam consentire videtur VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 73, coll. n. 84: ad coeundum incapacem non haberet vasectomiam passum, in quantum secretionem internam servaverit et cum ea venereum appetitum. Cui opinioni nonnihil favet CAPPELLO, o. c., n. 377 ss.

(6) Hujusmodi infirmitas occurrere potest in casu hypospadiae vel epispadiae, quando nempe orificium virgae sistitur in radice penis, sive ex parte inferiori sive ex parte superiori. Cf. BROUARDEL, o. c., p. 125 s., coll. p. 103.

(7) Vaginismus est in hyperesthesia vaginae omnem coitum impediente. Cf. BROUARDEL, o. c., p. 143. Hujusmodi infirmitas constituit mulierem incapacem coeundi. Ad potentiam namque coeundi non est satis quod vir possit virgam applicare ad partem

probabilius saltem, occlusio hermetica vaginae ex parte uteri (1); non autem carentia ovariorum vel uteri, nec utriusque organi defectus (2), nec impotentiam inducit vasectomia, seu potius oophorectomia aut fallectomia.

Contrà, *in altera acceptione, impotentes* essent *etiam* illae personae, quae quidem valent descriptam copulam perficere, sed carent organo seu elemento, *extra copulae actum,* ad *foecundationem* physiologicè et insupplebiliter necessario: quales essent prae caeteris feminae utroque ovario, vel ovariis simul et utero, carentes, necnon mulieres *oophorectomiam* passae; impotentes ulterius forent feminae, quae quidem habent organa necessaria, sed organa quorum functio physiologica ita disturbata est aut adeo reducta ut jam non sit possibilis foecundatio (3).

---

exteriorem *vulvae* ibidemque deponere semen: hujusmodi enim virgae applicatio ad vulvam non constituit copulam, licet exinde sequi possit foecundatio, favore motus vitalis quo gaudent spermatozoida, ut sponte penetrent vaginam; ad copulam scil. postulatur quaedam penetratio corporis feminei, non quidem perfecta, sed aliqualis saltem, quam qualemcumque excludit descripta infirmitas.

Dubitari posset utrum sufficiens detur penetratio possibilis, adeoque possibilitas copulae et potentia coeundi, quando vir potest penetrare *vulvam,* usque ad orificium vaginae, non autem ipsam *vaginam,* deposito semine, absque ulteriori penetratione, ad *ostium vaginae* (cf. VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 204; WERNZ, o. c., n. 347, coll. n. 342, nota 4; BALLERINI-PALMIERI, o. c., n. 1270, in nota): quod dubium in sensum negativum solvendum opinamur, adeo ut ceu impotentem ad coeundum habeamus mulierem, cujus vaginam penetrare ineluctabili et perpetua incapacitate impeditur vir, ita ut semen nonnisi ad os vaginae deponere valeat; contrariam tamen sententiam nolimus dicere improbabilem, et sic, attenta controversia, matrimonium non esset ex hoc capite declarandum invalidum, absque recursu ad S. Sedem (infrà, n. 558). Solutioni nostrae negativae favet c. 6, X, IV, 15, circa impotentiam mulieris arctae, ac universim factum quod uti impedimentum admittitur impotentia relativa, quae vix aliunde concipitur oriri quam ex impossibilitate penetrationis vaginae, sive ex parte viri, respectu talis mulieris, sive vicissim; accedit quod matrimonium praesumitur non consummatum, si membrana hymenis, cujus orificium non permittit transitum virgae erectae, intacta mansit, nec adeo elastica est ut virga vaginam penetrare possit membranam secum ducens in interiorem vaginam, illa quasi induta. Sententiae impotentiam coeundi asserenti favent VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 240, p. 244, coll. n. 72; CAPPELLO, o. c., n. 343, 350 et 380 s.; VLAMING, o. c., n. 267bis; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 217, in nota, et n. 218, sub 4°, ac n. 223, sub 6°; GENICOT-SALSMANS, o. c., n. 484. Cf. suprà, n. 157, 208bis et 239.

(1) Cf. hic VERMEERSCH, *apud Periodica,* XIV, p. (54)-(64), ubi tanquam contrariae sententiae faventes citantur *Tarquini, Eschbach* et *Lehmkuhl,* invocatur autem, in favorem doctrinae propositae, auctoritas *Sili,* in *Voto* anni 1899. Et sane ad coeundi potentiam requiritur, in muliere, vagina; vagina autem supponit canalem ad semen transmittendum, et canalis non censetur vagina in modum sacci perfecte clausi desinens. Circa varias causas quae impotentiam inducere possunt, cf. VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 71-75. Cf. etiam suprà, n. 206, ubi brevis proponitur descriptio membrorum genitalium.

(2) Horum organorum carentia vel a natura procedit vel ab operatione chirurgica, et tunc dicuntur feminae *excisae:* si ovaria simul et uterus exciduntur, adhibetur operatio sic dicta *Porrensis;* si solus uterus aufertur, dicitur fieri *hysterotomia.* — Ad hoc ut mulieres excisae censeantur non esse impotentes, in priori acceptione, supponitur per operationem chirurgicam non esse hermeticè occlusam vaginam ex parte uteri.

(3) Ita ovaria artificialiter sterilizata ope radiorum sic dictorum Röntgen; dantur etiam casus in quibus ovariorum activitas reperitur naturaliter reducta, muliere sic naturaliter sterili effecta: cui defectui nunc medetur, nova methodo adhibita, quatenus applicatur irradiatio eorumdem radiorum, sed ita mitigata et graduata ut, nedum ovariorum activitatem destruat, hanc e contra augeat ac foecunditatem restituat. Cf. dictae methodi descriptionem factam a D^{re} Van Rooy, professore Amstelodamensi, apud *Vl. Geneeskundig Tijdschrift,* 1926, p. 206 ss.

551. *Species impotentiae.*

Porro impotentia, in utraque acceptione, est *antecedens* vel *consequens,* prouti matrimonio est anterior aut posterior. Impotentia autem coeundi est *absoluta,* si existit respectu cujuscumque personae; *relativa,* si restringitur ad unam alteramve personam, ita ut vir v. gr., ratione frigiditatis vel disproportionis virgae, impotens sit cum una muliere et non cum alia (1).

Impotentia est *perpetua,* si est incurabilis vel sanabilis dumtaxat per miraculum aut per media planè extraordinaria (2) ac valde periculosa aut illicita (3), dum impotentia *temporanea* auferri potest absque ope remedii illiciti aut extraordinarii (4).

Posset quoque, attentis praenotatis sub n. 550, distingui impotentia *organica* seu anatomica et impotentia *functionalis,* ut aiunt, vel et etiam *psychica,* prouti oritur ex defectu anatomico vel ex defectu functionali, vel ex causa psychica, maximè ex parte systematis nervosi, quod solet contingere in anaphrodisia, aphrodisia aut in vaginismo; sed haec distinctio ad nostrum scopum minus refert.

II. **Jus vigens.**

552. *Matrimonium irritat,*

PROPOSITIO PRIMA. *Jure naturae impedimentum dirimens matrimonii certò inducit impotentia ad coeundum, antecedens et perpetua, absoluta vel relativa, sive alteri cognita sive non.* Can. 1068, § 1.

---

(1) Maleficium plerumque habebatur uti causa impotentiae relativae, sed nonnunquam etiam uti causa impotentiae absolutae. Cf. *Conférences de Paris,* III, p. 111 s.

(2) Ita quod spectat *vasectomiam* passos, videtur sanationem fieri non posse nisi per media omninò extraordinaria et problematica, adeo ut eorum impotentia dicenda videatur *perpetua,* saltem si non sit valde recens vasectomia. Si namque physice possibile est hanc impotentiam curare, extremitates resuendo resecti canalis deferentis, si etiam non desunt experientiae felicem exitum nactae (cf. *Eccles. Review,* XLV; p. 720 s., et t. L, p. 221 s.; *Scuola cattolica,* XXI, p. 415; *N. R. th.,* 1914, p. 149, coll. p. 155), non est sanè negandum canalis restaurationem expertem exquirere manum et rarò succedere, signanter si vasectomia non fuerit recentius peracta (cf. FERRERES, o. c., n. 69-75 et 218-226). Attamen, cum in hujusmodi negotio tanti momenti ac adeo intimè praxim spectante, singulari prudentia sit opus, cumque solutio multum pendeat ab artis chirurgicae perfectibilitate, nolumus alteri sententiae, temporaneam tantùm impotentiam admittenti, probabilitatem denegare, donec per decretum S. Sedis lis dirimatur. Cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 535 et p. 541 s.; MICHAUD, l. c., p. 151 s.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 233; CAPPELLO, o. c., n. 378.

Vaginismus plerumque non constituet impotentiam *perpetuam,* cum passim illi infirmitati mederi possit per operationem non periculosam, quae consistit in dilatatione vaginae. — *Occlusio vaginae* inducit impotentiam perpetuam vel temporaneam, juxta quod, pro varia natura causae vaginem occludentis, insanabilis apparet defectus vel non.

(3) Illicitum meritò censebatur maleficium maleficio expellere. Cf. *Conférences de Paris,* III, p. 112 s., coll. KUTSCHKER, o. c., III, p. 41 ss.

(4) Ita impotentia ex hypospadia nonnunquam curatur sola mutatione situs in coeundo. STÖHR, o. c., p. 502. Quodsi impotentia removeri potest per operationem chirurgicam non periculosam, puta in casu arctitudinis, levi incisione curandae, vel in casu hymenis ossei aut cartilaginosi, etiam tunc non potest dici perpetua impotentia; ex alia tamen parte, non videtur obliganda illa compars ad removendam ope operationis impotentiam, ac S. Sedes potius concedit dispensationem super rato non consummato.

Probatio.

jure naturae, 1° Thesis, quam nitide enuntiat can. 1068, § 1, probatur ex ipsa notione matrimonii ejusque fine operis primario: quibus attentis, non intelligitur matrimonium consistere, nisi salvetur in contrahentibus quaedam ordinabilitas ad generationem, adeoque ad minus capacitas exercendi actum generationi de se idoneum. Cf. suprà, n. 83 et 84.

Cf. etiam invocatam Constitutionem *Cum frequenter* Sixti V, ubi docet quod, « secundum... naturae rationem, qui frigidae naturae sunt, et impotentes, iidem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur ».

553. impotentia perpetua, antecedens. 2° Quod sola attendenda sit impotentia *perpetua,* sponte liquet, cum haec sola simpliciter impediat ordinationem matrimonii ad finem operis: ad illam scil. ordinationem non postulatur, uti jam notavimus sub n. 544, ubi de aetate, quod potens sit sponsus ad copulam *hic et nunc* instituendam; impotentia proinde temporanea non dirimit matrimonium, sed hujus usum reddit illicitum toto tempore quo durat impotentia. Supponitur etiam impotentia *antecedens,* cum impotentia matrimonio *superveniens* nullatenus dirimat conjugium, sed ejus tantum usum excludat. Intelligitur autem impotentiam *absolutam* impedimentum inducere respectu cujuscumque personae, dum impotentia *relativa* irritat matrimonium cum sola persona respectu cujus existit impotentia.

3° Impotentia matrimonium contrahendum dirimit independenter a notitia vel ignorantia illius impotentiae penes alteram partem. Can. 1068, § 1 (1).

4° Sufficit autem attendere argumentum quo probatur thesis de vi irritativa impotentiae, ut liquidò appareat vim illam irritativam esse *juris naturae:* quod etiam asseveranter enuntiat can. 1068, § 1. Inde sequitur etiam *infideles* huic impedimento esse obnoxios, nec ullam super illo obtineri posse dispensationem.

554. Attendendum esse solum defectum aptitudinis ad copulam de se et ex parte actus generationi idoneam, PROPOSITIO SECUNDA. *Ad minus speculative probabilis est et practicè tuta sententia quae docet impotentiam ad generandum, seu foecundandum, non constituere impedimentum dirimens, sed solam impotentiam coeundi, seu ineptitudinem ad exercendam copulam natura sua et ex parte actus generationi idoneam; impotentia foecundandi inducit sterilitatem tantùm, quae matrimonium nec dirimit nec impedit.*

(1) Cf. infrà, n. 561, ubi notabitur quondam a nonnullis admissam fuisse doctrinam, juxta quam impotentia, utrique parti cognita, non inducit impedimentum. — Jam in Constitutione Sixti V, matrimonium spadonis declaratur irritum cum mulieribus ineundum, « defectum praedictum sive ignorantibus, sive etiam scientibus ».

Explicatio et probatio.

A. Sententia proposita est **speculative probabilis.**

tum speculative probabile est,

Revera 1° Vinculum conjugale, quod contractu matrimoniali inducitur, non importat jus et obligationem ad generandum aut foecundandum, sed ad actum praestandum qui natura sua et qua talis ad foecundationem ordinetur. Ad hoc igitur ut consistat contractus, sufficit quod nupturientes possint invicem copiam praestare corporis ad ponendum actum per se generationi idoneum.

Pariter si *finis* spectatur matrimonii, finis operis primarius est quidem generatio ac educatio prolis, et ideo matrimonium non datur legitimum nisi servata ordinatione objectiva ad generationem; sed servatur illa ordinatio in contrahentium aptitudine ad generandum *ex parte copulae,* in eorum habilitate scil. excercendi copulam per se generationi proportionatam (1).

Confirmatur 2° ex eo quod contractus matrimonialis est contractus *socialis, regimini obnoxius Principis societatis,* etiam Principis civilis, pro infidelibus: oportet nempe ut a Principe moderari queat ille contractus, utque passim dijudicari possit ejus existentia, validitas vel invaliditas. Unde natura conjugalis contractus exigit ut nonnisi talia impedimenta constituantur, de quorum praesentia constare valeat regulariter et de communiter contingentibus, quae nitantur scil. in facto obvio et regulariter perceptibili.

Quo pacto liquet impotentiam, *in quantum est impedimentum matrimonii,* non posse consistere in defectu *potentiae ad generandum,* seu in absentia vel vitio cujuscumque organi ad foecundationem undecumque necessarii: ponenda est in defectu capacitatis oriente ex absentia aut vitio organi de cujus absentia aut vitio via ordinaria constare queat (2), adeoque solus attendendus est defectus capacitatis *ad copulam,* quatenus haec non possit exerceri modo natura sua et ex parte actus generationi idoneo (3).

Confirmatur 3° ex *gravi incommodo* ex altera sententia consecuturo. Urgendo nempe tanquam impedimentum defectum aptitudinis ad generandum, ad matrimonium ejusque legitimum usum

(1) Sufficit etiam haec aptitudo ut *legitimus* evadat *usus matrimonii* ac legitimetur copula conjugalis: supposita namque illa aptitudine, eo ipso poni potest actus tali modo ut, *in quantum actus est,* dirigatur et sponte sua ordinetur in suum finem operis proprium, unde praecisè legitimitatem accipit; nimirum, ut actus aliquis sit legitimus, non debet posse obtineri ejus finis operis absolutè et ex omni parte, sed satis est ut actus *qua talis* sit *natura sua* ad finem operis proportionatus.

(2) Non sufficit quod hinc inde de absentia vel praesentia constare possit exceptionaliter et accidentaliter: oportet ut defectus pervius sit de via ordinaria, siquidem respicienda non sunt nisi quae sunt per se et communiter contingentia.

(3) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 228, p. 261 s.

inhabiles essent non tantùm mulieres ovariis orbatae, aut oophorectomiam passae, sed etiam mulieres, numero admodum multae, ovaria habentes irremediabiliter inertia, quemadmodum solet contingere post tempus «ménopause» dictum (1), necnon viri quorum semen per accidens est vitiatum aut spermatozoidis carens.

Esto quod de singulis individuis personis determinate dici nequeat eas esse hac ratione impotentes, quodque adeo non possent a matrimonio ejusque usu arceri; maneret tamen quod *a parte rei* essent inhabiles et invalidè junctae, quodque materialiter peccarent matrimonio utendo: in quo sanè ingens apparet adesse inconveniens.

Quibus omnibus attentis, non est negandum gravissimum dari rationis momentum in favorem sententiae in propositione inductae: ex capite nempe impotentiae non constitui impedimentum dirimens matrimonii nisi per ineptitudinem *ad copulam ex parte actus generationi idoneam;* unde saltem probabile est quod potentes sint et habiles ad matrimonium *mulieres* excisae, vel oophorectomiam passae, vel ovaria habentes irremediabiliter inertia, necnon *viri* senes, erectionis et verae seminationis capaces, quorum semen est per accidens non prolificum.

In sensum duplicis propositae theseos intelligimus can. 1068, in par. 1ª, collata cum par. 3ª: de impotentia scil. *coeundi* intelligimus priorem paragraphum canonis, matrimonium jure naturae nullum declarantem; de impotentia *foecundandi* intelligimus *sterilitatem,* de qua dicit par. 3ª quod nec matrimonium dirimit nec impedit.

Dictum est in thesi sententiam propositam esse *ad minus* probabilem; eam namque uti vix non certam habemus.

B. Sententia est **practice tuta.**

555. tum practice tutum.

Nimirum potest practice permitti matrimonium ejusque usus, quotiescumque constat nupturientes *aptos esse ad copulam ex parte actus generationi idoneam,* etiam ubi innotuerit, apud alterutrum, absentia aut vitium organi seu elementi, extra copulae actum, ad foecundationem requisiti; in specie non esset matrimonium ejusque usus interdicendum mulieri, oophorectomiam passae, vel cui ablatum est utrumque ovarium, *quantumvis de perfecta excisione certò constiterit.*

Revera 1° eo ipso quod *speculative probabilis* est sententia quae tenet dictam capacitatem sufficere ad habilitatem nubendi, non

(1) Notat VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 60, quod, anno 1885, « in tota civitate Berolinensi, ne una quidem mulier reperiri potuit quae quinquagenaria nupsisset et prolem haberet ».

possunt hujusmodi nupturientes in praxi a matrimonio removeri; vidimus namque suprà, n. 472, ob impedimentum indispensabile, *omne matrimonium excludens absolutè,* non posse prohiberi nuptias, *nisi* de illius praesentia *certò constet:* quod expressis verbis confirmat praesens can. 1068, § 2.

2° Hanc normam practicam sequi videtur S. Sedes, quatenus mulieri excisae matrimonium inire permittat, quemadmodum innotescit ex variis solutionibus datis, signanter ex solutione lata coram S. C. de Sacr., die 2 Aprilis 1909.

Referuntur imprimis decisiones C. S. O., 3 Febr. 1887, 23 Julii 1890, 31 Julii 1895 (1), et ea quam refert WERNZ, o. c., n. 345, nota 34, anni 1902 (2); sed in hisce minus insistimus, quia non sine aliquo fundamento reponi posset normam, in propositis casibus a S. Officio adoptatam, non valere nisi pro casu quo *facto dubia fuerit excisio perfecta,* quasi hoc dubium facti prae oculis habuerit S. Congregatio et in hoc dubio facti sententiam fundaverit (3).

Majoris autem momenti est responsum S. C. de Sacr. anni 1909 (4). Spectat nempe casum in quo, juxta exposita et juxta ex-

(1) Anno 1887: Qu. « Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt duo ovaria et uterus, admitti possit ad matrimonium contrahendum? ». R. « Matrimonium non esse impediendum ». Anno 1890, 23 Julii, *Quebecen.:* Qu. « Une personne à laquelle le chirurgien a enlevé les deux ovaires et l'uterus, peut-elle validement contracter mariage? ». R. « Matrimonium non esse impediendum ». Anno 1895, 31 Julii, *Westmonasterien.:* Qu. « Utrum puella N., cui ovaria per operationem chirurgicam ablata sunt, quaeque proinde, licet caeteroquin perfecta sit, prolem concipere nequit, matrimonium validè et licitè contrahere possit? ». R. « Detur responsum ut in Reghinen. (anni 1890), scil. juxta exposita matrimonium in casu non esse impediendum ».

Responsum anni 1890 habetur apud *Collectanea*², n. 1733, ubi, in nota, advertitur: « hoc responsum peculiarem casum respicit de quo agebatur »; responsum autem anni 1895 refertur *ibidem,* n. 1907, et in nota monetur: « Eadem S. C. S. Inqu. declaravit (16 Januarii 1895) in hujusmodi casibus esse in singulis recurrendum, cum hucusque responsum non fuerit nisi pro casibus particularibus ».

(2) Juxta GASPARRI, o. c., n. 578, « sunt etiam *plures* aliae similes responsiones pro matrimoniis contrahendis; et pro matrimonio contracto S. C. cohaerenter respondit: conjuges non esse inquietandos; et, sive de contrahendo sive de contracto, S. C. nunquam reposuit contra matrimonium ».

(3) Quod spectat responsum anni 1902, refert WERNZ, l. c.: « Cum novus iste casus excisionis ovariorum in S. C. Inqu. propositus fuisset, antequam responsum daretur, a medico expetitum est quanam ratione illa excisio facta esset. Qui cum respondisset *de perfecta* carentia organorum *non certo* constare, tum demum prodiit responsum: matrimonium in casu non esse impediendum ».

Circa responsa autem anteriora notat ANTONELLI, *Pro Conceptu Impotentiae,* n. 78, secretarium S. Officii declarasse Patri Bucceroni, in illis responsis supponi quod « non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia ». Ad haec autem lege animadversiones OJETTI, *Synopsis,* v° *Impotentia,* n. 2422, cum ejusdem conclusione sub n. 2423; cf. etiam FERRERES, *De Vasectomia,* n. 266 ss.

(4) En, juxta FERRERES, o. c., n. 234, et versionem factam in *N. R. th.,* 1910, p. 199, tenorem supplicae et responsi:

Eminentissime Seigneur Cardinal-Préfet de la Congrégation de Sacramentis.

N.N. curé de Saint Pierre de N., évêché de O., en Espagne, expose respectueusement à V. E. que, il y a quelques années, une de ses paroissiennes, nommée M. M., vivait en concubinage. Comme il s'informait pour la tirer de ce triste état, elle lui manifesta que dans une récente opération chirurgicale on lui avait enlevé la matrice

pressam chirurgi attestationem, *certò perfecta ac completa erat ovariorum exsectio* (1); remittit autem S. Congr. de Sacr. ad responsum C. S. O., anni 1890, scil. « matrimonium non esse impediendum », idque absque praemissa aut praescripta ulteriori inquisitione circa facti exposita (2). Porro negotium fuit tractatum non coram plenario coetu, sed coram congressu tantùm, coram quo, juxta Normas reformatae Curiae, aguntur negotia ac resolvuntur dubia, « ubi res perspicua sit, obvia nullique objecta controversiae » (3): quod innuere videtur hanc normam analogis casibus deinceps applicatum iri regulariter.

Nota. Ex hisce documentis, ex quibus apparet practicè tutam esse normam ad nuptias admittendi mulieres excisas, ad coeundum idoneas, etiam accedit argumentum ex auctoritate ad argumenta, sub n. 554, deducta in favorem probabilitatis speculativae theseos, quod impedimentum impotentiae sit in sola ineptitudine ad coeundum: in hac enim speculativa dictae theseos probabilitate niti censemus, ad tramites dictorum sub B, 1°, S. Sedem ut matrimonia ab hujusmodi mulieribus ineunda non interdicat et matrimonia sic contracta non disturbanda judicet. Quod expresse declaravit S. C. C., 16 Dec. 1905 (4).

---

et les ovaires. Le médecin qui lui avait fait l'opération consulté, dit que l'ablation de la matrice et des deux ovaires était certaine. Puis-je en l'état procéder au mariage, où dois-je considérer cette personne comme inhabile pour cause d'empêchement d'impuissance? Et, vu l'ablation totale de la matrice et des deux ovaires, puis-je solliciter de Sa Sainteté dispense de l'empêchement d'impuissance (?) pour que l'intéressée vive chrétiennement?

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, relatis precibus hisce litteris adnexis, omnibus mature perpensis, Amplitudini Tuae respondendum censuit prout sequitur: *Quatenus vera sint exposita, detur responsum S. Congr. S. Officii diei 23 Julii 1890 in causa Quebecen.*, scilicet: « *Matrimonium non esse impediendum* ».

Datum Romae die 2 Aprilis 1909.

(1) Cf. tenorem supplicae ac attestationem medici, quam refert FERRERES, o. c., n. 253 ss. Speciatim nota quod facta erat operatio per *laparotomiam:* fatetur autem ANTONELLI, *Medecina Past.*, ed. 3ia, II, n. 546 et 548, quod, si dubium esse potest de partialis ovarii remanentia in casu exsectionis per viam vaginalem aut sacralem, « in casu ablationis uteri vel uteri et ovariorum simul per laparotomiam, nullum amplius dubium facti esse potest ».

(2) FERRERES, o. c., n. 259 s.

(3) *Normae Peculiares* Curiae reformatae, cap. II, n. 2.

(4) « Cum disputent inter se Doctores, utrum validum necne sit matrimonium initum cum muliere ovariis carente, et cum Ecclesiae auctoritas hanc quaestionem adhuc non definierit, quinimo C. S. O. saepius in casibus particularibus edixerit, quando agebatur de matrimonio contrahendo, illud non esse impediendum, quando vero agebatur de contracto, conjuges non esse inquietandos, jam in re practica processum instituere ad matrimonii nullitatem declarandam ex defectu ovariorum in muliere, non videtur opportunum. Prius enim quaestio theoretica seu dogmatica esset utique definienda ». *Pastor Bonus,* XXV, p. 377 s. Cf. etiam BUCCERONI, *Casus conscientiae,* II, p. 294, ubi refert causam matrimonii cum muliere excisa fuisse propositam coram S. C. de Sacr., ad hoc ut declaretur non consummatum et dissolveretur, ad quam petitionem responsum est, die 15 Dec. 1911: « Non constare de inconsummatione matrimonii; supervacaneum igitur esset recurrere ad S. Congr. sive ut declaretur nullitas matrimonii, sive saltem ut dispensatio obtineatur super matrimonio rato non consummato ». Cf. etiam decisionem S. C. de Sacr., 12 Dec. 1910, quam citat LINNEBORN, o. c., p. 201, in nota, quatenus S. C. declaraverit matrimonium non esse impediendum in casu, pro obtinenda dispensatione super consanguinitate exposito, in quo operatione ablata fuerint ovaria cum parte uteri.

556. Refutantur objectiones.

Objectio fieri potest a/ ex quibusdam causis solutis a S. C. C., notatim *Salernitana*, 2 Aug. anni 1862, *Verulana*, 24 Jan. et 22 Junii 1871, *Albiganensi*, 7 Sept. 1895, ac *Monasteriensi*, 16 Dec. 1899.

Atvero in hisce causis S. C. nullum quidem declaravit matrimonium, ex capite impotentiae, sed non videtur nullitas deducta ex absentia uteri et ovariorum; potius deducitur ex defectu vaginae ejusve vitio substantiali et obvio, quod potissimum apparet in causa Monasteriensi. Cf. VERMEERSCH, *De Castitate*, p. 55, et apud *Periodica*, XIV, p. (50) ss.; FERRERES, o. c., n. 268 ss.; *Anal. eccl.*, 1900, p. 241 ss.; *R. th. fr.*, 1900, p. 295 ss., p. 349 ss., p. 400 ss., coll. *N. R. th.*, 1910, p. 197 s.; *Canon. contemp.*, 1903, p. 611.

b/ Ex modo agendi Datariae Apostolicae in causa dispensationis. Refert nempe BUCCERONI, *Casus conscientiae*, II, p. 293 (item ANTONELLI, *Medecina Pastor.*, II, n. 547), quod noluerit Dataria (die 19 Maii 1908) dispensare super impedimento consanguinitatis in 1° gradu mixto cum 2° in gratiam oratricis, quae asserebatur utroque ovario orbata, dispensaverit autem postquam constiterit unum dumtaxat ovarium fuisse ablatum.

Atvero hujus causae solutio non potest praevalere contra normam assumptam in S. Officio et in S. Congr. de Sacr.; nec directe agebatur quaestio impotentiae, ac ablatio ovariorum poterat esse ratio coram Dataria ad denegandam dispensationem super consanguinitate, praesertim in tam proximo gradu, quin illam ovariorum ablationem habuerit ut impedimentum indispensabile.

Frustra etiam c/ provocat ANTONELLI, l. c., ad tenorem *Praxis apostolicarum dispensationum super impedimentis matrimonialibus secundum reformatas formulas apost. Datariae* (Romae, 1902), quasi in hoc documento doceretur per copulam peractam a muliere perfecte excisa non contrahi (juxta jus anterius) affinitatem (1).

Revera, uti arguit BOUDINHON, *Can. contemp.*, 1903, p. 612, praeterquam quod non agatur de textu stricte authentico, non potest quis « non mirari in his verbis veram aequivocationem. Dum enim veteres canonistae necessariam dicebant ad copulam commixtionem seminum, minime intelligebant, quoad mulierem, sub nomine seminis, ovulum ad generationem physiologicè requisitum, bene vero humorem illum a glandibus vulvovaginalibus secretum in ipso actu quo copula perficitur. Dum vero hoc sensu videtur accipi vox *semen* in priori parte textus, dein in posteriori parte sumitur pro ovulo. Jamvero ovulum deficit, non modo in muliere excisa, sed etiam in vetula;... quis contendet ex copula cum ipsa habita non oriri affinitatem? ».

557. Notanda.

Notanda. 1° Noluimus provocare, in sententiae benignioris favorem, ad unanimem quasi consensum Auctorum antiquiorum (2). Consensus nam-

(1) « Notandum imprimis est quoad affinitatem, eam non exoriri nisi ex copula, et ex ea copula, quae sit per se sufficiens ad generandum, qua nempe seminum commixtio, seu concursus utriusque seminis ex parte viri et ex parte feminae, habeatur. Habita copula in quo vir seminaverit, jure praesumitur intervenire concursum utriusque seminis et maris et feminae. Quare tunc semper petenda est dispensatio ab affinitate ibi orta; nisi praesumptio cederet certae veritati, si mulier v. gr. perfecte careat utero et ovariis. Semen enim tunc, seu ovulum ad generationem physiologice requisitum ex parte feminae, omnino deest, et copula tunc non est amplius copula per se sufficiens ad generationem ».

(2) Cf. VERMEERSCH, *De Castitate*, p. 45 s. et p. 49. Cf. etiam apud BRYS, o. c., relatum textum *Huguccionis* (circa a. 1188), qui inter impedimenta, simpliciter recenset impossibilitatem conveniendi corpore, commiscendi carnaliter.

que ille minus probat, cum adscribi posset defectui scientiae physiologicae, et in specie ignorantiae circa naturam ovuli feminei ejusque officium in oeconomia generationis (1).

Quod spectat Auctores *modernos*, plerique quidem nostrae benigniori sententiae favent, sed jam non desunt qui alteri sententiae calculum adjiciant (2).

2° Impotentia coeundi non inducit, uti vidimus, impedimentum dirimens, nisi sit impotentia antecedens et *perpetua:* talis scil. quae prorsus incurabilis existit aut quae sanari nequit nisi per media extraordinaria, eaque vel valde periculosa vel illicita. Quodsi contingat ad hujusmodi media periculosa aut illicita recurri et auferri impotentiam coeundi, manet tamen invalidum matrimonium contractum (3).

3° Illi, qui quidem ratione copulae qua talis capaces sunt generandi, seu habiles ad exercendum copulam natura sua ex parte actus genera-

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 480.

(2) Imprimis citandi sunt ANTONELLI, tum in majori opere citato *Medecina Pastoralis*, tum in opellis: *De conceptu impotentiae, Pro conceptu impotentiae*, et *De mulieris excisae impotentia;* DE LUCA, o. c., n. 566, et in Voto ad Causam *Monasterien.*, apud *R. th. fr.*, 1900, p. 302 ss.; LEITNER, *Lehrb.*, p. 105 s.; ROSSET, o. c., II, n. 1400; SCHNITZER, o. c., p. 355; TOPAI, o. c.; BUCCERONI, *Theol. Mor.*, II, 994, apud *Anal. eccl.*, 1903, p. 230 ss., et *Casus Conscientiae*, (1913), II, n. 146, p. 273 ss.; CASACCA, apud *Eccl. Rev.*, t. XXVII, p. 609 ss.; *Pastor Bonus*, 1904. p. 191 s.; ALBERTI, *Theol. Pastor.*, Romae, 1904, IV, n. 88, MARC, *Instit. morales*, Parisiis, 1920, n. 2008; CHELODI, o. c., n. 71; AUGUSTINE, o. c., p. 168 ss.; FERRUGIA, o. c., n. 151 ss.

Ex alia parte, juvat notare ad sententiam, in textu propositam, accessisse CAPPELLO, o. c., n. 353 ss.; *Ami du clergé*, 1926, p. 284; necnon etiam *Wernz*, uti *Vidal*, apud WERNZ-VIDAL, o. c., et ipse doctrinae propositae favens (n. 227), testatur in nota 56, ad n. 226. Potius etiam favet LEHMKUHL, apud *Eccles. Review*, t. XXVII, p. 314 ss.

Ad hanc etiam eamdem sententiam potius accedit ARENDT, *Relectio analytica super controversia de impotentia feminae ad generandum*, Romae, 1913 et *Circa controversam validitatem matrimonii feminae excisae*, Romae, 1923; *De absoluta habilitate sterilium ad matrimonium*, apud *Jus Pontificium*, 1925, p. 87 ss.: si enim contendit matrimonium a muliere excisa contractum esse invalidum, id non admittit nisi in supposito quod *suae ineptitudinis ad generandum sit conscia;* nullitatem scil. non repetit ex capite impotentiae, sed ex capite deficientis seu vitiati consensus (can. 1081, § 2 et can. 1086, § 2), quatenus nempe hujusmodi mulier, ineptitudinis suae conscia, nequeat consensum praebere naturaliter validum, cum « in consensu, quem praestat circa causam contractus, excludat ipso facto ab ea illam proprietatem ejusdem causae essentialem ». Cf. *N. R. th.*, 1923, p. 545 s., coll. *Jus Pontif.*, 1923, p. 159 s.; VERMEERSCH, *De Castitate*, in fine n. 60, coll. *Theol. mor.*, IV, n. 40; SCHMIDT, apud *Zeitschr. f. k. Theol.*, 1925, p. 128 s.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 230, ubi contra hanc sententiam merito arguit ex eo quod, si objectiva conditio ignorata non impedit quod contractus habeat suum objectum, verum scil. vinculum conjugale, circa hoc objectum fertur consensus sponsorum matrimonium pure et absolute contrahentium, quin obstet ineptitudinis ad generandum conscientia, modò positivo actu ad dictae ineptitudinis absentiam non alligetur consensus. Cf. tandem OESTERLÉ, *Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae*, apud *Ephem. theol. Lovan.*, 1926, p. 345 ss., ubi ad trutinam revocat theoriam Arendt, ac insistit in refutandis argumentis ab eo adductis ex textibus ss. Patrum et Scholasticorum.

Etiam *Vermeersch* nostrae sententiae favet, non tamen absque aliquo singulari moderamine: « Ad nos, ait, quod attinet, nolimus quasi quartam opinionem proponere (tertiam vocat sententiam Arendt, de qua modò). Advertimus tamen omnia in prima (nostra) sententia magis cohaerenter dici posse, si rationem cur castrati sint incapaces matrimonii, non praecise colligas ex carentia seminis stricte dicti, sed ex eo quod, propter abscissionem, suppressa est ipsa secretio *interna* quae ipsam fovet copulae facultatem (*De Castitate*, n. 7), ita ut, ob lethale vulnus illius facultatis, non possint perpetuam copulae obligationem suscipere. Neque ipse Sixtus V rationem suae sententiae hanc dedit, quod castrati non possunt generare, sed quia ex hujusmodi conjugiis nulla utilitas provenit, sed potius tentationum illecebrae et incentiva libidinis oriuntur. Existimabat enim castratos copula non satiari sed excitari ». Cf. *De Castitate*, n. 60, p. 55-59.

(3) Cf. CAPPELLO, o. c., n. 363 et AA. citatos.

tioni idoneam, sed carent organo, praeter et extra copulae actum, ad foecundationem necessario, vel habent organum vitiatum, quique ex hoc capite a patronis alterius opinionis censentur impotentes, in proposita sententia sunt *steriles*. Steriles proinde sunt mulieres perfecte excisae aut oophorectomiam passae, mulieres senescentes inde a tempore « menopause » nuncupato, viri senes, erectionis et seminationis capaces, sed habentes semen per accidens non prolificum.

4° Coram jure naturae aeque habiles sunt ad matrimonium mulieres dicta ratione steriles, sive a natura tales existant, sive operatione chirurgica sint steriles effectae, idque sive operatio fuerit legitima sive criminosa et cum prava intentione generationem vitandi peracta. Ex alia parte nihil obstat, ac imo optandum videtur, hujusmodi feminas, fraudulenter sese steriles reddentes, sive ovariotomia sive oophorectomia, ab Ecclesia ad nubendum inhabilitari, contra illas inducto impedimento juris ecclesiastici (1). Cf. infrà, n. 558bis.

III. **Modus agendi parochi et confessarii.**

558. Modus agendi parochi et confessarii.

A. Quicumque casus, in ordine ad matrimonium ineundum, judicio subjiciatur parochi vel confessarii, statim ac certitudinem habeat non agi de impotentia coeundi, sed de sola impotentia foecundandi, nulla difficultas. Potest parochus vel confessarius permittere ut matrimonium contrahat consulens utque matrimonio contracto utatur (2). Eo namque ipso impedimentum impotentiae est dubium dubio juris, et matrimonium non est impediendum. Can. 1068, § 2, coll. suprà, n. 472, et mox infrà sub B, 2°.

B. Ubi *suspicio* habetur de impotentia coeundi, maxima prudentia est opus, praesertim si suspicio post matrimonium oriatur: prudenter remittatur pars suspecta ad probum medicum, quem consultum adeat, quin disturbetur bona fides ac dubium ingeratur de nullitate matrimonii, praesertim jam contracti (3). Porro, instituto examine, vel *certitudo* acquiretur in hoc negotio, vel *dubium* remanebit. Jamvero

1° In hypothesi *certitudinis:*

a/ Si constat de vera coeundi impotentia *perpetua,* sed *consequente* dumtaxat: matrimonium manet validum, sed illicitus est ejusdem usus (4); instituenda est proinde separatio tori, juxta

(1) BUREAU, o. c., p. 35, refert declarationem D^{ris} Canu, quatenus « on a ovariotomé à Paris, depuis 15 ans, 30.000 à 40.000 femmes, et qu'il existe en France 150.000 femmes sans ovaires ».

(2) Ita de muliere excisa, uti vidimus. Hoc tamen non praejudicat de quaestione utrum debeat hujusmodi mulier monere sponsum de defectu contracto. Cf. suprà, n. 35 s.

(3) Bonum est ut parochus vel confessarius, si aliunde nihil obstet, licentiam obtineat a persona consulente cum medico colloquendi de illius infirmitate.

(4) Casus esset pro marito cui ambo testiculi, operatione chirurgica, auferuntur: jam non posset a et cum hujusmodi viro castrato institui copula conjugalis saltem post evacuationem vesicularum seminalium, nec etiam licerent actus non consummati,

principia posita n. 267, vel exceptionaliter etiam cohabitationis, si aliter vitari nequit incontinentiae periculum, nisi opportunum judicetur, quod non rarò continget, conjuges in bona fide relinqui.

b/ Si constat de impotentia *temporanea,* sive sit antecedens sive consequens, matrimonium utique est validum, sed illicita est copula ejusve attentatio, quousque certa manet impotentia; possent tamen legitimari actus non consummati, intrà limites suprà, n. 211, delineatos, cum servent ordinationem ad actum completum legitimum, licet hic et nunc non possibilem, sed in futurum differendum (1). Cf. suprà, n. 208[bis] et n. 211, sub fine, coll. n. 237.

c/ Si *constat* de *antecedentis* ac *perpetuae,* sive absolutae sive relativae, impotentiae coeundi existentia, excluso quovis dubio juris vel facti, certò scil. deficiente organo ad ipsam copulam necessario, matrimonium futurum est impediendum, et, in casu matrimonii sic nulliter jam contracti, regulariter procuranda est *authentica nullitatis declaratio,* interdicto statim omni usu conjugii; potest tamen exceptionaliter fieri quod, supposita matrimonii nullitatis ignorantia in populo ac supposita utriusque partis omnimoda bona fide, et attentis gravibus monitionis incommodis, opportunè relinquantur pseudo-conjuges in bona fide, vel quod (licet rarò) consulenda videatur cohabitatio fraterna, juxta dicenda sub n. 721 ss.; potest etiam contingere quod intimatio interdictionis ab usu conjugii usque ad matrimonii dissociationem sit differenda.

Requiritur *authentica declaratio,* imo etiam *judicialis sententia:* parochi scil. non est nec confessarii nullitatem privatim declarare, sed hoc spectat ad forum publicum Ecclesiae, quae authentice nullitatem declaret, praeviè instituto processu ad tramites juris (2), et sententia lata duplici ac conformi eaque per interpellationem non suspensa (3).

---

utpote qui jam non habent ullam ordinationem ad actum completum legitimum. Cf., in benigniorem partem, auctores citatos, suprà, n. 208[bis], quos auctores vidimus immeritò concedere, in descripto casu, matrimonii usum. Cf. etiam, quod spectat actus non consummatos, n. 211.

(1) Hoc applicatur casui vasectomiaci, in supposito quod vasectomia inducit impotentiam temporaneam dumtaxat. Cf. hic VLAMING, o. c., n. 274[bis], coll. suprà, n. 551, in nota.

(2) Procedura in causis matrimonialibus sequenda describitur infrà, ubi de *Processu matrimoniali.* Sufficit hic notasse speciales normas esse adhibendas ad hoc ut constet de impotentia antecedente et perpetua, potissimum in deputandis ex officio medicis peritis et obstetricibus ad faciendam inspectionem corporalem partis impotentis, quas similes normas applicandas diximus in causis non consummationis, n. 331, coll. II. cc. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 237, nota 85.

(3) A fortiori non pertinet ad conjuges aut ad alterutrum eorum matrimonium privata auctoritate dissolvere; nec possunt proprio marte instituere separationem a toro et cohabitatione; possent tamen, ante judicis sententiam, ac imo deberent separationem a solo toro instituere, statim ac ipsis apparet certa impotentia perpetua antecedens et matrimonii nullitas.

Quodsi nullum declaretur matrimonium ob impotentiam *absolutam,* simpliciter prohibentur novae nuptiae parti impotenti (1); si sententia nititur in impotentia *relativa,* solet parti impotenti interdici transitus ad alia vota *inconsulta S. Sede,* vel cum restrictione ut non ducat nisi viduam (2).

2° In hypothesi *remanentis dubii:*

a/ Si dubium afficit *ipsius impotentiae existentiam* (3): salvo recursu ad Ordinarium, cui dubium est submittendum, norma est ut, *ante matrimonium,* nuptiae dissuadeantur quidem, *non* tamen absolute *interdicantur,* saltem ubi res est de dubia impotentia *absoluta* (4), imposita parti dubie impotenti alteram partem monendi obligatione; utque, *post matrimonium, regulariter* servetur silentium circa dubium conjugii valorem, quousque dubium perseverat, usus vero matrimonii, vel conatus ad illum, non prohibeatur (5).

b/ Si dubium afficit solam impotentiae *antecedentiam,* excluso dubio circa verae impotentiae perpetuae existentiam: omnis usus matrimonii est interdicendus (cf. modò suprà, sub 1°, a, et ll. cc.), et regulariter silentium est servandum circa matrimonii valorem.

c/ Si dubium afficit solam impotentiae *perpetuitatem* (6): *ante* matrimonium, dissuadeantur nuptiae, quin possint, ubi agitur de impotentia absoluta, strictè prohiberi; *post* matrimonium, copula interdicatur, quousque dubium manebit, non vero actus non consummati (ad normam dictorum sub 1°, b, coll. ll. cc.), et circa matrimonii valorem prudens regulariter servetur silentium.

Quodsi, in triplici descripto casu sub a/, b/ et c/, passim servandum sit silentium circa matrimonii validitatem, nonnunquam opportunum erit ad vinculi dissolutionem aut nullitatis declarationem recurrere.

Ubi nunc adjuncta id suadent, dubium ad *S. Sedem* referatur solvendum; aut, ubi de dubio facti agitur, processus instituatur

---

(1) Profectò altera pars potest liberè novum inire matrimonium, ea tamen lege ut, si postea detegatur compartem reipsa non fuisse impotentem, ad hanc redeat, relicta nova comparte, nisi primum matrimonium, utpote non consummatum, dissolvi curetur, novumque conjugium convalidetur. Cf. *Th. Pr. Quartalschr.,* 1906, p. 211; KUTSCHKER, o. c., III, p. 103 ss.; SCHNITZER, o. c., p. 365 s., ubi casus referuntur, coll. p. 362.

(2) Cf. suprà, n. 331ter, coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 238, nota 86.

(3) Vidimus relinqui aliquod dubium circa impotentiae existentiam in casu quo penetrari quidem potest vulva, non autem vagina, supposita impenetrabilitatis perpetuitate (n. 550, in nota).

(4) Can. 1068, § 2, normam enuntiat de impotentia dubia absque distinctione; sed fatendum est argumentum in quo nititur proposita praxis (suprà, n. 472, coll. n. 555, sub 1°) non attingere nisi dubiam impotentiam *absolutam,* nec adeo auderemus illam extendere ad casum dubiae impotentiae relativae. Ita etiam VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* III, n. 773, et CREUSEN, *Epitome,* II², n. 341; aliter VLAMING, o. c., n. 273; CAPPELLO, o. c., n. 366; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 223, sub V.

(5) Cf. VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 230.

(6) Sub n. 551, in nota, vidimus hucusque non esse solutum dubium, quod moveri posset circa impotentiae perpetuitatem in vasectomiaco.

juridicus, sive coram tribunali Episcopi, sive directè coram Tribunali Romano. Dubio facti perseverante, solet nunc, relicta praxi olim in usu triennalis experimenti (1) ac congressus (2), examen peragi circa matrimonii *non consummationem* (3), de qua si constat, sollicitatur a R. Pont. dispensatio super matrimonio rato non consummato (4). Haec autem dispensatio ob dubiam impotentiam, constito utique de non consummatione, haud aegre conceditur, saltem ad cautelam (5), vetito pro parte suspecta transitu ad novas nuptias, inconsulta S. Sede (6).

558bis. Circa liceitatem operationis castrantis.

Nota. In praecedentibus actum est de variis operationibus chirurgicis in viro vel in muliere peractis, sub hoc tantùm respectu, utrum nempe necne impotentiam inducant perpetuam ac matrimonium *irritent*. Quodsi quaeratur de earum *liceitate:* operationes chirurgicae virum aut mulierem castrantes, uti sunt eviratio, ovariotomia, vasectomia, oophorectomia, *generatim graviter illicitae sunt,* nisi in quantum ad illas urget bonum corporis, per hujusmodi operationem immediatè provocandum, uti est in casu quo malignus tumor partes genitales, uterum aut ovaria invaserit. Ob alium finem peractae, licet mediate et indirecte cedant in bonum corporis, graviter reprobantur hujusmodi operationes, puta ad vitandum partum periculosum aut impraegnationem periculosam; insuper accederet injustitia in compartem, si, hac invita, hujusmodi operationem in se admittat aut procuret persona conjugata. Cf. suprà, n. 217, coll. n. 440 s., coll. etiam n. 557, sub fine, ubi votum emittitur ut hujusmodi feminae sese fraudulenter steriles reddentes, ab Ecclesia ad matrimonium jure ecclesiastico inhabilitarentur.

---

(1) Circa *triennale experimentum,* ejusque originem Romanam (a Justianiano prius fuerat statutum spatium biennii et postea spatium triennii), vide ESMEIN, o. c., I, p. 252 s., ubi notatur illud fuisse usurpatum potissimum in casu quo suscipio erat de maleficio. — Nota primitus etiam in usu fuisse *judicium Dei,* per crucem vel per aquam et ferrum. Cf. *Conférences de Paris,* III, p. 156 ss.; SCHNITZER, o. c., p. 349-351; GIBERT, *Tradition ou histoire,* I, Histoire de l'impuissance, p. 2 ss.

Ultima vice illud experimentum triennale propositum fuit applicandum in causa *Farolivien.,* 20 Sept. 1817. Codex de illo prorsus silet, adeoque pro supresso habetur; de illo jam mentio deerat in Instr. C. S. O., 20 Maii 1887.

(2) De pudenda praxi *congressuum* (congressus = concubitus), cf. ESMEIN, l. c., p. 275 ss.; coll. BROUARDEL, o. c., p. 95 ss. Non videtur illa praxis viguisse extra Galliam, in qua floruit inde a medio saeculo 16° usque ad annum 1677.

(3) Cf. suprà, n. 331 ss.

(4) Haec via in dies saepius adhibetur, utpote securior, statim ac habetur dubium circa impotentiam nuptias irritantem (cf. varias causas relatas apud KUTSCHKER, o. c., III, p. 111-115); et sic providè vitatur hypothesis qua matrimonium, ex errore nullum declaratum ob apparentem impotentiam, postea reperiatur validum. Non desunt tamen causae in quibus, etiam nunc temporis, nullum declaratur matrimonium ex capite impotentiae, uti contigit in Causa *Premislien.,* 14 Maii 1898, apud A. S. S., XXXI, p. 196 ss.; in Causa *Monaster.,* apud *R. th. fr.,* 1900, p. 295 ss.; in Causa *Albigan.,* apud *Canon. contemp.,* 1896, p. 233 ss.; in Causa *Versalien.,* 22 Aug. 1908, apud *Anal. Eccl.,* 1908, p. 376 ss., necnon in Causa citata et ex integro exposita, cum omnibus actis judicii, apud PIERANTONELLI, o. c., II, p. 9-54.

(5) Cf. Causam *Cameracen.,* apud *Anal. Eccl.,* 1899, p. 239 ss.

(6) Cf. Causam *Versalien.,* l. c., coll. suprà, n. 331ter et n. 486.

Scholion I. De Hermaphroditis (1).

559. Quid de hermaphroditis ;

Hermaphroditae (quos *androgynos* etiam vocant), seu personae ad utrumque sexum pertinentes, vel sunt hermaphroditae:

1° *apparentes,* quatenus scilicet organa genitalia externa viri speciem prae se ferant organorum feminae (2), et vicissim (3).

vel 2° *veri,* quatenus nempe reipsa, partim vel completè, organa habeant utriusque sexus.

Perfectè hermaphroditae, juxta *Brouardel,* summae auctoritatis virum, non existunt: scil. « on n'a pas encore trouvé d'exemple d'un être présentant, au double point de vue interne et externe, les attributs des deux sexes; dans tous les cas observés, les vices de conformation de l'appareil génital étaient incomplets, avec une prédominance plus ou moins nette soit du côté masculin, soit du côté féminin ». L. c., p. 19. Non dantur igitur nisi hermaphroditae *secundum quid,* seu ex parte tantùm, participantes de uno sexu et de altero, alterutro tamen sexu praedominante, idque ita ut vel ad neutrum sexum sufficiant organa vel ad alterutrum dumtaxat (4).

Quibus attentis, vix aliquid speciale est notandum circa habilitatem hermaphroditarum ad matrimonium, saltem quoad principia, et tota difficultas erit in quaestione facti. Et sanè

a/ Si pro uno sexu determinato adsunt organa ad copulam generationi idoneam *certò sufficientia,* nihil obstat quominus ad matrimonium admittantur, licet organa alterius sexus coexistant.

b/ Ubi *constat* de organorum *insufficientia* ad alterutrius sexus functiones genitales, quemadmodum frequentius contingit: simpliciter interdicendum esset matrimonium, et nullum esset declarandum matrimonium ante contractum.

c/ Quodsi de sufficientia organorum seriò *dubitatur,* examine peracto, dissuadendum est quidem matrimonium, sed, coram dubio probabili et quousque perseverat, non videtur posse matrimonium ineundum stricte prohiberi, hac utique salva cautela quod altera pars sit monenda; matrimonio autem contracto applicatur adagium juris: standum esse valori actus; posset tamen processus institui in nullitatem (5), vel, si constet de non consummatione, induci coram S. Sede supplica ad petendam dissolutionem matrimonii non consummati.

---

(1) Nomen trahit ab *Ἑρμῆς* et *Ἀφροδιτη* (Mercurio et Venere), qui feruntur genuisse filium utriusque generis participem.

(2) C'est le pseudo-hermaphrodisme du *type masculin,* qui « consiste essentiellement en un hypospadias avec fissure scrotale, simulant une vulve et un vagin plus ou moins développé ». BROUARDEL, o. c., p. 20.

(3) C'est le pseudo-hermaphrodisme du *type féminin:* il « est constitué par un excès de développement des organes; on trouve un clitoris qui peut avoir jusqu'à 7 ou 8 centimètres de longueur; les grandes lèvres soudeés peuvent êtres prises pour le scrotum ». *Ibidem,* p. 21.

(4) « Un cas fréquent est celui où l'on trouve deux testicules et un ovaire;... le plus souvent on trouve un ovaire d'un côté et un testicule d'un autre » (*ibid.,* p. 19); quoad reliqua organa, pertinebant ad unum determinatum sexum.

(5) Apud *Acta S. S.,* XXI, p. 480 ss., citatur causa, acta 24 Martii-18 Aug. 1888, ubi nullitas declaratur matrimonii, a persona iniți quae reputabatur femina et reperta fuit ad sexum masculinum pertinere, vel saltem feminea impotentia certò laborare. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 387.

Scholion II. De Foecundatione artificiali.

560. de foecundatione artificiali.

Foecundatio artificialis, sensu *strictiori,* venit pro foecundatione mulieris artificialiter procurata *absque copula ritè peracta:* suscepto scil. semine virili in pollutione solitaria vel in copula onanistica cum retractu aut cum involucro instituta, illoque ope siphunculi in vas muliebre introducto, vel etiam semine ex interiori testiculorum tunica extracto et dein in mulieris vaginam immisso.

Latiori autem sensu dicitur foecundatio artificialis, quando, *rite peracta copula* et semine in vagina (licet forte in anteriori parte) deposito, arte procuratur penitior dicti seminis introductio in interiora mulieris, putà si semen per copulam in vagina emissum illicò recolligitur et ope siphunculi interius trajicitur.

Quod spectat *matrimonii consummationem,* hanc non efficit foecundatio artificialis stricte dicta (suprà, n. 157). Quod autem spectat *moralitatem* actus: stricte dicta foecundatio artificialis est reprobanda, non excepta, uti videtur, illa quae ultimo modo obtinetur; haud illicita vero censetur foecundatio artificialis quae late dicta vocatur (1); priorem spectat responsum C. S. O., 24 Martii 1897, illicitam proclamans artificialem foecundationem (2). Cf. ESCHBACH, *Disputationes,* p. 70 ss.; ANTONELLI, *Medicina Pastor.,* n. 473 ss.; *N. R. th.,* XXIX, p. 323 ss.; BALLERINI-PALMIERI, o. c., VI, n. 1304; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 208a.

561. Antiqua disciplina.

Scholion III. Evolutio juridica.

Quod spectat *juridicam evolutionem* notionis impotentiae ejusque vis irritandi, notari juvat eas ab initio non fuisse accuratè determinatas, ac successivae evolutioni fuisse obnoxias.

Priora documenta ecclesiastica silent de impotentia, et prima mentio videtur occurrere in *Poenitentiali Theodori* (3), saeculo 7°, quo loco permittitur novum matrimonium mulieri cujus vir erat impotens. Porro a pluribus Doctoribus olim, praesertim a patronis copulatheoriae, habita

(1) Foecundatio artificialis late dicta non censetur illicita vel a S. Sede reprobata saltem si semen a viro coeunte in vagina depositum ita recolligitur ut, antequam in uterum trajicitur, praevie non extrahatur ex vagina mulieris.

(2) Ad dubium: « An adhiberi possit artificialis mulieris foecundatio? », Em. Cardinales Inquisitores, omnibus diligentissimo examine perpensis, praehabitoque consultorum voto, respondendum mandarunt: « *Non licere* »; quam resolutionem S. S. approbavit et confirmavit.

Inordinatio nempe derivanda censetur ex ipsa natura actus foecundandi extra copulam, non autem ex vitio onanismi vel pollutionis voluntariae quod praesupponeret. Cf. PAYEN, o. c., n. 283; CAPPELLO, o. c., n. 382, ubi, contra aliter sentientes, puta GENICOT-SALSMANS, o. c., II, n. 545, coll. *Casus conscientiae,* ed. 5ª, casu 1125; VERMEERSCH, *De Castitate,* n. 241, meritò arguit: « Actus enim proprius conjugii est copula seu congressus maris et feminae, cujus finis est utique procreatio prolis, sed naturali modo obtinenda, scil. per congressum maritalem, quo injiciatur vitali actu sperma a viro in vaginam mulieris ».

Qua attenta inordinationis radice, reprobanda est artificialis foecundatio stricte dicta, non tantum in casu quo semen criminosè emittitur extra vas, per copulam scil. onanisticam vel per pollutionem voluntariè procuratam, sed etiam in casu pollutionis passivae, involuntariae, necnon uti modò notatum, in casu seminis ex testiculis extracti.

(3) WASSERSCHLEBEN, o. c., l. II, tit. XII, § 32 (p. 216); SCHMITZ, o. c., ad h. l. (p. 547); SEHLING, *Die Wirkungen...,* p. 17; SÄGMÜLLER, *Theol. Quartalschr.,* 1905, p. 83 ss. et 1911, p. 92 ss., ubi Auctor in specie agit de impotentia mulieris, et urget eam fuisse in jure notam inde ab VIII saeculo. Contrà H. KOCH, o. c., p. 5-13, contendit eam ignorari, in jure canonico, ante saec. XII, eamque primùm tractari in decreto Alexandri III (c. 4, X, IV, 15); item apud *Deutsche Zeitschr. f. Kirchenr.,* XXII (1912), p. 227-256. Cf., in alterum sensum, GILLMANN, in *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1909, p. 772 ss., et 1910, p. 244, nota 1.

fuit impotentia uti *causa solutionis* pro matrimonio non consummato (quod non habebant uti matrimonium in suo esse perfectum ac indissolubile), potius quam impedimentum irritans: quod inter alia constat ex testimonio Hincmari, c. 4, C. XXXIII, q. 1 (1), in quo capite uxori virum impotentem habenti permittitur non tantùm novas nuptias celebrare, sed etiam in hisce permanere, si postea innotescat virum fuisse potentem (2). Contrà Petrus Lombardus, copulatheoriam repudians, impotentiae agnoscit *vim irritandi* matrimonium, supposita tamen ignorantia alterius partis sanae (3); item alii post eum (4).

Ecclesia autem Romana videtur semper habuisse impotentiam uti impedimentum dirimens (5), sed disciplinariter urgebat olim habitationem fraternam inter conjuges quorum alteruter impotens erat, quin tamen voluerit illam disciplinam imponere in aliis regionibus, ubi minus severè procedi solebat (6); postea, inde ab Alexandro III, abrogata est illa severior disciplinaris dispositio et praevaluit oeconomia hodiedum vigens (7).

Circa triennale experimentum, ejusque originem et suppressionem, cf. dicta suprà, sub n. 558. Quod spectat Constitutionem *Cum frequenter* Sixti V (27 Junii 1587), videsis notata suprà, n. 552 s., coll. n. 83.

Scholion IV. Legislatio civilis.

562. Jus civile.

Impotentia in nostro *jure civili* non admittitur uti impedimentum dirimens (8), nec adeo invocari potest uti causa annullationis, neque directe

(1) Cf. SEHLING, *Wirkungen...*, p. 25, ubi A. praeposterè interpretatur hanc Hincmari solutionem. — Apud Hincmarum agitur de impotentia ex maleficio, quae censetur impotentia relativa.

(2) Gratianus, in *dicto* ad h. l., Hincmari sententiam opponit sententiae Gregorii, de qua in cap. 1 et 2 ejusdem quaestionis, et juxta quam « post possibilitatem redditam, jubetur (mulier) separari ab eo cui secundò nupserat, et redire ad primum ».

(3) Juxta Magistrum Sententiarum, *lib. Sent.* IV, Dist. XXXIV, personae frigidae seu impotentes non sunt neque simpliciter legitimae neque inhabiles, sed *mediae;* mutuò cognita impotentia non inducebat impedimentum. Cf. dicta supra, n. 531. — Can. 1068, § 1, expressis verbis, uti vidimus, urget indifferens esse utrum impotentia alteri parti nota sit vel non.

(4) Ita *Stephanus Tornacensis* distinguit inter personas legitimas, illegitimas et neutras: neutras autem vocat quas Lombardus nuncupat medias. Quod autem spectat S. THOMAM, *Suppl.*, LVIII, art. 1, ad 4^m, haec habet: « Frigiditas... sicut et conditio servitutis... impediunt matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc, quod alius non potest reddere debitum », adeo ut faveat sententiae Petri Lombardi, impotentiam scil. utrique parti notam non constituere impedimentum. Hoc, quod scil. praecognita impotentia non dirimat matrimonium, uti dubium proponit *Mag. Albertus* (apud GILLMANN, *Magister Albertus Glossator der Comp. II*, 1925, p. 75). — Frustrà conantur WERNZ-VIDAL, o .c., n. 223, nota 41, necnon CAPPELLO, o. c., n. 347, nota 15, aliter explicare textum S. Thomae: nimis urget tenor verborum sensum a nobis propositum, quem adhuc confirmat paritas quam invocat S. Doctor cum impedimento conditionis servilis, ac etiam auctoritas Petri Lombardi ad quam explicitè provocat.

(5) Manifeste favent cc. 1 et 2, C. XXXIII, q. 1, cum matrimonium, ob impotentiam dissolutum, reinstaurari praecipiatur statim ac apparet impotentiam reipsa non adfuisse.

(6) De illa severa disciplina Romana constat ex cc. 2 et 4, *Comp.* I, IV, 16; item ex introductione ad c. 2, X, IV, 15 et c. 4, X, IV, 15; tolerantia autem S. Sedis circa praxim benigniorem apparet in eadem introductione ad c. 2, X, IV, 15. Cf. etiam *Conférences de Paris*, III, p. 103-106; SÄGMÜLLER, *Theol. Quartalschr.*, 1905, p. 88 ss.; et rescriptum Gregorii II ad Bonifacium (726), de quo supra, n. 365. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 222; nota 25.

(7) Cap. 2 et 3, X, IV, 15. Cf. FAHRNER, o. c., p. 182 s., coll. p. 197 s.

(8) Causae suppressionis impotentiae e censu impedimentorum civilium fuerunt, inter alia, scandala quondam provocata ex pudenda praxi congressuum; cf. PLANIOL, o. c., n. 712 s.

et per se, neque indirecte et per accidens: quatenus scil. induceret errorem matrimonium annullantem (1), vel excluderet diversitatem sexuum quae ad existentiam matrimonii requiritur (2); potest namque, in alterutro nupturiente, simul stare impotentia cum sexus diversitate.

Quodsi matrimonium aliquod coram Ecclesia nullum reperiatur et tale declaretur ex capite impotentiae, ejus autem nullitas non admittatur a jure civili, remedium esse posset in sollicitando divortio civili.

In *Jure Germanico,* impotentia non constituit impedimentum distinctum, sed potest inducere impedimentum *erroris circa conditionem,* quatenus nullitatis declaratio seu annullatio provocari potest ex parte conjugis qui impotentiam nuptiis anteriorem ignoraverat. Art. 333. Annullationi locus est in legislatione *Austriaca,* supposita impotentia perpetua nec facilè curanda; quodsi dubium sit circa perpetuitatem, debent conjuges cohabitare per annum, et, si post annum elapsum impotentia manet, matrimonium declaratur nullum. Cf. NEUMANN-ETTENREICH, o. c., p. 54 s. In Italia admittitur actio in nullitatem ex capite impotentiae antecedentis et perpetuae, quam actionem inducere potest pars altera (3).

ARTICULUS 3^s^. **De Impedimento Ligaminis.**

Jus vigens.

Impedimentum dirimens ligaminis consistit in inhabilitate personae ad novum matrimonium ineundum, stante valido vinculo priore. Cessat autem impedimentum dissoluto priore matrimonio aut invalido reperto; non licet tamen ad novas nuptias transire nisi postquam de priorum nuptiarum nullitate aut solutione legitimè et certò constiterit. Can. 1069.

---

(1) Error namque, coram jure civili, non constituit matrimonii impedimentum nisi in quantum afficit personam ipsam, et non solam qualitatem, uti in casu.

(2) C'est ainsi que la Cour de Cassation de France cassa, le 6 Avril 1903, l'arrêt de la Cour d'appel de Douai, déclarant nul le mariage contracté par un homme avec une femme qui avait les apparences extérieures du sexe féminin, (seins, conformation du bassin, clitoris), mais était dépourvue d'organes génitaux internes (vagin. ovaires, matrice), organes dont l'absence constituait un cas d'impuissance certaine. La Cour d'appel estimait que « ce qui caractérise le sexe... ce sont les organes faisant de l'un des êtres un mâle et de l'autre une femelle, et non point des apparences et une conformation extérieures qui ne sont que des accessoires les rattachant à un sexe plutôt qu'à un autre ». De son côté, la Cour suprême justifiait son arrêt de cassation en disant que le Code civil ne demande que la diversité de sexe, qui existait dans l'espèce; pour établir le sexe, il suffit qu'il soit extérieurement reconnaissable, et que, par conséquent, « le défaut, la faiblesse ou l'imperfection de certains des organes caractéristiques du sexe sont sans influence possible sur la validité du mariage ». *Pasicrisie,* 1902, IV, p. 5, et 1903, IV, p. 148 s.

Voir aussi dans BROUARDEL, o. c., p. 359 ss., jugement du tribunal civil d'Alais (1869), arrêt de la Cour d'appel de Nimes (1869), de la Cour de Cassation (1872) et de la Cour de Montpellier (1872). A citer cependant dans le sens plutôt contraire le jugement du tribunal d'Orléans, du 11 Avril 1894 (BROUARDEL, p. 358), et le jugement du tribunal de Lille, en date du 13 Janvier 1898, rapporté par les *Analecta Eccles.,* 1899, p. 240.

(3) Cf. CAPPELLO, o. c., n. 389; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 240.

Explicatio.

563. Ligamen inducit impedimentum jure naturae dirimens;

1° *Inhabilitas* illa nititur *in lege monogamiae,* quam suprà, nn. 303-308, vidimus oriri ex jure divino, naturali ac positivo, ita scil. ut polyandria simultanea repugnet principiis juris naturalis primariis, polygynia vero simultanea principiis secundariis. Est igitur impedimentum dirimens *juris naturalis,* afficiens proinde infideles non secus ac fideles.

Dicitur: *stante priori vinculo valido* seu *legitimo.* Unde ex una parte, si prius matrimonium fuit nulliter contractum, vel si fuit dissolutum sive morte compartis, sive auctoritate S. Pontificis, sive professione sollemni, sive ex privilegio Paulino (1), non datur impedimentum dirimens ligaminis (2); ex alia parte, manet ac perseverat impedimentum ligaminis *quousque validum subsistit matrimonium,* etiam *ratum* dumtaxat, seu quousque non apparet nulliter contractum aut quacumque ratione dissolutum.

Cujus impedimenti ligaminis remanentia aut absentia per se non pendet a bona vel mala fide personae ad novum matrimonium accedentis, sed a rerum objectivitate. Et sic qui erroneè putat vinculum adhuc superesse, dum reipsa solutum est aut invalidum, potest, positis ponendis, valide contrahere novum matrimonium (cf. suprà, n. 470); contrà, si quis novum attentat matrimonium, bona fide reputans se esse a vinculo liberum, dum reipsa vinculo ligatur, invalidè contrahit, et statim ac error detegitur, separandi sunt pseudo-conjuges, ac debet, nisi adsit justa causa ad separationem a cohabitatione, reinstaurari prius consortium conjugale.

564. quo cessante, non licet illicò transire ad novas nuptias.

2° Ad *licitum* transitum ad novas nuptias non sufficit quaelibet certitudo de *nullitate* aut *dissolutione* vinculi ante contracti; requitur, ad tramites can. 1069, § 2, ut certò ac legitimè, i. e. ad normam juris, de illa constiterit.

Ad hoc autem ut de nullitate vel dissolutione vinculi legitimè constet, *regulariter* postulatur ut praeviè instituatur *juridicus processus* (3), aut saltem intercedat *authentica declaratio* Ordinarii, *cum interventione defensoris vinculi,* juxta latius exponenda infrà, n. 702 ss.

---

(1) In Casu Apostoli, uti liquet ex suprà dictis, sub n. 344, novum matrimonium permittitur parti fideli *antequam* prius matrimonium sit *reipsa dissolutum,* postquam scil., per discessum partis infidelis, factum sit *dissolubile.*

(2) Dicitur: non datur impedimentum *ligaminis;* quia ex priore matrimonio invalido vel dissoluto oriri potest, positis ponendis, aliud impedimentum, puta affinitatis, publicae honestatis vel criminis, respectu matrimonii cum quibusdam determinatis personis incundi.

(3) Juxta can. 1987, post sententiam nullitatis, secunda sententia conformi confirmatam, jus est conjugibus ad novas nuptias transeundi post *decem dies* inde a sententiae denuntiatione.

Exceptio a dicta norma habetur signanter pro causa dissolutionis vinculi per mortem prioris compartis: pro qua causa sufficit inquisitio privata, vel saltem extrajudicialis et mere administrativa, quemadmodum dicetur infrà, n. 702, coll. n. 685 s.

565. Notanda. **Nota.** 1° « *A S. Sede*... facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam conjugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit ». Can. 1053 (1). Ad hoc spectat haec juris dispositio, ut removeatur impedimentum quod facilè aderit in casu: non raro namque matrimonium cum nova comparte jam fuit promissum aut attentatum, stante priore vinculo, ac saepe non defuit adulterium. Cf. suprà, n. 333ter.

2° Quod spectat *usum matrimonii,* in casu dubii circa existentiam anterioris vinculi, seu impedimenti ligaminis, cf. suprà, n. 237 et n. 238.

566. Poenalitates. **Poenae.** *Polygami* sunt tractandi tanquam *publici peccatores,* et, qua tales, arcendi sunt a s. communione suscipienda (can. 855), ac privandi sepultura ecclesiastica (can. 1240); ulterius autem variis poenis sunt obnoxii: nimirum, juxta novum Codicem sunt *infames infamia juris* (2356); quae poena, cum variis suis sequelis juridicis (can. 2294) (2), attingit illos qui, vinculo valido juncti, aliud matrimonium, etiam civile tantùm, attentaverint. Possunt ulterius, si, spreta Ordinarii monitione, in illicito contubernio persistant, alias poenas incurrere ferendae sententiae, excommunicationem scil. et interdictum personale, juxta notata suprà, n. 408.

567. Jus civile. **Scholion.** *Legislatio nostra civilis.* Art. 147 Cod. civ. statuit: « On ne peut contracter un second mariage avant la dissolution du premier » (3). Cf. etiam suprà n. 479, circa *prohibitionem* viduae factam nubendi ante finem decimi mensis inde a morte mariti (4).

In Codice autem *poenali* Belgico, art. 391, statuitur poena contra *bigamos:* « Quiconque, étant engagé dans les liens du mariage, en aura contracté un autre avant la dissolution du précédent, sera puni de la réclusion » (5).

---

(1) A privilegio excluditur impedimentum criminis cum machinatione mortis. Cf. infrà, n. 670.

(2) Juxta can. 2294, § 1, « qui infamia juris laborat, non solum est irregularis..., sed insuper est inhabilis ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos ecclesiasticos perficiendos... ».

(3) Impedimentum igitur *ligaminis* existit coram jure nostro civili Belgico; sed, cum non attendatur nisi civilis matrimonii vinculum, quod civili divortio facilè dissolvi vidimus, de facto admittitur, in jure civili, polygamia coram Deo et conscientia.

(4) Talis prohibitio non existit in jure canonico, uti notavimus ad n. 479, sed convenit ut observetur, imo ipsum jus naturale prohibet quominus vidua, citius ad novas nuptias convolando, se exponat periculo ne proles forte concepta alieno patri adscribatur. Cf. etiam *Conférences de Paris,* III, p. 92 s.

(5) Si dijudicanda ipsa causa polygamiae pertinet, pro fidelibus, ad solum judicem ecclesiasticum, criminis punitio est mixti fori, ac sequitur normam de qua suprà, n. 425, coll. n. 25. — Supponitur, uti patet, polygamiam adesse coram Deo et conscientia, non tantum coram jure civili.

ARTICULUS 4[s]. De impedimento Voti et Ordinis.

I. Quod spectat **impedimentum Voti:**

Impedimentum jure ecclesiastico dirimens constituit votum castitatis sollemne, necnon votum simplex a scholasticis Soc. Jesu emissum.

Explicatio et Probatio.

568. Impedimentum jure ecclesiastico dirimens constituit votum sollemne castitatis,

1° Dicitur votum *sollemne* castitatis, emissum scil., simul cum voto obedientiae et paupertatis, in sollemni professione facta in *Ordine,* in Religione scil. in qua vota sollemnia nuncupantur (can. 488, n. 2), sive a viro sive a muliere; votum autem sollemne est illud quod « ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum » (can. 1308, § 2) (1): quae professio sollemnis fieri nequit nisi post professionem votorum simplicium, ad triennium valituram et excipientem validum novitiatum unius anni (2).

Hujus voti vim irritativam manifestè urget tenor can. 1073: « Invalidè matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint (aut vota simplicia quibus, ex speciali Sedis Apost. praescripto, vis addita sit nuptias irritandi) ». Eamdem inhabilitantem vim professioni religiosae jam agnoverat Conc. Lateranense II (1139) (3), illamque voto sollemni adnecti declaraverat Bonifacius VIII, in c. unic., III, 15, in VI°: « Nos igitur attendentes quod voti sollemnitas ex sola constitutione Ecclesiae est inventa... praesentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici sollemne, quantùm ad post contractum (seu contrahendum) matrimonium dirimendum, quod sollemnizatum fuerit (per susceptionem sacri ordinis, vel) per professionem expressam vel tacitam, factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis » (4).

Conc. etiam Trid., Sess. XXIV, can. 9, anathema dicit contra illos qui contenderint « clericos in sacris ordinibus constitutos, vel

---

(1) Circa *distinctionem* inter votum *sollemne* et *simplex,* recolatur moniales Galliae et Belgii usque ad haec ultima tempora non habuisse vota sollemnia, quamvis pertineant ad Ordinem votorum sollemnium (cf. suprà, n. 335 s.); item, juxta LEITNER[2], *Lehrbuch,* p. 175, paucis exceptis, in Statibus Foederatis Americae Sept. et in Bavaria.

(2) Can. 574. Similem normam induxerat Pius IX, per Litt. Encycl. 19 Martii 1857, eamque Leo XIII, die 3 Maii 1902, extenderat ad moniales. A. S. S., XXXV, p. 31. — Conditiones ad *validam* professionem servandae enumerantur in can. 572.

(3) Cf. tenorem, infrà, sub n. 572.

(4) Tempore Bonifacii VIII (1294-1303), omnes Congregationes religiosae, a S. Sede approbatae, erant Ordines stricte dicti, et postea tantùm ortae sunt Congregationes votorum simplicium; unde sine restrictione loquitur S. Pont. de religionibus approbatis. Cf. SCHARNAGL, o. c., p. 200 ss.

regulares, *castitatem sollemniter professos,* posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ vel voto ».

569. necnon votum simplex scholasticorum S. J.,

2° Vota *simplicia, a scholasticis Soc. Jesu* nuncupata post biennium novitiatus, vi privilegii a Gregorio XIII, in Constit. *Ascendente Domino,* diei 25 Maii 1584, concessi (1), et etiam nunc vigentis, non autem ad alios Ordines ob privilegiorum communicationem extendendi (2), habent vim dirimendi matrimonium, donec dicti scholastici fuerint a Societate legitimè dimissi.

Jus hanc virtutem irritativam adnectendi voto simplici sibi reservat S. Sedes, uti statuitur in canone 1073, cujus tenorem modò proposuimus. Idem jus agnoscitur in can. 1038, § 2 et 1039, § 2.

3° Dicitur: *jure ecclesiastico.* Et sanè, si votum sollemne ex natura rei vel ex jure divino *dirimeret* matrimonium, etiam voto castitatis simplici adscribenda foret illa vis irritativa (3), siquidem, attentis natura rei et jure divino, aequalia sunt ad invicem vota simplicia et sollemnia: omnis namque distinctio inter illa oritur ex jure mere ecclesiastico, quemadmodum ex ipsa notione voti sollemnis (can. 1308, § 2) eruitur, ac in confesso est apud omnes, et expressé docetur a Bonifacio VIII necnon a Gregorio XIII, ll. cc.

Confirmatur ex eo quod, in facultatibus anni 1888 in gratiam moribundorum concessis, inter impedimenta juris ecclesiastici expressè memoratur sollemnis professio.

570. non vero votum in saeculo emissum ab uxore viri ad ordines promoti.

Nota 1. Non irritatur matrimonium *per votum ab uxore in saeculo emissum, viro ad ordines promoto* (4), quamvis Auctores plurimi id docebant post SANCHEZ, o. c., l. VII, D. 40, n. 1 ss., et BENED. XIV, *De Syn. dioec.,* l. XIII, c. 12, n. 16; adeoque potest dicta uxor, marito defuncto, matrimonium validè inire (5). De hujusmodi namque vi irritativa omninò silet Codex; caeteroquin videtur jus anterius, dictam vim irritativam descripto voto adnectens, jam per decretalem Bonifacii VIII fuisse abrogatum (6); ex alia parte,

---

(1) Hoc privilegium ideo videtur concessum Soc. Jesu, propterea quod in illa societate plures non perveniant ad sollemnem professionem, reliqui autem nonnisi diu post vota simplicia. Cf. LEITNER², *Lehrb.,* p. 177.

(2) Cf. WERNZ, o. c., n. 379, nota 47.

(3) *Prohibitio* matrimonii jure divino et ex natura rei (regulariter) consequitur votum; ratio est quia consistere nequit castitatis votum cum usu matrimonii. Cf. suprà, n. 489.

(4) Cf. suprà, n. 266, coll. n. 258.

(5) Id a fortiori dicendum de voto ab uno conjuge privatim nuncupato, dum compars sollemniter profitetur.

(6) Cf. SCHARNAGL, o. c., p. 194 s.; WERNZ, o. c., IV, n. 395, nota 63; SCHERER, o. c., II, p. 368 s.

nihil sane obstat quominus S. Sedes, peculiari clausula, vim irritativam adnectat (1).

570bis. Nota circa dispensationem super impedimento voti.

2. Quod spectat *dispensationem* super voto sollemni:

Indubium est ab Ecclesia dispensari posse super vi *irritativa* voti sollemnis, utpote quae tota quanta a jure ecclesiastico procedit; super vi autem *prohibitiva,* in jure naturali et divino nitente, vidimus (n. 490) etiam super illa dispensari posse, dispensatione latè dicta, ab Ecclesia, vi potestatis ministerialis, de qua sub n. 297 s., relaxato scil. voto, seu potius debito per votum contracto.

Ad dispensationem autem praerequiritur *causa* proportionata: ad liceitatem scil., quod spectat relaxationem vis irritativae, ad validitatem vero, quod spectat relaxationem vis prohibitivae; adeo ut, dispensatione absque justa causa impertita, matrimonium foret validum quidem, sed illicitum.

Dispensatio super voto sollemni passim ita conceditur ut, praeter votum castitatis, etiam relaxentur vota paupertatis et obedientiae; interdum tamen aufertur solum votum castitatis (2); imo hoc castitatis votum regulariter non aufertur penitus et absolute, sed restrictive et suspensive tantum (uti jam notavimus suprà, n. 490 et infrà, sub n. 889 notabitur), in ordine scil. ad praesens matrimonium ejusque usum legitimum dumtaxat (3).

II. Quod spectat **impedimentum Ordinis:**

571. Ordo, in Ecclesia Latina, constituit, positis ponendis,

In Ecclesia Latina, ordo major, absque gravi metu et cum conscientia obligationis ad continentiam validè susceptus, constituit impedimentum dirimens matrimonii jure ecclesiastico, et quidem ex lege Ecclesiae continentiam et coelibatum, cum clausula irritante, imponentis mediante voto, in ordinatione tacitè emittendo.

---

(1) S. Sedes potest hujusmodi clausulam irritantem adnectere sive in casu particulari, uti in casu de quo suprà, n. 487, sive generali statuto, ad normam can. 1073, uti dictum in num. praecedenti.

(2) Cf. CAPPELLO, o. c., n. 454, ubi refertur hujusmodi dispensationis rescriptum in cujus tenore inseritur clausula sequens: « Viro religioso injungatur obligatio reliqua vota sollemnia in regulari professione emissa servandi, quatenus prudenti judicio Ordinarii in eo statu commodè fieri possit ». Contrarium etiam contingit, relaxari scil. vota paupertatis et obedientiae, servato castitatis voto. Cf. Bullam extensionis jubilaei anni 1926, n. 8.

(3) Juvat etiam notare quod, ad normam can. 636, « sollemnitas votorum in eo qui legitimè... vota simplicia in Congregatione religiosa nuncupat, eo ipso extinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur »; eo ipso proinde cessat etiam impedimentum *dirimens,* non prohibens. Ex alia parte, per indultum saecularizationis (can. 638) cessat vis irritativa sollemnis voti, simul ac vis prohibitiva (can. 640, § 1, n. 2); item per legitimam dimissionem professi votorum simplicium Soc. Jesu.

Explicatio et Probatio.

1° Requiritur, saltem ad certam impedimenti existentiam, haec *triplex* enumerata *conditio:* a/ *valida* ordinis majoris susceptio; b/ absentia *metus gravis;* c/ *conscientia saltem confusa* dictae obligationis cum ordinis susceptione connexae.

Quod spectat *metum gravem:* juxta canonem 214, § 1, « clericus qui metu gravi coactus ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit, saltem tacitè per ordinis exercitium, volens tamen per talem actum obligationibus clericalibus se subjicere, ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia judicis redigatur, sine ullis *coelibatus* ac horarum canonicarum obligationibus » (1); remota autem obligatione continentiae, deficit etiam vis irritativa matrimonii, quippe quae hujus prohibitionem praesupponit. Quod autem spectat *conscientiam obligationis:* injuncti oneris ignorantia intactum quidem relinquit ordinationis valorem, ast impedit quominus obligatio saltem certò suscipiatur, ac consequenter quominus matrimonium ineundum certò dirimatur (2).

572. impedimentum dirimens,

2° *Ordinem constituere, positis ponendis, impedimentum dirimens matrimonii,* non est dubium, id nitide statuente canone 1072; quod olim jam statuebant can. 7 Concilii Lateran. II, anni 1139 (c. 40, C. XXVII, q. 1) (3), necnon citatus (n. 568) can. 9 Conc. Trid. — Ordo autem intelligitur ordo *major,* seu *sacer,* sacerdotium scil., diaconatus et subdiaconatus (4).

---

(1) Cf. KUTSCHKER, o. c., III, p. 265 ss.; FEYE, *De imp.*, n. 507; GASPARRI, o. c., n. 587; WERNZ, o. c., IV., n. 394, nota 54; DE BECKER, *De matr.*, p. 156. Cf. Causam 7 Dec. 1861, apud A. S. S., I, p. 228 ss., cum adnotationibus; item Causam expositam apud *Th. Pr. Quartalschr.*, 1913, p. 160 ss. — Nota *non* requiri metum *injuste incussum,* quemadmodum in casu can. 1087, § 1, ubi expressis verbis postulatur metus ab extrinseco et injuste incussus.

(2) Inde *infantes et impuberes,* quales olim nonnunquam ad ordines assumebantur, validè quidem susciperent ordines, sed non essent, salva ratihabitione postea accedente, obligationi ad continentiam obnoxii nec ad nubendum inhabiles. Cf. BENED. XIV, *Instr.*, 4 Maii 1745, par. 20 ss. (*P. Bull.*, III, p. 128 ss.); GASPARRI, o. c., n. 586. Ratihabitio videtur, attentis cann. 573 et 975, requiri post annum 21^{m}. Quoad *puberes,* obligationis *plena ignorantia,* quae in foro externo vix admittetur, ad minus dubiam redderet continentiae obligationem, adeoque ad minus dubium matrimonii impedimentum. Cf. SCHARNAGL, o. c., p. 214; WERNZ, o. c., IV, n. 394, nota 53; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 130; LAURENTIUS, o. c., n. 630; contrà GASPARRI, o. c., n. 588.

Neque valet contra assertum doctrina, suprà, n. 468, proposita quatenus ignorantia legis matrimonium irritantis ab ea non excuset. Hic enim agitur de ignorante non legem irritantem sed ipsam obligationem coelibatus, in qua nititur ipsum impedimentum dirimens quamque praesupponit. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 285, nota 51.

(3) « Ut lex continentiae et Deo placens munditia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus quatenus Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici, monachi atque conversi professi, qui, sanctum transgredientes propositum, uxores sibi copulare praesumpserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus... Idipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si, quod absit, nubere attentaverint, observari decernimus ».

(4) Can. 949. — Ordines *minores* non inducunt impedimentum matrimonii, nequidem

3° Ordo impedimentum *dirimens* non constituit *nisi ex solo jure ecclesiastico,* ipsi denegata vi irritativa juris divini, tam ratione ipsius ordinationis quam ratione voti, quod censetur in ordinis susceptione implicitè emitti. Et sane *ordinatio* ex natura sua et vi dispositionis divinae non irritat matrimonium, ac de facto hodiedum consistit (n. 575 s.), in Ecclesia Graeca, cum matrimonio (ejusque licito usu), sicuti, in prioribus saeculis, cum matrimonio (ejusque usu) coexstitit per universam Ecclesiam (n. 581); admittit etiam dispensationem, quemadmodum infrà exponetur; adde quod, in tenore can. 1043, a facultate dispensandi super impedimentis juris ecclesiastici excipitur presbyteralis ordo. Pariter, uti vidimus suprà, n. 569, *votum* ex sese non dirimit matrimonium, sed ex sola constitutione Ecclesiae, votum sollemnizante et vim irritativam illi adnectente.

ex solo jure ecclesiastico.

573. Disputatur utrum Ecclesia vim irritativam immediatè adnexerit ipsi ordinationi, an vero voto in Ordinis susceptione emisso,

4° Quodsi ulterius quaeratur utrum Ecclesia vim irritativam matrimonii directe et immediatè adnexerit ipsi ordinationi, lege scil. lata inhabilitante clericos ad ordinem ascendentes, independenter a voto, an vero eam immediate adnexerit voto, in ordinis susceptione emittendo, illud sollemnizando et vi irritante muniendo, est quaestio controversiae obnoxia.

Alteri autem sententiae non parum favet tenor, sub n. 568 relatus, decretalis Bonifacii VIII, necnon cap. unicum *Extrav.* Johannis XXII, tit. 6 (1), simul ac Constitutio Benedicti XIV, *Inter praeteritos,* par. 41 (2).

574. cum qua controversia connectitur disputatio circa principium et fundamentum obligationis coelibatus.

Caeterum dicta controversia vix momentum habet nisi ratione connexionis quam habet cum alia controversia, versante circa principium seu fundamentum *obligationis coelibatus,* qua tenentur, in Ecclesia Latina, ad majores ordines promoti, quatenus ipsis prohibeatur matrimonium ac imponatur castitas servanda: utrum nimirum dicta coelibatus obligatio immediate nitatur voto, in ordinatione tacite emisso, an vero lege Ecclesiae, coelibatum ordinatis imponente, independenter a voto; quae connexio inter utramque quaestionem patet, cum pronum sit dicere quod irritatio matrimonii sequatur ejusdem prohibitionem, adeo ut, si matrimonii prohibitio immediatè nititur in voto, huic etiam voto adnexa censeatur matrimonii irri-

impediens; sed, si clerici minores possunt matrimonium inire, statuitur in canone 132, § 2, quod, « nisi matrimonium fuerit nullum vi aut metu eisdem incusso, *ipso jure e statu clericali decidunt* »; cui e statu clericali dejectioni ante Codicem non erat locus.

(1) Ibi etiam expresse memoratur « votum sollemnizatum per ordinis susceptionem ». Cf. citationem factam suprà, n. 337.

(2) Ibi Poenitentiariis minoribus denegatur potestas « dispensandi in votis sollemnibus... in ordinis sacri susceptione emissis ».

tatio, si vero nititur lege Ecclesiae, independenter a voto, huic etiam legi adnexa censeatur clausula irritans, independenter a voto.

Jamvero in utriusque sententiae favorem invocantur argumenta non spernenda (1). Nimirum sententiae, obligationem coelibatus deducenti ex lege Ecclesiae, independenter a voto, favet quod desideretur formalis textus canonis generalis (2), votum imponentis (3), quodque illi qui in ordinis susceptione votum excludunt, equidem ad coelibatum servandum tenentur.

In altera vero sententia melius intelligitur et aptius explicatur quomodo ad ordines promoti, ad normam can. 132, § 1, « servandae castitatis obligatione ita tenentur, ut contra eamdem peccantes sacrilegii quoque rei sint », et quidem, juxta doctrinam communem, peccantes peccato merè interno (4). Caeterum, si non citetur textus formalis legis generàlis, votum injungentis, illius legis existentia supponi videtur in documentis suprà invocatis Bonifacii VIII, Johannis XXII, necnon in c. 6, X, III, 3, Innocentii III (5).

Quod autem spectat objectionem exinde deductam quod clericus, votum in ordinatione excludens, equidem obligationi coelibatus est obnoxius (et ad matrimonium inhabilitatur): reponi potest oeconomiam Ecclesiae, in hoc negotio, hac ratione esse concipiendam, quod Ecclesia lege sua coelibatus obligationem (cum inhabilitatione ad nubendum) imponat *mediante voto,* in ordinatione tacite emittendo, adeo ut lex coelibatum imponens (et ad matrimonium inhabilitans) subsistat ac urgeat etiam in casu quo votum forte defecerit (6), et sic habeatur tanquam lex virtualiter duplex, imponens

---

(1) Non rarò, in hac controversia, provocatur ad auctoritatem Concilii Tridentini; apparet tamen ex Concilii actis Patres noluisse litem dirimere; imo Card. Lotharingus, in voti sui emissione, testatur hanc quaestionem nequidem fuisse propositam nec a Patribus disputatam. Cf. THEINER, o. c., II, p. 463. — Quod autem spectat discussiones inter theologos tertiae sectionis, canonum de matrimonio confectioni praepositos, non defuerunt qui sacerdotum obligationem ad continentiam ac ordinis impedimentum derivari volebant a sola lege ecclesiastica, absque voto. Ita Johannes Lobera, l. c., p. 256: « Neque, ait, hujusmodi matrimonium esset nullum ratione voti, ut si quis ficticiè voveret in ordinatione... nullum est propter legem ecclesiasticam illegitimantem, sicut in gradibus prohibitis ».

(2) Non defuerunt decreta *particularia* votum exigentia aut supponentia. Ita in Synodo Vintoniensi (HARDUINUS, o. c., VI, col. 1559), anno 1076 celebrata, occurrit formula voti in ordinatione subdiaconi emittenda: « N... promitto Deo, omnibus sanctis Ejus, castitatem corporis mei, secundum ordinem mihi imponendum, servare, Domino Praesule N... praesente ».

(3) Can. 132, § 1, expresse non loquitur de voto.

(4) Saltem probabile est Ecclesiam legibus suis non posse attingere actus merè internos.

(5) « Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiae (in ordinis susceptione) non admisit »: quod dicitur ex oppositione ad consuetudinem Ecclesiae Occidentalis, quae proinde supponitur votum continentiae in ordinis susceptione admittere.

(6) Cum lex Ecclesiae feratur ex motivo religionis, ejus violatio importat speciem sacrilegii, etiam penes illum qui in ordinatione excluserit votum; sed, in sententia illorum qui Ecclesiae denegant potestatem attingendi actus mere internos, contra castitatem et religionem non peccaret peccato interno.

scil. generatim coelibatum et illum determinate imponens mediante castitatis voto (1).

Quibus attentis, sententiam, in quam jam inclinamur, juxta quam coelibatus obligatio proxime derivatur a castitatis voto, ita intelligimus ut dicta obligatio dimanet a lege (virtualiter duplici), coelibatum imponente *mediante voto*, in ordinatione tacitè emittendo; dum, in opposita sententia, quam hucusque proposuimus, derivatur eadem coelibatus obligatio a lege, illam imponente *independenter* a voto (2).

575. Disciplina Ecclesiae Graecae

5° Dicitur: *In Ecclesia Latina;* in Ecclesia namque *ritus Orientalis* alia disciplina viget. Constituit quidem ordo impedimentum matrimonii contrahendi, saltem impediens (3), sed *non constat* illud in omnibus Ecclesiis esse *dirimens* (3); in pluribus etiam locis, impedimentum non attingit subdiaconatum, sed diaconatum dumtaxat vel et solum sacerdotium (5).

Aliunde certum est quod impedimentum, coram Ecclesia Graeca, non oriatur proximè ex voto, quippe quod passim admittitur ab

---

(1) Analogiam habet haec lex cum lege ecclesiastica, jubente communionem annuam, determinatè in paschate: etiam haec lex censetur virtualiter duplex, ita ut qui non communicaverit in quindena paschali, tamen adhuc teneatur ad communicandum per annum.

(2) Ex utraque parte dantur Auctores graves, licet non omnes eodem modo sententiam suam proponant. — Ita, in propositum sensum citantur varii auctores apud SCHARNAGL, o. c., p. 204 ss., coll. GILLMANN, apud *Archiv f. k. Kirchenr.* 1909, p. 182 s., 1911, p. 375, 1912, p. 195 et 1916, p. 281; item in opella *Zur Sakramentenlehre des W. v. Auxerre*, 1918, p. 37 s., necnon in *Notwendigkeit der Intention...*, Mainz, 1916, p. 42, nota 2. Quod spectat recentiores doctores, citari possunt WERNZ, o. c., IV, n. 393; LAURENTIUS, o. c., n. 628; FEYE, *De Imp.*, n 505; ROSSET, o. c., n. 1648 ss.; VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 129; FREISEN, o. c., n. 767; SIBERNAGL, *Lehrb.*, p. 483; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 284; CAPPELLO, o. c., n. 433; MAHONEY, apud *Eccles. Review*, t. LXXIV, 1926, p. 361 ss., necnon GILLMANN, ll. cc., cum AA. ibidem allatis. Bened. XIV, signanter in Constit. *Eo quamvis*, 4 Maii 1845, § 22 s., videtur ad eamdem opinionem accedere; ejus tamen auctoritas in casu non est cogens, cum hanc sententiam nullatenus imponat, nec ullo modo intendat juris dispositionem introducere. Ex alia autem parte adduci possunt SCHERER, o. c., II, p. 367; SÄGMÜLLER, o. c., p. 238 s. et p. 601; HERGENRÖTHER-HOLWECK, o. c., 257 s.; LEITNER[3], *Lehrb.*, p. 137 ss.; SCHULTE, o. c., p 211 ss.; SCHNITZER, o .c., p. 468 s.; OJETTI, *Synopsis*, II, n. 2965; DUJON, o. c., p. 172; GAUGUSCH, o. c., p. 47 ss.; HILLING, apud *Der Katholik*, 1909, I, p. 234; VLAMING[3], o. c., n. 298, LINNEBORN, o. c., p. 224 s., et prae caeteris SCHARNAGL, o. c., p. 203-214.

(3) In Synodo Trullana (692) statuitur: « ut nulli penitus subdiacono vel diacono aut presbytero post ordinationem nuptias contrahere liceat ».

(4) Certum id est pro *Italo-Graecis* (Bened. XIV, *Etsi Pastoralis*), necnon pro Ruthenis, Maronitis et Rumenis, juxta documenta allata a GASPARRI, o. c., n. 593, coll. VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 124 et 126. Pro reliquis Ecclesiis Orientalibus, adhuc viget controversia, hodiedum non definita, quamvis, teste BENED. XIV, Const. *Anno Vertente* (*P. Bull.*, VIII, p. 250), « tribunalia Almae Urbis opinioni eorum adhaereant qui haec matrimonia nulla existimant ». Si igitur unquam occurrat solvenda causa matrimonialis, puta occasione conversionis Graeci schismatici ad Ecclesiam catholicam, cujus solutio pendet a dicta controversia, prudenter remittatur integrum negotium ad S. Sedem. Cf. ZHISHMAN, o. c., p. 474 ss.; VERING, o. c., p. 906 s.; GAUGUSCH, o. c., p. 38 et 54 s.; CAPPELLO, o. c., n. 437 ss.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 286, nota 56, ubi Auctor vindicat indolem irritativam impedimenti, pro omnibus Ecclesiis orientalibus. Cf. *ibidem*, n. 282.

(5) Ita apud Maronitas attinguntur tantùm diaconi et, apud Ruthenos, soli sacerdotes. Cf. SIBERNAGL, *Verfassung...*, p. 364, coll. ZHISHMAN, o. c., p. 472 et LEITNER[2], *Lehrb.*, p. 187.

Orientalibus non emitti in ordinatione, sed ex lege Ecclesiae prohibente vel irritante, ratione ordinis suscepti, matrimonium ordinationi succedens (1).

576. Effectus voti et ordinis in matrimonium contractum.

Nota 1. In praecedentibus actum est de effectu juridico voti et ordinis respectu matrimonii *contrahendi,* seu actum est de voto et ordine, in quantum constituunt impedimentum matrimonii. Quodsi quaeratur de effectu voti et ordinis respectu matrimonii *praevie contracti:*

a/ Quod spectat *ipsum vinculum:* solum *votum sollemne,* ad exclusionem ordinis etiam cum voto sollemnizato suscepti, ac votorum simplicium in Societate Jesu, valet matrimonium ratum antea contractum, non consummatum, *quoad vinculum dissolvere,* uti liquet ex dictis suprà, n. 336 s.

b/ Quod spectat *usum matrimonii: in Ecclesia Latina,* ordinatio sacra (2), *matrimonio rite contracto succedens* — ad quam ordinationem nonnisi exceptionaliter, et praevia tantùm dispensatione pontificia, admittuntur conjugati (3) — matrimonium quidem non dissolvit, sed, salvo praescripto can. 214, § 1, de quo in n. 571, matrimonii *usum* prorsus illicitum reddit, uti constat ex can. 132, § 1, et uti jam in anteriori jure erat statutum (cf. cap. 1, Dist. 32), proles etiam ex tali usu matrimonii natae illegitimae sunt et sacrilegae, uti vidimus suprà, n. 284. Contrà, *in Ecclesia Orientali,* in plerisque ritibus *unitis* (4), non modò permittitur conjugatis ascensus ad ordines sacros, excepto episcopatu, sed possunt, in majoribus ordinibus (infra episcopatum) constituti, uti matrimonio ante ordinationem cum virgine contracto (5).

577. Rationes ob quas inductus est coelibatus.

2. *Lex coelibatus,* ordini sacro adnexa in Ecclesia Latina, haec proinde duo, circa matrimonium, importat: *prohibitionem* (irritativam) matrimonii *contrahendi* — quod constituit proprium objectum

(1) Cf. citatum textum Innocentii III. — Circa controversias recenter agitatas inter Sergium Troitzky et Nicodemum Milach, qui alter favet mitigationi vel et abrogationi disciplinae vetantis matrimonium sacerdoti viduo effecto, cf. *Rev. d'Hist. eccl.,* 1913, p. 467 ss.

(2) Circa effectum *voti* castitatis, sive privati sive in religione emissi, sive simplicis sive sollemnis, quod spectat usum matrimonii rati consummati ante contracti, v. suprà, n. 230.

(3) Can. 987, n. 2, coll. dictis suprà, sub n. 258 et 266. — Quodsi conjugatus « sine dispensatione apostolica ordines majores, licet bona fide, suscepit, ab eorumdem ordinum exercitio prohibetur ». Can. 132, § 3.

(4) In nonnullis ecclesiis praticè jam introducitur perfectus coelibatus vel etiam praescribitur, uti praescriptum est in Armeniano-catholico Concilio, Constantinopoli celebrato mense Julii 1869, pro clericis *Armenis.* Cf. SILBERNAGL, *Verfassung,* p. 346, coll. p. 326, 331 s., 337, 356 et 375 s. Cf. etiam LEITNER², *Lehrb,* p. 187.

Item Rutheni, in Statibus Faederatis Americae et in regione Canadensi, lege coelibatus adstringuntur. Cf. CAPPELLO, l. c.

(5) Hanc praxim a S. Sede tolerari expressè docet BENED. XIV, *Etsi Pastoralis,* § VII, n. 26, *P. Bull.,* I, p. 368 s. — Exigitur a sacerdotibus uxoratis abstinentia per triduum, vel hebdomadam, antequam sacra celebrent. Cf. infrà, n. 582.

legis coelibatus (cf. suprà, n. 232 et 489) — et *prohibitionem usus* matrimonii ante contracti; ac imo etiam id importat quod « servandae castitatis obligatione ita teneantur ut contra eamdem peccantes sacrilegii quoque rei sint », juxta modò notata sub n. 574, coll. can. 139, § 1. — *Rationes* autem ob quas Ecclesia coelibatum imponit suis ministris, haec sunt: « a/ ad augendam sanctitatem eorum qui verbo et exemplo docere alios debent; b/ ut divinis rebus magis incumbant; c/ ut melius sibi concilient hominum reverentiam et fiduciam; d/ ut uberiorem in pauperes habere possint charitatem; e/ melioremque hospitalitatem exerceant ». VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 130. Cf. VILLIEN, *Le célibat,* l. c., p. 817 ss.; AUFFROY, *Le célibat des prêtres,* apud *Etudes,* t. CXXXIII, p. 8-20; ZIMMERMANN, *Der Priestercölibat und seine Bedeutung für Kirche und Gesellschaft,* Kempten, 1899, p. 111 ss.

578. Dispensatio in ordine.

3. Siquidem ordo impedimentum dirimens constituit ex solo jure ecclesiastico, super ipso dispensari potest, et de facto dispensatur ac dispensandi facultas conceditur (1); non dispensatur autem, nisi gravissima de ratione (2), et quidem rarissime super presbyteratu (3), ac nunquam, ut videtur, super episcopatu (4). Ubi autem dispensatur (5), solet Ecclesia suam dispensationem restringere ad praesens matrimonium, ejusque legitimum usum; etiam prohibet omne exercitium ordinis suscepti, ac imponit reductionem ad statum laicalem.

4. Processus de nullitate matrimonii ex capite voti vel ordinis magnis implicatur difficultatibus, statim ac dubium opponitur de

(1) Ita super diaconatu et subdiaconatu dispensatur et dispensandi facultas datur, salvis cautelis, cum moribundis vel in urgenti necessitate (infrà, n. 757 ss.).

(2) In praesenti tamen disciplina, non jam requiritur, uti antiquitus, motivum ordinis publici.

(3) Nunquam vel vix unquam dispensatum fuit super presbyteratu nisi *ob motivum ordinis publici,* uti sub schismate Anglico (1554) et post Perturbationem Gallicam (15 Aug. 1801), quo tempore bis mille sacerdotes nuptias inierunt, plerique tamen coactè. Cf. VILLIEN, l. c., p. 830; DUJON, o. c., p. 195 s. Excipitur etiam a facultatibus canonum 1043-1045 facultas dispensandi super presbyteratu. — Cf. hîc CAPPELLO, o. c., n. 443, ubi in nota observat a S. Sede nonnunquam fuisse dispensatum ex motivo ordinis privati, sed in aliquo rarissimo casu et sub conditionibus sequentibus: « 1. ut agatur de matrimonio, ex. gr. civili, convalidando, ubi separatio sit impossibilis aut nonnisi cum gravissima difficultate fieri queat; 2. ut mulier decepta fuerit, i. e. ignoraverit statum sacerdotalem viri; 3. ut in loco ubi versantur pseudo- conjuges hujusmodi status plane ignoretur et nullum sit periculum divulgationis ».

(4) Factum dispensationis concessae in gratiam Talleyrand, Episcopi Augustodunensis, falsò allegatur, cum ex tenore Brevis Pii VII appareat agi de sola reductione ad statum laicalem, de licentia scil. habitum laicalem deferendi necnon fungendi saecularibus officiis; imo in litteris pontificiis privatis, saecularizationis Brevi adnexis et ad Napoleonem necnon et ad ipsum Talleyrand directis, expressis verbis denegatur matrimonii ineundi licentia, ac explicitè asseritur nunquam ab Ecclesia fuisse super episcopatu, in ordine ad matrimonium, dispensatum; refutantur etiam facta in supplici libello, ad S. Sedem misso, invocata, quasi olim pluries concessa fuisset petita dispensatio. Cf. DE LACOMBE, *Le mariage de Talleyrand,* apud *Le Correspondant,* t. 220 (1905), p. 658 ss. et 853 ss. Cf. etiam KUTSCHKER, o. c., III, p. 274; VILLIEN, l. c., p. 829. Recens exemplum reductionis ad statum laicalem, « firma lege castitatis », exhibent A. A. S., VIII, p. 316, per decretum C. S. O., 12 Julii 1916; cf. etiam, can. 211 ss.

validitate professionis aut ordinationis, vel de metu in hujus susceptione incusso, adeo ut integra causa opportunè deferatur ad S. Sedem pro prima etiam instantia (1).

579. Poenalitates. **Scholion I. Poenae** graves urgentur contra clericos majores et contra sollemniter professos, qui matrimonium attentare praesumpserint. Nimirum, juxta can. 2388, § 1, a/ « *clerici* in sacris constituti vel *regulares* aut *moniales*, post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes, incurrunt in *excommunicationem* latae sententiae Sedi Apostolicae *simpliciter reservatam* (2); b/ clerici praeterea, si moniti, tempore ab Ordinario pro adjunctorum diversitate praefinito, non resipuerint, *degradentur* (can. 2305), firmo praescripto can. 188, n. 5 » (3); est utique degradatio ferendae sententiae. Tandem c/, juxta can. 985, n. 3, *irregulares* sunt ex delicto « qui matrimonium attentare aut civilem tantùm actum ponere ausi sunt, vel ipsimet... ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta... ». Adde poenas ferendae sententiae, de quibus in can. 2359, § 1, suspensionis scil. a divinis ac privationis fructuum beneficii, officii, contra clericos concubinarios.

580. Evolutio historica: **Scholion II**. Circa **evolutionem historicam** utriusque hujus impedimenti, cf. ESMEIN, o. c., I, p. 269-301; VACANDARD, o. c., p. 71-120; WERNZ, o. c., IV, n. 377 et 389; SCHNITZER, o. c., p. 445 ss. et p. 454 ss., ac prae caeteris SCHARNAGL, o. c. Haec autem breviter notasse sufficiat:

1° Quod spectat **Votum:**

a pro voto; Nimirum, ab initio Ecclesiae (4), votum castitatis indiscriminatim *illicitum* reddebat matrimonium. Postea, inde a saeculo 4° in finem vertente (5), incoepit aliqua distinctio observari, in ordine ad matrimonium, inter votum *occultum* et votum *publicum* seu coram facie Ecclesiae emissum; tanquam *publicum* autem votum habebatur votum in domo privatim emissum non secus ac in conventu, modò innotuerit per habitus susceptionem (6) et notatim, pro mulieribus, per velaminis impositionem ejusve publicam delationem (7). Porro personae quae voto *publico* ligatae ma-

(1) Cf. can. 1993 ss., coll. WERNZ, o. c., n. 386 et 403.

(2) In Constit. *Apost. Sedis*, inserebatur excommunicatio *Ordinario* reservata. Cf. C. S. O., 22 Dec. 1880, ad 1m. — Cf. SOLE, *De delictis et poenis*, n. 448.

(3) Can. 188, n. 5, statuitur officium clerici matrimonium contrahentis, etiam civile tantum, ipso facto vacare.

(4) In lege *Mosaica*, Summus Pontifex non poterat ducere nisi *virginem* (*Lev.*, XXI, 13); reliqui sacerdotes non poterant ducere scortum et prostibulum nec mulierem a marito repudiatam (*Lev.*, XXI, 7), imo, juxta *Ezech.*, XLIV, 22, nequidem viduam, nisi viduam sacerdotis.

(5) Ante saeculum 3m non existebant nisi virgines strictè privatae, absque impositione velaminis et benedictione; nec adeo occurrebat distinctio inter votum publicum et occultum. Cf. H. KOCH, *Virgines Christi*, apud *Texte und Untersuchungen*, XXXI, 2, p. 59-112; SCHARNAGL, o. c., p. 12 ss. Cf. etiam SCHAEPMAN, *De Katholiek*, 1899, I, p. 458-470.

(6) Vestis mutatio videtur diu constituisse elementum essentiale, pro determinanda voti natura, adeo ut diu viguerit adagium: habitus facit monachum. Cf. SCHARNAGL, o. c., p. 67 s.

(7) Inde virgines aliae *velatae*, aliae *non velatae;* velatae autem erant *benedictae* vel non, prout in velaminis susceptione Episcopi benedictionem acceperint necne. Caeremonias benedictionis virginum olim usitatas, virginumque ornatum, describit *N. K. Stemmen*, 1912, p. 346 s. et p. 353-356, quo eodem loco, p. 357 ss., describitur vitae ratio apud illas in usu. — Velatio est mutuata a ritu nuptiali, ac velatae virgines vocantur sponsae Christi. Cf. suprà, n. 203 s.

trimonium inire praesumebant, separandae erant, non autem reliquae; *separatio* autem illa instituenda, licet sane cum matrimonii validitate consistere possit, aptius tamen explicari videtur in sensum *nullitatis conjugii,* adeo ut votum castitatis *publicum* videatur induxisse impedimentum *dirimens* (1), dum votum occultum constituerit impedimentum *impediens* dumtaxat: quae quidem vis irritativa voti publici expressis verbis non enuntiatur *ante saeculum 12*^{m}, sed nitidè enuntiatur in Concilio Lateranensi II, anno 1139, in quo Concilio eadem vis irritativa agnoscitur ordinibus majoribus, uti ex supra (n. 572) relato tenore liquet (2).

Deinceps sat diu viguit incertitudo ac nutatio tam in jure quam in scholis: aliis, cum *Schola Parisiensi,* servantibus, saltem quoad rem (3), distinctionem inter votum *occultum* et votum *publicum,* cum vi prohibitiva respective et vi irritativa; aliis, cum *Schola Bononiensi,* urgentibus distinctionem inter votum *simplex* et votum *sollemne,* peculiaribus nempe caeremoniis ac sollemnitatibus circumdatum, signanter benedictione seu consecratione vel voti scripti depositione in altari, habitus assumptione (vel ordinis sacri susceptione): in utroque ultimo casu est votum tacitum. Jamvero in hunc alterum sensum evolutum videmus jus canonicum, ac successive accuratius determinatae sunt ac restrictae necessariae sollemnitates (4), donec definitivam formam acceperint in laudata decretali Bonifacii VIII: postulat nimirum ad *sollemnitatem* voti matrimonium dirimentis, ut accesserit vel professio in Religione a S. Sede approbata (5), sive explicita, sive implicita seu tacita in habitus susceptione positis ponendis peracta, vel promotio ad ordines majores.

Postea inducta sunt vota simplicia in Societate Jesu, et ad illa, per modum exceptionis, extensa est vis irritandi matrimonium (6).

---

(1) In hunc sensum interpretanda videntur scripta Damasi I (366-384), ac Innocentii I ad Victricium (404), necnon Leonis I ad Rusticum (458), apud SCHARNAGL, o. c., p. 43 ss. et 49 ss. et 57. — Ex alia parte, cf. hîc PETERS, o. c., p. 75 s., ubi ostendit S. Augustinum contra tendentiam suo tempore exortam, votum velatae virginis habendi uti impedimentum dirimens, sustinuisse validitatem matrimonii sic contracti.

(2) Jam in Concilio Lateranensi I (1123) simile statutum occurrit, licet minus clarum: « Presbyteris, diaconis, subdiaconis, *monachis*... matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia ab hujusmodi personis disjungi... judicamus ». c. 8, D. XXVII.

(3) Dicitur: saltem quoad rem; quia Petrus Lombardus adhibet quidem terminologiam voti privati et voti sollemnis, sed reipsa votum privatum habet uti votum occultum, in abscondito scil. emissum, dum votum sollemne exhibet uti publicum, emissum nempe in conspectu Ecclesiae.

(4) Ita Alexander III conatus est determinare distinctionem inter votum simplex, matrimonium impediens, et votum sollemne, constituens impedimentum dirimens: hoc alterum scil. votum erat vel tacitum, consistens in habitus assumptione, simul cum religionis ingressu, vel votum expresse factum, sive in professionis religiosae forma, sive conjunctum cum habitus mutatione, aut cum ingressu in religionem. Cf. SCHARNAGL, o. c., p. 144.

(5) Tempore Bonifacii et diu postea omnis professio facta in Religione approbata erat *sollemnis,* nec emittebantur in ea vota simplicia.

(6) Vota simplicia (absque vi irritativa matrimonii) in aliis etiam regularium ordinibus fuerunt inducta (anno 1857 et 1862), per triennium ante professionem sollemnem duratura; quae praxis a Leone XIII (anno 1902) extensa fuit ad moniales votorum sollemnium; nunc autem, sub disciplina Codicis, debet, ad normam can. 574, votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemitti professio votorum simplicium temporaneorum (saltem ad triennium).

Tandem a Pio IX, 12 Junii 1858, suppressa est apud viros sollemnis professio *tacita* (1), sola servata professione explicita seu expressa (2): quae disciplina a pluribus Auctoribus censetur extensa ad moniales, necnon ad simpliciter professos (3).

581. b/ pro ordine.

2° Quod spectat **Ordinem.**

In *tribus prioribus saeculis* non exstabat praescriptio urgens strictam continentiam clericorum. Prohibebatur tantùm ne ad ordines assumerentur alii quam unius uxoris viri; etiam displicebat, si non stricte prohibebatur, matrimonium post ordinationem ineundum sed poterant ordinati, post ordinis susceptionem, matrimonio praeviè contracto uti. De facto tamen plures clerici, perfectionem aemulantes, in continentia vivebant et a matrimonii usu abstinebant, signanter episcopi, qui etiam plerumque coelibes eligebantur. Continentes vocabantur *εννουχοι* (4).

Ratio ob quam Ecclesia pristina, licet continentiam in votis haberet, eam urgere inopportunum censuerit, videtur in hoc esse quod neoconversis ex Judaismo exosa erat sterilitas, quodque leges Romanae coelibatum poenis plectebant.

Inde a saeculo quarto: a/ In Ecclesia *Latina:* ab initio saec. IV, incipit legislatio canonica inducere continentiae obligationem, excluso, licet non ubique cum eadem severitate, non modò matrimonio post ordinem susceptum contrahendo, sed et usu matrimonii ante ordinationem initi. Ita Conc. Illiberitanum (a. 300) (5); item Conc. Romanum (387), sub S. Siricio Papa (6); Conc. Carthagen. II et IV, a. 390 et 401, respectivè can. 2 et 3 (7). Ante saeculum V^{m}, subdiaconi non erant huic legi obnoxii (8), sed jam a Leone I, sub medio saeculo quinto, expressè comprehenduntur (9), licet jus Ecclesiae, in hac re, diu adhuc fluxum manserit. Cf. LEITNER^{3}, *Lehrb.*, p. 144 s. — Clerici conjugati non jubebantur uxores dimittere, imo suadebantur eas retinere uti sorores: unde vocabantur episcopissae, presbyterae (VACANDARD, o. c., p. 107 et 101) (10). Postea autem, ob pericula cohabitationis et abusus, jussi sunt clerici ordinandi

(1) Sub disciplina Decretalium *tacita* professio sollemnis obtinebat, positis ponendis, in habitus religiosi susceptione. Unde adagium: *habitus facit monachum*, quod adagium olim strictè urgebatur, deinceps autem mitius est applicatum, illique opposita est norma juris: *habitus non facit monachum sed professio.* Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 279 s.; SCHARNAGL, o. c., p. 67 s.; SCHERER, o. c., II, p. 803 s., cum nota 32.

(2) Cf. VERMEERCH, *De Religiosis*, I, n. 208, II, p. 354 s.

(3) Cf. WERNZ, o. c., IV, n. 376, nota 7; coll. decreto S. C. Ep. et Reg., 3 Maii 1902, apud A. S. S., t. XXXV, p. 31 ss.

(4) H. LECLERCQ, o. c., p. 1329 ss.; GAUGUSCH, o. c., p. 5; DUJON, o. c., p. 37 ss.; FUNK, o. c., qui maximè arguit contra BICKELL, contendentem quod continentia clericis fuerit imposita ex apostolica ordinatione.

(5) Can. 33 « Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris, diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis et non generare filios... ». HEFELÉ-LECLERCQ, o. c., I^{1}, p. 238 s.

(6) Epistola Siricii ad Himerium, c. 7, apud HARDUINUM, o. c., I, col. 849 s.; necnon ejusdem epist. ad Episcopos Africae, c. 9, *ibid.*, col. 857 s. Cf. HEFELÉ-LECLERCQ, o. c., II^{2}, p. 71 s.

(7) HARDUINUS, o. c., I, col. 951 et 987, quo altero loco refertur can. 3 Conc. V^{1}: « Placuit episcopos et presbyteros et diaconos, secundum priora statuta (Conc. II^{1}) etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab ecclesiastico removeantur officio ».

(8) Ita in Epistola Siricii et in canonibus Concil. Carthag. referuntur diaconi, ad exclusionem subdiaconorum.

(9) Epistola ad Anastasium Thessalonicensem, c. 4, apud HARDUINUM, o. c., I, col. 1767; collata epistola ad Rusticum Narbonensem, Inqu. 3^{1a}, *ibid.*, col. 1761.

(10) Circa *diaconissas* et *presbyteras*, cf. GILLMANN, *Weibliche Klerikern...* apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1913, p. 239 ss.

uxores dimittere; in nonnullis etiam locis, jure particulari, exigebatur (SCHARNAGL, o. c., p. 26 ss.; GAUGUSCH, o. c., p. 12 s.; SCHNITZER, o. c., p. 462 s. et 464, nota 4) ab ordinandis votum castitatis praeviè emittendum (quod votum deinceps, uti vidimus, Bonifacius VIII declaravit in ordinis susceptione sollemnizari); tandem *irritatum* est matrimonium, post ordines contrahendum, in Concilio Lateranensi, tum primo (1123) (1), tum, clarius et expressius, in secundo (1139) (2). Cf. textus modò citatos (3).

b) In Ecclesia *Graeca,* a synodo Trullana (692) in legem sancita est praxis priorum saeculorum: nempe episcopi debent esse coelibes, vel, si praeviè sunt conjugati, ab uxoribus sunt separandi (4); clerici in majoribus ordinibus constituti, post ordinationem suam, jam non possunt nubere (5), possunt autem uti matrimonio quod ante fuit semel cum non vidua contractum (6). Hoc jus manet vigens in ecclesia graeca schismatica et etiam in quibusdam ecclesiis graecis unitis (7). V. suprà, n. 576.

582. Lex civilis.

Scholion III. Legislatio civilis, in Gallia et Belgio, non agnoscit ordinem neque votum uti impedimentum matrimonii civilis, licet *olim* jurisprudentia Gallica faverit existentiae impedimenti ex capite ordinis sacri (8). Aliter res sese habet in legislatione Austriaca et Hispanica, ubi utrumque impedimentum in foro civili agnoscitur. Cf. WERNZ, o. c., IV, n. 273 et 410; *Le Régime des cultes,* p. 110; NEUMANN-ETTENREICH, o. c., p. 33 ss. (9).

---

(1) Cf. n. 580, in nota. — Jam etiam nullitatem matrimonii post sacrum ordinem ineundi pronuntiavit concilium particulare Pisis, anno 1135, sub Innocentio II celebratum, ac imo synodus quaedam, in doecesi Suessionensi, anno 909 congregata (SCHARNAGL, o. c., p. 81), nullitatem decreverat.

(2) Suprà, n. 572. — Meritò igitur damnatur, in Syllabo, propositio 72: « Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere *primus* asseruit ».

(3) Circa quosdam textus Alexandro III adscriptos, qui videntur mitiorem proponere disciplinam, saltem quod spectat validitatem matrimonii a *subdiaconis* contrahendi, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 282, nota 24.

(4) Can. 12 et 48, apud HARDUINUM, o. c., III, col. 1664 s., et 1679.

(5) Can. 6. *ibid.*, col. 1662. — Cf. suprà, n. 575, ubi mota est quaestio de *validitate* matrimonii contra dictam legem Trullanam initi.

(6) Can. 13, *ibid.*, col. 1666, in quo canone etiam disponitur « ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, et diaconi et presbyteri secundum proprios terminos a consortibus abstineant »; a. v. ut continentiam servent tempore quo secundum vices suas altari ministrant. Cf. SILBERNAGL, o. c., p. 376; ZHISHMAN, o. c., p. 458 s., et VERING, o. c., p. 907.

(7) Notat GILLMANN, *Spender...* Beilage I, p. 40, quomodo, juxta Giraldum Cambrensem († 1222-1223), Alexander III propositum conceperit inducendi in Ecclesia Occidentali praxim Ecclesiae Graecae, quodque ab illo proposito abductus fuerit a Cancellario suo, futuro Gregorio VIII.

(8) *In Gallia,* dum *votum,* inde a Perturbatione, coram jure civili jam non habebatur, quemadmodum antea, uti impedimentum matrimonii, *ordini sacro* vim irritativam agnoscebat jurisprudentia, nitens in art. 6 et 26 legis organicae Concordati. Inde tamen a 25 Jan. 1888, in oppositum sensum reformata est jurisprudentia, conformiter ad sententiam latam a Curia suprema, contendente quod invocati textus Concordati solam afficiebant organisationem cultus, non vero statum civilem personarum. Cf. PLANIOL, o. c., n. 741; DUJON, o. c., p. 198-220; GILBERT, o. c., p. 61 ss.; ALLÈGRE, o. c., I, p. 77. Suppressio autem Concordati per legem separationis, anno 1905, omne fundamentum sustulit jurisprudentiae anno 1888 anterioris.

In Belgio, nunquam adnexa fuit vis irritativa nec voto nec ordini. Cf. LAURENT, *Principes,* II, n. 369 s.; HUYTTENS, o. c., I, p. 597; THIRY, o. c., I, n. 253; GIRON, *Droit public,* n. 365.

(9) Ibidem notatur clericum in sacris constitutum esse ad nubendum inhabilem coram jure Austriaco, *etiamsi a religione catholica defecerit.* Ast in *Th. Pr. Quartalschr.* (Lintz), 1908, p. 916, citatur recens decisio tribunalis civilis in sensum contrarium, quatenus impedimentum non afficit dictum clericum nisi *quamdiu manet in Ecclesia catholica,* in qua viget lex coelibatus. Recentius adhuc data est decisio in eumdem sensum, 11 Jan. 1910, apud *Archiv f. k. K.*, 1910, p. 164 s., coll. p. 584 ss. Cf. etiam LEITNER, *Lehrb.*, p. 197 s.

ARTICULUS 5^s^. **De Impedimento Disparitatis Cultus.**

Notio.

583. *Notio.* Disparitas cultus sedulò est *distinguenda* a *mixta religione,* licet nonnunquam sub eadem simul denominatione veniant (1). Haec existit inter duas personas utrimque baptizatas, quarum una est catholica, altera acatholica, et inducit impedimentum *impediens* dumtaxat; contrà disparitas cultus supponit duas personas *quarum una est non baptizata, altera,* positis ponendis, *baptizata;* unde impedimentum principaliter fundatur, non in diversa professione fidei, sed in sacramento fidei, ab uno et non ab altero nupturiente suscepto (2).

Jus Vigens.

I. *Disparitas cultus constituit impedimentum jure ecclesiastico dirimens matrimonium inter unam partem non baptizatam et alteram baptizatam, modò haec fuerit in Ecclesia catholica baptizata vel ad eamdem ex haeresi vel schismate conversa.* Can. 1070, § 1.

Explicatio.

584. *Disparitas cultus matrimonium dirimit ex jure ecclesiastico,* 1° Disparitas cultus *jure ecclesiastico* matrimonium *dirimit;* illud autem *prohibet* jure *naturali-divino,* non quidem absolute et in omni hypothesi, sed in quantum urgent gravia pericula ex hujusmodi matrimoniis oriri nata, de quibus suprà, sub n. 502, ubi de matrimoniis mixtis; quodsi prohibitio juris naturalis-divini in casu particulari desit vel cessaverit, remotis periculis in quibus nititur, manet prohibitio, eaque irritans, juris ecclesiastici, fundata in praesumptione periculi universalis (3).

585. *per consuetudinem introducto, sed* 2° Lex ecclesiastica descripta matrimonia irritans non est per peculiare statutum, seu per jus scriptum, sed *per consuetudinem*

(1) Ita S. Congr. Consistor., in decreto de competentia C. S. O. circa matrimonia *mixta,* hac voce intelligit matrimonia mixtae simul ac disparis religionis. Cf. *Collat. Brug.,* t. XV, p. 251 s. Ex alia parte, mixta religio, olim saltem, dicebatur disparitas cultus *imperfecta,* ad contradistinguendam illam a disparitate cultus perfecta.

(2) Cf. BENED. XIV, Constit. *Singulari Nobis,* 9 Febr. 1749 (*P. B.,* VII, p. 10 ss.), § 11 s. Cf. etiam S. THOM., *Supplem.,* qu. LIX, art. 1, ad 5^m^, ubi observat: « Matrimonium est sacramentum; et ideo, quantum pertinet ad necessitatem sacramenti, requirit paritatem, quantum ad sacramentum fidei, magis quam ad interiorem fidem; unde etiam hoc impedimentum non dicitur disparitatis *fidei,* sed *cultus* disparitatis, qui respicit exterius servitium... Et propter hoc, si aliquis fidelis cum haeretica baptizata matrimonium contrahat, verum est matrimonium, quamvis peccet contrahendo...; et e contrario, si aliquis catechumenus habens rectam fidem, sed nondum baptizatus, cum aliqua fideli baptizata contraheret, non esset verum matrimonium ».

(3) BENED. XIV, l. c. — Ita respectu matrimonii inter partem baptizatam et partem *catechumenam, solum* obesset impedimentum *juris ecclesiastici.* — CAPPELLO, o. c., n. 415 et VLAMING, o. c., n. 285, videntur urgere prohibitionem juris naturalis vel divini absolutam.

introducta (1); nunc autem, in novo Codice, formali legis textu est sancita, et urget universim (2), excepto forsitan casu impossibilitatis eam observandi, quemadmodum contingeret cum viris christianis in insula relegatis, qui aliter nubere non possent quam cum mulieribus infidelibus, nec dispensationem obtinere valerent (3). *nunc formali legis textu sancito.*

Porro ita urget Ecclesia impedimentum, ut *directè* quidem attingat partem baptizatam, sed etiam *indirectè* partem infidelem, quatenus, directè et immediatè inhabilem reddendo nupturientem fidelem, obliquè inhabilitat alteram partem ad nubendum parti fideli, nec pars infidelis suam immunitatem communicat parti fideli (4).

586. Restrictio in novo jure adducta.

3° Impedimentum, juxta novam disciplinam, secus ac juxta disciplinam anteriorem, jam non exsurgit inter unam personam non baptizatam seu infidelem, et alteram *quomodocumque* baptizatam. Oportet ut haec altera pars fuerit, ad normam can. 1070, § 1, « baptizata in Ecclesia catholica vel ad eamdem ex haeresi aut schismate conversa » (5), i. e. fuerit *baptismo* vel *professione catholica* (6).

Utrum autem, ad hoc ut huic impedimento obnoxia sit pars baptizata, sufficiat quod olim unquam pertinuerit ad Ecclesiam catholicam, baptismate vel professione, licet hic et nunc, momento matrimonii, ab illa defecerit, disputari posset. Ex analogia autem cum dispositione can. 1099, § 1, videtur affirmandum (7), adeo ut

(1) *Ibidem*, § 10, docetur « ob cultus disparitatem irrita matrimonia esse, non quidem jure sacrorum canonum, sed *generali Ecclesiae more*, qui pluribus abhinc saeculis viget et *vim legis habet* ». Cf. infrà, n. 592; *Conférences de Paris*, III, p. 11 s. Circa vim consuetudinis ad impedimentum dirimens olim inducendum, cf. c. 3, X, IV, 11. Pro praesenti disciplina, cf. can. 1041, coll. dictis suprà, sub n. 429.

(2) Can. 1070. — Cf. BENED. XIV, l. c., § 18-19, ubi ostendit S. Pontifex quomodo lex etiam antea urgebat in tota Ecclesia, non exceptis regionibus in quibus forsan contraria vigebat consuetudo, cum, uti arguit, « peculiaris consuetudo universali contrariae consuetudini cedere debeat ».

(3) Cf. suprà, n. 469.

(4) In citata Constit., § 8.

(5) Quinam censeantur *catholice baptizati* et *ab haeresi vel schismate conversi*, dictum est suprà, n. 140.

(6) Haec moderatio opportune inducta videtur, ad minuendam multitudinem matrimoniorum nullorum ex hoc capite. Plurima namque matrimonia ineuntur inter personam non baptizatam et personam acatholice baptizatam, quae nullo unquam titulo ad Ecclesiam catholicam pertinuit ac adeo legem irritantem penitus ignorat. Accedit, uti notat WERNZ-VIDAL, o. c., n. 265, « quod valor Baptismi in pluribus sectis collati haud paucis dubiis est obnoxius, unde graves aderant difficultates ad judicandum de valore matrimonii ab ipsis contracti, cum ad fidem catholicam convertebantur ». — Sedulò prae oculis habenda est haec moderatio in dijudicanda validitate matrimonii contracti, signanter quando conjux acatholicus cupit converti. Pone v. g. conjugem hunc certò non baptizatum cum parte acatholice baptizata contraxisse: si matrimonium fuit celebratum sub anteriori disciplina, est habendum uti invalidum; si fuit initum sub nova disciplina, post Pentecosten scil. anni 1918, judicandum est validum, si aliunde non est irritum.

(7) Cf., in eumdem sensum, VLAMING, o. c., n. 289, ubi invocat principium generale, quod « apostatae e sua defectione exemptionem a legibus Ecclesiae lucrari non debent »; item CAPPELLO, o. c., n. 411; AUGUSTINE, o. c., p. 183; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 262.

illi soli baptizati ab hoc impedimento eximantur qui nunquam, baptismo vel professione, ad Ecclesiam catholicam pertinuerunt.

Pariter non censetur ab impedimento eximenda, sicut eximitur, juxta dicta sub n. 143, a lege clandestinitatis, persona catholice baptizata, sed quae, ab acatholicis nata, ab infantili aetate in haeresi vel schismate vel infidelitate aut sine ulla religione adolevit; adeoque invalidum foret ejus matrimonium cum parte non baptizata (1). Ita etiam VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, III, n. 775; *Rev. eccl. de Metz,* 1924, p. 19; *Ned. kath. Stemmen,* 1925, p. 12, necnon, saltem theoreticè, CREUSEN, *Epitome* (in altera editione), II, n. 344; anceps autem haeret CAPPELLO, o. c., n. 412; item WERNZ-VIDAL, o. c., n. 263. Cf. in sensum contrarium, *l'Ami du clergé,* 1924, p. 171 s., p. 174 et 508; DURIEUX, o. c., n. 112, in nota, ubi validum habet matrimonium ab infideli cum hujusmodi persona contractum, saltem attento dubio et applicando can. 1014. Citatus CREUSEN, l. c., non obstante theoretica certitudine sententiae a nobis propositae, non audet eam practicè urgere; cf. tamen *N. R. th.,* 1925, p. 495 ss.

II. « *Si pars, tempore contracti matrimonii, tanquam baptizata communiter habebatur aut ejus baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam* ». Can. 1070, § 2.

Explicatio.

587. Quid, in casu Baptismi dubii, respectu matrimonii contracti;

1° *In dubio circa baptismum,* sive dubium versetur circa factum collati baptismi, sive circa ejusdem validitatem, seu potius si baptismus, tempore contracti matrimonii, communiter reputabatur validè collatus vel erat dubius (2), stat *praesumptio in favorem matrimonii,* quod censetur validum, etiam, ut opinamur, in casu quo, ut faveatur matrimonii valori, judicandum sit contra validitatem baptismatis.

Praesumitur proinde validum matrimonium, non modò in hypothesi quod una pars erat certò catholice baptizata, altera vero erat dubie baptizata vel reputabatur baptizata, vel in hypothesi quod utraque pars erat dubie baptizata (in qua duplici hypothesi, dum

(1) Nitimur in tenore can. 1070, § 1, sine ulla restrictione enuntiantis nullum esse matrimonium « contractum a persona non baptizata cum persona *baptizata in Ecclesia catholica* ». Ex alia parte, in can. 1099, non dicitur matrimonium inter personas ibidem descriptas esse validum, sed mere dicitur earum matrimonium non esse obnoxium canonicae formae. Cf. *Ephem. theol. Lovan.*, 1924, p. 563 s. Accessit nuperrimè propositae solutionis confirmatio ex responso ad casum particularem dato a S. C. de P. F., 1ª Aprilis 1922, quod responsum communicatur a *l'Ami du clergé,* 1925, p. 408, coll. *N. R. th.*, 1925, p. 495 ss.

(2) VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, III, n. 775, sub 2, videtur intelligere incisum: « si pars... tanquam baptizata communiter habebatur » de dubio facti, alterum vero incisum: « aut ejus baptismus erat dubius » de dubio juris, afficiente scil. validitatem collati baptismi.

statur valori matrimonii, simul favetur validitati baptismatis); sed etiam sustinetur praesumptio pro valore matrimonii in hypothesi quod una pars erat certò non baptizata, altera vero dubie, in qua tertia hypothesi non favetur valori matrimonii nisi praesumendo nullitatem baptismi. Cf. suprà, n. 355, ubi notavimus hanc exceptionem in favorem matrimonii esse faciendam ad normam can. 1127, statuentis favorem praestandum libertati fidei.

Nota dubium circa baptismum, de quo modò, supponi, post praevie institutum examen, subsistere (1).

Hucusque vigebat praesumptio in favorem *baptismi:* censebatur nempe « validus in ordine ad validitatem matrimonii » (2), et sic matrimonium quidem praesumebatur validum in duplici priori hypothesi, in tertia vero hypothesi censebatur invalidum. Proposita autem nova praesumptio in favorem matrimonii, a Codice inducta, applicanda censetur, secus ac nova determinatio ambitus impedimenti, matrimoniis de quorum validitate judicandum est inde a Codice vigente, licet contracta fuerint sub disciplina Codici anteriore (3).

2° Intelligenda est praesumptio in favorem validitatis matrimonii *de praesumptione juris,* non de praesumptione juris et de jure (can. 1825 et 1826): a. v. praesumptio est quae cedit veritati, adeo ut matrimonium debeat tractari tanquam nulliter contractum, si postea liquido appareat ac certo probetur unam partem fuisse, momento contracti matrimonii, baptizatam (4) et alteram non

---

(1) Inquirendum esse in singulo casu ad praeviè solvendum dubium urgent plurima decreta Romana, quae partim infra citantur, partim referuntur apud *Collat. Brug.*, t. VII, p. 24 ss.; circa inquirendi modum et praesumptiones in favorem baptismi applicandas, prae caeteris attendenda est *Instr.* C. S. O., diei 1 Aug. 1883, apud *Collectan.*, n. 662, cum commentario apud WERNZ-VIDAL, o. c., n. 271. Cf. etiam Epist. Card. Ledochowsky ad Episcopos Americae, apud *N. R. th.*, 1902, p. 204; item VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 133, p. 168 s., coll. etiam *Eccles. Review*, t. LXXI, p. 51 ss. Cf. etiam suprà, n. 355.

(2) Controversiam hanc tangunt decr. C. S. O., 29 Sept. 1734 (GASPARRI, o. c., n. 598); resp. S. C. C., in *Tarvisina*, 4 Martii 1737 (*ibidem*); decr. C. S. O., 20 Juli 1840 (*ibidem*, p. 401); decr. C. S. O., 29 Apr. 1840 (*Collectan.*², n. 948); decr. C. S. O., 5 Febr. 1851 (*N. R. th.*, XV, p. 398); decr. C. S. O., 1868 (*ibidem*, p. 402); resp. C. S. O., 3 Aug. 1873 (*ibidem*, p. 399 s.); decr. C. S. O., 3 Apr. 1878, cum subnexa epistola Secretarii (WERNZ, o. c., n. 507, not. 29); decr. C. S. O., 7 Julii 1880 (GASPARRI, o. c., n. 603); decr. C. S. O., 1 Aug. 1883, l. c.; resp. C. S. O. ad Episc. Monach., 28 Sept. 1890, (*N. R. th.*, XXIII, p. 522 ss.); Instr. C. S. O., 4 Febr. 1891 (A. S. S., XXVI, p. 62 ss.); resp. C. S. O., 3 Apr. 1893 (WERNZ, o. c., n. 508, not. 31); decr. C. S. O., 10 Junii 1896 (*Collectan.*², n. 1940); epist. Card. Ledochowsky, l. c. Cf. etiam Instr. C. S. O., 5 Junii 1889 (*Collectan.*, n. 1575), cum interpretatione data a Card. Ledochowsky ad dubia Episcopi Helenensis, 11 Maii 1900, apud DE BECKER, *De Matr.*, p. 238 s.

(3) Cf. suprà, n. 475. Videsis applicationem practicam apud *N. R. th.*, 1924, p. 555 s. Aliter censet SCHAEPMAN, apud *Ned. kath. Stemmen*, 1925, p. 56.

(4) *Pro probatione Baptismi* attendatur can. 779: « Ad collatum Baptismum comprobandum, si nemini fiat praejudicium, satis est unus testis omni exceptione major, vel ipsius baptizati jusjurandum, si ipse in adulta aetate Baptismum receperit ».

Quodsi directa probatio per testes non datur, recurri potest ad *praesumptiones;* quae proponuntur, speciatim quod spectat acatholicos, in Instr. C. S. O., modò citata, anni 1883, et in decreto C. S. O., 17 Nov. 1830 (*Collectan.*, n. 649): respective attingunt praesumptiones quaestionem de facto et quaestionem de valore suscepti baptismi. Cf., circa hoc punctum, nostrum tractatum *De Sacramentis*, n. 299 ss.; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 271; VLAMING, o. c., n. 294; CAPPELLO, o. c., n. 420 et 421.

baptizatam (1); partem autem certò baptizatam intelligimus de parte *catholicè* baptizata, ad normam can. 1070, § 1 (2).

588. quid respectu matrimonii contrahendi.

3° Ex ipso textu canonis censetur inducta praesumptio afficere matrimonium *contractum,* illudque solum.

Quod autem spectat matrimonium *contrahendum:* in casu dubii baptismatis, sive dubium afficiat factum baptismi, sive afficiat ejusdem validitatem, non videtur applicanda praesumptio neque in favorem matrimonii, uti in canone 1070, § 2, neque in favorem validitatis baptismi, juxta disciplinam praecedentem (3), sed procedendum est ad normam dictorum suprà, n. 472, de casu dubii *facti:* recurrendum esset scil. pro dispensatione super disparitate cultus ad cautelam (4), quae dispensatio, ad tramites can. 15, impetrari posset *ab Ordinario.*

Profectò rursus supponitur dubium circa baptismum remansisse, non obstante serio examine instituto: quod examen semper est praemittendum; supponitur etiam non potuisse auferri dubium illud per conditionatam baptismi iterationem: ad quam sanè, ubi fieri potest, esset procedendum antequam matrimonium celebretur (5).

Quodsi matrimonium contrahatur absque dispensatione, de valore matrimonii sic contracti judicandum erit ad normam dictorum sub 1° et 2°.

---

(1) Principium hucusque vigens de baptismo reputando valido in ordine ad matrimonii validitatem, pariter intelligendum censebamus de praesumptione juris. Non pauci tamen Auctores praesumptionem illam habebant uti *praesumptionem juris et de jure,* adeo ut matrimonii, tam contracti quam contrahendi, validitas fuerit judicanda quasi objective validum fuisset baptisma, etiamsi postea reperiretur nulliter collatum. Alii admittebant solam *praesumptionem juris,* et, inter hos ultimos, alii principii applicationem restringebant ad matrimonium contractum, dum alii eam etiam extendebant ad matrimonium contrahendum. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 270.

(2) Si igitur exinceps probetur unam partem, matrimonii momento, fuisse non baptizatam et alteram fuisse quidem baptizatam, sed acatholicè, nec eam unquam esse ad Ecclesiam catholicam conversam, matrimonium non esset judicandum invalidum. — In eumdem sensum cf. VLAMING[2], o. c., n. 291[bis], ubi meritò arguit contra Lehmkuhl, aliter sentientem; item SCHÄFER, o. c. (1921), p. 125 et *Th. Pr. Quartalschr.,* 1923, p. 310 (Haring). Cf. suprà, n. 585.

(3) In alium sensum opinatur VLAMING[2], o. c., n. 294[bis], ubi docet principium praesumptionis in favorem baptismi hîc applicari matrimonio *contrahendo,* adeo ut, in casu dubii baptismatis ex unius sponsi parte, procedi possit ad matrimonium, absque dispensatione ad cautelam. Item CAPPELLO, n. 417 s. Favet autem sententiae in textu propositae factum dispensationis, die 19 Febr. 1920, pro dioecesi Brugensi concessae, in ordine ad matrimonium a parte catholica contrahendum cum acatholico, dubiè baptizato: dispensavit nempe C. S. O. « ab impedimento mixtae religionis *et, ad cautelam, disparitatis cultus* ». Cf. etiam tenorem indulti C. S. O., super mixta religione, de quo infrà, sub n. 770, in fine. Nobis consentit DE BECKER, apud *Eph. Theol. Lov.,* 1925, p. 273; item WERNZ-VIDAL, o. c., n. 268.

(4) Requiritur dispensatio ad cautelam *super disparitate cultus,* nec sufficeret, in casu, dispensatio super mixta religione: haec scil. dispensatio super mixta religione non importat dispensationem super disparitate cultus, pro hypothesi qua forte adesset. Doctrina contraria non sustinetur et habet contra se documenta modò allata sub nota proximè praecedente. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 423, cum documentis allatis et Auctoribus contradicentibus.

(5) Si dubium afficit baptismum partis catholicae, profectò nihil obstat conditionatae iterationi; item ubi dubium afficit baptismum partis acatholicae converti volentis. Contrà, ubi agitur de persona acatholica converti nolente, non licet ad dictam conditionatam iterationem procedere, ita declarante C. S. O., 3 Aprilis 1878 (*Archiv f. k. Kirchenr.,* XLI, p. 183).

III. *Dispensatione removeri potest impedimentum disparitatis cultus. Antequam autem dispensetur, supposita proportionata causa, praevie debent injungi solitae cautelae cum cautionibus opportunis; in ipsa vero celebratione matrimonii inter cultu dispares, servandae sunt praescriptiones factae pro celebrandis nuptiis mixtis.* Can. 1071.

589. *Super hoc impedimento dispensari potest,*

Explicatio.

1° *Dispensatione* removetur impedimentum, quatenus est jure ecclesiastico prohibens et irritans; praesupponitur autem ablata prohibitio juris naturalis et divini, quatenus vel non adsit hic et nunc proximum seductionis periculum pro parte baptizata et prole, vel quatenus fuerit remotum effectum: quod passim fiet per cautelarum, de quibus mox, injunctionem et acceptationem. Cf. suprà, n. 503.

590. *salvis cautelis et cautionibus consuetis,*

2° *Cautelae* sunt *vi juris ecclesiastici* injungendae, etiam ubi contingit proximum perversionis periculum hic et nunc non existere, vel alio modo remotum esse factum. Sunt autem cautelae duae: una de excludendo seductionis periculo a parte fideli, et altera de educatione catholica universae prolis (1).

Ulterius autem non sufficit injungere cautelas; etiam exigenda est *cautio,* i. e. formalis promissio formiter data, eaque regulariter in scriptis, juxta dicta suprà, n. 505, et quidem ita ut *moralis certitudo habeatur de cautionum implemento.* Juxta canonem enim 1071, hîc applicantur omnia praescripta, in can. 1060-1064, de mixtis nuptiis. Cf. suprà, n. 505, coll. infrà, n. 849 et 874 (2): in quo duplici loco insistimus in hoc quod, salva mitigatione, de qua mox, a S. Sede peculiariter concessa, necessitas cautelarum, cautionis ac moralis certitudinis, penes inferiorem dispensantem, afficiat ipsum dispensationis *valorem,* etiam ubi in periculo mortis dispensatur vi can. 1043.

et causa.

3° Quod spectat *causam,* valent dicta sub n. 506, hoc notando quod meritò solet gravior exigi causa ut dispensetur super disparitate cultus quam super mixta religione, quodque non attendantur causae in sola parte infideli obtinentes (v. gr. aetas superadulta).

---

(1) Conditiones seu cautelae solent hac formula exprimi: « quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit », vitata scil. *Creatoris contumelia,* tum in parte fideli, per remotionem periculi seductionis, tum in prole, per assecuratam educationem christianam; etiam haberi potest contumelia Creatoris in parte infideli, quatenus timeatur polygamia simultanea.

(2) Locis citatis notatur, *jure particulari Brugensi,* exigi ut dictae cautiones scripto exaratae et a partibus subsignatae *adnectantur ipsi libello supplici,* una cum attestatione parochi de morali certitudine circa futurum cautionum implementum. Exarentur autem promissiones in duplici exemplari.

4° Parochus, in *assistentia* sua praestanda matrimonio, inter cultu dispares celebrando, sequatur normas ad n. 510 et seq. indicatas.

5° Modò notavimus (n. 588), ad removendum impedimentum, requiri dispensationem super *disparitate cultus,* saltem ad cautelam, nec sufficere, etiam in casu dubii baptismi, dispensationem super mixta religione (1).

591. Varia notanda.

Nota. 1. Quae suprà, n. 507, diximus de obligatione, pro parte catholica, curandi conversionem partis acatholicae et de prohibitione adeundi ministrum acatholicum, hic suam applicationem habent.

2. Supposita cessatione prohibitionis juris naturalis et divini, per remotionem periculi contumeliae Creatoris et praesentiam causae proportionatae, S. Sedes nonnunquam dispensat, vel dispensandi facultatem dat, in gratiam partis fidelis benè dispositae, *licet pars infidelis renuat cautionem consuetam praestare;* sed hujusmodi dispensatio non est exspectanda nisi exceptionaliter et in casu urgentis necessitatis, quemadmodum vidimus suprà, n. 508 et n. 515, pro mixta religione (2).

3. Speciali adhuc titulo hîc non est locus assistentiae praestandae matrimonio absque dispensatione celebrando, cum sine dispensatione, secus ac sub n. 512, invalidum sit matrimonium.

4. Quae dicta sunt sub n. 513 s., de officio parochi *post matrimonium contractum* inter personas mixtae religionis, etiam hic cum proportione applicantur.

5. Recole dicta suprà, n. 469, de cessatione impedimenti in casu impossibilitatis, sive communis sive particularis.

6. Non occurit mentio in Codice de dispositione, de qua in Instr. C. S. O., 16 Sept. 1824 (*Collectan.*, n. 1235), adeoque pro suppressa habenda censetur, eo vel magis quod inseruntur dispositiones analogae in can. 1051 et can. 1053, quodque Codex jam non admittit principium de communicatione exemptionis (cf. can. 1099), ad quod principium expressis

---

(1) Hic dispensatio requiritur ad valorem matrimonii, dum in casu mixtae religionis postulatur ad solam liceitatem.

(2) Ab Ordinario loci vel alio inferiori dari nequit, in hujusmodi casu, dispensatio, neque vi potestatis ordinariae, puta vi can. 1043 et 1045, neque vi indulti S. C. de Sacr.; in indulto autem C. S. O. (infrà, n. 770) dicta facultas conceditur in ordine ad sanationem in radice impertiendam. Cf. decr. C. S. O., 21 Junii 1912 (A. A. S., IV, p. 443), coll. infrà, n. 762 s. Cf. etiam indulta Nuntiorum et Ordinariorum missionum, infrà, n. 770bis et 770ter.

verbis provocat, si in eo non nititur, decretum anni 1824 (1). Nimirum in dicto decreto anni 1824 statuebatur: « Ecclesia, dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur *ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis,* ut inde hujus exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat alteri » (2). Quae dispensationis extensio ad reliqua impedimenta juris ecclesiastici (3), quae fortè adessent, restringebatur ad impedimenta relativa (4), eaque sola super quibus Ecçlesia aliunde dispensare solet (5).

7. Olim inseri solebat, in indultis, clausula exceptionis contra *Italos,* de qua clausula cf. suprà, n. 507, in nota, necnon etiam contra *Judaeos;* nunc autem facilius cum hisce dispensatur, sicuti cum Mahumetanis, nonnullis tamen insertis monitionibus erga illos attendendis (6).

592. Disciplina antiqua.

Scholion I. Jam *sub lege Mosaica* existebant dispositiones vetantes nuptias ab Hebraeis ineundas cum alienigenis, absque clausula tamen, uti videtur, irritante (7). Pariter a S. Paulo (8), et deinceps a SS. Pa-

(1) Ad hanc sententiam accedere videtur VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* III, n. 760 et n. 775; *Gregorianum,* 1926, p. 141; item GENICOT-SALSMANS, *Casus conscientiae,* ed. 5ª, casu 1080; LEITNER, o. c., p. 187, rem dubiam habet. — Contrariae sententiae favet VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II², n. 346, eamque propugnat *N. R. th.,* 1920, p. 532 ss., et 1926, p. 398; cui accedunt CHELODI, o. c., n. 81; *l'Ami du clergé,* 1920, p. 363 ss. et p. 401 s.; CAPPELLO, o. c., n. 422; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 37 et n. 274; TRIEBS, o. c., I, p. 30 s. — *N. R. th.,* l. c., ad hoc provocat quod, in nota ad can. 1070, § 1, remittitur ad citatum decretum 1824; quod argumentum parum firmum videtur, siquidem in hoc decreto anni 1824, et signanter in responso ad dubium 2ᵐ, ubi occurrit mentio illius dispositionis, incidenter tantùm tangitur quaestio dispensationis super reliquis impedimentis et principaliter agitur de ipso impedimento disparitatis cultus, de quo in can. 1070, § 1; adde etiam modò dicta in textu. Alii invocant canonem 20, juxta quem, in defectu expressi legis praescripti, norma sumenda est a praxi et stylo Curiae.

(2) Juxta decretum C. S. O., 23 Apr. 1913 (*Collat. Brug.,* t. XIX, p. 122), principium hic enuntiatum valebat non tantum pro dispensatione super disparitate cultus impertita *ab ipsa S. Sede,* sed etiam pro dispensatione concessa *a S. Sedis delegato,* etiamsi hic non haberet facultatem dispensandi super impedimentis quibus ligabatur pars catholica.

(3) Sola hic intenduntur impedimenta juris ecclesiastici, exclusis impedimentis civilibus, quae, ob exclusivam competentiam Ecclesiae (suprà, n. 438), non sunt attendenda respectu matrimonii inter fidelem et infidelem. Caeterum, si pars infidelis obnoxia esset impedimentis juris civilis, ab illis dispensare non posset Ecclesia, nec adeo illis applicaretur dispositio de qua in textu.

(4) Ita si pars fidelis erat voto ligata vel impedimento ordinis aut aetatis, dispensatio super disparitate cultus non importabat dispensationem ab hujusmodi impedimentis absolutis quibus personaliter obnoxia erat pars baptizata. Cf. hîc CAPPELLO, o. c., n. 422, ubi contrarium docet, evidenti confusione deceptus.

(5) Dictae dispositioni derogabatur, ad tramites dictorum suprà, n. 142, respectu impedimenti *clandestinitatis,* quatenus dispensatio super disparitate cultus non importabat dispensationem a servanda forma Decreti *Ne temere,* licet ab hac exempta existeret pars infidelis: quod etiam servatur sub disciplina Codicis, in hypothesi quod adhuc vigeat dispositio decr. 1824.

(6) Ita in tenore indulti S. C. de P. F., pro missionibus, monetur: « si agatur vero de matrimoniis cum *hebraeis* vel *mahumetanis,* peculiari ratione oportet ut constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et, si actus civilis sit ineundus, sit tantùm caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat ». Idem inseritur in Facultatibus, concedi solitis Nuntiis, Internuntiis et Delegatis apostolicis. — Tenorem utriusque indulti cf. ad calcem, coll. n. 770ᵇⁱˢ et 770ᵗᵉʳ.

(7) Cf. *Deut.,* VII, 3, 4, XXVII, 3-8; *Exod.,* XXXIV, 16; I *Esdras,* c. 10, cum interpretatione BENED. XIV Constit. *Singulari,* par. 3-6.

(8) 1ª *Cor.,* VII et 2ª *Cor.,* VI.

tribus (1) et Conciliis (2), signanter a Concilio Illiberitano (300-306), insistitur in vitandis connubiis cum gentilibus (3); sed ideo matrimonia cum gentilibus, quantumvis prohibita, non fuerunt irrita, aut, si in quibusdam statutis declarantur invalida, uti forte in quibusdam statutis Galliae et Hispaniae, talia erant vi legis particularis tantùm, non vi legis universalis. Tandem, *circa saeculum 12^m^*, in praxim generalem venit ut disparitas cultus haberetur tanquam impedimentum *dirimens:* quae universalis consuetudo vim est consecuta legis communis (4).

593. Jus civile.

Scholion II. In **Codice nostro civili**, ne vestigium quidem habetur impedimenti disparitatis cultus; vix etiam alicubi agnoscitur qua impedimentum pro matrimonio civili, excepta forsan Austria, ubi Codex civilis illud urget, etsi non in omnimoda conformitate cum jure canonico: irritat nempe matrimonium inter christianam religionem profitentes et illam non profitentes, adeo ut impedimentum nitatur in diversa *professione fidei,* et non in praesentia ac absentia *sacramenti fidei.* Cf. WERNZ-VIDAL o. c., n. 277; LEITNER, *Lehrb.;* p. 274 s.; *Dictionnaire de Théol.,* V° *Disparité de culte,* col. 1427 s.; *Le Régime des cultes,* p. 109 s.

ARTICULUS 6^a^. **De Impedimento Consanguinitatis.**

I. NOTIONES.

594. Consanguinitatis notio;

1° **Consanguinitas** (bloedverwantschap) est in conjunctione quae existit inter duas personas ratione communionis in eodem sanguine: quatenus, intra determinatos limites (5), vel ab eodem auctore carnali generatione descendunt, vel una persona ab altera descendit.

Dividitur in consanguinitatem:

---

(1) Ita CYPRIANUS, *De Lapsis,* c. 6: « Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi ». Ed. Hartel, 1868, I, p. 240. Quod spectat *S. Augustinum,* cf. PETERS, o. c., p. 66 s.

(2) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 261; PETERS, o. c., p. 65; SCHNITZER, o. c., p. 475.

(3) Quod spectat *leges Imperatorum:* Constantinus (339) prohibebat matrimonium a christiano ineundum cum *Judaeo* sub poena mortis, et deinceps (388) declaratum fuit hujusmodi matrimonium aequiparandum esse adulterio. Cf. FREISEN, o. c., p. 635.

(4) Cf. WERNZ-VIDAL, l. c.; *Conférences de Paris,* III, p. 11 s.; *Dictionnaire de Théol., V° Disparité de culte,* col. 1417-1420, censent id jam obtinuisse ante saeculum 12^m^. Contrà SCHNITZER, o. c., p. 475 s., contendit impedimentum *dirimens* inductum fuisse tantùm *versus finem saeculi 12^i^,* illudque a Gratiano ignorari; etiam Bened. XIV, Constit. *Singulari nobis,* § 9, notat: « Canones a Gratiano collecti in causa XXVIII, q. 1, revera fidelium cum infidelibus matrimonia prohibent, non tamen ita ut eadem faciant irrita ». Ex sua parte *Gratianus,* in *Dicto* ad 3 §, cap. 14, C. XXVIII, qu. 1, conjugia fidelium cum infidelibus reipsa habet uti invalida, cum ea in eadem linea ponat ac matrimonia inter consanguineos et sic ad invicem copulatos declaret separandos. Cf. FREISEN, o. c., p. 640, coll. GILLMANN, *Spender...* — Beilage I, p. 41; hic etiam notatur apud sic dictas *Sententias Abelardi* conjugium cum infideli haberi uti validum (inter 1130 et 1140), et, ex alia parte, uti nullum proponi ab Huggucione (ante 1188) in *Summa Monacensi* (initio sexti decennii saeculi XII). Cf. etiam GILLMANN, *Taufe im Namen Jesu oder im Namen Christi,* Mainz, 1913, p. 5-6, ubi inducit textum haesitantem *Omnebene.* Item cf. *Der Katholik,* 1910, II, p. 480.

(5) Dicitur: *intra determinatos limites,* quia communio in eodem sanguine non attenditur in indefinitum, sed intra certos dumtaxat quosdam limites, quorum delineatio pertinet ad auctoritatem publicam.

595. *variae species.*

a/ *legitimam* vel *illegitimam,* prouti fundatur in nativitate legitima vel illegitima (1). Determinantur autem legitima natalia juxta normam suprà, n. 281 ss., propositam, ubi de legitimitate prolium (2).

b/ *perfectam* seu *plenam* (*volle* bloedverwantschap) et *imperfectam* seu *minus plenam* (*halve* bloedverwantschap), prouti communicant vel non in eodem sanguine ex parte patris simul et matris. Unde inter fratres ex eodem tantum patre vel eadem matre non habetur consanguinitas perfecta: vocantur autem fratres *uterini,* si eamdem dumtaxat matrem habent, *consanguinei,* si solum patrem communem sortiuntur, dum *germani* dicuntur si uterque parens est communis.

c/ in *cognationem* et *agnationem. Agnati* passim dicuntur consanguinei a latere *patris, cognati* vero consanguinei a latere matris. Quo sensu vocantur flandricè *zweerdmagen* et *spillemagen,* seu consanguinei respectivè ex parte gladium ferentis et ex parte filum ducentis (3).

d/ in *multiplicem* et *simplicem,* prouti multiplicatur vel non stipes communis. Porro *triplici ex causa* oriri potest inter duas personas illa stipis communis *multiplicitas:* vel *primò* ex eo quod illarum ascendentes communes matrimonium inierunt intra determinatos consanguinitatis gradus; vel *secundò* ex eo quod descendunt respectivè ab ascendentibus, qui inter se consanguinei, puta duo fratres, duxerunt uxores ad invicem consanguineas, puta sorores; vel *tertio* ex eo quod natae sunt ex eodem patre et ex duabus respectivè matribus inter se consanguineis, aut vicissim (4).

---

(1) Ita frater et soror nati ex commercio illegitimo inter parentes communes; item in supposito quod unus natus est ex legitima copula et altera pars ex illegitima, puta ex eadem matre, postquam per mortem mariti, patris prioris partis, facta est vidua. Pariter illegitima esset consanguinitas inter consobrinos germanos, quorum avi communes fuerunt legitimo matrimonio juncti, sed quorum alteruter vel uterque natus est ex unione illegitima. Et ita porro. Non refert scil. quod illegitimitas oriatur ex stipite communi vel quod reperiatur ejus origo in quocumque ascendente alterutrius sponsi.

(2) Legitimè natis aquiparantur, sub hoc respectu, legitimati, etiam per solum rescriptum Pontificis.

(3) Jus Romanum non omnino convenit cum data notione. « Entre les enfants, notat P. WILLEMS, *Droit Romain,* p. 69 s., qui au moment de la mort du pater-familias se trouvaient encore sous sa patria potestas, et entr' eux seuls, subsiste la parenté légale, appelée *agnatio;* les parents du sang qui ne sont point agnati, sont *cognati*... Le fils émancipé, la fille qui est dans la *manus* de son mari ne sont pas agnati, mais cognati de leurs frères ou sœurs ». Cf. DARENBERG ET SAGLIO, o. c., V° *Agnatio* (I², p. 146) et V° *Cognati* (I², p. 1282 s.); HOWARD, o. c., I, p. 11-12.

Item LEDRU, o. c., p. 45: « On distinguait à Rome deux espèces de parenté: la *cognation,* lien qui unit entr' eux tous ceux qui descendent d'un auteur commun; *l'agnation,* lien qui unit tous ceux qui sont sous la puissance d'un même père de famille, ou qui y seraient si le chef le plus reculé de la famille vivait encore ».

(4) Cf. infrà, n. 598 et seq., ubi notabitur a Codice abrogatam esse alium fontem multiplicitatis, quatenus scil. per diversas vias ascenderetur ad eumdem stipitem.

596. Quid sit stipes,

2° **Stipes** (stam) dicitur persona a qua personae inter se consanguineae communem originem ducunt, veluti rami a communi trunco: unde etiam truncus vel radix vocatur. Ita parentes sunt stipes respectu fratris et sororis; avi respectu consobrinorum germanorum.

linea,

3° **Linea** (lijn) est series personarum inter se consanguinitatis vinculo conjunctarum. Est linea *recta,* quando una persona ab altera descendit, et ita pater et filius, avus et neptis (kleindochter) sunt in linea recta; est autem linea *collateralis* seu transversa aut obliqua, quando a communi stipite derivantur, quemadmodum frater et soror, consobrini: quae linea collateralis vel *aequalis* est vel *inaequalis* seu mixta, prouti personae consanguineae ab eodem stipite aequaliter distant, uti frater et soror, consobrini germani, vel inaequaliter, uti avunculus et neptis (nicht).

gradus.

4° **Gradus** (lid) est mensura distantiae inter personas consanguineas in eadem linea (1).

II. DETERMINATIO CONSANGUINITATIS.

Determinatur consanguinitas indicando *lineam,* utrum sit recta vel collateralis, aequalis vel inaequalis, et *gradum;* addendo, si est consanguinitas multiplex, *quotuplex* et in quibusnam gradibus occurrat.

597. Norma computandi gradus;

Jamvero

A. Ad **computandos gradus**, en *normas,* coram jure canonico, in Ecclesia Latina, sequendas:

1° In *linea recta,* tot gradibus distant duae personae quot inter eas intercedunt generationes; seu tot sunt gradus quot personae, stipite dempto. Ita pater et filius sunt in 1° gradu lineae rectae. Can. 96, § 2.

2° In *linea collaterali aequali,* seu in qua tractus uterque est aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae; a. v. tot gradibus distant personae duae quot generationibus *una* persona distat a stipite communi. Ita fratres sunt in 1° gradu lineae collateralis aequalis, in secundo vero duo consobrini germani. Can. 96, § 3.

3° In *linea collaterali inaequali,* in qua scil. duo tractus sunt inaequales, tot sunt gradus quot generationes in tractu longiore;

(1) Denominatio « gradus » derivatur a jure Romano, quod, ad exhibendam ordinatam seriem conjunctorum, figura utebatur *scalae,* in qua ascenditur et descenditur per *gradus.* Flandrice dicitur *lid,* cujus denominatio derivatur a more germanico utendi figura corporis humani, juxta notanda infrà, n. 611.

a. v. tot gradibus inter se distant duae personae quot generationibus distat remotior a stipite communi. *Ibidem.* Ita avunculus est cum nepte in 2° gradu. Attamen pro accurata gradus determinatione solet indicari (idque in proximioribus gradibus forsan exigitur) utriusque personae distantia, et ita in allato exemplo avunculi et neptis diceretur eos esse in 2° gradu mixto cum 1° (1), vel tangente 1^{m} (2). Cf. infrà, n. 846.

Dictum est: *coram jure canonico* et *in Ecclesia Latina;* quia, pro linea collaterali (3), aliter computantur gradus in jure civili et in Ecclesia Graeca. Nimirum in *jure civili* et in *Ecclesia Orientali* adoptatur modus computandi Juris Romani (4), quatenus scil. generationes computantur ex parte *utriusque* personae, adeo ut tot gradibus censeantur distare quot sunt generationes ex utraque parte: unde fratres sunt in 2° gradu, consobrini in 4°, avunculus cum nepte in 3° gradu, et ita porro; in jure autem canonico Ecclesiae Latinae adoptatus est computus germanicus (5).

598. norma describendi consanguinitatem multiplicem ;

B. **Ad describendam consanguinitatem multiplicem:**

Norma, juxta can. 1076, § 2, est haec: eam *toties multiplicari quoties multiplicatur stipes communis* (6).

---

(1) Nota quod formula « gradus *mixtus* », si significat gradum inaequalem, vel gradum in linea inaequali, habere potest etiam alias significationes, descriptas apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 481 ss., quodque notatim significat etiam consanguinitatem (vel affinitatem) *multiplicem,* in oppositione ad consanguinitatem simplicem, quemadmodum contingit in tenore olim usurpato Quinquennalium S. C. de P. F., sub Formula III, n. 3.

(2) Juvat referre praecipua *nomina* consanguineorum in variis lineis et gradibus usque ad 3^{m} gradum inclusive. Et quidem

1° In linea recta, *in 1° gradu* (in rechte lijn, eerste lid): pater et filia, vader en dochter; mater et filius, moeder en zoon; *in 2° gradu:* avus et neptis, grootvader en kleindochter; avia et nepos, grootmoeder en kleinzoon; *in 3° gradu:* proavus et proneptis, overgrootvader en achterkleindochter; proavia et pronepos, overgrootmoeder en achterkleinzoon.

2° In linea **collaterali** (in zijdelingsche lijn): a/ gradu *aequali, primo:* frater et soror germani, seu ex eodem patre et matre; consanguinei, seu ex eodem patre; uterini, seu ex eadem matre; qui respective vocantur volle broers of eigen broers en halve broers, nempe broers van vaderszijde of broeders van moederszijde; *secundo:* consobrini germani, volle neef, volle nicht, et vulgo eigen rechtzweer, qui consobrini germani adhuc speciali nomine vocantur, ita ut patrueles dicantur, si patres habent fratres, amitini si pater unius est frater matris alterius, et consobrini nuncupentur quando filii sunt duarum sororum; *tertio:* sobrini propriores, issus de germains, achterneef en achternicht; b/ in gradu *inaequali, primo mixto cum secundo:* patruus seu amita, oom of moei van vaderszijde, vel avunculus seu matertera, oom of moei van moederszijde, respectu nepotis et neptis, neef en nicht; in *primo mixto cum tertio:* magnus patruus, avunculus etc., grootoom en grootmoei van vaderszijde of van moederszijde, respectu pronepotis, kleinneef; in *secundo mixto cum tertio:* halve neef, nicht, vulgo gebroken rechtzweer, oncle et neveu à la mode de Bretagne.

(3) Computus in linea *recta* idem est in utraque Ecclesia, et idem in jure civili.

(4) Cf. ZHISHMAN, o. c., p. 216 ss.

(5) Hunc computum *germanicum* seu *teutonicum* Ecclesia Latina adoptavit saeculo 8° vel 9°, uti infrà exponetur, n. 611.

(6) Ad ipsam consanguinitatem practicè applicamus normam quae, juxta Codicem, moderatur multiplicitatem impedimenti. Stricte quidem et theoretice loquendo, foret distinctio facienda inter consanguinitatem ut sic et consanguinitatem in quantum constituit impedimentum; practicè tamen non censetur coram Ecclesia extendi consanguinitas ultra limites impedimenti, ac ambitus impedimenti determinat ambitum ipsius consanguinitatis. Cf. n. 474.

Circa quam normam applicandam haec observa:

1° Non multiplicatur stipes communis ex eo quod pater simul et mater, avus simul et avia, constituunt stipitem communem: maritus scil. et uxor, quoties sumuntur uti stipes communis, considerantur in modum unius (1).

2° Non multiplicatur stipes communis juxta numerum stipitum ab invicem descendentium, sed, in computatione, sola attendenda est stipes propinquior (2), excepto casu quo ad altiorem stipitem ascendi potest quin utraque linea (ducta a sponso et a sponsa) simul transeat per eamdem personam (3).

3° Non multiplicatur consanguinitas (saltem in quantum constituit impedimentum matrimonii) ex eo quod ad *eumdem* stipitem communem ascendi potest *pluries*, per diversas scil. vias, sed ex eo tantùm quod multiplicatur stipes (4).

599. applicationes:

Applicationes.

Pro prima hypothesi (n. 595, sub d):

ad 1m hypothesim ;

Sit exemplum sequens:



Bernardus sponsus et Rosa sponsa conveniunt in eumdem stipitem, Petrum et Elisabeth, in 2° gradu tangente primum; conveniunt etiam in stipitem communem Antonium in 3° gradu, idque quin utraque linea ad Antonium ducta transeat per eamdem simul per-

(1) Inde fratres germani non sunt dupliciter consanguinei ex eo quod conveniant in communem patrem et communem matrem; et ita, sub hoc respectu, non fit distinctio inter consanguinitatem plenam et minus plenam, inter fratres scil. germanos ex una parte et fratres consanguineos aut uterinos ex alia parte.

(2) Ita fratres non sunt dicendi consanguinei in 2° et 3° gradu ex eo quod conveniunt in eumdem avum et proavum.

(3) Cf. decr. C. S. O., 11 Martii 1896 et 24 Febr. 1899, apud *Collat. Brug.*, I, p. 376 et IV, p. 422 s.

(4) Suprà, n. 595, d/. — Hucusque censebatur multiplicari consanguinitas toties quoties ad eumdem stipitem ascendi poterat per diversam viam. Cf. *Collat. Brug.*, V, p. 230 s., coll. ll. cc. Et sic, pro casu descripto in schemate subnexo, jam non sunt Bernardus et Martha bis consanguinei, sed *semel* tantùm, cum non habeant nisi unam stipitem communem, Antonium; hucusque vero censebantur *dupliciter* consanguinei, quia duplici diversa via perveniebatur ab utroque sponso ad Antonium, communem stipitem: a Bernardo ascendendo semel per Carolum et Petrum, et semel per Elisabeth et Paulum,

sonam: dum linea ducta a Bernardo transit per Carolum et Petrum, linea ducta a Rosa transit per Elisabeth et Paulum.

Sunt ergo sponsi *dupliciter* consanguinei: semel in 3° gradu aequali et semel in 1° gradu mixto cum 2°.

600. ad 2m hypothesim;

Pro secunda hypothesi, sumamus sponsos quorum respective patres sunt fratres inter se, et matres ad invicem sorores, juxta schema subnexum:



Illicó apparet Paulum et Annam *bis* esse consanguineos in 2° gradu lineae collateralis aequalis, seu eos esse consanguineos in *duplici* gradu 2°; duplicatur nempe stipes communis, duobus gradibus distans a sponsis: conveniunt scil. sponsi in stipitem Petrum et in stipitem Carolum.

601. ad 3m hypothesim;

Pro tertia hypothesi, sit casus quo sponsi communem habent avum et distinctas avias sorores, quas communis avus successive duxit in uxorem, uti ostendit schema:

---

dum a Martha ascenditur per Jacobam. Cf. etiam sub n. 602.
En schema:



Erant nimirum sponsi, juxta schema, *bis* consanguinei in 2° gradu mixto cum tertio; jam nunc non sunt nisi *semel* consanguinei in dicto gradu 2° mixto cum 3^{io}.

Quodsi schema mutatur, ita ut Elisabeth sit uxor Petri avunculi, potius quam uxor Caroli consobrini germani, juxta anteriorem disciplinam Bernardus et Martha essent bis consanguinei: semel in 2° gradu aequali et semel in 2° gradu mixto cum tertio; suppressa autem nunc hac multiplicitate, quaeri potest in quonam gradu servetur consanguinitas et declarari debeat, utrum in 2° gradu aequali, utrum in 2° mixto cum 3^{io}. Dubium solvit *l'Ami du clergé,* 1920, p. 313 ss., in alterum sensum, hic applicans principium: gradus remotior trahit ad se proximiorem. Ex alia parte, certum est quod dispensatio valeret petita super impedimento consanguinitatis in 2° gradu, cum, juxta can. 1052, dispensationis valori non noceat quod aut « in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodò gradus revera existens sit inferior », aut « reticitum fuerit aliud impedimentum ejusdem speciei in aequali vel inferiori gradu ». Cf. infrà, n. 846 et 847.



Sponte innotescit sponsos esse consanguineos in 2° gradu lineae collateralis aequalis, ratione avi communis Petri, et simul in 3° gradu ejusdem lineae, ratione Antonii, proavi communis ex parte aviae respectivae.

602. ad 1m hypothesim conjunctam cum 2a.

Possunt etiam *dictae hypotheses simul conjungi,* uti contingit in specimine sequenti, ubi 1ª hypothesis cum 2ª verificatur:



Attentis principiis, ex sola schematis obvia inspectione liquet:

a/ Paulum et Paulam *duplicitur* esse consanguineos *in* 2° *gradu aequali lineae collateralis: semel* nempe conveniunt in eumdem communem avum Fredericum, Paulus per patrem Titium et Paula per patrem Caium; *semel* etiam conveniunt in communem aviam Fredericam, ascendendo a Paulo per matrem Titiam, a Paula vero per matrem Caiam.

b/ Eos *semel* esse consanguineos *in* 3¹° *gradu aequali* lineae collateralis, ex stipite communi Carolo (1).

Sunt ergo nostri sponsi *tripliciter* consanguinei: bis in 2° gradu aequali et semel in 3° gradu aequali lineae collateralis (2).

(1) Haec consanguinitas in 3° gradu oritur ergo ex consanguinitate quae existebat in 2° gradu inter Titium et Titiam ex una parte et Caium ac Caiam ex alia parte: quae consanguinitas non est ablata per dispensationem quam obtinuerunt in ordine ad respectivum matrimonium. Nam « dispensationis vis, ait FEYE, *De Imp.*, n. 361, non ea est ut tollat consanguinitatem pro futuro, sed ut inter dispensatos id tollat quod Ecclesia constituit, nempe prohibitionem matrimonii », seu existentiam *impedimenti* respectu matrimonii ab ipsis ineundi.

(2) In anteriori disciplina sponsi dicendi essent *dupliciter* consanguinei in 3¹° gradu,

603. Modus conficiendi arborem genealogicam.

Nota 1. Ad detegendum utrum sponsi sint consanguinei, conficiatur utriusque *arbor genealogica,* describendo utriusque ascendentes usque ad proavos et proavias: si in utraque serie, quatuordecim personas utrimque continente, eadem persona occurrit, signum est quod inter sponsos consanguinitas existat; quae consanguinitas tunc, sive multiplex sive simplex, determinetur juxta regulas propositas.

Quaenam inseranda in libello supplici.

2. Ad valorem dispensationis indicanda sunt, juxta stylum Curiae, gradus et linea, ac addendum est utrum consanguinitas sit multiplex, quotuplex existat et in quonam gradu. Inter ea enim quae, juxta Instructionem C. de Prop. F. 9 Maii 1877, « in litteris supplicibus pro dispensatione obtinenda, de jure vel consuetudine aut stylo Curiae exprimenda sunt ita ut si, etiam ignoranter, taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur », occurrit, sub n. 5: « *Numerus impedimentorum,* v. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas... ». *Collect.,* n. 1482; cf. infrà, n. 847.

Attamen, juxta canonem 1052, « dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera existens sit inferior (1), aut licet reticitum fuerit impedimentum ejusdem speciei in aequali vel inferiore gradu » (2). Cf. infrà, n. 847.

Caeterum, ad praecavendos errores, providè monentur parochi, in dioecesi Brugensi, ut, saltem in casibus intricatis, in petendis dispensationibus in consanguinitate et affinitate, a parocho ad Officialem mittatur arbor genealogica *completa,* expressis nempe nominibus et praenominibus omnium ascendentium (3): si forte nupturientes, quin sciant, multiplici sint impedimento obnoxii. Cf. infrà, n. 846.

III. Jus vigens.

Viget impedimentum jure ecclesiastico dirimens matrimonium inter consanguineos, in linea recta in indefinitum, ac, in linea collaterali, usque ad 3^{m} gradum inclusive, juxta computum canonicum; irritatur autem matrimonium etiam jure naturali in 1° gradu lineae

---

quia a sponso et sponsa ad stipitem communem Carolum ascendi potest per duplicem viam distinctam, quin transeatur per eamdem simul personam: nimirum a Paulo, per patrem Titium et avum Fredericum, a Paula vero, per matrem Caiam et aviam Fredericam; a Paulo, per matrem Titiam et aviam Fredericam, a Paula vero, per patrem Caium et avum Fredericum. Cf. *Collat. Brug.,* V, p. 231 ss.

(1) Ita si postulatur dispensatio super consanguinitate in 2° gradu, et sponsi sunt reipsa consanguinei in 3^{io} gradu vel in 2° mixto cum 3^{io}: valeret dispensatio.

(2) Ita, in supposito quod sponsi sunt consanguinei bis in 2° gradu, vel bis in 3^{io}, vel semel in 2° gradu et semel in 3^{io}, si postulatur vel conceditur dispensatio super consanguinitate n 2° gradu non multiplici, valet dispensatio.

(3) Sufficit profectò ascendentes referre usque ad tertiam generationem inclusive.

rectae, imo probabiliter in tota linea recta, necnon in 1° gradu aequali lineae transversae.

Multiplicatur autem impedimentum in quantum multiplicatur consanguinitas juxta normam modò propositam.

Explicatio.

A. **Disciplina juris canonici.**

604. Consanguinitas, ex jure ecclesiastico, dirimit matrimonium usque ad 3m gradum lineae collateralis,

1° *In linea collaterali* dirimitur matrimonium, in Ecclesia Latina (1), *usque ad tertium gradum inclusive,* ad hosce limites reducto impedimento in canone 1076, § 2. Ante novum Codicem, extendebatur ad 4m usque gradum, juxta statutum latum ab Innocentio III, in Concilio Lateranensi IV (1215), can. 8, X, IV, 14: « Prohibitio copulae conjugalis *quartum* consanguinitatis et affinitatis *gradum de caetero non excedat:* quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari » (2).

Quam limitationem usque ad 3m gradum ita intellige ut, in linea collaterali inaequali, desinat impedimentum statim ac ab alterutra parte 3s gradus excedatur (3); unde vulgatum adagium: *gradus remotior trahit ad se proximiorem.*

Notetur etiam impedimentum consanguinitatis pari modo et intra eosdem limites existere in consanguinitate illegitima quam in consanguinitate legitima. Non attenditur etiam, in ordine ad impedimentum, distinctio, de qua suprà, n. 595, inter plenam et minus plenam consanguinitatem.

2° De norma secundum quam determinatur *multiplicitas* impedimenti, dictum est suprà.

605. et in omni gradu lineae rectae,

3° *In linea recta* matrimonium irritari *in omni gradu,* expressis verbis statuit citatus canon 1076, § 1. Quod caeteroquin jam aperte docebat Nicolaus I, ad Bulgaros rescribens (anno 866): « Inter eas personas quae parentum liberorumque locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et

(1) Ecclesia *Graeca,* quam vidimus sequi antiquum computum Romanum, conservavit etiam impedimenti extensionem, qualis viguit olim etiam in Ecclesia Occidentali, usque ad 7m scil. gradum juris Romani, et quidem ita ut hinc inde in 7° gradu agnoscatur impedimentum impediens dumtaxat. Cf. ZHISHMAN, o. c., p. 299 ss. collatis dicendis sub n. 611.

(2) Curiosam addit Innocentius rationem congruentiae in favorem gradus *quarti:* « Quaternarius numerus benè congruit prohibitioni conjugii corporalis... quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis ».

(3) Ita Gregorius IX, c. 9, X, IV, 14: « Vir qui a stipite 4° gradu, et mulier quae ex alio latere distat 5°, secundum regulam approbatam: *quoto gradu remotior differt a stipite, et a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem,* licitè possunt matrimonialiter copulari ». De quo cf. ESMEIN, o. c., I, p. 352 s. Hoc principium non valet apud Orientales, uti notat ZHISHMAN, o. c., p. 241.

neptem, inter matrem et filium, vel aviam et nepotem, *et sic usque ad infinitum* » (1).

606. *varias ob rationes;*

4° *Rationes legis* irritantis sunt plures. Nimirum ad impedimentum consanguinitatis inducendum movent a/ reverentia consanguineis debita, cui contrariatur usus matrimonii (2); b/ puritas morum, quatenus, attenta necessitate pro consanguineis ut ad invicem conversentur, debent a matrimonio arceri ne « nimia opportunitas daretur hominibus venereae commixtionis, et sic animi hominum nimis emollescerent per luxuriam » (3); c/ necessitas multiplicandi amicos (4); d/ necessitas moderandi ardorem amoris, quatenus, juxta dictum Aristotelis, « cum naturaliter homo consanguineam diligat, si adderetur amor qui est ex commixtione venerea, fiet nimius ardor amoris, et maximum libidinis incentivum » (5); tandem e/ periculum defectuosae prolis ex conjunctione carnali inter cognatos nascendae (6).

---

(1) Neque dicatur restrictionem esse factam ab Innocentio III, l. c., intra 4^{m} gradum: moderatio namque inducta a laudato Pontifice spectat unicè lineam *collateralem,* uti haud obscurè eruitur ex ipsa ratione addita, cum practicae difficultates, ob quas vitandas nimiam impedimenti extensionem reducere voluit, nequeant afficere lineam rectam. Caeteroquin parùm ad praxim.

(2) Est prima ratio adducta a S. THOMA, 2^{a}-2^{ae}, qu. 154, art. 9: « Naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahunt;... manifestum est autem... quod in actibus venereis maxime consistit aliqua turpitudo honorificentiae contraria, unde de his verecundantur homines ». Cf. *Lev.*, XVIII, 6 ss. Etiam seposito matrimonii usu, laeditur reverentia debita per matrimonium inter consanguineos lineae rectae ineundum, quatenus per illud destruatur subordinatio descendentium debita ascendentibus; quod magis adhuc apparet in connubio inter matrem et filium quam inter patrem et filiam, cum vir sit caput mulieris.

(3) *Ibidem.*

(4) *Ibidem,* ubi S. Thomas, provocans ad auctoritatem S. Augustini, arguit: « Dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui ». Cf. cap. unic., C. XXXV, qu. 1, ubi refertur testimonium S. Augustini (*De civit. Dei,* l. XV, c. 16): « Copulatio ergo maris et feminae... quoddam seminarium est charitatis ».

(5) *Ibidem.*

(6) Fatendum est hoc periculum fuisse exaggeratum nonnunquam, praesertim apud antiquiores auctores, quippe qui solebant ab illicitis, etiam ex alio capite, nuptiis avertere, metu incusso ab infaustis sequelis in prolibus, et sic suprà, n. 227, textus adduximus copulam die dominica peractam dissuadentes ex eo quod « exinde aut contracti, aut epileptici, aut leprosi nascuntur ». Cf. hic STIEGLER, o. c., p. 260, ubi varii textus afferuntur ex tempore medii aevi, quatenus ex matrimoniis inter consanguineos nascantur « caeci, claudi, gibbi, lippi sive aliis turpibus maculis aspersi », et porro.

Ex alia parte non videtur negandum humanae selectioni favere matrimonia extra cognationem inita, quemadmodum ex analogia cum animalibus innotescit. Medici etiam passim reprobant nuptias inter consanguineos, praesertim intra proximiores gradus, et ad hoc provocant ad statisticas medicales, cautè tamen et prudenter consulendas. Ita citatur apud GASPARRI, o. c., I, n. 673, testimonium D^{ris} Boudin, juxta quem « la proportion des sourds-muets de naissance croit avec le degré de consanguinité des parents. Si l'on représente par 1 le danger de procréer un enfant sourd-muet dans un mariage ordinaire, ce danger est représenté par 18 dans les mariages entre cousins-germains, 37 dans les mariages entre neveux et tantes ». Quae proportio adhuc valde major est in censu quem, juxta medicos Americanos, proponit Episc. Metensis, in Congr. Prosynod. anni 1908 (*Rev. eccl. de Metz,* 1908, p. 329 s.), ubi multùm insurgit contra matrimonia inter cognatos et ab illis avertendos urget fideles, invocando infaustas sequelas, utpote quae magis percellunt animos. En censum: « 48,8 % des enfants sont malades ou difformes, s'il s'agit de mariages entre parents du 3^{e} degré;

B. **Dispositiones juris naturae** (1).

607

ex jure naturae irritat probabiliter in omni gradu lineae rectae,

1° Quoad *lineam rectam:* quod jure naturae irritetur matrimonium *intra 1^m gradum,* inter parentes scil. eorumque proles, vix negetur. Et sanè rationes modò adductae hîc potissimum urgent, notatim prima et secunda, quatenus, si liceret tale matrimonium, tam in actu quam in usu, gravissimè laederetur lex reverentiae ac subordinationis a filiis debitae parentibus, ac maximè periculosa redderetur necessaria, et ab ipso jure naturae imposita, cohabitatio parentum cum prolibus: inefficax autem foret mera prohibitio absque clausula irritante (2).

Ultra primum gradum, utrum jure naturae *dirimantur* nuptiae, *disputatur,* sed uti probabilior sustinetur sententia affirmans, quatenus scil. indistinctim ad omnes gradus, utique practicè possibiles (3), lineae rectae, extendatur lex naturae irritans (4). Certum est hujusmodi matrimonium jure naturae *prohiberi* (5).

et probabiliter in 1° gradu lineae collateralis.

2° Quoad *lineam collateralem:* impedimentum jure naturae dirimens matrimonium certò non extenditur ad secundum gradum, etiam mixtum cum primo, quemadmodum docet Innocentius III, c. 8, X,

---

65,2 %, s'il s'agit de mariages entre cousins-germains; 81,1 %, s'il s'agit de mariages entre oncle et nièce, ou entre neveu et tante; 96 %, si la parenté était double ». Explicatio physiologica quorumdam phenomenorum unioni inter consanguineos minus faventium, forsitan est in hoc quod in conjunctione duorum individuorum ad eamdem familiam pertinentium crescant et augeantur defectus corporales (les tares de famille), qui in singulis passim familiis observantur vel latenter existunt, et sic adaucti et ingravati transmittantur prolibus, dum in unione individuorum alienorum facilius neutralizentur hujusmodi defectuosae dispositiones. Ita nimia nervositas unius partis per placidius compartis temperamentum corrigitur. In hunc sensum admitti posset dictum Doctoris TREUB, *Verspreide Opstellen,* p. 101 s., quod nempe « huwelijken tusschen *volkomen gezonde* bloedverwanten geen schade doen », collatis in eumdem sensum peritorum testimoniis apud VLAMING[2], n. 336. Idem docet PAYEN, o. c., n. 272. Cfr. etiam *Die Ehe,* 8^e Aufl., 1905, p. 79; D^r LEFEBVRE, *Rev. des questions scientifiques,* 1877; DE HAERNE, *Mariages consanguins et surdimutité,* Louvain, 1877; necnon Litteras Pro-Datarii, 19 Junii 1895, apud *Collat. Brug.,* t. I, p. 30 s.; item D^r OTTO ZACCHARIAS, in praefatione ad opellam DARWIN: *Die Ehe zwischen Geschwisterkindern und ihre Folgen* (translatio facta a D^re Van de Velde), Leipzig, 1876.

(1) Circa falsos conceptus, sub medio aevo hinc inde sparsos, circa jus naturae ejusque extensionem, in specie in hac materia, cf. suprà, in fine n. 299, in nota.

(2) Quod et quousque apud gentes primaevas et barbaras observata fuerit nativa repugnantia contra sexuales conjunctiones inter proximos, indicato illius fundamento, expositum videsis apud WESTERMARCK, o. c., ch. XII, XV et XVI, coll. HOWARD, o. c., I, p. 125-132; *ibidem* in utroque loco, agitur de quaestione connexa exogamiae et endogamiae.

(3) Ita non est recurrendum ad hujusmodi hypotheses qualis est de Adamo redivivo, cui, juxta severiorem sententiam, omne matrimonium esset interdicendum, sub poena nullitatis, cum omnes mulieres ab ipso descendant in linea recta.

(4) Favet sententiae rigidiori vel ipsa varietas sententiarum aliter opinantium, quippe quarum una restringit irritationem juris naturalis ad 1^m gradum, altera extendit ad 4^m, et ita porro. Caeteroquin valent, proportione servata, argumenta inducta in favorem irritationis matrimonii in primo gradu lineae rectae; solet enim tanta familiaritas foveri et tam intima conversatio inter avos et nepotes ut vix non aequet intimam societatem parentum ad filios et filias; in gradibus autem ulterioribus jam non est locus vel vix erit locus matrimonio. Favet etiam tenor can. 1043, de quo in nota 2^a pag. sequ. — Circa modum agendi cum infidelibus conversis, qui reperiuntur matrimonio juncti, ultra primum gradum lineae rectae, cf. mox infrà, n. 608.

(5) Cf. can 1076, § 3, juxta quem nunquam permitti potest matrimonium, quousque dubium subsistat de consanguinitate in linea recta.

IV, 19, ubi valida declarat matrimonia ab infidelibus inita in 2° gradu (1); datur tamen, quod spectat proximiores gradus, si non stricta illiceitas coram jure naturae, saltem gravis quaedam indecentia naturalis. In *primo* gradu, certum est matrimonium a jure naturae stricte *prohiberi,* uti rursus innuit Can. 1076, § 3; utrum autem jure naturae *irretetur,* non constat: *probabilius* autem affirmatur, attentis legis naturalis principiis, saltem secundariis (2); non desunt tamen Auctores qui nullitatem matrimonii, in casu, uti certam habent coram jure naturali (3), dum alii inclinant in hoc ut negent irritationem ex jure naturali, et potius favent irritationi ex jure divino *positivo* (4).

608. Quousque huic impedimento subjiciantur infideles ;

Corollarium I. *Infideles* non subsunt irritanti impedimento consanguinitatis *in linea collaterali, ultra primum gradum,* nisi *indirecte* tantùm, duplici scil. ratione, juxta principia posita suprà, n. 438[bis], sub 2° et 3° (respectu scil. matrimonii cum parte fideli ineundi, necnon respectu matrimonii post propriam conversionem contrahendi); *directè* autem subsunt impedimento dirimenti consanguinitatis *in linea recta,* certò intra 1[m] gradum, et probabiliter etiam ultrà in tota linea, necnon probabilius *in linea collaterali* intra primum gradum.

Si ergo infideles converti exoptantes reperiantur sub utriusque infidelitate matrimonialiter conjuncti *in linea collaterali,* in 2° vel 3°, vel etiam 2° gradu mixto cum 1°, matrimonium est habendum uti validum, modò non sit irritum ex lege civili nec aliunde vitio laboret substantiali; unde separari non possent, nisi vinculum solveretur vi privilegii Paulini vel ex dispensatione Pontificia.

Quodsi inveniantur nuptialiter copulati in *primo gradu lineae*

(1) Cf. etiam *Conc. Trid.,* Sess. XXIV, can. 3.

(2) Contra matrimonia inter fratrem et sororem urgent vix non eadem argumenta invocata contra matrimonia in primo gradu lineae rectae. Conversatio enim tam intima et adeo familiaris societas ab ipso jure naturali postulatur inter illos ut exigatur excludi vel ideam matrimonii. Accedit argumentum negativum deductum ex c. 8, X, IV, 19, in quo Innocentius III, admittendo valorem matrimonii infidelium inde a 2° gradu inclusive, innuere videtur illud esse nullum in 1° gradu. Favet etiam quod, in tenore can. 1043, a facultate dispensandi super impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus, non memoretur exceptio consanguinitatis in lineae collateralis primo gradu, sicut nec consanguinitatis in linea recta universim, licet utraque consanguinitas reipsa sit excipienda. Cf. n. 609. Notetur autem quod lex illa naturalis, in quantum viguerit, non comprehenderit, attenta absoluta necessitate propagationis humanae, filios et filias protoparentum, ad modum quo lex furtum prohibens non comprehendit casum extremae necessitatis. Cf. WERNZ, o. c., n. 411; CATHREIN, *Moralphilos.,* II, p. 409. Caeterum si, uti nobis videtur, matrimonium inter fratrem et sororem laedit secundaria tantùm principia juris naturalis, locus est dispensationi divinae, juxta dicta suprà, n. 297 s.

(3) Ita WERNZ-VIDAL, n. 348 (coll. n. 353), ubi, in nota 63 et nota 62, arguit contra aliter sentientes; CAPPELLO, o. c., n. 519, habet hanc sententiam uti ferè certam. Cf. etiam hic GASPARRI, o. c., n. 680; *Anal. eccl.,* 1903, p. 188 ss.; *N. R. th.,* t. XIV, p. 513 ss., et t. XXXV, p. 523 ss.

(4) Cf. hîc GASPARRI, o. c., I, n. 678, qui favet irritationi deductae ex jure divino *positivo,* in hoc, inter alia, nitens quod sic facilius explicatur dispensatio a Deo concessa cum filiis Adami. Cf. etiam VLAMING, o. c., n. 339. Contra quam sententiam arguit WERNZ-VIDAL, o. c., n. 348, nota (60); eam etiam excludit CAPPELLO, o. c., n.

rectae, tractandi sunt quasi certò nulliter juncti, seposita etiam legis civiliter irritantis hypothesi. Si vero contraxerint *intra 1^m gradum lineae collateralis* aequalis, matrimonium theoreticè esset habendum, juxta modò dicta sub n. 607, uti *dubiè validum* (1): quo posito dubio, vel posset matrimonium declarari nullum, dubio soluto in favorem fidei, applicando principium canonis 1127 (2), vel stari posset, ad normam can. 1014, valori actus; attento autem gravissimo scandalo ex maritali consortio inter fratrem et sororem vix vitando, necnon attenta graviori indecentia, non essent dicti infideles conversi in conjugali consortio relinquendi, nec a fortiori retinendi. Opportuna solutio foret *in recursu ad S. Sedem* quae, praeter applicationem can. 1127, jus habet et potestatem dissolvendi matrimonium in infidelitate contractum et post utriusque conjugis baptismum non consummatum (3). Quod tandem spectat matrimonia ab infidelibus forte contracta inter consanguineos *lineae rectae, ultra 1^m gradum,* vix non eadem solutio esset suadenda.

et super illo ab Ecclesia dispensetur.

Corollarium II. Ecclesia potest *dispensare* et de facto dispensat in linea collaterali ultra primum gradum (4). Intrà 1^m gradum lineae collateralis, et in lineae rectae quocumque gradu, nunquam omninò dispensat (5), nequidem in dubio facti, quando nempe dubitatur utrum sponsus sit pater (6) vel frater (naturalis) sponsae (7); juxta quam praxim Ecclesiae restringendae sunt, uti jam notavimus, amplissimae facultates, quibus potestas conceditur, uti in canonibus 1043-1045, dispensandi super omnibus impedimentis jure ecclesiastico dirimentibus.

519, cum hujusmodi legis positivae nullum detur vestigium; aliter etiam explicari posse videmus dispensationis concessionem.

(1) Supponitur, in casu, jus civile non statuisse, in dictis gradibus, impedimentum dirimens.

(2) Cf. suprà, n. 355.

(3) S. Sedes non permittet cohabitationem maritalem, sed separationem imponet, juxta mentem C. S. O. et S. C. de P. Fide, quam sibi notam affirmat CAPPELLO, o. c., n. 522.

(4) Haud difficilem sese ostendit S. Sedes in dispensando super 2° gradu: in quo multùm temperavit rigorem Concilii Trid., Sess. XXIV, cap. 5, *De Ref. Matr.,* statuentis ut « in 2° gradu nunquam dispensetur nisi inter magnos principes et ob publicam causam ». Quinimò non rarò dispensatur in 2° gradu tangente 1^m, et ad hunc gradum etiam sese extendunt facultates anni 1888; de hujus tamen dispensationis frequentia questa est S. Sedes, in citatis Litteris Pro-Datarii anni 1895, et conscientiam Episcoporum onerandam voluit, ut sedulo invigilent veritati causae canonicae, utque, « litteris, manu propria exaratis, rationes in quolibet casu explicent, necnon circumstantias quibus putent gratias esse concedendas ».

(5) Cf. can. 1076, § 3. — Ita olim constanter repulsae sunt preces Henrici VIII, sollicitantis matrimonium permitti inter filium suum illegitimum et filiam legitimam; exempla autem in contrarium adducta non videntur veritate niti. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 348, in nota 63.

(6) Ita si vir copulam habuerit cum matre sponsae quodque copula praecesserit hujus sponsae nativitatem. Cf. infrà, n. 622 et 633 coll. dubio soluto coram Pont. Com. Cod., 2-3 Junii 1918, ad 5^m, apud A. A. S. X, p. 346.

(7) Can. 1076, § 3; decr. C. S. O., diei 6 Apr. 1906, apud *Collat. Brug.,* t. XII, p. 777 s Cf. etiam suprà, n. 472; item Causam *Varmien.,* 14 Junii 1884, apud *A. A. S.,* XVII, p. 178 ss.

Scholion I. *Consanguinitatis* **probatio.**

609. Consanguinitatis probatio.

Ad dissolvendum, seu potius nullum declarandum, matrimonium *contractum* ex capite consanguinitatis, requiritur probatio *plena;* ubi vero agitur de matrimonio *contrahendo,* sufficit, ad hoc ut matrimonium interdicatur, probatio *semiplena,* vel et dubium serium de existentia consanguinitatis impedimenti, adeo ut matrimonium, salva dispensatione, non permittatur quousque dubium subsistit.

Plena probatio consanguinitatis *legitimae* eruitur ex registris paroecialibus, adhibito arboris genealogicae subsidio, ad normam dictorum sub n. 603; quod autem spectat consanguinitatem *illegitimam,* recurrendum est ad testimonium, quod, emanans a duobus testibus fide dignis, signanter consanguineis vel affinibus, inducere potest probationem plenam (1).

Scholion II. Mutationes inductae.

Mutationes a Codice inductae.

Praeter moderationem introductam ad normam pro determinanda impedimenti multiplicitatem (n. 598 ss.), ad hoc reducitur mutatio per novum Codicem facta ut, dum antea extenderetur consanguinitatis impedimentum in linea collaterali usque ad 4^{m} inclusive gradum, jam non extendatur nisi *ad 3^{m} gradum* inclusive.

610. Poenalitates.

Scholion III. Poenae quae olim urgebantur contra matrimonium in gradibus prohibitis inire praesumentes sunt abrogatae, cum de illis jam nulla mentio occurrat in Codice. Cf. can. 6, n. 5 (2).

Huc vero spectat poena lata contra incestuosos, in can. 2357, quatenus « ipso facto infames sint » (praeter poenas quas Ordinarius infligendas judicaverit), quodque « excludantur ab actibus legitimis ecclesiasticis, donec signa verae resipiscentiae dederint »; et haec sola poena est in jure statuta.

Scholion IV. Evolutio historica.

611. Evolutio historica.

In *Lege Mosaica, Lev.,* XVIII, v. 6, statuitur: « Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus »; et infrà, vv. 7-20, determinantur gradus in quibus matrimonium est interdictum, notatim inter parentes et filios, avos seu avias et neptes seu nepotes, inter fratres et sorores, inter materteram aut amitam et nepotem (3), non autem, ut videtur, inter neptam et avunculum.

---

(1) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 357.

(2) Antiquitus existebat sic dictum impedimentum prohibens *incestus* (cf. suprà, n. 476), seu prohibitio lata contra matrimonium attentantes cum propria consanguinea, ne scil. deinceps cum *quacumque* persona nubere possent. Mansit autem diu vestigium hujusmodi prohibitionis in clausula olim in rescriptis dispensationis in ordine ad matrimonium contractum convalidandum occurrente, et dictis personis nuptias vetante, inconsulta S. Sede, post conjugis mortem ineundas. Cf. etiam suprà, n. 233. Ante novum Codicem adhuc manere videbatur poena in Conc. Trid., Sess. XXIV, c. 5, *De Ref. Matr.,* statuta, quatenus « si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumpserit, separetur et spe dispensationis consequendae careat », i. e., juxta posteriorem disciplinam, dispensationis gratiam difficilius consequatur.

(3) Praeceptum *Num.,* c. XXXVI, 7 ss., viris factum ducendi uxores et vicissim mulieribus nubendi intra cognationem, videtur intelligendum ad exclusionem proximioris

In *Jure Romano* antiquo, matrimonia interdicta erant in linea recta in indefinitum (1), in linea vero collaterali, usque ad 3^{m} gradum inclusive, juxta computum Romanum: inter fratrem scil. et sororem, inter avunculum seu patruum et neptem, inter materteram seu amitam et nepotem (2). Postea etiam accessit prohibitio matrimonii inter consobrinos germanos, quae prohibitio deinceps est ablata (3).

In *Jure canonico,* inde a saeculo 6°, interdicuntur nuptiae usque ad 6^{m} inclusive gradum de computu Romano, adeoque etiam inter filios et filias consobrinorum, i. e. inter sobrinos, uti dicebantur, seu sobrino propiores; brevi autem post in pluribus textibus extensa reperitur interdictio usque ad 7^{m} gradum. Ita nempe videtur jus esse evolutum: semel admisso principio generali, juxta *Lev.,* XVIII, 6, de vitandis connubiis inter cognatos (4), sponte sua extensum est impedimentum consanguinitatis quousque cognatio pertingebat; in Jure autem Romano, sub quo Ecclesia tunc vivebat, cognati seu consanguinei admittebantur in successionem usque ad 6^{m} gradum, et partim etiam in 7°. Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 339-341.

Postea, saeculo 8° vel 9°, admisit Ecclesia Latina (5) *computum germanicum* (6), juxta quem vidimus (n. 597) numerari gradus, in linea collaterali, ex una tantùm parte, illumque computandi modum hucusque servavit. Post aliquot autem tergiversationes consuetudine inducta est proscriptio matrimonii, juxta descriptum computum, usque ad 7^{m} inclusive gradum: sive quatenus extensionem usque ad 7^{m} gradum juris Romani servaverit in nova computatione, sive quatenus jus germanicum cognationis ex integro adoptaverit, et juxta hujus computum impedimentum agnoverit quousque Germani extendebant cognationem et legalem sucessionem (7): haec autem attingebat etiam 7^{m} gradum (Lex Longob., II, 14, 1; Lex Visig., IV, 2, 11) (8).

---

cognationis, ac spectat unicè filias paternorum bonorum haeredes. Cf. interpretes S. Scripturae ad h. l.

(1) L. 53, D, *De Ritu Nupt.,* XVIII, 2.

(2) Cf. ESMEIN, o. c., I, p. 337, ubi addit pariter exstitisse impedimentum « entre grand'oncle et petite-nièce, entre grand'tante et petit-neveu ». Cf. L. 17, D, *De Rit. Nupt.,* XXIII, 2.

(3) L. 19, C, *De Nupt.,* V, 4.

(4) Prius determinaverat jus canonicum personas *individuatim,* inter quas prohibebat nuptias; postea urgetur *principium de prohibitis nuptiis inter cognatos,* et sic in synodo Wormatensi (868), can. 32, insistitur in generali proscriptione, « usque dum generatio recordatur, cognoscitur aut in memoria tenetur ». HÉFELÉ-DULARC, o. c., t. IV, p. 590; cf. *ibidem,* t. IV, p. 245, can. 9 Synodi Romanae, anno 721; necnon, apud WERNZ-VIDAL, o. c., n. 346 (p. 405), can. 5 Concilii Toletani II (527 vel 531).

(5) Ecclesia Graeca, uti suprà notavimus, retinuit computum Romanum, quem prius adoptaverat jus canonicum, cum limitatione impedimenti ad 6^{m} vel 7^{m} gradum. Cf. n. 597 et 604.

(6) En quomodo procedebant Germani in sua computatione graduum: « Comme les hommes primitifs ont pris pour base de leurs calculs rudimentaires les doigts de la main, les peuplades germaniques, dans le calcul de la parenté, ont pris pour point de repaire les articulations de la parti supérieure du corps humain. A chaque articulation correspondait un degré de parenté, et c'est là ce que désignent les *Leges,* lorsqu'elles comptent par *genu* ou *geniculum.* La tête avec le cou représentaient l'auteur commun; les épaules figuraient ceux qui étaient issus de lui, ses enfants frères entr' eux formant le 1^{r} degré, parce qu'ils représentaient la 1re génération; on passait ensuite aux coudes représentant la génération suivante et le 2^{d} degré, puis aux poignets, puis, successivement, à chacune des articulations d'un des doigts de la main, autres que le pouce. Là se terminait la parenté ». ESMEIN, o. c., I, p. 344 s., coll. LEFEBVRE, o. c., p. 320. Hanc computandi methodum Alex. II (1063) jam ut antiquitus admissam proponit in c. 2, C. XXXV, 5.

(7) Germani profectò non eousque extendebant consanguinitatis *impedimentum.*

(8) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 346 nota 44; HIRSCHBERG, o. c., p. 29 ss.

Equidem mansit in jure canonico aliqua incertitudo, aliis admittentibus 7^m^ gradum pro extremo limite, aliis 6^m^ (1); sed praevaluit tamen 7^s^ gradus (2); unde ipso facto deducebatur impedimentum consanguinitatis usque ad 13^m^ et 14^m^ gradum coram computu Romano (3). Disputari autem potest utrum et quousque in variis locis exstiterit impedimentum *uti dirimens,* praesertim quod spectat septimum gradum (4).

Circa moderationem inductam a Concilio Lateran. IV, v. suprà (5).

Scholion V. Legislatio nostra civilis.

612. Jus civile.

A. 161: « En ligne *directe* le mariage est prohibé entre *tous* les ascendants et descendants légitimes ou naturels » (6); a. 162: « En ligne

(1) Illa incertitudo provenit vel ex eo quod, in jure Romano, aliqua nutatio fuit quoad determinationem et extensionem legis successoriae, partim excludentis et partim includentis septimum gradum; unde diversitas in extensione impedimenti consanguinitatis coram jure canonico, quando adhuc in usu erat computus Romanus, et deinceps quando inductus est computus Germanicus; vel ex eo quod quidam Auctores, teste c. 2, C. XXXV, qu. 5, § 9, incipiebant genealogiam numerare inde a consobrinis germanis, sumendo fratres pro eodem stipite cum parentibus; cf. etiam can. 11 Synodi celebratae, anno 1022, in Selingenstadt, apud *Concilia Germaniae,* III, p. 56. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 346, nota 27; VON KESSLER, o. c., p. 39 ss., ubi docetur hanc graduum computationem quondam in usu fuisse apud Germanos, et sic triplex aliquando existit computus: romanus scil., germanicus et canonicus.

(2) Cf. cc. 16 et 17, C. XXXV, q. 2; et c. 2, C. XXXV, q. 5, § 4, ubi Alex. II (1063), provocans ad antiquum morem universalis Ecclesiae per longa tempora, ita loquitur: « Fratres itaque qui secundum leges saeculares dicuntur in 2° gradu, juxta canones numerantur in 1°. Filii fratrum, qui illic numerantur in 4°, hic computantur in 2°... Atque hoc modo de reliquis sciendum est, ut qui secundum canones dicuntur in 6° vel in 7°, secundum leges accipiantur in 12° vel 14°... Non terminatur consanguinitas in hujusmodi 6° gradu, et terminatur in 7° secundum canones gradu ». Cf. etiam decr. Paschalis II (1101-1103), cujus decreti tenorem et interpretationem exhibet SÄGMÜLLER, apud *Theol. Quartalschr.,* 1913, p. 56 ss.; item cf. STRAKE, o. c., p. 210, ubi notatur a Gulielmo Altissiodorensi declarari consanguinitatis impedimentum fuisse abrogatum (a Concilio Lateranensi) inter 4^m^ et 7^m^ gradum. Alios textus videsis apud BRYS, o. c., p. 141 s., 176 et 181. Cf. etiam STIEGLER, o. c., p. 294 s., ubi computat respectu quot numero personarum exstiterit tunc temporis consanguinitatis impedimentum.

Inter alios BURCHARDUS WORMACIENSIS conatus est impedimentum urgere ad 7^m^ gradum usque. Ita in *Decreto,* l. VII, c. 9, in textu assumpto ex epistola Rabani Mauri, mutavit « *sextam* generationem » in *septimam;* c. 10, ubi refert c. 29 *Poenit. Marteniani* (WASSERSCHLEBEN, o. c., p. 288 ss.), in quo extenditur consanguinitas ad *sextum* gradum, textum adulterat in quo exponitur modus computandi gradus, quatenus, secus ac in Poenitentiali, ponat fratrem et sororem pro ipso trunco, juxta dicta in nota praecedente. MIGNE, P. L., t. CXL, col. 781, coll. FOURNIER, *Etudes critiques sur le Décret de Burchard de Worms,* Paris, 1910, p. 138 et 54.

(3) GASPARRI, o. c., I, n. 677, ubi conatur ostendere tantum impedimenti ambitum aptatum fuisse conditioni illius temporis.

(4) BURCHARDUS, *Decretum,* l. VII, c. 11 (MIGNE, l. c.), urget vim irritativam usque ad 7^m^ gradum, addendo textui originali, in quo prohibetur matrimonium intra septimam generationem: « quod si fecerint, separentur ». Cf. FOURNIER, l. c., p. 139; cf. etiam STEPHANUM LANGTON, apud *Recherches de science rel.,* 1913, p. 259.

(5) Circa conamina et vota facta ad strictius limitandum impedimenti ambitum, tum in Conc. Trid., tum coram Conc. Vaticano, cf. ESMEIN, o. c., II, p. 258 ss.; VILLIEN, *Les Réformes du droit canonique et les postulata du concile du Vatican* (*Canon. Contemp.,* 1906), p. 67 ss. et 209 ss.; *Collect. Lacen.,* VII, col. 784, 842, 873 et 880 s. Noluit autem C. S. O., anno 1865, ad hoc sollicitata, abrogare, pro missionibus Indicis, 3^m^ et 4^m^ gradum consanguinitatis et affinitatis (decr. 14 Dec. 1865, apud *Collectan.,* n. 1241); quam abrogationem, per 30 annos valituram, anno 1897 concessit Leo XIII, in Litt. apost. *Trans Oceanum* (18 Apr.), in gratiam Indorum et Nigritarum Americae Latinae, eademque abrogatio extensa fuit, 1 Jan. 1910, ad insulas Philippinas. *N. R. th.,* XXIX, p. 408 ss. et *A. A. S.,* II, p. 275 et 276. Circa moderationis inducendae opportunitatem, cf. *Archiv. f. k. Kirchenr.,* 1910, p. 323 ss., ubi, inter alia, provocatur ad ingentem numerum matrimoniorum, in 3 et 4 gradu initorum, tam praevia obtenta dispensatione quam ea, ob impedimenti ignorantiam, neglecta; notabat autem, p. 327, ipsa redactio, cui praeerat D^r^ Helner, S. Rotae Auditor, brevi abrogandum esse certo 4^m^ gradum, in linea collaterali, et forsan etiam 3^m^.

(6) Consanguinitas naturalis debet esse, ut videtur, *legaliter agnita.* Cf. PLANIOL,

collatérale le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels »; a. 163: « Le mariage est encore prohibé entre l'oncle et la nièce, la tante et le neveu », ubi restringitur dispositio ad solos consanguineos *legitimos*. Quae prohibitio lata sub art. 163, vi decisionis imper. 7 Maii 1808, cui conformis existit jurisprudentia, extenditur ad matrimonium « entre un grand'oncle et sa petite nièce, et par analogie entre la grand'tante et le petit-neveu » (1): unde apparet jus nostrum civile planè convenire cum primitivo jure Romano (2).

Articulus 7^s^. **De Impedimento Affinitatis.**

I. Notiones.

613. Affinitatis notio ;

1° **Affinitas** (3) (aanverwantschap, aanhuwelijking, zwagerschap), in praesenti disciplina canonica, intelligitur propinquitas existens inter duas personas orta *ex matrimonio valido,* sive rato tantum sive rato et consummato (can. 97, § 1), et vigens inter unam personam et consanguineos compartis (can. 97, § 2).

fundamentum ;

Fundamentum igitur affinitatis est *matrimonium,* quemadmodum in Jure Romano et in jure nostro civili ac antiquitus etiam in jure canonico; nec jam est copula, quemadmodum erat in disciplina ante Codicem vigente; et sic oritur affinitas ex matrimonio rato non consummato, non secus ac ex matrimmonio rato et consummato.

Non sufficit autem, ad affinitatis vinculum inducendum, *qualecumque* matrimonium; debet esse a/ *validum,* adeo ut ex matrimonio invalido non exsurgat affinitas, sed publica honestas (4), uti infrà dicetur; debet esse, ut videtur, b/ matrimonium *ratum,* initum

---

o. c., n. 727; THIRY, o. c., V, p. 242. Cf. tamen suprà, n. 278, ubi notatur, juxta novum art. 340c, proli legaliter agnitae assimilari, in ordine ad impedimenta matrimonii, prolem erga quam praesumptus pater judicialiter est coactus annuam alimentariam solvere.

(1) Cf. PLANIOL, o. c., n. 726, sub 3°; ALLÈGRE, o. c., I. p 77 et 91; THIRY, o. c., n. 247; cf. etiam suprà, n. 478, et n. 480 ubi ulterius notatur de dispensationibus obtinendis.

(2) Juvat notare dispositiones legis *Hammourabi* (2000 a. X^m^), par. 154: « Si un homme a eu commerce avec sa fille, on chassera cet homme du lieu »; par. 157: « Si un homme a dormi, après son père, dans le sein de sa mère, on les brûlera tous deux ».

(3) Etymologiam suggerunt *Digesta,* l. IV, § 3, XXXVIII, 10: « *Adfines* sunt viri et uxoris cognati: dicti ab eo quod duae cognationes, quae diversae inter se sunt, per nuptias copulantur et alter ad alterius cognationis *finem* accedit »; i. e. propinquus fit compartis cognatorum.

Circa aliam quamdam denominationem, cf. GILLMANN, *Zur Geschichte des Gebrauchs der Ausdrücke « irregularis » und « irregularitas »*, Mainz, 1911, ubi notat p. 7 ss., quomodo, in medio aevo, affinitas licita diceretur: « regularitas personarum ex nuptiis proveniens omni carens parentela ».

(4) Si matrimonium invalidum quidem est, sed pro valido habetur in foro externo, cum vitium sit occultum, *coram foro externo* existit affinitatis impedimentum, non vero publicae honestatis.

scil. inter duos fideles, adeo ut affinitatem non inducat, saltem probabiliter (ac proinde, attento principio can. 15, practicè certò) (1), matrimonium legitimum, inter duos infideles celebratum, nec etiam matrimonium inter fidelem et infidelem initum (suprà, n. 157), nisi, per conversionem et baptismum utriusque respective vel alterutrius conjugis, ratum sit effectum dictum matrimonium (2).

Nota affinitatem existere tantum inter *unum conjugem* et *alterius consanguineos* (legitimos vel illegitimos), non autem, inter unam personam et alterius affines (3), neque etiam inter consanguineos unius personae et consanguineos alterius (4), neque tandem inter maritum et uxorem ad invicem (5).

614. species.

Dividitur affinitas in *simplicem* et *multiplicem;* de qua multiplicitate dicetur infrà, sub n. 618.

Jam non est locus divisioni inter affinitatem licitam et illicitam, sublata hac altera affinitatis specie, nec affinitatem antecedentem et consequentem seu supervenientem (6); potest autem affinitas,

---

(1) Dicitur: *saltem probabiliter;* quia non desunt Auctores qui aliter sentiunt, docentes affinitatem oriri ex quocumque matrimonio valido, adeoque etiam ex matrimonio legitimo infidelium; interpretantur scil. hîc vocem « ratum » in oppositione ad consummatum, eamque applicant, secus ac in can. 1015, § 1, cuicumque matrimonio non consummato. Ita WERNZ-VIDAL, o. c., n. 360 et 367; NOLDIN, o. c., n. 107; CHELODI, o. c., n. 99, quorum sententiae favet, id fatemur, logica conceptio affinitatis vinculi, ad quod non videtur referre sacramentalitas matrimonii, affinitatem inducentis, sed sola validitas. Favent etiam huic sententiae: VLAMING, o. c., n. 353; OJETTI, apud *Jus Pontificium,* 1925, p. 71 ss.; BOUDINHON, apud *Canoniste,* 1924, p. 236 s.; *Monitore,* 1924, p. 48 s., coll. quoque *The eccles. Review,* LXX (1924), p. 641 s. — Contrà ad nostram potius sententiam accedunt CAPPELLO, o. c., n. 538; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I², n. 190, et II², n. 357; GOUGNARD, apud *Vie diocésaine,* 1924, p. 34, cum AA. ibidem citatis; *Rev. eccl. de Metz,* 1925, p. 54; *Ami du clergé,* 1925, p. 629 ss.; LEITNER, o. c., p. 159; SCHÄFER, o. c., p. 215; FERRUGIA, o. c., n. 205; TOSO, o. c., ad can. 97, sub 2; CERATO, o. c., n. 72, ac etiam CHELODI, in posteriori opere *De personis,* Tridenti, 1922, n. 95; VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 781; GENICOT-SALSMANS, *Inst. theol.,* n. 505; quibus addi potest MICHIELS, apud *Jus Pontif.,* 1925, p. 142 ss., siquidem sententiam in textu propositam habet uti practice tutam, illi favente dubio juris, licet theoreticè adhaerendum ducat thesi tenenti affinitatem generari ac impedimentum induci a matrimonio valido inter fidelem et infidelem.

(2) Nitimur in accurata terminologia can. 97, § 1; accedit quod, si Codex hic intendisset quodcumque matrimonium validum, etiam legitimum, non intelligitur cur, in can. 97, § 1, non posuerit, sicuti in canone 1078, ubi de publica honestate: ex matrimonio valido, « sive consummato, sive non ».

Ex matrimonio igitur legitimo ne ipsum quidem affinitatis vinculum contrahitur, sive consummatum fuerit sive non, uti jam notatum est suprà, n. 438bis, sub 3°, in nota.

(3) Ita viduus non est affinis, sub praesenti disciplina, cum vidua fratris defunctae uxoris, vel cum vidua filii defunctae uxoris etc. Olim, uti dicetur, inter illas personas existebat affinitas 2^{i} generis. Hic applicari potest nunc adagium: *affinitas non parit affinitatem,* licet primitiva hujus adagii significatio fuerit alia, uti notat FREISEN, o. c., p. 489; sensus erat quod affinitas non contrahitur generatione sed copula. Cf. infrà, n. 623.

(4) Ita vir est affinis consanguineis uxoris, et uxor affinis est consanguineis mariti, sed personae consanguineae viri et respective uxoris non sunt affines cum consanguineis respectivis uxoris et viri. Unde duo fratres possunt ducere duas sorores, et ita porro. Cf. can. 97, § 2; 5, X, IV, 14, ubi id nitidè proponitur ab Innocentio III.
stituunt ac stipitem.

(5) Vir et uxor non sunt affines inter se, sed affinitatis principium ac stipes, sicut pater et mater non sunt inter se consanguinei, sed consanguinitatis principium constituunt ac stipitem. Unde etiam dicitur: affinitas non egreditur copulatos.

(6) Jam non datur locus affinitati supervenienti, quia validum matrimonium non potest supervenire matrimonio perseveranti. Antea copula instituta cum persona con-

quamvis semper licita, pertinere ad forum internum, juxta notata sub n. 465, illa scil. quae existit inter unam partem et compartis consanguineos illegitimos.

II. **Determinatio affinitatis.**

615 Norma computandi gradus.

Determinatur affinitas ad modum quo determinatur consanguinitas: indicando *lineam* et *gradum,* et addendo utrum sit simplex vel multiplex, et quotuplex ac in quibusnam gradibus intercedat.

Porro, *ad computandos gradus et indicandam lineam,* sufficit applicare normas suprà descriptas pro consanguinitate, hoc attento principio quod « qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sunt affines mulieris, et vice versa » (1); pro determinanda autem *multiplicitate* affinitatis attende normam mox proponendam sub n. 618 (2).

Quod spectat confectionem arboris genealogicae (3), quodque attinet indicationes pro dispensationis valore exprimendas, valent suprà notata sub n. 603.

Juvat tandem advertere ac sedulò notare quod nonnunquam concurrit affinitas cum consanguinitate, notatim quando conjux, mortua comparte consanguinea, hujus sorori seu fratri nubere intendit.

III. **Jus vigens.**

1° *Affinitas, jure merè ecclesiastico, dirimit matrimonium inter affines, in linea recta in indefinitum, in linea vero collaterali usque ad 2^m^ inclusive gradum.*

---

sanguinea compartis inducebat affinitatem supervenientem, cum poena adnexa, de qua cf. suprà, n. 233, coll. mox infrà, n. 616.

(1) Can. 97, § 3. — Cf. THEOL. MECHL., o. c., n. 79, q. 3, ubi regula applicatur: « Sic avus Joannis, qui Joanni est consanguineus in 2° gradu lineae rectae, itidem in 2° gradu lineae rectae est affinis Catharinae a Joanne ductae; frater Joannis, qui Joanni est consanguineus in 1° gradu lineae collateralis, est affinis Catharinae etiam in 1° gradu lineae collateralis; et ita de caeteris ».

Notetur autem aliquam personam posse alteri affinem esse sub *triplici* respectu in linea *recta,* et sub *duplici* respectu in linea *collaterali.* Nimirum vir potest esse affinis mulieri in linea *recta,* ratione matrimonii a se initi, et inde affinis est in 1° gradu cum filia et matre uxoris; ratione matrimonii contracti a parentibus, et inde affinis est in 1° gradu cum uxore patris (stiefmoeder); ratione matrimonii initi a filio vel filia, et sic affinis est in 1° gradu cum uxore filii. In linea *collaterali,* ratione matrimonii a se contracti, est affinis cum sorore uxoris, et ratione matrimonii initi a fratre, est affinis cum uxore fratris, utrimque in 1° gradu.

(2) Praecipua nomina propria affinium ex copula licita, haec sunt, illa limitando ad 1^m^ gradum:

1° In *linea recta:* sunt a/ vitricus (beau-père, parâtre, stiefvader), et noverca (belle-mère, marâtre, stiefmoeder), respectu privignae (prius natae) seu filiastrae et privigni (belle-fille, beau-fils, stiefdochter en stiefzoon); b/ socer et socrus (beau-père et belle-mère, schoonvader en schoonmoeder), respectu generis et nurus (gendre et bru, schoonzoon en schoondochter).

2° In *linea collaterali:* sunt a/ levir (frater mariti, mansbroer of zwager) et glos (soror viri, manszuster of zwagerin); b/ sororius (maritus sororis, zustersman), et fratria (uxor fratris, broersvrouw).

(3) Pro schemate affinitatis, conficiatur schema consanguinitatis inter personam ductam ab uno sponso et alterum sponsum; quo confecto, nupturiens qui matrimonium contraxit assimilatur conjugi defuncto, ita nimirum ut sit affinis personae nunc in

2° *Affinitatis autem impedimentum multiplicatur* « a/ *quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit;* b/ *iterato successive matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti* ». Can. 1077.

Explicatio.

616. Extensio impedimenti;

Ad 1^m^. 1° Quod *impedimentum* affinitatis extendatur, in linea recta, in indefinitum, et restringatur, in linea obliqua, ad 2^m^ inclusive gradum, totidem verbis inseritur in canone 1077, § 1.

Unde vir obnoxius est affinitatis impedimento, in linea recta : respectu matris, aviae etc., ac item respectc filiae, neptis (kleindochter) uxoris suae, et ita porro; in linea vero collaterali: respectu sororis, materterae seu amitae ac neptis (nièce), necnon respectu consobrinae germanae ejusdem dictae uxoris, et non ultra (1).

2° Nota, theoreticè loquendo, distingui posse affinitatis vinculum et affinitatis impedimentum, cum ipsum vinculum possit ultra impedimenti ambitum extendi, ac theoreticè ultra extendi censeatur, siquidem, ad apicem juris, tam latè extenditur affinitas quam consanguinitas, adeoque ad tertium usque lineae collateralis gradum; practice tamen non est attendenda illa distinctio, cum, ad normam dictorum suprà, in nota ad p. 598, de consanguinitate, ambitus impedimenti determinet etiam ambitum ipsius affinitatis vinculi.

3° Non est attendendum affinitatis impedimentum nisi respectu matrimonii *contrahendi,* quod dirimit, nec jam locus est dispositioni juris, juxta quam affinitas, post matrimonium validè initum, per copulam illicitam contracta, seu matrimonio superveniens, auferebat, positis ponendis, licentiam petendi debitum. Cf. modò suprà, n. 614, in nota, coll. suprà, n. 233.

4° Dicitur *jure merè ecclesiastico.*

617. est impedimentum juris mere ecclesiastici.

Impedimentum affinitatis, intra descriptos limites, induxit *constitutio Ecclesiae,* et quidem ob similia, proportione servata, *rationis momenta* supra invocata in favorem impedimenti consanguinitatis; haec enim, proportione servata, et salva ratione deducta ex periculo defectuosae prolis, favent legi matrimonium irritanti inter affines.

Quod affinitas constituat impedimentum juris *merè ecclesiastici,* facile ostenditur, cum liquidò appareat affinitatem in nulla linea

---

conjugem ducendae in linea et gradu quibus conjux defunctus illi personae est consanguineus.

(1) Etiam hic, non secus ac pro consanguinitatis impedimento, valet norma quod gradus remotior trahit ad se proximiorem.

et in nullo gradu constituere impedimentum vi juris naturalis vel divini.

Revera non posset esse dubium nisi de linea *recta,* siquidem in linea collaterali solet Ecclesia dispensare, neque a facultate canonis 1043 excipitur linea collateralis (1). Quod autem spectat matrimonium inter affines in linea *recta:* illud coram jure naturae esse validum, etiam in gradu *primo,* eruitur ex tenore canonis 1043, quatenus scil., data facultate super omnibus impedimentis *jure ecclesiastico* dirimentibus, in tenore excipitur affinitas in linea recta (consummato matrimonio) absque distinctione graduum; accedunt ulterius varia argumenta, sub disciplina anteriori invocata, in favorem sententiae ex jure mere ecclesiastico repetentis vim irritativam affinitatis licitae in primo lineae rectae gradu, siquidem affinitas licita anterioris juris arctius constituebat vinculum quam affinitas praesentis juris, quippe quae oritur ex matrimonio non consummato: nimirum dictae huic sententiae favent decreta C. S. O., 4 Sept. 1743 (2), 26 Aug. 1891 (3) necnon tenor indulti 20 Febr. 1888, in quo, sicut in canone 1043, a facultate dispensandi super omnibus impedimentis *jure ecclesiastico* dirimentibus, *excipiebatur* affinitas licita in linea recta; tandem omne dubium sustulit factum dispensationum nuper concessarum, juxta dicenda sub n. 622 (cf. etiam BENED. XIV, *De Synod. dioec.,* l. IX, c. XIII, n. 4 (4); GENNARI-BOUDINHON, *Consultations-Morale,* consult. 118, et ll. cc. apud *Collat. Brug.,* t. V, p. 235 s.) (5).

618. Causae multiplicitatis.

Ad 2^m^. Duplex causa *multiplicitatis* impedimenti limitative describitur in eodem canone 1077, § 2, n. 1 et 2.

Nimirum: a/ quando multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit affinitas, puta quando aliquis intendit ducere personam multipliciter consanguineam (ad normam can. 1076, § 2,

(1) Affinitas in lineae collateralis secundo gradu non constituit nisi impedimentum *minoris gradus* (can. 1042, § 2).

(2) « Non esse dubitandum de potestate Pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in linea recta, etiam ex copula licita, inter vitricum et privignum ». Cui responso concordat consultatio Card. De Lugo, anni 1797, quam refert GASPARRI, o. c., I, n. 697.

(3) *Collectan.,* n. 1247: « Affinitatem quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula, tum licita, tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur ».

(4) Benedictus XIV ibi reprehendit Synodum Limanam quod uti certum proposuerit affinitatem licitam jure naturae dirimere matrimonium.

(5) Antiquitus severius judicabant nonnulli Auctores, adeo ut contenderint affinitatem, etiam in primo gradu lineae *collateralis,* irritare matrimonium ex ipso jure naturae, nec adeo locum esse dispensationi. Ita refert THOMASSINUS, o. c., l. III, c. 28, n. 10, hanc dispensationem primum concessam fuisse a Martino V (1417-1431), postquam peritissimos theologos et canonistas consuluerat, utrum in hoc impedimento dispensari posset ab Ecclesia. Porro hanc indispensabilitatem impedimenti invocavit Henricus VIII, rex Angliae, ut annullationem obtineret sui matrimonii cum Catharina, vidua fratris, quemadmodum fusè exponit CARON, o. c., p. 152-160. Cf. *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1910, p. 418 ss.; WATKINS, o. c., p. 707; LUCKOCK, o. c., p. 319 ss.; suprà, n. 359.

coll. n. 598) compartis defunctae (1); vel b/ quando iteratum fuit matrimonium cum consanguineo prioris conjugis, puta quando vir successive duxit duas sorores et nunc intendit nubere tertiae sorori aut consobrinae germanae priorum uxorum (2).

Non multiplicatur proinde affinitatis impedimentum ex eo quod sponsus per suum prius matrimonium affinis est factus cum sponsa, et vicissim sponsa per suum prius matrimonium contraxerat affinitatem cum sponso (3); adeoque simplex tantum existit affinitatis impedimentum inter viduum qui intendit ducere sororem uxoris defunctae, quae et ipsa soror ex sua parte vidua est fratris sponsi (4).

Etiam hic locus est dispositioni juris particularis Brugensis, de qua suprà, n. 603, quatenus libello supplici addenda sit arbor genealogica, eaque completa, hac scil. lege ut ascendentes indicentur usque ad secundam generationem inclusive.

IV. **Mutationes per Codicem inductae.**

619. Mutationes a Codice inductae circa naturam affinitatis,

Gravissima mutatio est inducta in oeconomia affinitatis. Nimirum

A. Quod spectat *notionem* et *indolem affinitatis:*

Uti ex dictis liquet, fundamentum affinitatis jam non est copula, sed ipsum validum matrimonium, etiam non consummatum; unde eo ipso jam locus non est distinctioni inter affinitatem licitam et illicitam, nec intelligitur deinceps affinitas superveniens.

Hactenus nempe affinitas existebat inter duas personas quarum una copulam habuit (5), sive matrimonialem sive fornicariam, cum persona consanguinea alterius partis; prout autem copula fuerat matrimonialis vel fornicaria, oriebatur affinitas licita seu legitima vel illicita seu illegitima (6). Affinitas superveniens contrahebatur per copulam a viro institu-

(1) Supponitur novam sponsam multipliciter consanguineam esse (compartis defunctae) *intra secundum gradum.*

(2) Curiosus casus excogitari potest in quo, primo aspectu, videtur verificari altera hypothesis, de qua in canone 1077, § 2, n. 2, dum reipsa, strictè attento tenore dicti canonis, non obtinet. In schemate v. gr. apud *Collat. Brug.*, XX, p. 405, proposito, Fredericus sponsus matrimonium successive contraxerat cum Anna et Bertha, quae ambae ex sua parte consanguineae erant sponsae novae Mariae, sed non erant consanguineae ad invicem: unde non verificatur tenor n. 2, quippe qui supponit alteram uxorem defunctam consanguineam fuisse prioris, uti in exemplo in textu proposito. Nonne, in casu, potius verificatur prior fons multiplicitatis, de quo sub n. 1, quatenus scil. multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit?

(3) Haec erat antea causa multiplicitatis, et sic duplex oriebatur impedimentum ex eo quod utraque pars copulam habuerat cum persona alteri parti respective consanguinea. Censebatur etiam multiplicari affinitas ex eo quod una pars copulam habuerat tum licitam tum illicitam cum eadem persona alteri parti consanguinea; sed sic contracta multiplicitas non erat ad valorem memoranda in libello pro dispensatione.

(4) Hîc etiam locus esse posset quaestioni quam suprà, in nota ad n. 598, agitavimus circa determinationem impedimenti consanguinitatis. In supposito scil. quod viduus intendat ducere defunctae uxoris sororem, quae et ipsa vidua sit ex praecedenti matrimonio cum avunculo sponsi: dubitari potest utrum affinitatis impedimentum unicum existens inter sponsos dicendum sit esse in 1° gradu collaterali aequali, an vero in primo gradu mixto cum secundo. Cf. solutionem propositam suprà, l. c., coll. *Collat. Brug.*, XX, p. 406 s.

Hunc casum invocat GOUGNARD, apud *Vie diocésaine*, 1923, p. 645 s., ut suggerat hîc duplicari impedimentum affinitatis: quod est contra can. 1077.

(5) Copula intelligebatur de se apta generationi, exclusa copula sodomitica vel onanistica, cum retractu scil. vel condomistice instituta.

(6) Controversia gravis existebat inter Auctores circa accuratiorem determinationem

tam, post contractum matrimonium, cum consanguinea uxoris, et vicissim. Cf. suprà, n. 614.

Manet quidem in nova disciplina distinctio inter affinitatem simplicem et multiplicem; sed reductae sunt causae ex quibus multiplicatur affinitatis impedimentum: quod modò notavimus.

620. et extensionem impedimenti.

B. Quod spectat *extensionem impedimenti*:

Hactenus impedimentum affinitatis licitae extendebatur, in linea collaterali, usque ad 4^{m} gradum inclusive; affinitas illicita usque ad 2^{m} dumtaxat gradum (1). Deinceps, uti modo vidimus, restringitur impedimentum ad 2^{m} gradum.

621. Infideles non subsunt impedimento nisi indirecte.

Corollarium I. Ex eo quod impedimentum affinitatis sit juris mere ecclesiastici, ipsi non sunt obnoxii infideles, nisi indirecte tantùm, ratione scil. subjectionis partis fidelis, cum qua matrimonium inire vellent (2), non vero ratione magis remota, de qua suprà, n. 438bis, sub 3° (3).

622. In affinitate potest ab Ecclesia universim dispensari.

Corollarium II. Ex dictis etiam sequitur Ecclesiam *posse* dispensare super impedimento affinitatis, idque *in omni linea et gradu. De facto* tamen *generatim non dispensat in linea recta affinitatis* ex matrimonio consummato (4).

Haec norma practica usque ad haec ultima tempora erat *absoluta pro primo gradu* affinitatis licitae (5), quae in praesenti oeco-

---

affinitatis illicitae ac sensum juridicum copulae fornicariae affinitatem illicitam inducentis.

Porro, attento fine intento a Synodo Tridentina, Sess. XXIV, cap. 4, *De reform. matr.*, ambitum restringente affinitatis ex fornicatione contractae, necnon attentis documentis redactioni capitis praeviis, dicendum videtur copulam non fuisse habendam hîc qua fornicariam nisi illam quae vel exerceretur *extra omne matrimonium,* vel in matrimonio quidem, sed *invalido ac omni conjugii specie destituto,* adeo ut non fuerit hîc qua fornicaria attendenda copula peracta in matrimonio nulliter contracto, *speciem externam conjugii retinente,* quantumvis illa copula fuerit coram norma morum illegitima.

Revera eo ipso quod copula fuerit habita in matrimonio, licet invalido, stricto sensu non potest dici fornicaria; quodsi simul retinetur externa species conjugii, ipsi non applicatur finis legis Tridentinae affinitatem restringentis, cum sic vitentur incommoda quae Concilium prae oculis habuerit, ex occulta natura copulae fornicariae provenientia.

Quae sententia certa erat pro casu quo matrimonium invalidum fuerit initum *cum bona utriusque partis fide;* ac etiam idem a plerisque concedebatur pro casu quo bona fides fuerit penes *alterutram* partem; imo probabiliter id sustinebatur, attento strictae interpretationis principio, pro hypothesi qua nuptiae fuerint cum utriusque nupturientis *mala fide* celebratae.

(1) Affinitatis impedimentum ad 4^{m} gradum lineae collateralis reduxerat Conc. Lateran. IV, c. 8, X, IV, 14; affinitatis autem illicitae impedimentum ad 2^{m} gradum reduxerat Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 4, *De Ref. Matr.*, in vigore relicto statuto Lateranensi pro affinitate licita.

(2) Casus esset pro viro infideli qui vellet matrimonium inire cum vidua defuncti fratris, in supposito quod matrimonium dicti fratris fuerit ratum.

(3) Ibi vidimus quod ex matrimonio in infidelitate inito ne ipsum quidem affinitatis vinculum inducitur (cf. modò suprà, n. 613), et, si induceretur, quod non constitueret impedimentum respectu matrimonii post baptismum ineundi, cum censeatur vinculum intentionale dumtaxat et juridicum, ab Ecclesia constitutum.

(4) In amplissimis facultatibus, can. 1043 contentis, excipitur affinitas in linea recta, in omni gradu, *supposita matrimonii consummatione.* Cf. infrà, n. 761. Hujus exceptionis ratio est habenda in interpretandis indultis dispensandi, quae concedi contingit.

(5) Cf. BENED. XIV, *De Syn. dioec.*, l. IX, c. 13, n. 4; *Instruct.* C. S. O., 9 Dec. 1874 et decr. C. S. O., 20 Febr. 1888 (*Collectan.*, n. 1242 et 1472); solutiones S. C. C.

nomia correspondet affinitati ex matrimonio consummato: sive propter controversiam a quibusdam Auctoribus agitatam circa ipsam potestatem Ecclesiae, sive propter indecentiam quae semper inesset hujusmodi matrimonio contrahendo inter affines in 1° gradu lineae rectae, puta inter virum et filiam vel matrem uxoris defunctae, aut viduam defuncti patris vel filii. Contingebat autem omninò exceptionaliter concedi dispensationem in linea recta affinitatis licitae *ultra* 1^m *gradum,* non quidem in ordine ad matrimonium contrahendum, sed in ordine ad matrimonium *contractum* convalidandum, modò fuerit bona fide initum et affinitas fuerit facto occulta. Cf. WERNZ, o. c., IV, n. 438.

Nunc vero, uti jam notavimus sub n. 617, jam plus semel recessum est a severa disciplina circa ipsum primum gradum lineae rectae (1), idque in ordine ad matrimonium contrahendum, ac consummato matrimonio, quamvis praevidendum sit hujusmodi dispensationem admodum raram fore et prorsus extraordinariam (2).

Quod spectat affinitatem *in linea collaterali,* Ecclesia jam haud difficilem sese ostendit in dispensatione elargienda, etiam in primo gradu, non obstante severiori disciplina, in Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 5, *De ref. matr.,* proposita. Cf. suprà, n. 617.

623. Poenalitates.

Scholion I. Poenae. Dicta suprà, n. 610, de poena lata contra incestuosos, etiam hic applicantur.

Scholion II. Evolutio historica.

Disciplina antiqua,

In *Lege Mosiaca* nuptiae interdictae erant cum affinibus ex matrimonio, in 1° et 2° gradu lineae rectae, et in 1° gradu lineae collateralis (salva lege

---

in causa *Leodien.,* 28 Maii 1796 (*Thesaurus,* t. 65, p. 111 ss.), et in causa *Malacitana,* 16 Junii 1894 (*A. S. S.,* t. XXVII, p. 242 ss.), collato etiam facto narrato apud *Acta S. Sedis,* II, p. 127. Cf. etiam *Collat Brug.,* t. XII, p. 121; GENNARI-BOUDINHON, o. c., 1^re Partie, cons. CXVIII; LEITNER², *Lehrb.,* p. 223.

Ante novum Codicem solebat Ecclesia dispensare, *in linea recta* affinitatis *illegitimae,* super impedimento facto occulto, ac etiam, licet aegrius, super impedimento *publico.* Conditio tamen apponebatur dispensationi vel dispensandi indulto, ut « *copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat* », ne scil. periculum esset quod vir propriae filiae naturali nubat: cui periculo satis praecavetur si copula cum matre sponsae habita tam proximè vel tam remotè praecesserit sponsae nativitatem, ut physicè certum sit eam ex dicta copula non esse susceptam. Ita in facultatibus Vicariatus Nankinensis, sub art. 6, dicta conditio sic enuntiabatur: « dummodò nullum subsit dubium quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita ». Cf. *Monita,* n. 204. Item in facultatibus concessis Praesulibus Congolensibus, apud *De Religiosis-Periodica,* VII, p. 53. Cf. etiam can. 1076, § 3, coll. dictis suprà, n. 608, et dicendis infrà, n. 633 et n. 761.

(1) Die 2 Dec. 1911, rescriptum dispensationis concesserat S. Poenitentiaria, quam oratores adierant, postquam repulsam passi fuerant apud S. C. de Sacramentis; rescriptum, cujus tenor refertur apud *N. R. th.,* 1912, p. 528 ss. (cf. etiam *Collat. Brug.,* 1912, p. 675 ss.), dispensat in ordine ad matrimonium civiliter *contractum* convalidandum inter viduum et filiam *illegitimam* uxoris defunctae. Ibidem citatur similis dispensatio ante 8 annos vivae vocis oraculo elargita a S. Pontifice. Etiam DURIEUX, o. c., n. 142, in nota, testatur se rescire quod « pour des raisons très graves, il y a eu parfois des exceptions à cette règle », in casibus similibus casui anni 1911: quod et nos scientia propria confirmare possumus, et quidem circa factum dispensationis in contrahendo; cf. quoque WERNZ-VIDAL, o. c., n. 370, nota 59.

(2) Id etiam eruitur ex responso dato a S. Sede Episcopo Brugensi, instanti pro

leviratus) (1), necnon in 2° gradu tangente primum, ita saltem ut matrimonium interdiceretur cum uxore patrui seu fratris patris. *Lev.* XVIII, 8-18 et XX, 20 s. (2).

In *Jure Romano*, ex capite *affinitatis* non erant interdictae nuptiae nisi in linea recta, inter privignum vel privignam et novercam vel vitricum, inter socrum et nurum vel generum; nitebatur autem, in Jure Romano, affinitas non copula, sed *justis nuptiis*, adeoque exsurgebat *ex matrimonio* non consummato, nullatenus autem ex copula extramatrimoniali, nec etiam ex contubernio neque ex concubinatu (concubinat Romain) (3).

624. in specie coram jure canonico.

In jure canonico:

Prius sancitae fuerunt solae prohibitiones Mosaicae, paulatim vero sunt extensae donec, inde a saeculo VII, transformata notione affinitatis, hujus vis irritans brevi nacta est amplitudinem ipsius impedimenti consanguinitatis. Nimirum affinitas non jam concipiebatur qua nitens, quemadmodum primitus, sub influxu Juris Romani, ipso matrimonio, sed *copula carnali*, provocante unitatem carnis inter cognoscentem et cognitam: unde consanguinei unius censebantur aliquatenus consanguinei alterius, illumque effectum logicè inducebat copula tam *illicita* quam *licita* (4). Et ita factum est ut affinitas etiam illicita, in medio aevo, logicè sese extenderit ad 7^{m} usque gradum, salva restrictione suprà facta circa vim irritantem in ultimis gradibus (5).

Ulterius, praeter *hoc primum genus affinitatis*, vigentis scil. inter unam personam et consanguineos alterius personae, cum qua prior copulam habuerit, et vicissim, inductum est, urgendo dictam carnis unitatem, *secun-*

---

dispensatione impetranda in simillimis adjunctis et urgentissima de causa; respondit scil. S. Congr. de Sacram., die 27 Octobris 1913: « *S. Sedes* super impedimento de quo in precibus, *minimè dispensat* ». Cf. *Collat. Brug.*, 1914, p. 56 s.; *Th. Pr. Quartalschr.*, 1914, p. 696 ss., coll. DURIEUX, l. c.

(1) Juxta *Deut.*, XXV, 5-10, vidua fratris absque liberis mortui in uxorem accipere, debebat vir, ut suscitaret semen fratri defuncto, ea scil. lege ut primogenitus nomine defuncti appellaretur; sanctio erat quod, in casu quo renueret viduam fratris accipere, posset haec eum adducere coram senioribus, tollere calceamentum de pede ejus ac spuere in faciem. Cf. WATKINS, o. c., p. 54-72, coll. LUCKOCK, o. c., p. 272 ss. Cf. etiam, circa jus leviratus, *Belgique jud.*, 1847, p. 480, ubi curiosa refertur causa agitata, anno 1847, coram tribunali civili Algerensi: Haebraea vidua facta, defuncti mariti frater nolebat eam ducere; vidua vero non exigebat matrimonium cum illo fratre ineundum, sed volebat ut ille se submitteret caeremoniae decalceationis, qua caeremonia constaret de renuentia ejus ac de libertate facta viduae alium virum ducendi; ipse autem id facere recusabat. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 363, nota 15, ubi movetur quaestio utrum lex illa leviratus etiam urgeretur respectu fratris uxorati, an solum respectu fratris coelibis.

(2) Ante Legem Mosaicam, tempore patriarcharum, non erat illicitum duas simultanee sorores ab eodem viro duci, uti constare videtur ex exemplo Jacob.

(3) In Jure Romano non contrahebatur etiam affinitas post matrimonium dissolutum, adeo ut proles natae vel saltem conceptae post dissolutionem matrimonii, affinitatem inducentis, non fuerint affines (v. gr. vir non contrahebat affinitatem cum filia ex sorore uxoris nata post hujus uxoris mortem). Imo probabiliter cessabat affinitas jam contracta, etiam in linea recta, cessante matrimonio unde erat orta; ita quoque in jure Gallico ante Perturbationem, juxta adagium: *morte ma fille, mort mon gendre*. Cf. CARON, o. c., p. 44, p. 53 ss., p. 214. In eumdem sensum adoptavit hodiernus legislator Gallicus moderationem ad art. 162, quod spectat affinitatem in linea collaterali, quatenus scil. affinitas jam non inducat impedimentum: « Toutefois l'alliance ne constitue plus un empêchement au mariage, lorsqu'elle a pris fin par le décès du conjoint qui produisait l'alliance ». CASTAN, o. c., p. 29 s. Similem disciplinam induxit lex Belgica, 11 Febr. 1920, uti notatum suprà, sub n. 478, coll. n. 480, et mox infrà, sub n. 625, in memoriam vocabitur.

(4) Circa controversiam quoad introductionem affinitatis ex copula *illicita*, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 363, nota 28.

(5) CARON, o. c., p. 125 s. et p. 134 s. Cf. GILLMANN, *Magister Albertus...*, 1925, p. 62 s.

dum et *tertium genus affinitatis,* idque in utraque specie affinitatis, licitae et illicitae: affinitas *secundi generis* est propinquitas existens inter unam partem copulam habentem et affines in primo genere alterius partis concumbentis; dirimebat matrimonium usque ad 3^{m} gradum, illud autem mere prohibebat in 4° (1); affinitas *tertii generis* est propinquitas existens inter unam partem copulam exercentem et alterius partis affines secundi generis; non excedebat autem 2^{m} gradum (2).

Quinimo exortum est in jure canonico *quartum aliquod genus affinitatis,* quod, uti notavimus, recedebat a propria natura affinitatis, nec ex copula exsurgebat sed potius generatione inducebatur (3), ac nuncupari solebat impedimentum *sobolis ex secundis nuptiis:* « lorsqu'une femme devenue veuve contractait une nouvelle union, non seulement elle restait l'alliée des parents de son premier mari et transmettait cette qualité à son second mari, mais encore les enfants nés du second mariage (proles suscepta ex secundis nuptiis) ne pouvaient pas contracter mariage avec les parents du premier mari, jusqu'au 4^{e} degré de parenté » (4).

Porro Conc. Lateranense IV, sub Innocentio III (1215), *primò* suppressit impedimentum secundi et tertii generis, necnon impedimentum sobolis susceptae ex secundis nuptiis (5); et *secundò,* eodem canone, limitavit impedimentum affinitatis primi generis ad 4^{m} gradum inclusivè, in linea collaterali; Conc. autem Trid., juxta superius dicta, affinitatem ex copula illicita reduxit ad 2^{m} gradum; tandem per Codicem inductae sunt moderationes modò descriptae, sub n. 619 s., mutata natura affinitatis, suppressa affinitate illicita ac reducto impedimenti ambitu ad 2^{m} inclusive gradum (6).

625. Jus civile.

Scholion III. Legislatio nostra civilis sequitur, pro conceptu affinitatis, Jus Romanum, adeoque non exsurgit impedimentum affinitatis, coram nostro jure civili, conformiter cum reformato jure canonico, nisi *ex matrimonio,* ita ut non sit locus affinitati illicitae (7), utque ex alia parte

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 400, et ll. cc.; CARON, o. c., p. 128.

(2) *Coll. Brug.,* l. c.

(3) Non erat affinitas proprie dicta quia, juxta notionem datam et vulgatum adagium *affinitas non parit affinitatem,* seu, pro sensu genuino formulae, nunc in alio sensu usurpatae, quia affinitas non contrahitur *generatione,* uti hîc in casu, sed *copula.* Ideo forsan melius reduceretur hoc impedimentum ad speciem *publicae honestatis* seu quasi-affinitatis, quemadmodum censuerunt plures Decretistae antiqui, uti ostendit GILLMANN, *Das ehemals...,* speciatim sub fine. Sumenda tunc foret denominatio *publicae honestatis,* non in sensu restricto quem nunc habet pro determinato impedimento, sed in sensu latiori nativo, de quo in nota ad num. 629, quatenus comprehendebat varias prohibitiones, signanter tales quibus deficiebat specialis titulus juridicus. Censet tamen GILLMANN, o. c., p. 29-31, dictam impedimenti speciem potius referri ad impedimentum affinitatis, cujus esset extensio singularis, quatenus scil. proles ex secundis nuptiis nata unum quid censeretur cum matre.

(4) ESMEIN, o. c., I, p. 381, coll. *Collat. Brug.,* l. c.

(5) c. 8, X, IV, 14: « Quum ergo prohibitiones de conjugio in *secundo et tertio affinitatis genere* minimè contrahendo, et de *sobole suscepta ex secundis nuptiis* cognationi viri non copulanda prioris, et difficultatem frequenter inducant, et..., constitutiones super editas... revocantes, praesenti constitutione decernimus ut sic contrahentes de caetero liberè copulentur ».

(6) Circa vota oblata coram Concilio Vaticano, cf. *Collat. Lacen.,* VII, col. 842, 873 ss.; VILLIEN, *Les Réformes...,* apud *Can. Cont.,* 1906, p. 67 ss. et 209 ss.

(7) Cf. THIRY, o. c., n. 243. Nota tamen decisionem tribunalis Tornacensis 14 Aug. 1854 (CARON, o. c., p. 262), qua statuebatur « que l'allianae naturelle se formait par le concubinage, et qu'un fils, par exemple, ne pouvait pas épouser une femme qui avait été la maîtresse de son père ». Etiam in lege Anglica affinitas oritur ex matrimonio dumtaxat. In Gallia, vi legis 1 Julii 1914, jam non prohibetur matrimonium (inter affines, in linea collaterali) nisi in casu quo matrimonium fuerit dissolutum per divortium. Cf. *R. cl. fr.,* LXXIX, p. 424; coll. modò notatis ad n. 623.

oriatur ex matrimonio rato non consummato. Hucusque vigebat civile impedimentum affinitatis, in linea recta, in indefinitum, in linea autem collaterali, in 1° gradu, juxta computum ecclesiasticum. Nunc vero, nuperrima lege diei 11 Febr. 1920, mutata est dispositio art. 162, huic articulo addito alinea sequenti: « Toutefois, l'alliance ne constitue pas un empêchement au mariage après le décès du conjoint qui la produisait » (1).

In affinitate proinde jam non est locus dispensationi: in linea namque collaterali, vel jam non existit impedimentum, ubi scil. matrimonium morte dissolvitur, vel non conceditur dispensatio, quando nempe alio modo, per divortium scil., dissolvitur matrimonium (2); in linea autem recta, nulla conceditur dispensatio (3). Cf. *Collat. Brug.*, XII, p. 122, coll. X, p. 606 ss. (4).

ARTICULUS 8^s^. **De Impedimento Publicae Honestatis.**

I. Notio.

626. Publica honestas

Publica honestas, seu publicae honestatis justitia, olim etiam quasi-affinitas dicta (5), vinculum est quoddam oriens *ex matrimonio invalido* vel *ex publico* aut *notorio concubinatu,* et existens inter unam personam et consanguineos alterius personae cum qua prior matrimonium nulliter contraxit aut publicum concubinatum instauravit. Can. 1078.

627. oritur ex matrimonio invalido,

Quod spectat 1° *matrimonium:* intelligitur matrimonium *invalidum* (si validum fuit matrimonium et ratum, inducit affinitatem); intelligitur autem matrimonium *undecumque* invalidum, etiam, secus ac antea (6), ex defectu consensus (7); nec refert quod bona fide vel mala fide fuerit initum; etiam non refert quod matrimonium fuerit consummatum vel non.

Vinculum publicae honestatis inducit non modò matrimonium

---

(1) Sic accedit, in hoc negotio, legislatio nostra civilis ad renovatam legislationem Gallicam, juxta notata ad n. 623. Nota manere impedimentum, si matrimonium solvitur per divortium. Cf. suprà, in nota ad n. 478, sub fine, et n. 480, cum nota.

(2) Etiam tunc locus est dispensationi, in Gallia. Cf. *Rev. du cl. fr.*, t. LXXIX, p. 424 s.

(3) Attenta igitur benigniori disciplina Ecclesiae in hac re, de qua modò, sub n. 622, quatenus obtineri forte posset dispensatio in linea recta, posset etiam hîc oriri conflictus inter forum civile et forum ecclesiasticum, matrimonii ineundi libertate concessa ab Ecclesia, illaque denegata coram foro civili. Posset proinde etiam hîc locus esse applicationi privilegii canonis 1098, de qua suprà, sub n. 136 s.

(4) In Lege *Hammourabi,* par. 155: « Si un homme a choisi une fiancée pour son fils, et si celui-ci l'a connue, si le père lui-même ensuite est surpris à coucher dans son sein, on liera cet homme et on le jettera dans l'eau »; par. 158: « Si un homme, à la suite de son père, est surpris dans le sein de celle qui l'a élévé, et qui a eu des enfants (de ce père), cet homme sera arraché de la maison paternelle ».

(5) Apparet liquido analogia publicae honestatis cum affinitate, in jure anteriori, necnon etiam in disciplina praesenti. Cf. infrà, sub fine n. 629.

(6) Infrà notabitur quod, in anteriori disciplina, matrimonium non consummatum inducebat impedimentum publicae honestatis, *modò non fuerit matrimonium invalidum ex defectu consensus.*

(7) Mirum videtur quomodo nonnulli Auctores, uti WERNZ-VIDAL, o. c., n. 376; CERATO, o. c., n. 73, in hoc inclinent quod etiamnum non inducatur publicae honestatis impedimentum ex matrimonio ob defectum consensus invalido. Invocant scil. jus Codicî praevium, immeritò provocando ad can. 6, n. 3, quippe ex quo potius sequitur canonem 1078 sua ipsius sententia esse dijudicandum, non vero ex jure antiquo aestimandum.

invalidum inter duos fideles contractum, uti vidimus contingere pro affinitate, sed etiam matrimonium nulliter celebratum inter duos infideles vel inter fidelem et infidelem.

Utrum matrimonium *civile,* inter personas clandestinitatis legi obnoxias, in supposito quod non importet concubinatum publicum, de quo sub 2°, inducere censeatur publicam honestatem, disputari potest: hoc autem attento, quod Ecclesia ne speciem quidem matrimonii agnoscat matrimonio civili, inter dictas personas inito (suprà, n. 158, coll. n. 461), probabilius negandum est, adeoque, favore can. 15, in praxi non esset attendendum impedimentum inde exoriundum (1).

628. vel ex concubinatu

2° *Concubinatus* est modus vivendi uxorio modo inter determinatum virum et determinatam mulierem, seu modus ad invicem conversandi sicut maritus et uxor quoad usum mutuum corporis.

Ad hoc non requiritur quod sub eodem tecto vivant, et sic mulier, quae vulgo dicitur « entretenue », concubinae loco venit. Requiritur autem sive aliquod condictum inter virum et mulierem, quo inter se convenerint de hujusmodi vitae consuetudine instauranda, sive quoddam habituale, i. e. frequens et continuatum commercium carnale. Debet praeterea condictum existere vel habituale commercium inter determinatum virum et determinatam feminam; unde concubinatus non esset commercium institutum a viro regulariter tendente ad lupanar et rem habente cum muliere forte eadem ibidem habitante, cum haec mulier noscatur cuicumque adventanti prostare: est et manet meretrix, non concubina (2).

629. publico.

Nota solum attendi concubinatum *publicum* vel *notorium.* Porro, applicando notiones in Codice insertas pro delictis in genere (can. 2197), censetur concubinatus *publicus,* « si jam divulgatus est aut talibus contigit seu versatur in adjunctis ut prudenter judicari possit et debeat facile divulgatum iri »; censetur notorius *notorietate juris* « post sententiam judicis competentis quae in rem judicatam transierit, aut post confessionem delinquentis in judicio factam ad normam can. 1750 »; *notorietate facti,* « si publice notus sit et in talibus adjunctis commissus ut nulla tergiversatione celari nulloque juris suffragio excusari possit » (3).

(1) Cf. GOUGNARD, apud *Vie diocésaine,* 1924, p. 30; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 361; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 377; CAPPELLO, o. c., n. 543. Cf. etiam modum loquendi Codicis in can. 646, § 1, n. 3, coll. dictis suprà, n. 461. Posset etiam hîc invocari declaratio Leonis XIII (per decr. S. C. C. 13-17 Martii 1879), quatenus publica honestas, prouti tunc vigebat, non induceretur per matrimonium civile.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. IV, p. 27 s. — Quod, in nostra materia, excludendus sit concubinatus *adulterinus,* uti contendit VLAMING, o. c., n. 361, non liquet, nec cogunt argumenta allata. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 378, nota 28.

(3) Non est cur applicetur hîc notio *publici,* qualis, in can. 1037, applicatur impedimento; ratio enim legis irritantis, i. e. indecentia et vitandum scandalum, non

Ex quibus eruitur *matrimonium civile,* pro illis qui clandestinitatis legi sunt obnoxii (1), passim inducere publicam honestatem ex concubinatu publico aut notorio (2). Cf. modò dicta sub 1°, coll. suprà, n. 461.

Quibus attentis, liquet notionem publicae honestatis funditus mutatam esse. Nimirum hactenus exsurgebat publica honestas ex sponsalibus vel ex matrimonio non consummato (3). Qua non obstante profunda mutatione notionis ac indolis, idem conservatur nomen (4).

Restringitur publicae honestatis vinculum ad *consanguineos* personae nulliter ductae aut in concubinatu retentae, exclusis earumdem *affinibus;* indifferenter autem extenditur ad consanguineos legitimos et illegitimos.

630. Species

Distinguitur duplex publicae honestatis *species,* prout oritur ex

---

videtur obtinere nisi ubi concubinatus est publicus ad modum delicti (can. 2197). Caeterùm non dicitur, in can. 1078, impedimentum publicum, sed concubinatus publicus. Reprobatae tamen interpretationi inhaeret *l'Ami du clergé,* 1925, p. 306 s.; dubium etiam quoddam movet VIDAL, o. c., n. 378, in nota 31. Contrà in propositum sensum scripserunt CAPPELLO, o. c., n. 544; CHELODI, o. c., n. 104; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 361; VLAMING, o. c., n. 361.

(1) Qui non tenentur lege candestinitatis possunt, civiliter contrahendo, inire matrimonium validum, ex quo exsurgat *affinitas.* Cf. suprà, n. 461.

(2) Apud CAPPELLO, o. c., n. 544, casus proponitur, post Ferreres, quatenus supponitur Titium cum Titia reipsa in concubinatu vivere, dum publicè habentur uti conjuges, quod facilè contingat cum concubinariis ex dissita regione venientibus; postea autem Titius vult ducere Bertham filiam defunctae Titiae. Censet Cappello impedimentum certissimè existere, vel ratione matrimonii, ex defectu formae invalidi, vel ratione concubinatus. Atvero potius videtur dicendum ad minus dubium fore in casu impedimentum, cum non detur nec matrimonium, in casu, nec concubinatus *publicus,* qua talis; unde, attento dubio, non esset, secluso scandalo, matrimonium impediendum. Ita etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 378, nota 32.

(3) Antea a causis inducentibus publicam honestatem excludebatur copula, sive matrimonialis sive extramatrimonialis, quae locum dabat affinitati licitae respective et illicitae. In praesenti vero disciplina, publica honestas, licet stricte contrahi possit absque copula, cum exsurgat etiam ex invalido matrimonio non consummato, regulariter tamen praesupponit commercium carnale illegitimum, institutum scil. in concubinatu vel in matrimonio invalido; et sic potius accedit publica honestas, saltem ex concubinatu orta, ad indolem olim existentis impedimenti affinitatis illicitae.

(4) *Nomen* traxit illud vinculum ab ipsa ratione ob quam impedimentum matrimonii inducebat, quia nempe, deficiente licet distincto aliquo titulo juridico, ex quo matrimonium prohiberetur, censebatur non convenire et contra publicam honestatem esse ut matrimonium contraheretur cum consanguineis prioris sponsae vel uxoris non cognitae: contra hoc enim matrimonium invocari poterant, proportione servata, rationes inductae contra matrimonia inter consanguineos et affines. Vocabatur etiam, uti jam notavimus, *quasi-affinitas,* propter analogiam cum affinitate: sicut nempe affinitatis vinculum inter unam personam et conjunctos alterius inducebatur per *unionem carnalem* illarum duarum personarum, ita inter unam personam et alterius conjunctos oriebatur publicae honestatis vinculum ex *unione voluntatum,* per consensum scil. sponsalitium vel nuptialem inter illas duas personas.

Caeterum in hoc Ecclesia conformiter egit ad *Jus Romanum,* in quo, juxta regulam juris, L. 197, D, L, 17: « *semper in conjunctionibus non solum quid liceat considerandum est, sed et quid honestum sit* », variae prohibitiones matrimonii ex hoc capite honestatis erant statutae, notatim inter sponsam et sponsi parentes in linea recta, inter concubinam et parentes in linea recta personae cum qua in concubinatu (in sensu juris Romani) vixerit. De quibus cf. CARON, o. c., p. 67-72; GILLMANN, *Das Ehemals...* p. 30, in nota 2; LAFOURCADE, o. c., p. 71 s.; ROCHE, o. c., p. 15.

In lege *Hammourabi* non ignoratur aliquod publicae honestatis vinculum ex matrimonio non consummato oriens; par. 156 enim disponitur: « Si un homme a choisi une fiancée pour son fils, et si son fils ne l'a pas encore connue, et si lui-même a dormi dans son sein, il lui paiera une demi-mine d'argent, et lui rendra intégralement tout ce qu'elle a apporté de chez son père, et elle épousera qui elle voudra ».

matrimonio invalido vel ex concubinatu; vix autem locus est distinctioni in publicam honestatem simplicem et multiplicem (1): de qua caeteroquin multiplicitate silet Codex. *honestatis publicae.*

Determinatur publica honestas: indicando gradum (2), indicando etiam fontem ex quo oriatur, ex concubinatu scil. vel ex matrimonio invalido, et addendo, in quantum opus esse potest, utrum simplex sit vel multiplex.

Computantur gradus juxta dicta suprà pro affinitate, n. 615, attentis ibidem notatis.

II. **Jus Vigens.**

Publicae honestatis justitia jure merè ecclesiastico dirimit matrimonium inter unam personam et alterius personae, cum qua vel matrimonium contraxit invalidum vel concubinatum instauravit, consanguineos in primo et secundo gradu lineae rectae. Can. 1078.

Explicatur.

631. Extensio impedimenti.

1° Restringitur impedimentum ad *lineam rectam,* exclusa linea collaterali, etiam in 1° gradu; et, in ipsa linea recta, limitatur *ad 1^m et 2^m gradum.* Unde contrahitur impedimentum a viro cum matre vel avia, et cum filia aut nepte (klein-dochter) mulieris concubinae vel nulliter ductae; et vicissim a muliere; non ultrà.

632. est juris ecclesiastici.

2° Dirimit matrimonium *jure ecclesiastico,* quod nemo neget. Unde a/ dispensare potest Ecclesia universim super hoc impedimento; b/ huic impedimento non sunt obnoxii *infideles,* nisi indirecte tantùm, ratione subjectionis partis fidelis cum qua matrimonium inire intenderent (3); posset tamen, ut videtur, publica honestas *ex concubinatu,* in infidelitate contracta, impedimentum constituere in ordine ad matrimonium post Baptismi susceptionem ineundum (4).

---

(1) Attenta analogia cum affinitate (can. 1077, § 2), non multiplicatur publicae honestatis impedimentum ex eo quod uterque sponsus matrimonium inierat invalidum vel concubinatum instauraverat cum consanguinea persona alterius partis, puta sponsus cum matre vel filia sponsae et sponsa cum patre vel filio sponsi. Oriri posset *multiplex* impedimentum, sed rarissime continget in praxi, quatenus alterutra pars matrimonium invalidum inierat vel concubinarie vixerat successive cum duabus consanguineis alterius partis, puta sponsus cum duabus filiabus sponsae; item si sponsus v. gr. in concubinatu vixerit cum sponsae matre et simul matrimonium invalidum inierat cum sponsae avia.

(2) Non est indicanda *linea,* cum impedimentum non contrahatur nisi in sola linea recta.

(3) Infidelis igitur vir, si vult nubere mulieri infideli, cum cujus matre aut filia matrimonium contraxit invalidum aut publicum instauravit concubinatum, non subest impedimento publicae honestatis; contrà, si vir est baptizatus et mulier infidelis: vir impedimento obnoxius est directe, et mulier indirecte, ratione subjectionis viri.

(4) Cf. suprà, n. 438^bis, ubi vidimus a contrario publicam honestatem ex matrimonio non constituere impedimentum respectu matrimonii post Baptismum celebrandi.

3° Impedimentum publicae honestatis non afficit nisi matrimonium postea *contrahendum,* quod dirimit, nec ratio est habenda publicae honestatis matrimonio supervenientis: non obstante scil. invocata analogia publicae honestatis ex concubinatu cum affinitate ex copula illicita, ante Codicem vigente, illi non est applicanda dispositio juris, Codici anterioris, quatenus affinitas illa, matrimonio superveniens, auferebat, positis ponendis, licentiam petendi debitum (1). Cf. suprà, n. 233, coll. suprà, n. 616.

4° *Ratio juridica* ob quam inducta est lex irritans, consistit in inconvenientia et incongruitate hujusmodi matrimonii, quatenus contra honestatem publicam sit matrimonium contrahi cum proximioribus consanguineis personae, cum qua quis adeo intimè convixerit sive in concubinatu, sive in nuptiis, quantumvis invalidis, non secus ac olim contra publicam honestatem censebatur esse matrimonium ineundum cum consanguineis prioris sponsae aut uxoris non cognitae. Cf. suprà, n. 629, in nota.

633. Nota. **Nota** 1. Si dispensari potest universim in publica honestate, oportet ut provideatur conditioni olim imponi solitae in concedenda dispensatione super affinitate illicita in linea recta: ut nempe copula, habita cum matre mulieris, hujus nativitatem non antecedat, vel ut alio modo occurratur periculo ne vir propriam filiam naturalem ducat. Cf. suprà, n. 622, in nota, cum ibidem invocato canone 1076, § 3. Cf. etiam infrà, n. 874.

2. Non cessat impedimentum publicae honestatis dissociato matrimonii invalidi aut concubinariae vitae consortio. Disputari autem posset utrum publica honestas, orta ex matrimonio invalido vel ex concubinatu publico, si deinceps matrimonium contingit convalidari aut si concubinatus in legitimas nuptias transit, utrum, inquam, locum cedat affinitati ab eaque quasi absorbeatur, utrum vero perseveret publica honestas eique superveniat affinitas, adeo ut super utroque impedimento foret dispensandum. Porro sententia alteri solutioni adhaerens magis conformis censetur disciplinae anteriori, quatenus passim admittebatur publicae honestati, ex matrimonio rato ortae, accedere affinitatem, consummato matrimonio. Consentit WERNZ-VIDAL, o. c., n. 381, licet desideret authenticam declarationem. Favent etiam CAPPELLO, o. c., n. 553; VLAMING, o. c., n. 367, licet non excludant dubium; cf. etiam, in eumdem

(1) Applicatio possibilis fuisset in casu quo quis, post matrimonium validè celebratum, concubinatum instauraret cum matre vel prole uxoris.

sensum *Vie diocésaine,* 1920, p. 35 s., ac SCHARNAGL, apud SCHÄFER, o. c., p. 219. Potius rejicit propositam sententiam LEITNER, o. c., p. 165. Tutius foret super utroque impedimento dispensationem impetrare.

III. **Mutationes per Codicem inductae.**

634. Mutatio a Codice inducta in extensione impedimenti.

Salva intima mutatione ipsi notioni et naturae publicae honestatis allata, de qua suprà, n. 626 ss., signanter n. 629, multum etiam moderantur limites ejusdem vis irritativae.

Nimirum hactenus

1° Publica honestas *ex sponsalibus* (validis et absolutis) matrimonium dirimebat usque ad primum gradum, tam in linea recta quam in linea collaterali; manebat autem impedimentum etiam post sponsalia dissoluta.

2° Publica honestas *ex matrimonio non consummato* nuptias irritabat usque ad quartum gradum, sive validum fuerit matrimonium sive invalidum, modò nullitas non provenerit ex defectu consensus. Censebatur autem matrimonium non esse irritum ex defectu consensus, adeoque inducere impedimentum publicae honestatis, statim ac emissus fuerat consensus naturaliter validus (1), salva tamen duplici exceptione in jure statuta, quatenus scil. non induceretur publica honestas a/ ex matrimonio civili inter personas clandestinitatis legi obnoxias celebrato, nec b/ ex matrimonio impuberum (2).

635. Notitia historica.

Scholion I. Quod spectat **evolutionem juridicam** impedimenti in jure canonico, vix non sufficit recolere dicta, praesertim in nota ad n. 629; obscura caeteroquin et confusa sunt hujus impedimenti exordia, quae non videntur saeculo 12° vel 11° antiquiora: prima vice apparet impedimentum apud *Gratianum,* in variis capitibus, incertae originis, Causae XXVII, q. 2 (3), ac successive fuit accuratius determinatum et arctius delimitatum, speciatim in Concilio Lateran. IV (1215), donec a Bonifacio VIII definitivam suam formam acceperit, quam servavit usque ad Concilium Tridentinum, in quo restrictum fuit impedimentum ex sponsalibus a quarto gradu ad primum gradum (suprà, n. 634). Juvat etiam in memoriam revocare declarationem Leonis XIII (13-17 Martii 1879), de qua sub n. 627, in nota.

636. Jus civile Belgicum.

Scholion II. Legislatio nostra civilis ignorat impedimentum P. H. Ex una nempe parte, nullum agnoscit vinculum exsurgens ex matrimonio invalido, neque etiam ex concubinatu (coll. tamen nota ad n. 625); ex alia autem parte, jus nostrum jam non agnoscit impedimenta quae ex publica honestate induxerat Jus Romanum, notatim ex capite sponsalium, quippe quae coram jure nostro civili censentur non existere.

(1) Non referebat quod nullum fuerit matrimonium ob impedimentum juris ecclesiastici afficiens consensum.

(2) Qua ratione et sub quanam forma Jus Romanum admiserit impedimentum publicae honestatis, etiam notatum habes in nota ad n. 629.

(3) *Huguccio* (circa annum 1188), in suo impedimentorum catalogo, recenset publicae honestatis justitiam. Cf. textum apud BRYS, o. c., p. 130. Cf. plura circa historicam evolutionem impedimenti apud VILLIEN, *Diction. de théol.*, V° *Honnêteté publique,* col. 61 ss.

ARTICULUS 9^us^. De impedimento Cognationis spiritualis.

I. Notio.

637. *Cognationis spiritualis notio.*

Cognatio spiritualis, sub praesenti disciplina, est propinquitas oriens ex baptismatis et confirmationis sacramento, ac intercedens inter ministrum et susceptores baptismi ex una parte et baptizatum ex alia parte, ac inter confirmatum et confirmationis patrinum. Can. 768 et 797.

Fundamentum in quo nititur cognatio spiritualis est sacramentum regenerationis, per confirmationem completum, ex quo ministri ac susceptores censentur parentes spirituales prolis regeneratae; datur ergo fundamentum duplex: baptimus nempe et confirmatio; nullatenus autem inducitur cognatio per suppletionem caeremoniarum.

Attento autem tenore canonis 797, a cognatione spirituali jam, secus ac antea, penitus excluditur *confirmationis minister;* item, attentis canonibus 768 et 797, excluduntur baptizati aut confirmati *parentes,* abrogata cognatione spirituali, hucusque existente, inter dictos parentes, ex una parte, et baptizantem ac susceptores in baptismo et confirmatione, ex alia parte.

Licet de cognatione multiplici sileat Codex, videtur quod cognatio spiritualis potest esse *simplex* et *multiplex.* Nimirum *multiplicatur* cognatio spiritualis vel a/ ex multiplicato sacramento, quatenus aliquis eamdem prolem susceperit in utroque sacramento baptismi et confirmationis; vel b/ ex multiplicato munere, quatenus scil. eamdem prolem quis baptizaverit simul et susceperit (per procuratorem).

II. Jus vigens.

638. *Impedimentum oritur ex baptismo,*

Cognatio spiritualis ex baptismo orta constituit, salvis conditionibus requisitis, impedimentum jure ecclesiastico dirimens matrimonii: inter ministrum sacramenti et susceptores ex una parte ac personam baptizatam ex alia parte.

Explicatio.

A. **Impedimentum** cognationis spiritualis, restringitur ad solam cognationem spiritualem *ex baptismo* (1), ad exclusionem cogna-

(1) Distinctio igitur, non modò theoretice sed et pro praxi, manet, in praesenti jure canonico, inter cognationis spiritualis vinculum et cognationis spiritualis impedimentum, cum dictum vinculum, secus ac impedimentum, oriatur etiam ex confirmatione, ac effectum juridicum inducat, obligationem scil., pro patrino, « confirmatum perpetuò sibi commendatum habendi ejusque christianam educationem curandi ». Can. 797, coll. dicendis infrà, sub n. 641. Cf. etiam suprà, nn. 598, in nota, 616 et 626, in nota, observata respective circa consanguinitatem, affinitatem et publicam honestatem.

tionis spiritualis ex confirmatione (1); cum autem, juxta modò dicta, sola adhuc admittatur cognatio spiritualis inter baptizantem et baptismi susceptores, ex una parte, ac baptizatum, ex alia parte, jam non contrahitur cognationis spiritualis impedimentum a baptizante et susceptoribus cum baptizati parentibus.

inter ministrum et susceptores, ex una parte, et baptizatum, ex altera parte,

Descripti limites impedimenti statuuntur in canone 1079, quo canone restringitur ambitus impedimenti in Concilio Tridentino delineatus (2), juxta quem extendebatur impedimentum etiam ad cognationem spiritualem ex confirmatione contractum, et contrahebatur quoque a baptizante, confirmante et susceptoribus respectu baptizati vel confirmati *parentum.*

Impedimentum cognationis spiritualis, in praesenti jure, spectat solum matrimonium *contrahendum,* nec attendendus jam est effectus juridicus quem antea producebat in matrimonium valide contractum, cui forte superveniebat, quatenus, positis ponendis, auferebat, in poenam, licentiam petendi debitum. Cf. suprà, n. 234.

Omnium consensu impedimentum est *juris mere ecclesiastici,* in quo caeteroquin jure ecclesiastico totum quantum nititur ipsum cognationis spiritualis vinculum (3).

B. Quod spectat nunc **conditiones** a jure statutas, ad cognationis spiritualis vinculum ex baptismo, adeoque et impedimentum, contrahendum, huc redeunt.

639. positis conditionibus a jure requisitis,

1° *Ex parte sacramenti:* ut sit *valide susceptum,* adeo ut sacramentum baptismi, nulliter collatum, non inducat impedimentum. Si *dubium* sit sacramentum: attento can. 763, cognationis impedimentum ex baptismo dubio non contrahitur saltem a patrino, de quo solo expresse loquitur dictus canon (4), adeo ut levans in priori

ex parte sacramenti,

(1) Caeterum, cum patrinus et matrina in confirmatione debeant esse ejusdem sexus ac confirmandus (can. 796, § 2), vix locus est impedimento statuendo inter confirmatos eorumque susceptores, inter quos solos modò vidimus contrahi cognationem spiritualem.

(2) Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 2, *De ref. matr.,* statuit « ut unus tantum, sive vir, sive mulier, juxta SS. Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de *baptismo* suscipiant: inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum baptizatique patrem ac matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur... Ea quoque cognatio, quae ex *confirmatione* contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem et matrem ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omninò sublatis ».

Hoc statuto reducebantur ampliores limites juris antetridentini, quia, uti ibidem dicitur, docuit experientia « propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia ».

(3) Ratio inductae legis irritantis est in reverentia debita inter parentes spirituales et filium spiritualem, ad instar reverentiae quam parentes et filii naturales sibi invicem debent.

(4) Nimirum, in canone 763, postquam, in priori paragrapho, cautum est ut, « cum baptismus iteratur sub conditione, idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur qui in priore baptismo forte adfuit », additur, in altera paragrapho, quod, nisi idem patrinus adhibeatur in utroque baptismo, « neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque qui posteriori, cognationem spiritualem contrahit ».

baptismi collatione dubiè valida, sive in conditionata illius iteratione, cognationem non contrahat nec impedimentum, nisi idem patrinus adhibitus fuerit in utroque baptismo, idque ita ut impedimentum non sit attendendum ex susceptione dubia, etiamsi postea liqueat baptismum, in quo susceptio locum habuit, fuisse validum. Dicitur: saltem a *patrino;* quia non conveniunt Auctores circa *ministrum,* utrum scil. eadem dispositio can. 763 etiam ministrum afficiat, aliis negantibus (1), aliis affirmantibus (2), ac etiam aliis rem dubiam habentibus, dubio juris, adeo ut, favente canone 15, impedimentum matrimonii practice negligendum dicant inter dubie baptizatum et baptismi ministrum (3): cui sententiae non audemus contradicere.

Non refert autem quod baptisma *privatim et absque sollemnitatibus* ministretur: constat namque ex declaratione S. C. C., 5 Martii 1678, induci impedimentum ex tali baptismo, non tantum respectu *ministri,* quod a nemine negatur, sed etiam respectu *susceptorum* (4); quod etiam innuit can. 762, § 2, collatus cum can. 768: in hoc altero enim canone absque restrictione dicitur cognationem oriri ex baptismo, quae cognatio ex baptismo, juxta canonem 1079, inducit impedimentum; ex canone autem 762, § 2, simpliciter suadetur ut in baptismo privato adhibeatur patrinus; in quo eodem canone, postquam actum est de adhibendo patrino in supplendis caeremoniis, additur, secus ac pro baptismo privato: « sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem »; quod non obscure

(1) Negant ministrum a cognationis impedimento liberari, in casu, ac tenent praesto esse impedimentum dubium, dubio scil. facti, adeo ut can. 15 invocari nequeat: VLAMING, o. c., n. 176; CHELODI, o. c., n. 106.

(2) Ita SCHÄFER, o. c., p. 222; VERMEERSCH, *Theol. mor.*, IV, n. 783; LEITNER, o. c., n. 167.

(3) Ita WERNZ-VIDAL, o. c., n. 395, cum nota 46; CAPPELLO, o. c., n. 558: « attenta, sic arguit, mitiore disciplina hodie vigente, quae valde restrinxit ambitum impedimenti, perspecto can. 22, putamus rem esse dubiam, et ideo, stante dubio juris, impedimentum non existere ».

(4) Ad dubium « An dispositio Concilii, c. 2, Sess. XXIV, *De reform. matr.*, decernens in sacramento baptismatis cognationem spiritualem inter *suscipientem* et patrem ac matrem suscepti, locum habeat in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi secuto », responsum est: « *affirmative* ». Cui responso obstare non videtur rescriptum recens S. Poenitentiariae, dispensantis in forma commissoria super cognatione spirituali ex baptismo privato, cum hac restrictione: *quatenus opus sit* (*Collat. Brug.*, XI, p. 660 s.); simpliciter namque abstinet S. Poenitentiaria a solvenda controversia. Circa rationes inductas contra propositam sententiam earumque refutationem, videsis VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, p. 206-208, coll. ROSSET, o. c., n. 1866; *N. R. th.*, XII, p. 634 s.; SCHERER, o. c., II, p. 318; FEYE, o. c., n. 413; THEOL. MECHL., o. c., p. 476; SCHNITZER, o. c., p. 428; HEINER[6], o. c., p. 97; VLAMING[2], o. c., n. 377; GASPARRI, o. c., I, n. 739; DE BECKER, o. c., p. 220; LEITNER, o. c., p. 167; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 393, nota 42; CAPPELLO, o. c., n. 560; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, II[2], n. 364, coll. tamen n. 50 s.; LINNEBORN, o. c., p. 283; CHELODI, o. c., n. 106; DURIEUX, o. c., n. 149; FERRUGIA, o. c., n. 215, qui omnes auctores tenent sententiam affirmantem contra alios quosdam negantes, inter quos S. ALPHONSUS, l. VI, n. 149; GIOVINE, o. c., I, p. 385, quos sequitur LEHMKUHL, o. c., II, n. 758; juxta VERMEERSCH, *Theol. mor.*, IV, n. 257, « res non liquet ». — Patrinos adhiberi in baptismo privato, jure communi non praescribitur, sed suadetur, uti innotescit ex tenore can. 762, § 2; olim in quibusdam dioecesibus existebat prohibitio juris particularis.

innuit illam contrahi in baptismo privato. Caeterum cognatio spiritualis sequitur regenerationis sacramentum, non caeremonias (1). Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 27 s. (2).

640. et ex parte suscipientis.

2° *Ex parte suscipientis:* ut *validè* agat patrinum. Ad quod requiritur:

a/ ut suscipiens sit *baptizatus* (3);

b/ ut suscipiens habeat *usum rationis,* et *intentionem* habeat, saltem virtualem, suscipiendi seu agendi patrinum (4).

Non potest igitur valide munus patrini exercere, nec adeo cognationem contrahere nec impedimentum, puer rationem nondum adeptus, nec adultus rationis non compos, puta perfecte ebrius. Neque sufficit ut susceptio peragatur mere materialiter, sed formaliter obeatur oportet; et inde ignorans se patrinum agere, invalide suscipit, nec defectui supplere valet intentio postea accedens: debet praecedere vel comitari susceptionem; quod praesertim attendendum est in susceptione *per procuratorem* (5).

---

(1) Inde etiam apparet quod nec minister caeremonias merè supplens, nec patrini in mera caeremoniarum suppletione accedentes, cognationem contrahunt. Quod expressis verbis confirmat can. 762, § 2.

(2) Varias Auctorum sententias videsis apud *Vie diocésaine,* 1924, p. 109 s.

(3) Can. 765, n. 1. — Jam in c. 102, Dist. IV, *De consecratione,* decernebatur: « In baptismate (vel in chrismate) non potest alium suscipere filiolum qui non sit ipse baptizatus (vel confirmatus) ». Licet in hoc decreto non appareat agi de valore actus, sub poena tamen nullitatis auctores passim exigebant characterem baptismalem in susceptore, idque meritò, cum absurdum censeatur patrem spiritualem agere illum qui spiritu nondum est natus, ac munus sponsoris de pupilli fidelitate assumere illum qui ipse infidelis est.

Caeteroquin, uti sub n. 642 notabitur, cognatio spiritualis, adeoque et impedimentum, non potest exsurgere nisi inter duas personas utrimque baptizatas.

(4) *Ibidem.* Nullatenus requiritur intentio *contrahendi cognationem spiritualem.*

(5) Nimirum, in susceptione *per procuratorem,* patrinus existit et cognationem contrahit ipse mandans, non vero procurator illius nomine agens; oportet autem mandatum praecesserit (aut comitatum sit) susceptionem, et ita non est susceptor ille qui ignorans eligitur in patrinum et cujus inscii nomine proles suscipitur, quantumvis ejus intentio praesumatur; nec etiam ille qui electus munus acceptavit sed neminem suo loco commisit, etsi aliquis ex praesumpta voluntate vices ejus suppleverit. Cf. decisiones Romanas apud ROSSET, o. c., n. 1845 et DE BECKER, *De Matr.*, p. 223, et prae caeteris Instructionem S. C. O., 15 Sept. 1869, apud *N. R. th.*, IX, p. 555 ss. Cf. etiam *Ned. kath. Stemmen,* 1925, p. 37 ss.

Ideo reprobandam declaravit S. C. de Sacr., 24 Julii 1925, consuetudinem in archidioecesi Ultrajectensi vigentem, quatenus « qui patrinum agere vult, nemini mandatum confert expressum, sed, nisi per se officio illo perfungatur patrinus, baptizans vel baptizandi parentes aliam personam invitant, ut pro patrino absente agat ». Quam reprobationem merito in hoc fundat praefata S. Congregatio: a/ « quia indubitanter constare debet patrinum in facie Ecclesiae proprium munus suscepisse, quod per dictam consuetudinem manet incertum et aequivocum; b/ quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis ad mentem can. 769, quod excludere videtur praefata consuetudo, quippe quae redigit patrini officium ad quemdam inanem ritum; c/ quia ex tali recepto more facultas fere demitur parocho conditiones explorandi, quae a can. 765 et 766 requiruntur ut quis validè et licitè patrini munus suscipiat ». — Ad quaestionem autem positam »: An ex tali agendi modo patrinus absens contrahat cognationem spiritualem, et exinde oriatur impedimentum canonis 1079, respondet S. Congr.: « Si patrinus, agnoscens hujusmodi consuetudinem, eidem sese conformare intendat, et aliunde patrinus ipse esse possit ad normam can. 765, *affirmativè* ». A. A. S., XVIII (1926), p. 43 ss. — Cf. etiam Instructionem 25 Nov. 1925, quam S. C. de Sacr. occasione Causae Ultrajectensis, Ordinariis transmittendam curavit (*Ned. kath. Stemmen,* 1926, p. 66 ss.). Cf. tandem *Collat. Brug.*, t. XXVI, p. 362 ss., et p. 385 ss.

c/ ut *non erraverit* substantialiter *circa personam,* vel saltem intentione absoluta voluerit suscipere personam praesentem.

d/ ut « ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam (1), nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus, aut infamis infamia juris (2), aut exclusus ab actibus legitimis (3), nec sit clericus depositus vel degradatus » (4). Can. 765, n. 2.

e/ ut non sit pater vel mater vel conjux baptizandi. Can. 765, n. 3 (5).

f/ ut « baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem *physice teneat* aut *tangat* (6) vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte (7) aut de manibus baptizantis » (8). Can. 765, n. 5.

---

(1) *Ante Codicem,* haeretici et schismatici excludebantur a *licita* dumtaxat susceptione, non a valida. Non semel autem in hoc institerat S. Sedes quod abstinendum esset ab assumendo *haeretico,* etiam si alia persona non foret praesto, ac pluries declaraverat Apostolica Sedes conferendum esse baptisma sine patrino potius quam cum patrino haeretico. Cf. Instr. C. S. O., 1745, apud *Collectan.,* n. 604; decr. C. S. O., 3 Maii 1893, apud *A. S. S.,* XXVI, p. 448; coll. etiam *Actis Conc. Amer. Lat.,* n. 505.

(2) *Infames infamia juris sunt:* a/ *duellantes* eorumque patrini (can. 2351); b/ *bigami,* ii scil. qui, stante vinculo conjugali, aliud matrimonium, etiam civile tantum, attentaverint (can. 2356); c/ nomen dantes vel publice adhaerentes *sectae acatholicae* (can. 2314); d/ qui *species consecratas* abjecerint aut ad malum finem abduxerint aut retinuerint (can. 2320); e/ qui *cadavera vel sepulcra* ad furtum vel alium finem violaverint (can. 2328); f/ qui in Rom. Pontificem vel in Cardinales vel in Legatos R. Pontificis violentas manus injecerint (can. 2343); g/ laici legitime *damnati ob delicta contra sextum* cum minoribus infra aetatem 16 annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium (can. 2357).

(3) *Excluduntur ab actibus legitimis* (can. 2256, n. 2), praeter infames infamia juris: *excommunicatus* (can. 2263); *raptor,* qui nempe, « intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa, rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus » (can. 2353); « laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel alium finem malum, usurae, rapinae, furti qualificati, vel non qualificati in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae » (can. 2354); « catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine dispensatione Ecclesiae inire ausi fuerint » (can. 2375); religiosus apostata a religione (can. 2385).

Attende excommunicatos, infames infamia juris et exclusos ab actibus legitimis patrini munus non exercere invalidè, nisi postquam judicis sententia fuerint damnati vel declarati tanquam excommunicati aut infames aut ab actibus legitimis exclusi.

(4) Circa depositionem et degradationem clerici, cf. can. 2303 et 2305.

(5) Hucusque parentes et conjux a munere susceptoris *prohibebantur* mera prohibitione *non irritativa.* Docebat autem C. S. O., in Instr. 15 Sept. 1869 (*N. R. th.,* IX, p. 455), nihil impedire quominus parentes, aliis deficientibus, puta in locis missionum, patrinorum vices gererent, « suos infantes *materialiter* tenendo et pro eis baptizanti respondendo, citra tamen veri et proprie sumpti patrinatus praerogativam, et absque patrinatus effectibus juridicis.

Porro ratio a patrinatu repellendi praecipua olim erat in cognatione, cum matrimonii usus prohibitione, a parente patrinum agente contracta erga compartem. Sublata nunc hac cognatione, manet adhuc ratio quam suggerunt *Collat. Brugen.,* XXI, p. 20: « Sicut est alia generatio spiritualis a carnali, ita debet esse et alia disciplina. Jamvero praestat hanc curationem spiritualem etiam extraneis committere ut ex eo magis appareat quantum haec spiritualis educatio a carnali distet, et quam sollicitè huic educationi providendum sit, curando ut, si parentes suo officio desint, alius, vi suscepti muneris, parentum defectui suppleat ».

(6) Mos est, in nostris regionibus, ut patrinus aut matrina, sub ipsa sacramentali ablutione, ponat manum super humerum seu pectus prolis baptizandae, mediantibus licet vestibus.

(7) Olim, in baptismo per immersionem collato, patrinus suscipiebat baptizandum seu levabat de fonte. Unde locutiones: suscipere, levare e fontibus. Cf. *Kirchenlexicon,* V° *Pathen.*

(8) Ultimus susceptionis modus spectat loca ubi mos est ut ipse sacerdos puerum

g/ ut « ab ipso baptizando (adulto) ejusve parentibus vel tutoribus, aut, his deficientibus, a ministro sit designatus » (can. 765, n. 4 (1), quin susceptionis valori obstat quod aliquis fuerit designatus *illicitè,* utpote a jure repellendus (can. 766), saltem si non fuerit a ministro, cui competit prohibitos repellere, rejectus (2).

641. Notanda.

Nota 1. Quanquam multo rarius quam olim locus erit huic impedimento cognationis spiritualis, attendere tamen debet parochus et circa hoc impedimentum inquirere, ubi agitur de matrimonio ineundo inter personas affines et consanguineas, signanter in 1° gradu mixto cum 2°.

2. Attentis dictis sub n. 637, circa *multiplicationem* cognationis spiritualis, et attento quod impedimentum non constituat cognatio ex confirmatione, non potest oriri *impedimentum multiplex* nisi forte ex causa multiplicati muneris, quatenus scil. eamdem prolem quis baptizaverit simul et susceperit (per procuratorem) (3).

3. Vidimus suprà, n. 638, coll. n. 234, jam non esse attendendam cognationem *supervenientem.* Nec jam est ratio omittendi patrinum in baptismo *illegitimorum* ideo quod timeatur ne obstet impedimentum matrimonio forsan contrahendo inter patrinum et prolis matrem (4).

4. Cognatio spiritualis, sub disciplina Codici anteriori contracta

---

quem abluit detineat. Cf. decr. S. C. C., 20 Dec. 1653, coll. FAGNANO, o. c., cap. *Veniens,* n. 13 ss.; FEYE, *De Imp.,* n. 418; GASPARRI, o. c., n. 744, sub b/; WERNZ, o. c., n. 492; *Collat. Brug.,* t. XI, p. 30.

(1) Hucusque designatio praescribebatur quidem (Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 2, *De reform. matrim.*), sed *non* imponebatur *sub poena nullitatis* susceptionis; et ita, si neglecta fuerat, equidem valide exercebatur munus susceptoris ab omnibus suscipientibus, utut non designatis, etiamsi, ut videtur, plures essent uno et una, cum clausula de non excedendo numero duorum pariter praeceptiva fuerit tantum et non irritativa. Ex alia parte, si designatio reipsa facta fuerat, designatio tunc erat conditio sine qua non ad validam susceptionem, ita ut nemo praeter designatos munus patrini validè exercere potuerit; designari autem (aliunde requisita adimplentes) validè suscipiebant, idque etiam ubi, contra statutum Tridentinum, plures erant quam unus et una.

(2) Dicitur: saltem si..., quia, si a jure prohibitus formiter fuit rejectus a ministro, controvertitur utrum si rejecta persona validè agat patrinum, si nihilominus munere suo fungatur: negant WERNZ-VIDAL, o. c., n. 396, et CHELODI, o. c., n. 106, dum alii, uti VLAMING, o. c., n. 382, et CAPPELLO, o. c., n. 562, affirmant. Negantes autem id invocant quod legitimè rejectus non sit legitime designatus, dum cum affirmantibus meritò reponere possumus quod conditio, ob cujus defectum rejicitur, solam afficit liceitatem, quodque, in canone 765, non dicitur legitimam requiri designationem, sed eam esse faciendam a persona competente: qua stante controversia (licet affirmantibus faveamus), posset cognationis impedimentum, in casu, haberi uti dubium, dubio juris, et invocari canon 15.

Quodsi persona designata *injuste* repellatur a ministro, et tamen munus suum rite adimplet, non est dubium ab ea contrahi cognationem spiritualem et impedimentum.

(3) *Jure Codici anteriori,* multiplicabatur impedimentum, quatenus a/ aliquis eamdem prolem vel ejusdem personae diversas proles susceperit in baptismo et in confirmatione; b/ alter alterius prolem levaverit aut in confirmatione tenuerit; non multiplicabatur impedimentum ex eo quod eadem persona plures infantes eorumdem parentum in eodem sacramento successive susceperit (C. S. O., 29 Apr. 1894).

(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. IV, p. 556. Sola ratio quae manet est ut, in odium nativitatis illegitimae, reducatur baptismi ministrandi sollemnitas.

ultra terminos praesenti disciplina statutos (1), cessavit esse impedimentum matrimonii et jam non dirimit, uti antea, matrimonium, servat tamen alios suos juridicos effectus (2). *Pont. Comm. pro interpret. Codicis,* 2-3 Junii 1918, coll. etiam suprà n. 475 et nostro *Tractatu de sacr. in genere,* ed. altera, n. 348.

642. Infideles impedimento non sunt directè nec indirecte obnoxii.

Corollarium I. *Infideles* impedimento cognationis spiritualis non subsunt *directe,* nec etiam, pro sua natura speciali, *indirecte.* Cognatio namque spiritualis non potest ab una parte fideli contrahi respectu alterius partis infidelis, nec adeo potest inter illas impedimentum cognationis existere, ne per communicationem quidem inhabilitatis ab una parte alteri; neque etiam postea impedimentum exsurget, si partem infidelem baptizari contingit (3).

643. Super illo dispensat Ecclesia.

Corollarium II. Ecclesia potest super cognatione spirituali *dispensare* universim, et de facto dispensat; imo jam recensetur cognatio spiritualis universim inter impedimenta minoris gradus (4).

644. Disciplina antiqua.

Scholion. Jam a primordiis Ecclesiae, *baptizantes* censebantur parentes spirituales personae baptizatae, ita ut jam S. Paulus a se conversos et baptizatos vocet filios, utique spirituales. Postea extensa est illa relatio paternitatis ad *patrinos:* hi nempe primitus adhibebantur, in baptismi collatione (5), quasi sponsores et fidejussores, et tantùm postea tamquam parentes spirituales seu patrini, accedente, ex analogia cum ministro baptizante, ratione spiritualis paternitatis, ob intimum scil. nexum cum sacramento regenerationis (6).

Porro cognatio illa spiritualis afficiens ministrum et susceptores in baptismate, transiit ad patrinos adhibitos in *catechismo,* utpote praeparatorio ad baptisma, necnon ad ministrum et patrinos *confirmationis,* sacramentum baptismi perficientis (7), imo etiam, juxta non paucos, ad ministrum *poenitentiae,* spiritualiter mortuum ad vitam reducentis (8).

---

(1) Id applicatur cognationi spirituali, ante Pentecosten 1918, contractae a ministro confirmationis, necnon a baptizati vel confirmati parentibus cum baptizante et susceptoribus in baptismo et confirmatione. Cf. suprà, n. 637 et 638.

(2) Cf. suprà, in nota ad n. 638, ubi de distinctione inter cognationis spiritualis vinculum et cognationis spiritualis impedimentum: quae distinctio hisce confirmatur.

(3) Supra, n. 431. Caeterum ex dictis, sub n. 640, liquet solos baptizatos posse validè patrinatum exercere. Non valet igitur observatio facta nisi pro casu quo infidelis fuerit minister baptismi.

(4) Olim in facultatibus ordinariis, in specie in *Quinquennalibus* Episcoporum Belgii, restringebatur dispensandi potestas ad solum impedimentum compaternitatis, excepto scil. impedimento paternitatis inter parentes spirituales et prolem baptizatam. Cf. decr. C. S. O., 3 Dec. 1902, coll. *Collat. Brug.,* VIII, p. 399 ss. et X, p. 489 s.

(5) Patrini etiam adhibebantur qui assisterent et instruerent baptizandum in praeparatione ad baptismum, seu in *catechismo,* uti dicebant, qui tunc iidem adhiberi solebant in ipso baptismo necnon in confirmatione, quae immediate sequebatur. Cf. *Collat. Brug.,* t. XI, p. 27.

(6) *Collat. Brug.,* t. XI, p. 30 ss.

(7) Cognatio oriens ex baptismate, catechismo et confirmatione, diu fuit memorata per modum unius et absque distinctione, ex eo quod idem minister iidemque susceptores adhiberi solebant.

(8) Non pauci Doctores et Decretistae medii aevi, inter quos Rolandus, postea Alexander III, admiserunt existere, inter *confessarium* et *poenitentem,* cognationem spiritualem, et exinde exsurgere impedimentum matrimonii, quod impedimentum a

Initio susceptores ejusdem sexus passim erant ac baptizandus; inde autem a tempore quo patrini diversi sexus admittebantur, coepit cognatio spiritualis ex baptismate, et etiam, per viam extensionis, ex catechismo, confirmatione, (et, a pluribus, ex Poenitentia), haberi qua *impedimentum matrimonii* (1): cujus primum vestigium occurrit in Conc. Trullano (692), et Romano (721), in quibus jam statuitur impedimentum non modò inter susceptorem et susceptum, sed etiam inter susceptorem et parentes naturales suscepti (2); et sic successivè ampliatum est dictum impedimentum, adeo ut non tantum existeret impedimentum *paternitatis* ac *compaternitatis directae,* sed etiam *compaternitatis indirectae* (3), imo et *fraternitatis* (4).

Cujus successivae evolutionis stadia videsis latius exposita apud ESMEIN, o. c., II, p. 364 ss., et FREISEN, o. c., p. 507 ss., qui alter Auctor, p. 531-552, vindicat nunquam viguisse impedimentum inter patrinum et matrinam ad invicem (5): quod ultimum egregie confirmat GILLMANN, *Das Ehehindernis der gegenseitigen geistlichen Verwandtschaft der Pathen* (6), coll., *Archiv. f. Kirchenr.*, 1908, p. 556 s., necnon *Kleine Beitrage* (*aus Arch. f. k. K.*, 1925), Mainz, 1926, p. 9-11; cf. etiam *Canon. Contemp.*, 1907, p. 343.

Bonifacius VIII, quem, c. 2, IV, 3, in VI°, vidimus impedimentum agnoscere impediens ex catechismo, sub c. 3, eodem loco, statuit, uti modò notavimus, quod ex alio sacramento quam sacramento baptismatis et confirmationis non oriatur cognationis spiritualis impedimentum. *Concilium* autem *Tridentinum* sustulit cognationem spiritualem orientem, cum inpedimento impediente, ex catechismo; dein, pro utroque sacramento, *abrogavit* impedimentum *fraternitatis* et *compaternitatis indirectae,* sola relicta paternitate et compaternitate directa, adeo ut restringeretur, juxta dicta, cognatio ejusque vis irritativa ad baptizatum hujusque paren-

---

plerisque tamen non extendebatur, in modum impedimenti cognationis spiritualis ex baptismate, ad filios, si fuerint, confessarii respectu poenitentis. Jamvero non est negandum vinculum quoddam spirituale fuisse agnitum inter confessarium et poenitentem, unde passim incestuosa reputabatur carnalis eorum commixtio; ast vis ejusdem vinculi irritativa aut prohibitiva nulla explicita legis dispositione statuitur, ac Bonifacius VIII, omnem auferens controversiam vigentem, c. 3, IV, 3, in VI°, declaravit quod, praeterquam ex baptismo (et conjuncto catechismo) et confirmatione, « ex datione aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quae matrimonium impediat vel dissolvat ». Cf. GILLMANN, *Das Ehehindernis des geistlichen Verwandtschaft aus der Busse,* coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 390, nota 29.

(1) Impedimentum ex *catechismo* fuit *impediens* tantùm, sic authentice interpretante decretum Clementis III (c. 5, X, IV, 11) ipso Bonifacio VIII, c. 2, in VI°, IV, 3.

(2) Edictum Justiniani, L. 26, *De Nuptiis,* V, 4, prohibet jam nuptias inter susceptores et susceptos.

(3) « La *compaternitas directa* était celle... qui existait entre le père et la mère naturels d'une part et le père et la mère spirituels d'autre part. Mais chacune de ces personnes était aussi dans les mêmes relations avec le conjoint de son compère et de sa commère, pourvu que ceux-ci eussent été mariés et leur mariage consommé avant le baptême ou la confirmation d'où naissait la cognatio spiritualis ». ESMEIN, o. c., I, p. 371.

(4) « Le baptizatus, filius spiritualis, fut considéré comme le frère spirituel des enfants naturels de ses parentes spirituales, et, par voie de conséquence, le mariage fut déclaré interdit et nul entre lui et eux ». *Ibidem,* p. 372.

(5) *Compater* et *commater,* inter quos existebat impedimentum, designant non patrinum et matrinam inter se, sed patrem spiritualem ex una parte et matrem naturalem ejusdem prolis ex alia parte, et vicissim.

(6) Juvat etiam ad h. l. remittere, ubi laudatus Auctor, p. 688 et p. 710 s., prae oculis ponit abnormem extensionem impedimenti cognationis, quale olim viguerit; altero scil. loco inducit Johannem Andreae enumerantem *viginti* casus « in quibus cognatio spiritualis impedit et dirimit matrimonium ».

tes ex una parte et susceptores ac baptizantem ex alia parte (Sess. XXIV, c. 2, *De reform matr.*) (1). Tandem novus Codex statuit jam non oriri cognationem nisi inter baptizantem et susceptores ex una parte ac baptizatum ex altera parte, et, inter confirmatum et susceptorem, ita ut non remaneat nisi paternitas, sublata compatertate directa; statuit praeterea solam cognationem *ex baptismo* constituere *impedimentum* matrimonii.

ARTICULUS 10[s]. **De Cognatione Legali** (remissive).

645. Disciplina praesens. Sub oeconomia Codicis, juxta exposita suprà, n. 493, cognatio legalis inducit, coram Ecclesia, impedimentum *dirimens,* in illis regionibus in quibus cognatio, ex adoptione legitima exoriens, certò constituit impedimentum irritans in foro civili, idque intra eosdem limites et in eadem amplitudine ac *in foro civili.* Hujusmodi impedimentum irritans agnoscitur in legislatione civili Italica, adeoque etiam in foro ecclesiastico urgetur, in Italia, impedimentum dirimens. Idem valet pro Hispania et variis regnis Americae Meridionalis.

Quod spectat Belgium et alias regiones quas regit Codex Napoleonis, vidimus cognationem legalem ibidem esse habendam qua inducentem impedimentum *impediens* dumtaxat.

ARTICULUS 11[s]. **De Impedimento Raptus.**

I. **Notio.**

646. Notio raptus. Raptus dicitur *duplex.* Datur 1° *raptus violentiae,* seu raptus stricte dictus, consistens scil. in abductione violenta, i. e. vi (sive physica sive morali) vel dolo (2) facta contra voluntatem ipsius puellae raptae; *abductio* autem intelligitur de loco ad locum, de loco scil. tuto, in quo non erat sub potestate raptoris, ad locum non tutum; ad *violentam* autem abductionem supponitur puella reluctans vel abductioni simul et matrimonio, vel saltem matrimonio, adeo ut raptus praesto sit si puella, blanditiis allecta, in abductionem consentit, ignorat vero abductionem fieri matrimonii ineundi causa et ita est disposita ut hoc nollet. Habetur 2° *raptus seductionis,* seu *raptus*

(1) Ad reducendum etiam ambitum impedimenti, confirmat quoque S. Synodus, absque clausula irritante tamen, antiquam prohibitionem adhibendi patrinos plures uno vel una: praevaluerat nempe abusus, in nobilium notatim familiis, plurimos admittendi susceptores, imo integram interdum turmam patrinorum, uti notavimus apud *Collat. Brug.*, t. XI, p. 38.

(2) Dolus esset in casu quo puella, falso praetextu illusa (puta si invitatur ad infirmum invisendum), sinit se in alium locum duci, planè ignorans hic agi de abductione vel de ineundo matrimonio.

in parentes, uti dicitur, consistens in abductione mulieris minoris aetatis, consentientis quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus. Cf. can. 2353 (1).

A *raptu* distinguitur *violenta mulieris retentio,* qua nempe vir mulierem, in loco ubi ea commoratur vel ad quem liberè accessit, violenter detinet; deest hic quaevis abductio, in quo essentiale elementum est raptus (2).

II. **Jus Vigens.**

647. Raptus constituit impedimentum dirimens,

1° *Raptus violentiae, intuitu matrimonii factus, dirimit matrimonium, quamdiu mulier rapta in potestate raptoris manserit.* Can. 1074, § 1 (3).

2° *Pariter dirimit matrimonium violenta rententio mulieris, intuitu matrimonii peracta.* Can. 1074, § 3.

Explicatio et **Probatio.**

A. Quod spectat **raptum:**

1° Raptum irritare matrimonium, id jam explicitè statuebat Concilium Tridentinum, Sess. XXIV, cap. 6, *De reform. matrim.,* decernens « inter raptorem et raptam... non posse consistere matrimonum » (4).

648. si est raptus violentiae,

2° *Solum* intendi *raptum violentiae,* ad exclusionem raptus seductionis, id innuit tenor canonis 1074. Raptus enim sensu stricto intelligitur raptus violentiae; ulterius par. 2ª canonis supponit mulierem raptam constitui in loco non libero nec libere consensisse; favet etiam collatio facta cum canone 2353. Idem innuebant dispositiones Tridentini Concilii, ac confirmat doctrina quam tenuerunt Patres Tridentini circa consensum parentum, ad matrimonii valorem nullatenus requisitum (5). Caeterum jam in decretali Lucii III (1181-1185) sancita fuit decretistarum doctrina, quatenus jam non esset raptus impedimentum in abduc-

(1) Olim etiam raptus vocabatur violenta oppressio mulieris. Cf. infrà, n. 655.

(2) Cf. MITTERER, o. c., p. 94 s.; cf., in aliam partem, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 308.

(3) Cf. Causam *Mandchuriae Sept.,* 6 Junii 1917, apud A. A. S., X, p. 207 ss., in specie p. 212 s.

(4) Impedimentum dirimens raptus inductum est aliquatenus « in odium facinoris », uti monet Instr. anni 1901 (*Collectan.*², n. 2101); sed primaria ratio legis est tuitio libertatis matrimonii, et punitio delicti est planè accessoria, quod vel ex eo patet quod statim ac mulier rapta restituitur in loco tuto, illicò cesset impedimentum, licet delicti factum manserit.

Aliter dicendum de impedimento *impediente* raptus, olim vigente, quo prohibebatur raptori, *in poenam delicti,* matrimonium cum quacumque muliere, si violenter raperit alienam sponsam: manebat hoc impedimentum etiam postquam mulier erat in locum tutum restituta. Cf. c. 34, C. XXVII, q. 2, ac suprà n. 476 et infrà, n. 655.

(5) Cf. WERNZ, o. c., n. 284; cf., in sensum contrarium, *Conférences de Paris,* o. c., t. II, p. 351 ss.

tione contra voluntatem paternam puellae nubilis, in abductionem et matrimonium consentientis. Cf. infrà, n. 655 (1).

Caeterum, si quis sententiam propositam non habeat nisi uti speculative probabilem, jam cogitur, attento principio can. 15, eam habere uti practicè certam.

Raptus proinde seductionis, in praesenti disciplina (2), non constituit impedimentum matrimonii, sed solus raptus violentiae; adeoque pro valore matrimonii requiritur et sufficit puellam consensisse in abductionem et matrimonium (3), quantumvis restiterint parentes (4).

3° Intelligitur raptus *mulieris;* et ita, dum raptus *viri* non importat impedimentum, raptus mulieris *cujuscumque* matrimonium dirimit, modò aliae conditiones obtineant, etiamsi inhonesta fuerit vel et sponsa raptoris (5).

649. et factus intuitu matrimonii;

4° Debet raptus peragi *intuitu matrimonii,* uti tenor canonis habet. Idem jam dicendum erat sub jure Tridentino (6), et sic in rescriptis Romanis, exigentibus ut mulier non fuerit rapta, inseri solebat: « dummodò mulier *propter hoc* rapta non fuerit »; non sufficit igitur raptus libidinis explendae causa, nec officit quod postea accesserit intentio matrimonii; requiritur ut raptus fuerit intuitu matrimonii institutus (7).

650. ac subsistit impedimentum quamdiu rapta in potestate raptoris manserit.

5° Impedimentum subsistit « *quamdiu ipsa (mulier rapta) in potestate raptoris manserit* ».

Sunt verba ipsius can. 1074, § 1, quam dispositionem explicat et confirmat idem canon, § 2, statuens: « quod si rapta, a raptore

(1) Circa interpretationem quarumdum resolutionum S. C. C., necnon decisionum S. Rotae, quae contrariae thesi favere videntur, cf. MITTERER, o. c., p. 97 ss., coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 311, nota 22. — Suprà, n. 446 et 519, vidimus quomodo reges Galliae, saeculo 17° et 18°, conati sunt raptui seductionis vim irritativam agnoscere, ut sic vindicarent nullitatem matrimonii a minorennibus absque parentum consensu contracti.

(2) Quousque raptus in parentes impedimentum constituerit tempore Gratiani, dicetur infrà, n. 655.

(3) Si consenserit quidem in abductionem, sed non in matrimonium, adesse censetur raptus violentiae et impedimentum matrimonii. Cf. suprà, n. 646. — Quod si cui videatur, in casu, non adesse raptum violentiae, equidem adesset impedimentum ex capite retentionis, de qua mox, sub n. 651. Cf. MITTERER, o. c., p. 111-115.

(4) Immerito quidam Auctores censuerunt, in casu raptus seductionis seu in parentes, requisiti consensus puellae non admitti probationem, nisi praecesserint sponsalia valida. Ad summum dici potest quod ex absentia sponsalium aut quorumlibet tractatuum sponsalitiorum praesumptio aliqua juris enascatur contra dictum consensum liberum puellae. Cf. MITTERER, o. c., p. 108-110, coll. p. 99 s.

(5) Ante Concilium Tridentinum non admittebatur raptus in propriam sponsam, quantumvis reluctantem; primitus autem intelligebatur sponsa de praesenti seu uxor non cognita: quae norma exinceps fuerat extensa ad raptum sponsae de futuro postquam, inducta distinctione inter sponsalia de praesenti et de futuro, sponsa passim audiebat sponsam de futuro. Hanc autem normae extensionem abrogavit Concilium. Cf. n. 655.

(6) Cf. decisionem S. C. C. 23 Jan. 1586, apud MITTERER, o. c., p. 88.

(7) In can. 2353 poenis plectitur etiam raptus *explendae libidinis causa* peractus. — Quousque hic alter raptus olim constituerit impedimentum, cf. infrà, n. 655.

separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat (1).

Impedimentum proinde ex una parte sponte cessat per restitutionem mulieris raptae in loco tuto et libero ac liberi consensus accessum (2), et ex alia parte subsistit quousque sub potestate raptoris maneat, etiam si liberrimus accesserit ejusdem mulieris consensus in matrimonium (3): qua ratione manifestè apparet *distinctio impedimenti raptus* ab *impedimento vis et metus,* siquidem raptus impedimentum stare potest cum libero consensu, non autem impedimentum vis et metus; ideo etiam non recensetur raptus inter defectus consensus.

B. Quod spectat **violentam retentionem:**

651. Pariter irritat nuptias violenta retentio mulieris.

1° Hanc violentam retentionem, *quod vim irritativam attinet et matrimonii nullitatem,* aequiparari raptui, expressis verbis providet can. 1074, § 3: unde, sicut raptus, constituit impedimentum dirimens, quod, aeque ac impedimentum raptus, cessat statim ac sequestrata mulier restituitur in loco tuto et libero.

2° Restringitur impedimentum, quemadmodum pro raptu, ad *violentam* retentionem *mulieris,* factam *intuitu matrimonii.*

Violenta illa retentio supponitur facta a viro matrimonium inire cupiente, aut saltem ejus jussu (4). Manet autem impedimentum, sicut pro casu raptus violentiae, quousque durat retentio, quantumvis liberè in matrimonium consenserit mulier.

652. Impedimentum raptus non afficit infideles;

Corollarium I. Impedimentum raptus (et violentae retentionis) utpote solius *juris ecclesiastici, infideles* non afficit *directe,* sed solos fideles; indirecte tamen attingit infideles, nempe ubi pars infidelis contrahit cum parte fideli, sive infidelis fuerit raptor (aut retentor) sive fidelis (5).

---

(1) Simili modo statuebat Conc. Trident., l. c.: « quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat ».

(2) Parochus tamen non assistat matrimonio hujusmodi mulieris raptae et in loco tuto restitutae, quin praeviè recurrerit ad Ordinarium, qui judicet utrum sufficienter tutus fuerit locus.

(3) Hanc disciplinam inducendam censuit Concilium in vindictam libertatis consensus, uti sub n. 546 monuimus, quia periculum est ne consensus a puella datus, dum sub potestate raptoris constituitur, coactus sit et extortus.

(4) « Il ne suffirait pas, pour l'empêchement de rapt (improprement dit), que des parents chambrent leur fille jusqu'à ce qu'elle consente à épouser le prétendant de leur choix; celui-ci étant étranger à ces manœuvres, le mariage pourrait être nul ex capite vis et metus, mais pas pour cause de rapt ». *Rev. eccl. de Metz,* 1924, p. 63.

(5) Si fidelis fuerit raptor, liquet ipsum directe attingi ab impedimento, et per eum indirecte partem non baptizatam; si fidelis fuit rapta, pariter attingitur directè ab impedimento, quod statutum est in favorem libertatis partis fidelis, adeoque illam inhabilem reddit ad validè contrahendum cum raptore etiam infideli. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 310, contra VAN DE BURGT, o. c., p. 55.

653. super eo dispensari potest.

Corollarium II. Siquidem impedimentum raptus est juris ecclesiastici, potest super eo *dispensari* ab Ecclesia, seposito saltem impedimento vis et metus, adeo ut possit permitti quod validè et licitè matrimonium ineatur a raptore cum rapta, liberè quidem consentiente sed nondum restituta in loco tuto. Atvero rarò contingit dispensationem concedi, et rarius adhuc facultatem indulgeri super illo impedimento dispensandi (1); imò adeo exosum est S. Sedi raptus delictum ut, dispensando vel dispensandi indultum concedendo super *aliis* impedimentis, tanquam conditionem pro valore rescripti exequendi aut dispensationis concedendae, exigere soleat, vel saltem hucusque soleret (2), quod mulier non fuerit rapta: quae conditio ita nonnunquam urgebatur ut dispensationis impetrationi aut indulti usui obstaret raptus, etiam per raptae restitutionem in loco tuto purgatus (3); saepe raptori, si, positis ponendis, cum ipso dispensabatur, imponebatur raptae dotatio, ipsique interdicebantur nuptiae, pro casu quo praesenti sponsae supervixisset (4). Et ideo oportebat in supplica notare utrum mulier fuerit rapta, etiamsi in loco tuto jam existat.

654. Poenae contra raptores.

Nota. Juxta canonem 2353, poenalitatibus obnoxius est tum raptus violentiae tum raptus seductionis, idque indifferenter sive fuerit factus intuitu matrimonii, sive intuitu explendae libidinis. Ita namque statuitur: « Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit mulierem nolentem vi aut dolo, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis vel contradicentibus parentibus aut tutoribus, ipso jure *exclusus habeatur ab actibus legitimis ecclesiasticis* (5), et insuper aliis poenis pro gravitate culpae plectatur » (6). Patet poena non attingi violentam mulieris retentionem: quae violenta sequestratio non constituit raptum, licet, in Codice, quoad matrimonii irritationem, aequiparatur raptui.

---

(1) Non excipitur tamen facultas dispensandi super raptu in amplissimis facultatibus quae conceduntur a can. 1043-1045. Cf. etiam *Instr.* C. S. O., 15 Febr. anni 1901, apud *Collectanea*[2], n. 2101, coll. WERNZ, o. c., n. 285; GASPARRI, o. c., I, n. 560.

(2) Ita in *Quinquennalibus* S. C. de P. F. pro Episcopis Belgii, et item Angliae, addebatur dispensationes vi indulti non posse concedi, nisi cum clausula: « dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit, et, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat ». Quae restrictio in quibusdam indultis extraordinariis omittebatur nec subintelligebatur. Cf. *Collectanea*, n. 1268, coll. VICTORIO AB APPELTERN, o. c., p. 182 s.; SICA, o. c., p. 359; GASPARRI, o. c., n. 560.

Illa clausula jam non inseritur in recentibus rescriptis apostolicis, nec in indultis Ordinariorum, de quibus infrà, n. 768 ss., ac ideo a pluribus habetur tanquam abrogata. Cf. VLAMING, o. c., n. 480; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 315.

(3) In hunc sensum severum interpretanda censetur clausula, quando adhibebatur formula brevior: « si mulier rapta non fuerit »; item, juxta plures Auctores (WERNZ, o. c., n. 640, nota 209, VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., n. 117; GASPARRI, o. c., n. 561), quando occurrebat tenor modò relatus Quinquennalium: quam interpretationem aegre admittendam putamus et uti severiorem habemus, praesertim ubi, loco *et*, adhibebatur *vel*.

(4) Tunc in rescripto dispensationis solebat inseri: « *Postquam N. praefatam M. arbitrio tuo competenter dotaverit, et dummodo M. a praefato N. separata et in loco tuto ac libero constituta existat, et dictum N. in virum habere consentiat... quodque, si dictus N. praefatae M. supervixerit, perpetuo absque spe conjugii remaneat* ». GASPARRI, o. c., I, n. 561. Quae prohibitio nubendi, ex antiquo impedimento impediente derivata, non est irritativa ac facilè admittit dispensationem.

(5) Cf. suprà, sub n. 517, coll. can. 2256, n. 2.

(6) Statuebatur in Conc. Trid., l. c., quod « raptor ipse, ac omnes illi consilium,

Scholion I. Evolutio historica.

655. *Antiqua disciplina.*

A. *Tempore Gratiani:* 1° Raptus erat in abductione mulieris, sive intuitu explendae libidinis sive intuitu matrimonii, violenter peracta. Violentia autem intelligebatur facta sive in ipsam puellam raptam (et tunc erat *raptus violentiae*), sive in illius parentes, quatenus scil. puella consentiens abducebatur violentia illata parentibus aut hisce renitentibus (et tunc dicebatur *raptus in parentes* seu *raptus seductionis*) (1). Excipiebatur casus propriae sponsae, in quam, etiam reluctantem, non admittebatur raptus (c. 2, C. XXXVI, q. 1 et c. 5, C. XXXVI, q. 2); prae oculis autem habebatur uxor non cognita, seu sponsa de praesenti, uti exinceps vocabitur, ad eam contradistinguendam a sponsa de futuro. Raptus etiam admittebatur in violenta oppressione mulieris (2).

2° Raptus violentiae, simul ac raptus in parentes, inducebant *impedimentum dirimens matrimonii;* sed, juxta *Dictum* ad c. 7, C. XXXVI, q. 2, impedimentum cessabat postquam mulier rapta restituta fuerit parentibus, hi in matrimonium consenserint et raptor poenitentiam egerit. — Ab hac autem dispositione excipiebatur raptus sponsae alienae.

B. *Decretistae,* signanter posteriores, in hoc differunt a Magistro quod 1° jam non admittunt raptus delictum, nec adeo matrimonii impedimentum, in abductione puellae nubilis, in abductionem et matrimonium consentientis, contra voluntatem paternam: sic practicè repudiantes uti impedimentum raptum seductionis seu in parentes et ad ultimam consequentiam urgentes thesim de consensu paterno non requisito (suprà, n. 519); quod 2°, ubi raptum non agnoscunt in abductione violenta propriae sponsae, hanc doctrinam extendunt — postquam exsurrexerat distinctio inter sponsalia de praesenti et de futuro — etiam ad sponsam de futuro (3); et quod 3° ad cessationem impedimenti raptus violentiae jam non exigunt nisi consensum raptae, absque restitutione parentibus et absque horum consensu, ita ut raptus jam non constituerit impedimentum distinctum ac reinciderit in impedimentum vis et metus (4).

C. *Decretales* Lucii III (1181-1185) et Innocentii III (1198-1216) doctrinam posteriorum Decretistarum authenticè sanxerunt: quatenus prior Pontifex (c. 6, X, V, 17) decreverit raptum in parentes (supposito scil. puellae consensu in abductionem et matrimonum) non constituere impedimentum (5); alter autem Pontifex confirmaverit impedimentum raptus violentiae cessare accedente raptae consensu, adeoque practicè abrogari uti impedimentum distinctum (c. 7, X, V, 17).

D. *Jus Tridentinum:* 1° Solus attenditur raptus intuitu matrimonii (item in Codice, can. 1074, § 1); 2° raptus jam admittitur in propriam sponsam de futuro, meritò repudiata doctrina Decretistarum, qui anteriorem juris

---

auxilium et favorem praebentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; et, si clerici fuerint, de proprio gradu decidant ».

Quae *poenae* afficiebant tantum raptum, *prouti* erat *impedimentum,* non autem quodlibet raptus delictum, putà raptum seductionis, vel raptum violentiae, libidinis causa.

(1) Cf. suprà, n. 519. — Non sufficiebat abductio puellae, insciis aut non consultis parentibus.

(2) Cf. MITTERER, o. c., p. 25 s. et 48 s.

(3) Cf. *ibidem,* p. 60 s.

(4) Cf. *ibidem,* p. 61 ss., coll. p. 87 et 92. Cf. etiam suprà, n. 541.

(5) Cf. *ibidem,* p. 67-78, coll. p. 99 s., circa interpretationem decretalis Lucii III, quatenus in specie in ea non agatur de abductione propriae sponsae.

dispositionem circa sponsam de praesenti extenderant ad sponsam de futuro (1); 3° solus raptus violentiae inducit impedimentum, ad exclusionem raptus in parentes (item in Codice) (2), quod impedimentum cessat, non jam, uti sub jure decretalium, per solum accedentem consensum raptae, sed potius ad normam juris Gratiani, de quo modò suprà, praevie scil. verificata raptae restitutione in loco tuto, adeo ut rursus jam distinctum a vi et metu impedimentum constituatur (3).

656. *Jus civile.*

Scholion II. In jure nostro civili, raptus non constituit impedimentum matrimonii distinctum (4); est autem, positis ponendis, obnoxius variis poenalitatibus in Codice nostro poenali, a. 368-371, determinatis. Ulterius, in art°. 340, multùm emendato per legem 8 Apr. 1908, providetur ut, in casu raptus, « la recherche de la paternité est admise ». Cf. dicta suprà, n. 277.

ARTICULUS 12^s^. De Impedimento Criminis.

657. *Notio et species impedimenti criminis.*

Praenotandum. Impedimentum criminis, jure ecclesiastico dirimens matrimonium, oritur vel 1° ex adulterio cum promissione aut attentatione matrimonii; vel 2° ex conjugicidio ex utriusque partis machinatione; vel 3° ex adulterio cum conjugicidio ex unius partis machinatione.

Ratio legis irritantis est multiplex: nempe honestas publica, quae suadet ut hujusmodi scandalosae nuptiae impediantur; item fides conjugalis ac incolumitas conjugum, ne scil. spes matrimonii sit criminis incentiva; etiam meritó statuitur impedimentum in poenam delicti vindicativam, licet impedimento rationem formalem poenae non indiderit Ecclesia (can. 2286).

Equidem hae rationes nituntur in jure naturae, non tamen adeo urgent ut ex ipso naturali jure matrimonium irritetur inter complices, sed fundamentum tantum praebent ut ab Ecclesia impedimentum dirimens constituatur; impedimentum manet *juris merè ecclesiastici* (5). Latius autem evolvenda est *triplex impedimenti criminis species:*

658. *Impedimentum oritur*

I. *Impedimentum criminis* **ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii.**

Nimirum ad hoc ut ex illo capite impedimentum oriatur, requiritur, attento can. 1075, num. 1:

---

(1) Cf. suprà, n. 648, sub 3°.
(2) Cf. suprà, n. 648, sub 2, coll. ll. cc.
(3) Cf. suprà, n. 650.
(4) Potest ex raptu, positis ponendis (signanter si sit raptus violentiae), induci impedimentum; sed non constituit impedimentum *distinctum*.
(5) Praecipui fontes juris sunt: c. 4, C. XXXI, q. 1; cc. 3, 4, 5, 6, 7, 8, X, IV, 7 et c. 1, X, III, 33, et prae caeteris novi Codicis can. 1075. — Apparet autem evidens conformitas novi juris cum vetere; unde, ad tramites can. 6, n. 2, canon praesens « ex veteris juris auctoritate, adeoque ex receptis apud probatos auctores interpretationibus », est aestimandus.

1° ut **adulterium** sit a/ *verum* et a parte rei existens, seu *materiale,* supposita scil. matrimonii validi ac non dissoluti, licet forte non consummati, existentia reali, non merè existimata. *1° ex adulterio conjuncto*

b/ *formale,* idque *ex utriusque parte;* unde postulatur penes *utrumque* complicem scientia matrimonii, imo *unius ejusdemque matrimonii,* adeo ut adulterium sit ab utriusque parte formaliter injuriosum erga *eumdem* conjugem (1). Excusat igitur ignorantia conjugii, modò non sit affectata; excusat etiam dubium de existentia vinculi, cum dubitans non censeatur habere scientiam.

c/ *consummatum,* seu tali modo peractum ut sit de se aptum generationi; unde non sufficit copula sodomitica vel onanistica, attentis dictis suprà, sub n. 157.

659.

2° ut **promissio matrimonii** (non simplex votum aut desiderium, esto expressum, nec etiam merum propositum) sit: a/ internè *seriò* facta et externè *manifestata.* *cum matrimonii promissione,*

b/ ab altera parte *acceptata,* ac *mutua,* quatenus scil. altera pars repromittat (2); in repromissione autem continetur acceptatio (3).

c/ *absoluta* vel absolutae aequivalens, verificata scil. conditione.

d/ absolutè facta *ante conjugis mortem* (4) de ineundo matrimonio *post mortem conjugis:* promissio namque matrimonium ante mortem attentandi minus est criminis incentiva (5).

e/ *injuriosa* existenti matrimonio, tum *materialiter,* tum *formaliter.*

Debet esse promissio *injuriosa:* si enim promissio non fuit injuriosa existenti conjugio ac superstiti conjugi, non potest con-

(1) Ita si uterque complex est conjugatus, non est satis quod unusquisque sui proprii matrimonii sit conscius.

(2) Can. 1075, n. 1: « fidem *sibi mutuo* dederunt ». — Favebat jam c. 1, *Comp.* III, IV, 6 (= 6, X, IV, 7), in quo de promissione requisita dicit Innocentius III: « nisi... ea vivente, *sibi fidem dederint* de matrimonio contrahendo »; item favebat tenor *Formularum* Datariae, anni 1901, 36 et 37: « data *sibi invicem* fide de matrimonio inter se post dictae oratricis viri praefati obitum contrahendo ». Cf. PEJSKA, *Das Rückversprechen...,* apud *Zeitschr. f. k. Th.,* 1902, p. 131 ss.

(3) Utrum *expressa* requiratur repromissio, disputatur: qua stante controversia, impedimentum potest haberi ceu dubium, adeoque, attento can. 15, negligi, si repromissio fuit implicita tantum, puta contenta in acceptatione.

Eo ipso quod nunc in jure certò requiratur repromissio, eaque, ut certò sufficiat, expressa, non jam locus est controversiae circa sufficientiam *acceptationis implicitae,* signanter implicitè contentae in silentio servato seu taciturnitate; repromissio enim, saltem expressa, explicitam acceptationem supponit.

(4) Si conditionata fuit promissio, debet conditio esse purificata ante mortem conjugis.

(5) Cf. etiam modo citatum tenorem Formularum Datariae. Caeterum ipse tenor can. 1075, n. 1, loquitur de fide data circa matrimonium *ineundum* (non: attentandum). Cf. VLAMING, o. c., n. 315, p. 291, ubi appositè observat quod, nisi contrarium probetur, promissio ineundi matrimonii supponitur, et in foro externo praesumitur, afficere matrimonium post mortem conjugis ineundum. Aliter HARING, apud *Th. pr. Quartalschr.,* 1923, p. 294, ubi etiam docet sufficere promissionem matrimonii merè civilis; contradicit etiam CHELODI, o. c., n. 93; item olim SCHERER, o. c., p. 393, in nota 33. Nobis consentiunt WERNZ-VIDAL, o. c., n. 328; CAPPELLO, o. c., n. 484.

stituere elementum criminis nec reddere adulterium in ratione criminis qualificatum, nec ipsi applicantur rationes legis irritantis, sub n. 657 invocatae. Ad hoc autem ut promissio sit *formaliter* injuriosa, requiritur, penes *utrumque* nupturientem, momento promissionis, *existentis ejusdem matrimonii notitia* (1); ut sit *materialiter* injuriosa promissio, supponitur conjux superstes invitus (2).

Non requiritur promissio scripta, ad normam can. 1017, § 1 (3).

660. vel attentatione,

3° ut **attentatio matrimonii** locum habuerit, sicut in casu promissionis, *cum ejusdem matrimonii notitia,* penes utramque partem (4).

Porro intelligitur attentatio matrimonii, quatenus ineantur nuptiae, utique invalidè, per verba de praesenti vel per aliquod aliud signum quod consensum de praesenti includat (5): non obstat autem praesentia impedimenti, nec refert quod extra formam canonicam celebrentur nuptiae, puta coram ministello, ac sufficit etiam matrimonium sic dictum civile (6), non vero sufficit merus concubinatus, absque ullo consensu matrimoniali instauratus, ac imo dubium a nonnullis auctoribus habetur impedimentum, si mutuus consensus datus fuerit omninò privatim, absque ulla formalitate publica (7).

661. stante eodem matrimonio;

4° Ut adulterium **conjungatur** cum promissione vel attentatione matrimonii, ita ut simul conveniant, cum respectivis suis conditionibus requisitis, *perdurante eodem legitimo matrimonio* (can. 1075, n. 1), quin tamen referat utrum promissio seu attentatio adulterium praecedat aut sequatur. Unde non adesset impedimentum si promissio seu attentatio ante commissum adulterium esset retrac-

---

(1) Promissio igitur adulterio formali superveniens supponit matrimonii conscientiam. Quodsi promissio adulterium praecedat et ignorato matrimonio fuerit facta, plerumque implicita ratihabitio continebitur in adulterio, cognita jam matrimonii existentia; sed meritò dubitatur utrum supposita illa implicita ratihabitio sufficiat et non requiratur expressa ratihabitio, eo vel magis quod sumus in re odiosa; unde posset, si expressa ratihabitio defuerit, impedimentum haberi uti dubium, dubio juris, adeoque non attendi. Cf. VAN DE BURGT-SCHAEPMAN, o. c., I, n. 138; VLAMING, o. c., n. 315, p. 292 s.

(2) Ita contigit, in dioecesi Brugensi, casus sequens: vir nempe adulteraverat cum uxoris sorore, ast complici non promisit matrimonium nisi coram ipsa uxore moribunda, non tantum in hanc promissionem consentiente, sed ad eam instanter urgente, in gratiam prolis natae.

(3) Inde fit quod promissio matrimonii non scripta omni effectu canonico non sit destituta; conjuncta scil. cum adulterio inducit impedimentum criminis. Cf. suprà, n. 12.

(4) Ad matrimonium *attentatum* sufficit, juxta notionem datam sub n. 158, mala fides unius partis; ad hoc autem ut matrimonii attentatio inducat impedimentum, debet adesse mala fides ex *utriusque* parte, juxta notata sub n. 659, pro promissione.

(5) Decr. S. C. de P. F., 14 Jan. 1844, apud GASPARRI, o. c., I, n. 649.

(6) Ita, post decr. S. C. de Sacr., 3 Junii 1912, apud A. A. S., IV, p. 403: can. 1075, n. 1. Cf. DE ANGELIS, o. c., Lib. IV, tit. IV, n. 11, in fine, ubi jam provocat ad praxim S. Poenitentiariae, admittentis ex adulterio cum matrimonio civili exsurgere impedimentum criminis. Et sic passim locus erit criminis impedimento, quando conjux, obtento civili divortio, novas nuptias civiliter inire non dubitat. Cf. suprà, n. 461.

(7) Cf. *Rev. eccl. de Metz,* 1924, p. 65, contra WERNZ-VIDAL, o. c., n. 329; CAPPELLO, o. c., n. 486; CHELODI, o. c., n. 93; VLAMING, o. c., n. 318; SCHÄFER, o. c., p. 137, qui consensum merè privatum habent uti sufficientem.

tata et non reiteraretur (1); item si promissio seu attentatio contingeret, vivente primo conjuge, et adulterium, vivente altero, vel vicissim.

II. *Impedimentum criminis* **ex conjugicidio solo.**

662. 2° ex conjugicidio, proveniente

Ad hoc ut exinde exsurgat impedimentum, postulatur, attento can. 1075, num. 3:

1° ut agatur de occisione *veri conjugis,* supposito scil. valido matrimonio, licet rato tantùm; non sufficit matrimonium putativum (2).

ex facto utriusque complicis,

2° ut *reipsa secuta* sit mors *ex facto utriusque complicis* mutuò conspirantis. Nimirum mors debet esse effectus utrique qua causae adscribendus, sive causae exstiterint physicae sive morales, jubendo aut suadendo: unde non sufficit quod unus tantùm in occisionem influxum exercuerit absque alterius partis efficaci cooperatione, licet haec pars occisionem peractam ratihabuerit, aut etiam priori parti propositum occidendi manifestanti consenserit (3); nec pariter sustinetur impedimentum si mors non procedit ex illorum facto, sed ex imperitia medici, ex qua nempe vulnus in se non lethale mortem induxerit. Oportet etiam ut ambo mutuò conspiraverint, seu communi consilio mortem provocaverint ambo; et non sufficit ut separatim et independenter egerint: secus non sunt *complices* (4).

663. mutuò conspirantis;

3° ut conjugicidium commissum sit *ex intentione, saltem in alterutro, matrimonium ineundi cum complice:* quod deducitur ex fine legis impedimentum statuentis, ne scil. spe matrimonii mors conjugi inferatur, neve publica honestas laedatur in permittendo lucrum optati matrimonii, ex tanto facinore reportandum (5).

Porro non videtur requiri quod in *utroque* complice illa intentio adsit, saltem si intentio unius alteri fuerit manifestata (6).

---

(1) Si promissio seu attentatio retractetur tantùm post adulterium, non cessat impedimentum, siquidem aliquo saltem temporis momento simul consistebant elementa impedimenti constitutiva.

(2) Indifferens est utrum agatur de occisione mariti vel uxoris, et antiquata est sententia, a nonnullis olim propugnata, impedimentum dirimens restringens ad solum uxoricidium.

(3) Non refert quod plures in conjugicidio fuerint cooperantes et complices: modò illa persona cum qua conjugicida intendit matrimonium inire non fuerit particeps, non datur impedimentum.

(4) Can. 1075, n. 3, sic habet: « Qui *mutua* opera physica vel morali... mortem conjugi intulerunt ». Cf. GENICOT-SALSMANS, *Casus conscientiae,* n. 1021.

(5) Inde non esset locus impedimento, si mors illata fuit ex ira aut vindicta; oportet etiam ut matrimonium intendatur cum complice in conjugicidio, non vero cum tertia persona; etiam requiritur ut intentio illa conjugicidium praecedat.

(6) Supposita intentione in una parte eaque alteri parti manifestata, adesse censetur impedimentum; deficiente autem manifestatione alteri parti facta, equidem probabilius praesto est impedimentum, sed habendum foret uti dubium, dubio juris. Cf., in hunc sensum, VLAMING, o. c., n. 324 s.; CAPPELLO, o. c., n. 497 s.; SCHÄFER, o. c., n. 201 s. GASPARRI, o. c., n. 644, requirebat intentionis manifestationem alteri parti; FEYE, o. c., n. 453, sub 3°, postulabat in utraque parte intentionem. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c.,

Caeterùm in foro externo praesumitur illam intentionem in utroque exstitisse, vel saltem unius intentionem alteri esse manifestatam, statim ac constat de mutua machinatione mortis et postea matrimonium praeparatur inter complices; in foro autem interno, satis eruitur dicta intentio ejusve manifestatio ex litteris amatoriis vel similibus indiciis conjugicidio praeviis.

III. *Impedimentum criminis* **ex adulterio cum conjugicidio.**

664. 3° ex adulterio conjuncto

Ad hanc impedimenti criminis speciem inducendam requiritur, attento can. 1075, num. 2:

1° ut **adulterium** sit conditionibus stipatum suprà invocatis, sub I.

cum conjugicidio, alterutro machinante,

2° ut **conjugicidium** importet occisionem veri conjugis, eamque perfectam ex parte causae et effectus, juxta dicta sub II, seu ut mors ex ipsa machinatione reapse sit secuta, utque mors sit illata *intuitu matrimonii,* seu ex intentione ineundi matrimonii (1), non v. gr. ex vindicta: quod etiam constat ex dictis.

Aliunde sufficit ut ex *alterutrius* machinatione mors processerit; nec requiri videtur ut conjugicidae intentio nubendi alteri parti fuerit manifestata.

665. stante eodem matrimonio.

3° ut adulterium **conjungatur** cum conjugicidio, *stante uno eodemque matrimonio,* utque *eidem matrimonio formaliter injuriosum* sit adulterium, quod matrimonium per conjugicidium dissolvitur (2). Requiritur proinde quod adulterium praecesserit mortem conjugis, ac imo, ut videtur, ipsam physicam mortis machinationem, adeo ut saltem dubium foret, dubio juris, impedimentum, si inter positionem causae occisivae (puta veneni propinationem) et mortem secutam adulterium sit commissum (3).

Nota. 1. *Multiplicari* contingit impedimentum criminis *duplici* ratione:

666. Quomodo impedimentum multiplicetur.

a/ ex eo quod circa *idem matrimonium* verificantur variae impedimenti species; et sic, si adulterio successive conjungitur pro-

---

n. 332, nota 54, ubi docet sufficere intentionem in uno complice, nec requirit ejus manifestationem alteri parti, modò fuerit exteriorisata, ut possit innotescere in foro externo. Nemo requirit ut conjugicidio accedat matrimonii promissio, licet tenor Instr. S. C. de P. F., 9 Maii 1877 (infrà, n. 845), id innuere videatur.

(1) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 335, nota 58. Rursus in foro externo praesumitur mors illata intuitu matrimonii, statim ac constat de conjucicidio et postea praeparatur matrimonium ineundum. — Necessitatem intentionis illius negat LEITNER, o. c., p. 179.

(2) Ita non existeret impedimentum in casu sequenti: Titius conjugatus adulteratur cum Titia etiam conjugata, ast Titii matrimonium ignorante, momento adulterii; ulterius Titius mortem machinat suae propriae uxori, vivente Titiae marito; quo etiam defuncto, nubere vult Titiae.

(3) Eo ipso quod mors inferri debeat ex intentione nubendi cum adulterii complice, videtur sequi quod adulterium debeat praecedere mortis machinationem; restringitur autem solutio ad machinationem physicam, seu ad ipsam positionem causae physicae mortis, non vero ad machinationem moralem. Cf. in eumdem sensum, VLAMING, o. c., n. 322; CAPPELLO, o. c., n. 492.

missio matrimonii, ejusdem attentatio et conjugidicium, triplex illicò constituitur impedimentum (1), imo quadruplex, ut censemus, casu quo conjugicidium utroque machinante esset patratum: quod ultimum latius vindicavimus apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 402.

b/ ex eo quod elementa impedimentum constituentia verificantur circa *duo matrimonia,* puta quando uterque complex est conjugatus, et alter alterius matrimonium novit; vel si unus adulteratur, sub promissione matrimonii, cum complice: semel, durante hujus matrimonio cum priori conjuge, et semel, durante matrimonio cum altero conjuge.

Quodsi utraque multiplicitatis ratio simul conveniat, quatenus scil. plures impedimenti species circa duo matrimonia verificantur, posset quadruplum, sextuplex imo et octuplum adesse impedimentum.

667. Observandum practicum.

2. Speciali *attentione parochi,* et potissimum *confessarii,* dignum est impedimentum criminis, praesertim ex adulterio cum attentatione vel promissione matrimonii exsurgens, ac summa prudentia in hoc est utendum. Profectò non sunt de hoc impedimento indiscriminatim interrogandi nupturientes, sed tunc tantùm quando aliqua suspicio fundata habetur, puta quando vir, brevi post uxoris obitum, cupit nubere ancillae vel alii personae cum qua familiariter noscitur conversatus, praesertim si uxor diu infirmata est vel exosa fuit marito. Interrogatio quidem cautè fiat et a longe, ratione habita conditionis personae, ac offensionem vitando, sed sagaciter tamen ut impedimentum detegatur. Magis adhuc locus est suspicioni de existentia impedimenti, ac facilius ac intimius circa illud potest a parocho indagari quando adulterinum contubernium instituerant nupturientes, vivente alterutrius conjuge; sponte supponere licet adulterio accessisse promissionem matrimonii, post conjugis obitum ineundi (2), ac praesumitur criminis impedimentum.

Attende etiam quam facile, nostris diebus, contrahatur impedimentum criminis a divortio civili separatis; et sic vir ab uxore divortio sejunctus facile init novum matrimonium civile cum alia muliere, quam, defuncta uxore, cupit coram Ecclesia ducere (3).

---

(1) VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, III, n. 775 (p. 622), non admittit duplicari impedimentum ex eo quod promissioni accedat attentatio matrimonii: promissionem et attentationem habet tanquam « conditiones unius rationis qua impedimentum criminis adulterii contrahitur ».

(2) Ita, 12 Dec. anni 1924, in dioecesi Brugensi, petita dispensatione super consanguinitate in 2° gradu in favorem nupturientium, qui hujusmodi vitam adulterinam duxerant, S. C. de Sacram. dispensavit super consanguinitate simul et super impedimento « criminis ex adulterio cum fide data ».

(3) Nota etiam casum solutum apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 606 ss. et alios similes.

668. Ignorantes attingit impedimentum

3. Suprà, n. 469 (coll. n. 657), vidimus *ignorantiam* ab hoc impedimento contrahendo *non excusare* (1).

669. non autem directe infideles;

Corollarium I. Cum impedimentum criminis sit juris merè ecclesiastici, ipsi non subsunt *infideles* nisi *indirecte* dumtaxat, ad tramites dictorum suprà, n. 438bis. Circa quod haec duo attende: a/ ut pars fidelis parti infideli suam inhabilitatem communicet ex capite criminis, oportet ut ipsa crimen admiserit quod et quale impedimentum inducit; et ita non esset attendendum impedimentum criminis ex adulterio cum conjugicidio, si pars fidelis rea fuit solius tantùm adulterii, conjugicidio patrato a sola parte infideli, cum adulterium, cujus solius reatum admisit pars baptizata, non sufficiat ad impedimentum constituendum (2); b/ ubi dictum est, sub n. 438bis, crimen ante baptismum commissum non reviviscere nec vim irritativam acquirere respectu matrimonii post baptismi susceptionem celebrandi, indifferens est sive crimen ex toto fuerit commissum ante baptismum, sive ex parte tantùm: si v. gr. adulterio ante baptismum commisso successit, post baptismum, promissio seu attentatio matrimonii vel conjugicidium; in hisce nempe casibus non exsurgit impedimentum respectu matrimonii post baptismum ineundi (3).

670. super illo dispensari potest.

Corollarium II. Pariter ex eo quod impedimentum sit solius juris ecclesiastici, sequitur super illo ab Ecclesia *posse dispensari.* Quod autem spectat potestatis *usum:* super crimine, *neutro machinante,* non difficulter dispensatio impetratur, cum sit impedimentum minoris gradus, ac dispensandi facultas super illo concedi solet etiamnunc Episcopis Belgii, per indultum S. C. de Sacr., pro foro externo (n. 770), et per Pagellam S. Poenitentiariae, pro foro interno (n. 768). Ubi vero crimen oritur ex *conjugicidio,* gravissimae requiruntur causae; imo, si conjugicidium est *publicè notum,* rarò, extra periculum mortis vel casum urgentum (4), sperari potest dispensatio (5):

---

(1) Hucusque quaestio obnoxia erat controversiae, nunc diremptae; sed jam tunc tenenda videbatur sententia docens ignorantiam non excusare, hoc attento quod, uti notavimus sub n. 469 et n. 657, impedimentum fuerit statutum principaliter ob rationem boni publici, et nonnisi secundariè in poenam delicti. Cf. ll. cc., coll. *Collat. Brug.*, VII, p. 552 et X, p. 612 s.

(2) Contrà, adesset impedimentum si fidelis adulteravit cum infideli, et uterque emisit promissionem matrimonii: utrumque elementum, impedimentum constituens, adulterium scil. et promissio, obtinet in parte fideli, quae suam inhabilitatem communicat alteri parti, infideli. Cf. can. 1036, § 3.

(3) Aliud esset si promissio matrimonii baptismum praecedens ratihabeatur post baptismum et cum adulterio conjungatur: tunc censetur totum crimen impedimentum constituens baptismati succedere.

(4) Non excipiebatur impedimentum criminis ex conjugicidio etiam publico a facultate anni 1888, in gratiam moribundorum concubinariorum; nec nunc excipitur a facultatibus can. 1043 et 1045.

(5) Dum, ex sua parte, plures Auctores monent in hoc casu nunquam, salvo mortis periculo (vel casu urgente), concedi dispensationem, refert DE BECKER, o. c., p. 182 s., exemplum indulti Pontificii, ad dispensandum « in matrimoniis *contractis,* in casibus *tam publicis* quam occultis..., super impedimento criminis, altero vel utroque contrahentium machinante ».

est impedimentum in quo S. Sedes non solet dispensare (infrà, n. 715).

Juvat hîc etiam prae oculis habere dispositionem canonis 1053, sic disponentis: « data *a Sancta Sede* dispensatio super matrimonio rato et non consummato, vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam conjugis mortem (1), secum fert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2 et 3 », a crimine scil. cum machinatione. Quod nuper confirmavit Regula 104ª servanda in processibus super matrimonio rato non consummato, juxta Decr. S. C. de Sacr. 7 Maii 1923 (2).

Scholion I. Evolutio historica.

671. Notitia historica.

Adulterium antiquitus habebatur pro impedimento *impediente* matrimonium cum quacumque persona (c. 22, C. XXXII, q. 7), et in pluribus textibus (C. XXXI, q. 1; c. 1, X, IV, 7) supponitur speciatim prohibitum fuisse matrimonium ineundum ab adultero cum complice; sed non videtur *simplex* adulterium constituisse impedimentum *dirimens,* nequidem respectu complicis, ac imo deinceps cessavit esse impedimentum impediens (3); caeteroquin non apparet illud fuisse impedimentum distinctum ab impedimento poenitentiae (suprà, n. 476), cum adulterium diu obnoxium fuerit poenitentiae publicae. Cf. *Dictum* Gratiani ad c. 3, C. XXXI, q. 1, ubi matrimonii prohibitionem ratione adulterii non qualificati cessare dicit post peractam poenitentiam.

Aliter contigit cum *adulterio qualificato:* c. 4, C. XXXI, q. 1, refertur canon Conc. Triburiensis (895), ubi impedimentum statuitur, uti videtur, *dirimens,* oriundum ex adulterio cum promissione matrimonii; Gratianus autem, in *Dicto* ad c. 3, eodem loco, impedimentum agnoscit induci ab adulterio conjuncto cum promissione matrimonii post mortem conjugis ineundi, vel cum machinatione mortis. Cf. etiam Alex. III, c. 3, X, IV, 7. Unde *duplex* species admittebatur impedimenti criminis: prior, ex adulterio cum machinatione mortis, et altera, ex adulterio cum promissione matrimonii, cui promissioni uti eminenter aequivalens est habita attentatio matrimonii, vivente comparte, quemadmodum disponitur c. 4 et 5, X, IV, 7. Ulterius agnita fuit a Coelestino III, c. 1, X, III, 33, *tertia* species impedimenti, ex mutua utriusque machinatione, absque adulterio. Tandem a Gregorio IX, c. 8, X, IV, 7, declaratur ex sola promissione aut attentatione matrimonii sine adulterio, vivente conjuge admisso, non dirimi matrimonium (cf. ESMEIN, o. c., I, p. 384-390) (4). Quae disciplina mansit usque ad

(1) Haec dispositio can. 1053 non extenditur ad casum permissionis *ab Ordinario* datae ad alias nuptias.

(2) Cf. suprà, n. 331ter et n. 565. Idem statuebatur in decr. C. S. O., 3 Junii 1912, apud A. A. S., IV, p. 403.

(3) Vestigium illius impedimenti impedientis absoluti diu mansit in rescriptis dispensationis super impedimento criminis, quatenus « oratorum alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat ».

(4) « Si quis, uxore vivente, fide data promisit aliam se ducturum, vel cum ipsa de facto contraxit, si nec ante nec post, legitima ejus superstite, cognovit eamdem...,

Codicem ac in ipso Codice servatur, non attento voto in Concilio Vaticano a nonnullis emisso, de abrogando impedimento criminis, absque conjugicidio.

Praeter impedimentum *dirimens* criminis, nunc adhuc subsistens, exurgens ex mutua mortis machinatione, necnon ex adulterio conjuncto cum promissione vel attentatione matrimonii, vel cum conjugicidio ex unius machinatione, variae antiquitus existebant prohibitiones ac impedimenta *absoluta*, interdicentia scil. matrimonium cum *quacumque* persona ineundum: talia crimina enumerantur suprà, n. 476, incestus nempe, occisio sacerdotis, attentatio conjugii cum moniali, insidiatio vitae conjugis (extra adulterium vel machinationem cum complice), uti decernit c. 1, X, IV, 19.

672. Poenalitates. **Scholion II. Poena** specialis non inseritur in Codice contra contrahentes impedimentum criminis. Possunt autem incurrere varias poenas contra varia delicta statutas, signanter contra adulteros (can. 2357, § 2), polygamos (suprà, n. 566), vel contra homicidas (can. 985, n. 4 et can. 2354, § 1).

673. Jus civile. **Scholion III. Legislatio civilis.** In Codice nostro Belgico, art. 298, statuitur, per modum impedimenti *impedientis*, quod « dans le cas de divorce admis en justice pour cause d'adultère, l'époux coupable ne pourra jamais se marier avec son complice » (1). Etiam dispositio, vi cujus vidimus, suprà, sub n. 480, non posse dispensari super affinitate, quando compars defuncta *violentam* mortem subiit, huc spectare videtur: quatenus praesumitur complicitas inter conjugem superstitem et personam affinem quam ducere cupit (2).

---

non est matrimonium quod cum ea contraxit post uxoris obitum dirimendum. Caeterum tolerari non debet si prius vel postea, dum viveret uxor ipsius, illam adulterio polluisset ».

(1) Cf. suprà, n. 476, coll. n. 384, quo altero loco notatur hanc dispositionem esse abrogatam in Gallia. Hoc statutum refertur ad *Nov.* 134, cap. 12, Justiniani. De caetero circa dispositiones Juris Romani, cf. ESMEIN, l. c., p. 384. Apud plures gentes antiquas non erat locus impedimento criminis, siquidem mulier adultera morte plectebatur. Ita apud Germanos necnon apud Hebraeos et alios; juxta legem etiam *Hammourabi* poenae mortis pariter obnoxius erat vir adulterans, par. 129: « Si la femme d'un homme a été prise au lit avec un autre mâle, on les liera et jetera dans l'eau »; *ibidem* etiam, sub par. 153, mors est comminata in uxorem mortem mariti machinantem: « Si l'épouse d'un homme, en vue d'un autre mâle, a fait tuer son mari, on mettra cette femme à la potence ».

(2) In hoc duplici casu impedimenti civilis, locus esse posset applicationi can. 1098. Cf. exemplum quod attulimus apud *N. R. th.*, 1913, p. 137.

Appendix I

DE OFFICIO PAROCHI ET CONFESSARII.

675. Ordo dicendorum.

Sub hoc appendice primo non intendimus omnia officia describere quae parocho vel confessario incumbunt circa matrimonium; plura caeteroquin jam sunt praeoccupata, puta illa quae spectant proclamationem bannorum, assistentiam matrimonio, signanter matrimonio mixto vel matrimonio indigni, aut modum agendi confessarii cum onanistis; alia etiam opportunius remittuntur ad tractatum de dispensationibus.

Restringimus hanc tractationem ad quaedam monita generalia circa *examen instituendum* de statu libero et scientia, necnon circa *instruendos* et *monendos sponsos* et *nuptos* ac tandem circa *inscriptionem in registro.*

Punctum I. Examen nupturientium.

§ 1. Munus parochi.

Examem *a parocho* instituendum versatur circa *duplex* objectum: *statum* scil. *liberum* et *instructionem in doctrina christiana.* Can. 1020, § 2.

Primum examinis objectum: Status liber.

676. Examen a parocho instituendum; 1° circa statum liberum.

Status liber intelligitur immunitas ab omni impedimento matrimonii dirimente aut prohibente, signanter ab impedimento ligaminis. Ad hunc statum liberum refertur etiam vis et metus absentia in consensu matrimoniali praestando, de qua mentio specialis occurrit in citato canone 1020, § 2.

Jamvero, juxta can. 1019, § 1, « antequam matrimonium celebretur, *constare* debet nihil ejus validae ac licitae celebrationi obsistere ».

Ad detegenda autem impedimenta et statum liberum stabiliendum, conducunt 1° proclamationes bannorum, 2° testimonium baptismi et 3° investigatio directa a parocho instituenda: hoc scil. servato ordine ut proclamationibus praemittatur directa investigatio parochi

necnon testimonii baptismalis exquisitio. Cf. suprà, n. 39bis, coll. n. 51.

Quae tria detegendi impedimenti subsidia non urgentur adhibenda, nisi extra periculum mortis. « *In periculo mortis* (ita disponente can. 1019, § 2) (1), si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, *affirmatio jurata* contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento » (2).

677. Examinis media :

a/ banna;

I. **Proclamationes bannorum** quod spectat, tota disciplina est exposita suprà, n. 40 ss., ubi, inter alia, advertimus (n. 49) eas regulariter incumbere parocho proprio, et in can. 1023, § 2, urgeri recursum ad Ordinarium, pro norma agendi, « si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem », coll. ad n. 49 notatis et infrà dicendis sub n. 686, circa jus particulare in Belgio.

II. **Testimonium baptismi:**

678. b] testimonium baptismi;

Can. 1021, § 1, providetur ut, in ordine ad detegendum statum liberum: « nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus ». Cf. etiam Instr. S. C. de Sacr. 4 Julii 1921 (A. A. S., XIII, p. 348 s.), ad 1^{m}.

Circa quod nota a/ extractum baptismi etiam exigi debere a parte acatholica, quando agitur de celebrando matrimonio mixto (3); b/ exigendum esse extractum *cum nota marginali,* illudque *recens* et *in ordine ad matrimonium transmissum:* cum notis scil. marginalibus, ut in eis reperiatur inscripta, ad tramites can. 470, § 2, mentio matrimonii forte contracti, subdiaconatus suscepti vel professionis sollemnis emissae necnon confirmationis susceptae, vel et nullitatis matrimonii declarationis (can. 1988) (4); extractum *recens* esse debet, ad hoc ut nota marginalis novissimas indicationes con-

(1) Intelligitur periculum mortis, sive ex causa interna sive ex causa externa exoriens. Sufficit autem periculum mortis, non requiritur mortis articulus.

(2) Attende duplicem requiri conditionem ad hoc ut jurata affirmatio sufficiat: quod nempe aliae probationes haberi non possint, et quod nulla indicia faveant impedimenti praesentiae.

(3) Non desunt Auctores qui, uti FAHRNER, *Strassb. Diözesanblatt,* 1918, p. 71 et VON ERNST, *Schweizer. Kirchenzeit.,* 1918, p. 111, censent a parte acatholica, in ordine ad matrimonium mixtum, non esse exigendum testimonium Baptismi. Cf. SCHÄFER, o. c., p. 62; TRIEBS, o. c., p. 121, et CAPPELLO, o. c., n. 149, ubi hic Auctor meritò invocat tenorem can. 1021, § 1, requirentis testimonium a *sola* parte catholica, « si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento *disparitatis cultus* ».

(4) Cf. infrà, n. 700, coll. decr. *Ne temere,* art. IX, par. 2; Congr. Prosyn. Brugensem anni 1908, apud *Collat. Brug.,* XIII, p. 602, et Congr. Prosyn. anni 1922, n. 1; S. C. de Sacr., in Instr. 6 Martii 1911, ad 1^{m}. Cf. etiam nostrum *Tract. de sacr. in genere, Baptismo et Confirmatione,* 1925, n. 353.

tineat (1); c/ non requiri extractum baptismale ad verbum exhibens actum in registro insertum, nisi id in jure particulari exigatur (2); dicitur enim tantùm: baptismi *testimonium;* d/ in casu registri deleti, recurrendum esse ad testimonium testium omni fide dignorum, signanter patrini vel matrinae, vel ad jusjurandum ipsius nupturientis, in adulta aetate baptizati, consulto, si dubium maneat, Ordinario (3).

Testimonium baptismi recens, cum debitis adnotationibus marginalibus, non parum juvabit ad varia impedimenta detegenda: non modò disparitatis cultus, sed et mixtae religionis, cognationis spiritualis, ligaminis, voti et ordinis, necnon, attentis notandis infrà, n. 700, affinitatis.

Nota. Si uterque vel alteruter sponsus baptizatus fuit extra parochiam parochi examinantis, respectivus parochus examinans testimonium baptismi exquiret a parocho baptismi; parochus autem sponsi acceptum testimonium transmittere debet ad parochum sponsae, una cum monito circa statum liberum et proclamationes bannorum.

Si sponsi respectivè in territorio parochi examinantis baptismum susceperunt, sed diversum habent parochum examinantem, etiam tunc debet parochus sponsi testimonium baptismi transmittere ad parochum sponsae. Cf. suprà, n. 51 (4).

---

(1) Id observari jussit Episcopus Metensis, volens ut extractum non sit antiquius tribus mensibus. Cf. *Rev. eccl. Metz,* 1908, p. 303 s. Item *Instructions du Vicariat de Rome,* l. c., p. 597, ubi spatium temporis extenditur ad sex menses. In eumdem caeteroquin sensum disponit jus civile Gallicum, juxta PLANIOL, o. c., n. 718: « Une mention de mariage doit être inscrite dans un court délai en marge de l'acte de naissance des futurs époux. Les extraits d'actes de naissance portent la date du jour où ils sont délivrés, et quiconque veut se marier doit produire à l'officier de l'état civil un acte de fraiche date de son acte de naissance: cet extrait ne doit pas avoir plus de trois mois ».

(2) Ita decretum Congr. Prosynod. Brugensis, anni 1913 (*Collat. Brug.,* t. XVIII, p. 345): « Quoties requiritur a parocho testimonium baptismi suscepti, non sufficit ut ipse testetur N. esse baptizatum tali die, mense, et anno, sed oportet ut ad verbum exscriptum transmittat ipsum *actum* baptismi, prout in registro baptizatorum jacet, non omisso nomine subscripto baptizantis; hunc vero actum transsumptum parochus cum originali concordare testificetur ». Quam dispositionem rursus urget Congr. Prosyn. anni 1922, n. 1.

(3) Can. 779: « Ad collatum Baptismum comprobandum, si nemini fiat praejudicium, satis est unus testis omni exceptione major, vel ipsius baptizati jusjurandum, si ipse in adulta aetate Baptismum receperit », de quo canone cf. *Collat. Brug.,* XXI, p. 221 ss. Cf. etiam can. 1019, § 2, de quo modò suprà, quatenus « *in periculo mortis,* si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsunt indicia, affirmatio jurata contrahentium se baptizatos fuisse » (licet in infantia fuerint baptizati). Circa modum agendi, in aliis adjunctis, signanter si, extra periculum mortis, non est locus applicationi can. 779, cf. Instr. Ordinarii Osnabrugensis, 26 Maii 1920, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1920, p. 65 ss.

(4) Cf. Congr. prosyn. Brugen., anni 1924, n. 5. — Si exquirendum est testimonium baptismi a parocho alienae dioeceseos, fiat mediante curia episcopali. Cf. infrà, n. 700.

III. **Investigatio directa parochi.**

A. **Cuinam parocho competat** *investigatio:*

679. c/ investigatio circa sponsos, facienda a parocho cui jus est adesse nuptiis;

Haec investigatio est facienda a parocho « *cui jus est assistendi matrimonio* » (can. 1020, § 1), adeoque a parocho domicilii, quasi-domicilii vel mensilis commorationis, aut, si de vagis agatur vel de illis qui non habent nisi domicilium aut quasi-domicilium dioecesanum, a parocho actualis commorationis. Cf. suprà, n. 125.

Quam dispositionem si volumus applicare, stricte inhaerendo canoni 1097, § 2, interrogatio foret peragenda pro utroque sponso a parocho proprio sponsae (catholicae); sed, cum dictus canon non sit urgendus, ab eoque observando excuset justa causa, cumque etiam, juxta ipsum canonem 1020, § 3, Ordinario competat peculiares normas statuere pro investigatione peragenda, attento etiam canone 1029, nullatenus improbanda est praxis passim vigens, ut nempe investigatio circa sponsum instituatur a parocho *proprio sponsi* et investigatio circa sponsam a parocho *proprio sponsae* (1). Et sane expeditior et efficacior fiet investigatio a respectivo sponsorum parocho; magis etiam concordat hujusmodi praxis cum dispositionibus juris circa proclamationes bannorum, quas suprà, n. 43 et 44, vidimus fieri debere a parocho proprio uniuscujusque nupturientis. Observetur autem dispositio canonis 1029, quatenus scil., si investigatio fuit peracta ab alio parocho quam a parocho qui matrimonio assistere debet, hic monendus sit de examinis exitu.

Quodsi contingat sponso vel sponsae esse *plures* parochos proprios, quatenus alteruter vel uterque habet duo domicilia vel duo quasi-domicilia vel domicilium et quasi-domicilium paroeciale, examen instituatur a parocho proprio in cujus parochia sponsus vel sponsa actu moratur. Cf. n. 51.

Dicta investigatio facienda est *tempestive,* i. e. uno saltem mense ante nuptiarum celebrationem.

B. **Quid importet** *investigatio:*

Importat prae caeteris *interrogationem sponsorum,* quam solam determinat faciendam can. 1020, § 2 (2). Ulterius etiam *varii investigationis modi* usurpandi veniunt in peculiaribus adjunctis, juxta normas ab Ordinario, in respectiva dioecesi, praescribendas, ad

(1) Ita etiam disponit decr. Congr. Prosyn. Brug., anno 1921, sub IV, ubi statuitur quod, « quando nupturientes ad diversam pertenent parochiam, singulorum examen et instructio... fiant coram parocho *proprio* ».

(2) Cf. etiam can. 1031, § 1, n. 1, de quo infrà, sub n. 686. — Nota *sponsorum* nomine hîc venire non tantùm illos qui sponsalia valida contraxerunt, ad normam juris, sed quoscumque nupturientes.

tramites can. 1020, § 3, attentis can. 1023, § 2 et § 3, ac can. 1031, § 1, num. 1.

Jamvero 1° quod spectat **interrogationem sponsorum:**

a/ *Objectum* circa quod versatur:

680. quae investigatio importat interrogationem sponsorum circa impedimenta dirimentia,

Praemissa interrogatione generali circa nomina et pronomina, aetatem, statum coelibatus aut viduitatis, domicilium et quasi-domicilium, illudque praesens vel anterius, interrogandi sunt sponsi, pro opportunitate, circa libertatem consensus, signanter sponsa, necnon circa *impedimenta* dirimentia et impedientia.

Porro inter *impedimenta dirimentia* magis obvia veniunt impedimenta ligaminis, consanguinitatis et affinitatis, circa quae passim interrogandi sunt sponsi. In specie circa hoc utrumque ultimum impedimentum majori cum cura est indagandum, si nupturientes respective oriuntur ex familiis familiaritatis vinculo ad invicem devinctis, vel si, in determinato loco, solent incolae quasi tribum (caste) inter se efformare.

Quod spectat *clandestinitatem:* inde ab inducta disciplina Piana minus jam exponitur matrimonium periculo nullitatis ex hoc capite, cum ad valorem sufficiat nuptias celebrari coram parocho loci, in quo contractus initur. Unde jam non refert, ad validitatem matrimonii, inquisitio circa nupturientium parochum proprium; non est tamen negligenda inquisitio circa domicilium, quasi-domicilium vel mensilem commorationem nupturientium, ut conditiones ad liceitatem requisitae accuratè observentur.

De *cognatione spirituali* parum est curandum, cum, sub disciplina novi Codicis, sublatum sit impedimentum compaternitatis, quod vix non solum dabat locum irritationi matrimonii (1). Minus etiam est attendendum ad *publicam honestatem,* utpote quae jam non oritur ex sponsalibus, sed ex matrimonio tantum invalido vel ex publico concubinatu.

Circa impedimentum *criminis,* quippe quod est impedimentum natura occultum, sponte sua spectans ad confessarium, regulariter non debet inquirere parochus; tunc tantum locus est interrogationi quando, ob peculiaria adjuncta, ratio praesto est delictum suspicandi in foro externo (2). De impedimento affinitatis illicitae jam non est curandum, cum sit penitus sublatum.

---

(1) Sub anteriori disciplina, speciali attentione digna erat cognatio spiritualis, signanter quando sponsus vel sponsa erat viduus vel vidua. Ideo etiam Congr. Prosyn. Brugensis, anni 1914 (*Collat. Brug.*, t. XIX, p. 434), praescribebat quod in petenda dispensatione super affinitate licita in primo gradu, indicaretur utrum subesset necne impedimentum cognationis spiritualis. Cf. etiam *Liber Man.*, p. 199.

(2) Cf. suprà, n. 667. Ita si recenter viduus postulat copulari cum muliere, putà ancilla, quacum habitavit tempore aegritudinis uxoris, vel cum alia femina quacum

681. et impedientia,

Quod spectat impedimenta *impedientia,* rarò locus erit impedimento cognationis legalis, ac passim non sunt attendenda nisi mixta religio et votum.

Mixta autem *religio* satis innotescet ex testimonio baptismi (n. 678); etiam aliunde innotescit passim in nostris regionibus, absque speciali indagatione. *De voto,* sive privatim sive publicè emisso, passim non est loquendum a parocho, nisi illius impedimenti suspicionem inducat peculiaris conditio sponsae, v. gr., quae valde piè vixerit et a mundanis admodum remota.

Nota 1. Licet sponsalia et dissensus parentum non constituant, in praesenti disciplina, impedimentum matrimonii, equidem parochus prudenter, pro opportunitate, inquirat circa consensum parentum, praesertim in casu matrimonii minorennis, cujus matrimonio, si parentes rationabiliter sunt inviti, non potest, ad normam can. 1034, assistere, nisi consulto prius loci Ordinario; item interroget, pro adiunctis, circa sponsalium validè initorum rupturam, cum, ad normam doctrinae propositae sub n. 24, hujusmodi sponsalia prohibitionem induxerint in conscientia, ac locum dare possint, coram foro externo, actioni in reparationem damnorum. — Caeterum, si can. 1020, § 2, objectum interrogatorii limitat ad impedimenta, tenor can. 1019, § 1, latius patere videtur, ubi dicit constare debere parocho quod nihil validae ac licitae celebrationi matrimonii obsistat.

682. etiam fori civilis;

Parochus attendere debet etiam ad impedimenta *fori civilis:* vidimus namque suprà quod regulariter non potest ad matrimonii celebrationem procedi, nisi impletis formalitatibus civilibus, ad quarum adimplementum praesupponitur absentia impedimenti civilis ejusve per dispensationem remotio.

2. Quemadmodum jam notatum est suprà, ad num. 71, sub nota 2ª; si contingat a puella seducta oppositionem fieri matrimonio viri, cui paternitatem adscribit prolis natae vel nascendae, parochus, frustrà adhibito conatu ad rem amicè componendam, actricem ad judicem civilem remittat qui, favore legis 6 Aprilis 1908, potest, positis ponendis, reum cogere ad solvendam indemnitatem matri necnon annuam pensionem pro sustentatione et educatione prolis; oportet autem ut actio fuerit inducta infra tres annos inde a nativitate prolis.

---

noscitur familiariter esse conversatus, profectò non omittet parochus cautè indagare utrum sponsus, vivente uxore, non adulteraverit cum sponsa, eique futurum matrimonium promiserit. Quodsi agitur de viro qui, obtento divortio civili, civiliter copulatus fuit praesenti sponsae, cui, exinceps defuncta uxore legitima, coram Ecclesia nubere intendit, praesumitur criminis impedimentum, siquidem matrimonium civile constituit attentationem matrimonii meritoque supponitur copula adulterina; imo indagandum tunc erit utrum non intervenerit promissio matrimonii coram Ecclesia ineundi post mortem compartis legitimae, ita ut impedimentum duplicetur.

b/ *Processus* sequendus:

683. *interrogandi sunt seorsim et cautè.*

Interrogandi sunt sponsi *seorsim* et *cautè,* juxta monitum ipsius can. 1020, § 2.

Quod cautè sint interrogandi sponsi, id praesertim applicatur respectu impedimenti criminis, de quo modò suprà; non tantum scil. de illo non est loquendum nisi in peculiaribus adjunctis ibidem descriptis, sed *in ipso modo* interrogandi prudentissime est procedendum ac ratio est habenda conditionis nupturientium. Et ita, uti notat THEOL. MECHL., o. c., p. 58, « convenit quandoque, ad vitandam eorum offensionem, ut impedimenta quaedam non per modum interrogationis proponantur, quasi haberetur aliqua suspicio, quod forte talia contraxerint, sed per modum instructionis, dicendo ista esse praecipua impedimenta de quibus instrui solent nupturientes ».

Juvat etiam notare cautius et prudentius agi a parocho, si saltem sponsa protracto vespere ad examen non admittatur.

Aliàs jus commune nihil determinat circa methodum in interrogando; sed hanc determinationem faciendam relinquit Ordinario, juxta can. 1020, § 3 (1).

2° Quod spectat **alios investigationis modos:**

684. *Illa investigatio importat et alios investigationis modos:*

a/ Circa determinata quaedam impedimenta peculiaris saepe investigationis modus est usurpandus. Nimirum:

1. Quando agitur de impedimento *consanguinitatis* vel *affinitatis,* pro determinandis linea et gradu, plerumque non est fidendum soli nupturientium testimonio; scrutandi etiam sunt cognati, ac imo conficienda est *arbor genealogica,* juxta indicationes suprà propositas, ubi de impedimento consanguinitatis: quae caeteroquin arbor genealogica, uti ibidem notavimus, ab Ordinario Brugensi exigitur exhibenda, eaque completa, simul cum supplici libello pro dispensatione super consanguinitate et affinitate.

in specie ubi agitur de consanguinitate vel affinitate;

685. *vel de ligamine;*

2. Ubi vero agitur de impedimento *ligaminis,* instante scil. matrimonio *vidui* vel *viduae,* cujus compars *in alieno loco* obiisse fertur:

a/ « *Documentum authenticum* (obitus) diligenti studio exquiri omninò debet: exaratum scil. ex regestis paroeciae vel xenodochii vel militiae (2),

(1) Jam omittitur mentio examinis *juridici,* cum depositione testium in forma juris, quod hucusque ad apicem juris censebatur instituendum, circa libertatem status, ad tramites *Instr.* C. S. O., 21 Aug. 1670, anni 1868 et 22 Aug. 1890 (*Collectan.,* nn. 1363, 1372 et 1376). Cf. CAPPELLO, o. c., n. 158; WERNZ-VIDAL, n. 119.

(2) Cf. can. 1813, § 1, n. 4. — Si mors in aliena dioecesi contingit, exigendum est ut testimonium parochi aut rectoris recognoscatur ab Ordinario illius loci, ejusque legalitate muniatur, excepto casu quo dictum testimonium aliunde sit notum; etiam, ubi agitur de loco valdè dissito et ignoto, curetur ut testimonium recognoscatur non tantùm ab Ordinario loci mortis, sed etiam ab Ordinario loci in quo nuptiae sunt celebrandae.

vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit » (1).

β/ Si deficit documentum authenticum, supplendum est per *depositionem duorum testium*, qui sint fide digni, jurati et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus aliasque circumstantias substantiales (2). Interrogentur autem juxta formulare descriptum in Instr. C. S. O., 21 Aug. anni 1670 et 22 Aug. anni 1890 (*Collectan.*, n. 1363 et 1376).

Etiam, defectu duorum testium, potest sufficere testimonium *unius testis*, « dummodò ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur », et saltem nihil in ejus testimonio reperiatur quod non sit congruum atque omninò verisimile (3).

γ/ Quocumque teste deficiente, « probatio obitus ex *conjecturis, indiciis et adjunctis* quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione, curanda erit, ita nimirum ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa..., prudentis viri judicium ad mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine promoveri possit » (4).

δ/ « *Fama* quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae: an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama rectè sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur » (5).

686. ubi exoritur peculiare dubium,

b/ Si, occasione interrogationis sponsorum, *dubium* exoritur circa existentiam cujusvis impedimenti: praescribit can. 1031, § 1,

(1) *Instr.* C. S. O. (ad probandum obitum conjugis) anni 1868, n. 2 (*Collectan.*, n. 1372).

(2) *Ibidem*, n. 3.

(3) *Ibidem*, n. 4.

(4) *Ibid.*, n. 6. — Hujusmodi praesumptiones indicantur in laudata Instructione 1868, n. 7, puta: « An ille de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet..., an discesserit annuentibus uxore et conjunctis, quae tunc ejus aetas et valetudo esset..., utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit etc. »; collatis Instr. C. S. O., 11 Jan. 1869 (*Collect.*, n. 1373), decreto C. S. O., 25 Julii 1898, circa milites Italos, qui interfuerint pugnae de Adoua (*N. R. th.*, XXXI, p. 92 ss.), et solutione *Causae*, coram S. C. C., 18 Julii 1900 (*R. th. fr.*, 1901, p. 81 ss.), necnon duplici solutione casus propositi coram S. C. de Sacr., 22 Jan. 1909 et 26 Martii 1909, apud *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 614 ss., ac casu soluto 15 Dec. 1911 (*N. R. th.*, 1913, p. 422 s.) et casu soluto 24 Jan. 1913 (*Il monitore*, 1913, p. 350 ss.), collato tandem responso S. C. de Sacr. 16 Dec. 1910, in causa uxoris, cujus vir adfuit pugnae apud Mukden, in bello Russico-Japonico (A. A. S., 1911, p. 26 ss.). Circa incolas Siciliae et Calabriae, qui periisse putabantur in terraemotu et de quorum obitu civile exstabat documentum, voluit S. C. de Sacram. expendi casus particulares. Cf. A. A. S., II, p. 196 ss.; cf. etiam solutiones S. C. de Sacr., 28 Nov. et 18 Dec. 1914 (A. A. S., VII, p. 40 ss.), necnon 29 Apr. 1915 (A. A. S., VII, p. 235 s.), 25 Junii 1915 (A. A. S., VII, p. 476 ss.), 25 Febr. 1916 (A. A. S., VIII, p. 151 ss.), 18 Nov. 1920 (A. A. S., XIV, p. 96 s.). Cf. etiam hîc SCHÄFER, o. c., p. 233-235; WERNZ-VIDAL, n. 255, in nota 53.

(5) *Instr.* 1868, n. 8. — « Neque sufficit rumor incertus aut diuturna conjugis absentia, aut probabilia argumenta illum interiisse », sed ad minus « tales conjecturae de illius interitu intervenire debent, quae prudentem virum ita planè esse morali quadam certitudine persuadeant ». Instr. S. C. de P. F. 1792, l. c. Neque per se « provisiones legis civilis de absentibus conjugibus, locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possunt ». *Instr.* C. S. O., 28 Junii 1865, apud *Collectan.*², n. 1373.

n. 1 (suprà, n. 60bis) ut parochus rem accuratius investiget; ad quam accuratiorem investigationem peragendam suggeruntur haec duo media:

α/ Depositio jurata *testium* de libertate status nupturientium, de qua depositione mentio occurrit in decreto Pont. Commiss. Codicis, 2-3 Junii 1918, ad 4^{m} (1), coll. can. 1031, § 1, n. 1.

β/ Juramentum suppletorium *sponsorum,* quo juramenti fide sollemniter declarent sese ab omni impedimento esse immunes; ad quod remedium recurri posse suggerit, praeter citatum can. 1031, invocatum decretum Pont. Commissionis.

vel agitur de illis qui alibi habitaverunt.

c/ Ubi agitur de sponsis quorum alterutra pars, post adeptam pubertatem, *per sex menses alio in loco habitaverint:* tunc, *de jure communi,* ante ulteriorem investigationem, *consulendus est Ordinarius,* excepto sane casu urgentis necessitatis. Ipsius autem Ordinarii est praescribere, in casu, probationes et conjecturas super status libertate. Can. 1023, § 2, coll. Instr. S. C. de Sacr., 4 Julii 1921, ad 4^{m}.

Idem valet ubi *brevior* quidem fuit *commoratio in alieno loco,* sed *suspicio* datur de contracto impedimento: quae suspicio passim praesumitur respectu emigrantium. Can. 1023, § 3, coll. citata Instr. S. C. de Sacr. anni 1921.

Quod nunc attinet dictum *recursum ad Ordinarium,* nota illum *jure communi* imponi instituendum, seclusa urgente necessitate, *in singulis casibus,* et non permitti quod « Ordinarius per mandatum generale praescribat ut parochi ab omnibus nupturientibus, de quibus in canone 1023, § 2, juramentum de statu libero exigant, quin necessarium est in omni casu ad Ordinarium recurrere » (2).

Quod autem spectat *probationis modos,* ab Ordinario praescribendos, praesto sunt, praeter publicationes in alieno illo loco peragendas, modi, hic suprà, sub b/, propositi, quibus addi licet testimonium libertatis ex parte Ordinarii loci in quo morati sunt sponsi, vel ex parte parochi ejusdem loci, quod parochi testimonium ab

(1) A. A. S., X, p. 345.

(2) Decr. S. C. de Sacr., 6 Febr. 1920, latum pro dioecesi Moguntina, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1920, p. 28 s.

Si, attento tenore can. 1023, § 2, et citato decreto S. C. de Sacr., anni 1920, non potest, coram jure communi et seclusa speciali concessione S. Sedis, probari quod ab Ordinario, pro omnibus casibus commorationis alibi per sex menses protractae, idem probationis modus praescribatur, quaeri posset utrum cum dictis juris dispositionibus conciliari non posset quod, pro aliqua determinata sponsorum categoria, communis quaedam norma statuatur, ad modum normae in Congreg. Prosyn. Brugensi, anni 1922 inductae, quatenus scil., « si nupturiens post adeptam pubertatem per sex menses alio in loco commoratus sit *ob solam militiae exercendae causam,* parochus ab eo requirat juramentum suppletorium, quin ad Ordinarium recurrat ».

hujus Ordinario, necnon ab Ordinario parochi testimonium recipientis, sit recognitum (1).

Dictum est: *jure communi;* quia ex speciali S. Sedis concessione contingit ab illa severa norma can. 1023 posse recedi. Hujusmodi peculiaris concessio est facta *pro Belgio:* ibi sufficit, in casu canonis 1023, ut parochus accuratius investiget, adhibitis documentis publicis, sive ecclesiasticis sive civilibus, privatis testimoniis et documentis fide dignis, una cum affirmatione jurata contrahentium, et, si facta inquisitione ipsi constat nihil matrimonio obstare ac praesertim nupturientes liberos esse, parochus non tenetur rem Ordinario exponere (2).

Unde, in Belgio, non jam, in casu can. 1023, § 2, imponitur recursus ad Ordinarium, nisi quando parocho non succedat, propria industria, dubium circa impedimenti existentiam removere: quo casu applicanda est norma generalis de qua statim, in nota.

Nota. Norma generalis est ut, quotiescumque, *post peractam investigationem* parochi circa statum liberum sponsorum, *dubium remaneat* (3), res sit deferenda vel (si jam, juxta modò dicta, recursus est factus) iterum deferenda ad Ordinarium, antequam ad matrimonium procedatur. Can. 1031, § 1, num. 3, coll. suprà, n. 60bis.

Caeterum consulendus est recursus ad Ordinarium quotiescumque peculiaris aliqua difficultas occurrit aut intricatio in examine peragendo aut perficiendo.

Quae in specie valent pro casu dubii exorti aut intricati negotii occurrentis in inquirendo circa obitum prioris compartis, de quo modò suprà, n. 685 (4).

687. Nota circa juramentum suppletorium,

Scholion I. Quod spectat *juramentum suppletorium,* attento tenore can. 1019, § 2, 1020, § 3, 1023, § 2, ac citati decr. Pont. Commiss. Cod., ad 4^{m}, jam non requiritur peculiare indultum ad hoc ut

(1) Cf. suprà, n. 49, ubi etiam notatur de quonam loco agatur in canone 1023, et quisnam sit Ordinarius consulendus.

(2) Conc. prov. Mechlin. IV, n. 206. — Eadem concessio est facta pro dioecesi Cameracensi.

Cf. etiam hîc, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1925, p. 588 s., ordinationem dioecesanam *Radislaviensem,* in qua, juxta rescriptum S. C. de Sacr. 15 Jan. 1925, variae normae statuuntur, in casu canonis 1023, § 2, observandae. Nimirum 1. banna proclamanda sunt in locis in quibus sponsi domicilium vel quasi-domicilium habuerunt per ultimos sex menses; 2. si parochus peculiare motivum habet suspicandi aliquod impedimentum antea contractum, debet parochus in aliis locis denuntiationes exigere vel alia inquisitionis media adhibere, in specie interrogando pressius sponsos, eorumque cognatos et amicos, recurrendo ad documenta paroecialia aut etiam civilia, et, si dubium adhuc supersit, sponsis deferendo juramentum suppletorium; 3. peculiari prudentia opus est cum sponsis qui in exteris regionibus habitaverunt; et tandem 4. in casibus in quibus inquisitiones fieri nequeunt, vel, non obstantibus illis, dubium non removetur, recurrendum est ad Ordinarium.

(3) Sub b/ agitur de dubio exorto ante peractam investigationem, sub ipsa prima interrogatione sponsorum.

(4) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 255, III, coll. n. 256.

Ordinarius possit deferre illud juramentum, sicuti olim indulto habebat opus; ac imo ipse parochus, variis in casibus, potest propria auctoritate ad illud juramentum deferendum procedere (can. 1031, § 1, num. 17, coll. dictis suprà, n. 686).

Modus servandus in praestatione juramenti suppletorii describitur apud *Collat. Brug.*, t. III, p. 240 s.

Nimirum orator (oratrix), coram duobus testibus, manu dextera Evangelio apposita ac genuflexus ante imaginem crucifixi, mediam inter duos cereos accensos, juramentum emittet his similibusve verbis:

« *Ik* N..., *zweer bij God dat ik met niemand in den echt verbonden* » *ben* (1); *en dat er, bij mijne wete, tusschen ons beiden geen hoege-* » *naamd beletsel van huwelijk bestaat* (2). *Zoo helpe mij God en zijne* » *heilige Evangeliën* ».

Seu gallice:

« *Je* N..., *jure devant Dieu que je ne suis point engagé dans les liens* » *du mariage et, qu'à ma connaissance, il n'existe entre nous deux aucun* » *empêchement de mariage. Ainsi Dieu me soit en aide et ses saints* » *Evangiles* ».

Antequam autem juramentum emittit orator (oratrix), eum (eam) moneat parochus de gravitate actus praestandi et rite instruat circa *nullitatem* matrimonii cum impedimento dirimente contracti; praeterea, juxta injunctum Congregationis S. Officii, ipsi notas faciat poenas ecclesiasticas, ut infamiae, excommunicationis, interdicti, contra polygamos a sacris canonibus statutas, aut ab Ordinario infligendas, ad normam can. 2356 (3).

687bis. et circa documenta procuranda.

Scholion II. Juxta dicta sub n. 60bis, ad normam can. 1030, § 1, parochus non potest nupturientem ad matrimonium admittere « antequam omnia *documenta necessaria* receperit », nempe a/ extractum baptismale alterutrius sponsi ex aliena parochia oriundi (suprà, n. 678); b/ attestationem scriptam de bannis in aliena paroecia proclamatis et de non detecto impedimento aut de impedimenti remotione (n. 60); c/ schedulam confessionis (n. 192 s.) (4); d/ attestationem de adimpletis formalitatibus civilibus (n. 461);

(1) Olim inserebatur incisum: « dat ik aan niemand buiten N., waarmede ik voornemens ben te trouwen, huwelijksbelofte gedaan heb »; quod incisum, attenta abrogatione impedimenti canonici sponsalium, delendum decrevit Congr. Prosyn. Brug., anni 1921.

(2) In Congreg. Prosynod. dioecesis Brugensis, anni 1922, urgetur ut juramentum suppletorium, quoties a nupturientibus est praestandum, « enuntiet non tantum immunitatem ab impedimento *ligaminis*, sed etiam *a quovis alio matrimonii impedimento* ».

(3) Olim minitandae etiam erant poenae temporales, quae, quantumvis obsoletae, nunquam fuerant ritè revocatae, sicuti nunc, per novi Codicis introductionem, censentur abrogatae (can. 6, n. 5). Hae autem poenae primitus erant *publica poenitentia per septennium protracta, cum jejunio per quadraginta dies in pane et aqua;* seriori autem aetate, juxta decisionem Congregationis S. Officii, polygami, si falsos testes ad statum suum liberum comprobandum non induxissent, *ad triremes* (dwangarbeid = travaux forcés), *per quinquennium,* si vero induxissent, *per septennium,* damnabantur.

(4) Ad normam dictorum sub n. 191, nuptiis praemitti debet, si sine gravi incommodo fieri possit, *confirmatio;* non est tamen in usu exigere testimonium susceptae confirmationis; sufficit sponsos nondum confirmatos monere de obligatione exequenda. Caeterum, uti notatum est sub n. 678, mentio confirmationis, si suscepta fuerit, reperietur in extracto baptismali cum nota marginali.

e/ documenta varia pro stabiliendo statu libero in peculiaribus adjunctis, de quibus sub n. 685 s., in specie testimonium de obitu prioris conjugis aut de praestito juramento suppletorio, juxta exposita sub n. 685; f/ declarationem nullitatis anterioris matrimonii (n. 710, sub 5°) aut dispensationis super rato non consummato (n. 331) (1); g/ licentiam Ordinarii pro assistentia matrimonii vagi (n. 129). Quibus accedat, pro varia hypothesi, delegatio expressa, aut etiam scripta, parochi loci, si matrimonium celebretur coram alio sacerdote (n. 107); vel licentia, pariter expressa aut scripta, parochi domicilii aut quasi-domicilii aut menstruae commorationis, si matrimonio assistens non sit parochus pro licita assistentia competens (n. 125); vel, si non sit parochus sponsae, hujus parochi licentia (n. 126).

SECUNDUM OBJECTUM EXAMINIS: DOCTRINA.

688. A parocho examen faciendum 2° circa instructionem.

Quod attinet examen circa *instructionem in religione christiana,* interrogatio fiet circa elementa doctrinae christianae, circa illa scil. quae cognoscenda sunt de necessitate medii et de necessitate praecepti, nimirum circa quatuor puncta, symbolum, decalogum cum praeceptis Ecclesiae, tria sacramenta necessaria baptismatis, Eucharistiae et poenitentiae, et orationem dominicam; adde salutationem angelicam et actus fidei, spei, charitatis et contritionis.

Interrogatio haec non imponitur semper instituenda, ac, in ipso can. 1020, § 2, monetur ab ea posse abstineri, si ob personarum qualitatem appareat inutilis (2). Quando autem instituenda judicatur interrogatio, praemittatur bannorum proclamationi, uti jam monuimus suprà, n. 676.

Si contingat sponsos interrogatos reperiri ignaros circa modò descripta puncta, haec edocendi sunt a parocho (3), ita statuente Pont. Commissione Codicis, 2-3 Junii 1918, ad 3^{m} (A. A. S., X, p. 345); additur autem: « quodsi renuant (vel doceri nequeant), non

(1) Quae sub f/ ponuntur non exigunt documentum speciale, cum censeantur notari in margine registri baptismalis.

(2) Cave tamen ne hac concessione abutatur parochus, aequo facilius praetereundo interrogationem, cum minus docti exinde ansam facilè sumerent examen sibi impositum aegre ferendi. Cum personis melius edoctis potest omitti, si non ipsa interrogatio, interrogandi modus, examen instituendo sub forma colloquii.

(3) « Generatim non requiritur ut ea verbotenus, vel eo ordine quo proponuntur *memoriter* addiscant, nec ut distinctam habeant mysteriorum cognitionem; satis est ut de singulis veritatibus interrogati recte respondeant, quoad rei substantiam » (*Collat. Gandav.*, 1913, p. 111). Ideo memores sint parochi moniti Benedicti XIV, *De syn. dioec.*, l. VIII, c. 14, n. 6: « nimirum quandoque evenire, ut quis praecipua fidei nostrae mysteria et sciat et credat, caetera pariter, quae necessitate praecepti sunt addiscenda, aliquo saltem rudi modo perceperit, sed, quia hebetis est ingenii et exilis memoriae, post omnem adhibitam diligentiam, illa memoria retinere et recitare non valet... curabit parochus ut qui eo memoriae defectu laborat, frequenter audiat quae semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur ».

est locus eos respuendi a matrimonio », nec adeo tractandi sunt tanquam peccatores publici, de quibus can. 1066 (suprà, n. 195) (1).

Ad hoc ut ignaros sponsos in doctrina catholica instruant, parochos urget *Conc. Mechlin.* IV, decr. 290; ideo curandum monet ut sponsi tempestive ad ipsos accedant, non modò ut indagetur status libertas, « sed et ut provideatur, si opus sit et quo meliori possit modo, instructioni religiosae nupturientium: quippe qui interdum valdè rudes accedant, et, ob neglectam praxim vitae christianae, lamentabili ignorantia laborent ».

§ 2. Munus Confessarii.

689. Examen a confessario peragendum.

Examen *pro foro interno,* circa impedimenta ad dictum forum pertinentia, instituendum est *a confessario,* in confessione, idque maxima cum cura et sollicitudine. Huc spectant prae caeteris impedimenta *voti* ac impedimentum *criminis;* in quorum impedimentorum inquisitione facienda, nonnunquam officio suo deficere confessarios experientia constat: unde postea difficultates et anxietates non exiguae oriuntur.

Profectò nupturientes non sunt indiscriminatim interrogandi circa dicta impedimenta, maximè circa criminis existentiam, sed ratio est habenda modò dictorum sub n. 680 et 683, nec tamen leviter est ab omni interrogatione abstinendum.

Punctum II. Insructio sponsorum et conjugum.

Instruendi sunt sponsi et conjuges tum a *parocho,* et quidem publicè in cathedra et privatim, occasione examinis in ordine ad matrimonium instituendi, tum a *confessario. Parochi* praesertim est illos instruere circa naturam et dignitatem matrimonii et circa praecipua officia status, non omissa, pro opportunitate, prudenti monitione circa usum matrimonii. Ad *confessarium* autem maximè spectat directio danda circa electionem status conjugalis, ac intimior instructio circa usum conjugii (2).

---

(1) Hucusque severius videbatur procedendum cum ignaris, signanter male dispositis. Nimirum, « in Congregatione habita coram Innocentio XII, anno 1697, decretum est non esse a parochis matrimonium in Ecclesia proclamandum, nisi ante sponsos reperierint *in christianae religionis rudimentis sufficienter instructos;* quod quidem decretum confirmatum fuit a Clemente XI ». Ita Bened. XIV, *De Synod. Dioeces.,* l. VIII, cap. 14, n. 3, qui ipse inhaesitanter praecipit neminem ad matrimonium admitti christianis institutis nondum satis edoctum; item in Constit. *Etsi minime:* « matrimonio jungendi non sunt, si parochus, ut debet, prius interrogando, deprehenderit marem seu feminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare ».

(2) Profectò haec officia non sunt ita distincta ut sensu exclusivo sumantur; in specie quae magis dicuntur competere confessario, possunt, pro variis adjunctis, opportunè obiri a parocho, uti sponte intelligitur et ex infrà dicendis liquebit.

§ 1. Instructio danda a parocho.

A. Instructio publica.

690. Instructio danda a parocho,

1° publica,

Equidem caute et prudenter debet procedere parochus in instructione circa matrimonium publice, et praesertim in ecclesia, fidelibus danda; falsa tamen prudentia est et praepostera modestia quae sacerdotem cohibeat ab inculcanda doctrina Ecclesiae circa sacramentum matrimonii ejusque sanctitatem ac officia gravissima, in quorum observatione vix non integra reipublicae christianae posita est salus (1).

Caeterum quae nata sunt facilius esse offensioni vel periculum inducere pro innocentia juniorum auditorum, si hujusmodi negotia in ecclesia tractentur e cathedra, opportunè relinquantur parce et caute docenda in instructionibus, quae tradi solent pro solis personis nuptis in distinctas sodalitates convenientibus. Porro

circa naturam matrimonii,

1° Doceat parochus veram *doctrinam de natura matrimonii,* juxta superius exposita: matrimonium nempe a Christo Domino ita ad sacramenti dignitatem esse evectum ut, inter baptizatos, matrimoniale vinculum nullum existat quod non sit sacramentale, ac proinde regimen matrimonii christiani totum quantum habeatur penes Ecclesiam, cujus adeoque solius legum prohibentium ac irritantium ratio est habenda in contractu ineundo matrimoniali.

Ostendat sacerdos inde sponte sequi matrimonium civile non esse nisi meram formalitatem legalem, nullatenus quidem negligendam, propter effectus civiles, sed ad essentiam matrimonii nequidquam conferentem, ac proinde christianos sponsos tunc tantum evadere conjuges, postquam coram parocho et duobus testibus sacramentaliter fuerint conjuncti; addatur non convenire ut formalitates civiles diu praecedant conjugium religiosum (2).

Urgeat parochus, contra hodierna legis civilis infausta conamina, omnimodam vinculi indissolubilitatem, quod vinculum sola morte disrumpitur,

---

(1) « Et sane (uti arguit Leo XIII, in Encyclica *Arcanum*), praeterquam quod propagationi generis humani prospiciunt (matrimonia), illuc quoque pertinent ut meliorem vitam conjugum beatioremque efficiant; idque pluribus causis, nempe mutuo ad necessitates sublevandas adjumento, amore constanti et fideli, communione omnium bonorum, gratia coelesti, quae a sacramento proficiscitur. Eadem vero plurimum possunt ad familiarum salutem; nam matrimonia, quamdiu sint congruentia naturae, Deique consiliis apte conveniant, firmare profectò valebunt animorum concordiam inter parentes, tueri bonam institutionum liberorum, temperare patriam potestatem proposito divinae potestatis exemplo, filios parentibus, famulos heris facere obedientes. Ab ejusmodi autem conjugiis exspectare civitates jure possunt genus et sobolem civium qui probe animati sint, Deique reverentia et amore assueti, sui officii esse ducant juste et legitime imperantibus obtemperare, cunctis diligere, laedere neminem ». *Leonis XIII acta,* Brugis, typis Soc. S. Aug., 1887, vol. 1^m^, p. 128.

(2) Cf. suprà, n. 461 s. — « Omnibus exploratum esse debet, si qua conjunctio viri et mulieris inter christifideles citra sacramentum contrahatur, eam vi ac ratione justi matrimonii carere; et quamvis convenienter legibus civicis facta sit, tamen pluris esse non posse quam ritum aut morem jure civili introductum; jure autem civili res tantummodo ordinari atque administrari posse, quas matrimonia efferunt ex sese in genere civili et quas gigni non posse manifestum est, nisi vera et legitima illarum causa, scilicet nuptiale vinculum, existat. — Haec quidem omnia probe cognita habere maxime sponsorum refert, quibus etiam probata esse debent et notata animis, ut sibi liceat hac in re morem legibus gerere; ipsa non abnuente Ecclesia, quae vult atque optat ut in omnes partes salva sint matrimoniorum effecta, et ne quid liberis detrimenti afferatur ». Encyclica *Arcanum,* l. c., p. 135.

licet interdum possint dari, judico Ecclesiae, rationes canonicae separationem a cohabitatione instituendi (1).

691. ejusque dignitatem,

2° Extollat *matrimonii dignitatem,* ne fideles ad illud accedant, quemadmodum nimis frequenter contingit, tanquam ad opus profanum. Ideo provocet parochus ad varia rationis momenta, suprà, n. 87 s., invocata, ex quibus christiani connubii honestas mirè elucebit.

Quo magis autem ac vividius prae oculis ponat parochus sanctitatem et dignitatem matrimonii, eo efficaciori sermone urgebit fideles ut rite et sancte ad conjugium sese praeparent, sancto amore potius quam libidine ducti, in continentia et in oratione.

Caeterum, omni quo par est zelo, fideles avertat parochus ab omni imprudenti et libidinosa procatione ac illicita familiaritate (2), eosque eloquenter compellat ut in statu gratiae sacramentum suscipiant, ne tantae necessitatis gratiis priventur et divinam maledictionem pro benedictione in se provocent (3).

692. et officia conjugalia,

3° Inculcet *officia conjugum,* tam *ad invicem* quam *erga proles,* juxta ea quae suprà, n. 269 s. et 272 ss., breviter fuerunt exposita, provocando etiam ad S. FRANCISCUM SALESIUM, o. c., P. III, capite 38°, quod inscribitur *Consilia pro hominibus conjugatis,* necnon ad opellas huc spectantes in elencho citatas, et modo infrà citandas, coll. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 188-190, necnon STÖHR, o. c., p. 484-489. Insistat in specie in amore mutuo, quo invicem diligere debeant conjuges, amore scil. sancto et supernaturali, non in sola specie corporali fundato nec solo passionis aestu nutrito; inculcet mutuam defectuum sufferentiam, et christianam patientiam; urgeat strictissimam ac illibatam fidelitatem conjugalem, cui utraque pars est obnoxia (4), moneatque incautos contra pericula ex imprudenti cum alienis personis consuetudine oriunda (5).

Inculcet parochus nuptis et nupturientibus « nec pauca esse conjugum

---

(1) « Id quoque est cognitu necessarium, solvere vinculum conjugii inter christianos rati et consummati nullius in potestate esse; ideoque manifesti criminis reos esse si qui forte conjuges, quaecumque demum causa esse dicatur, novo se matrimonii nexu ante implicare velint quam abrumpi primum morte contigerit. — Quod si res eo devenerint ut convictus ferri diutius non posse videatur, tum vero Ecclesia sinit alterum ab altera seorsum agere, adhibendisque curis ac remediis ad conjugum conditionem accommodatis, linire studet secessionis incommoda; nec unquam commitit, ut de reconcilianda concordia aut non laboret aut desperet ». Encyclica *Arcanum,* l. c., p. 135.

(2) « A laesae castitatis gravi piaculo non excusantur sponsi, praetextu instantis matrimonii; illis licent quidem honestae amoris mutui demonstrationes, non autem lascivae delectationes ». Ita decr. 53 Conc. Mechlin. quarti.

(3) « Deus det, inquit S. Franciscus Salesius, l. c., ut ad omnes omnino nuptias Filius ejus unigenitus invitetur, uti ad nuptias in Cana Galilaeae vocatus fuit: nunquam enim in illis consolationum et benedictionum vinum deesset. Nam quod, ut plurimum, nonnisi in principio earum modicum vinum habeatur, ideo est quod Domini nostri Jesu Christi loco invitetur Adonis, et Beatae Virginis loco Venus ».

Indigne et inconsideranter initum conjugium multorum malorum seminarium est. « Quo facile esset non descendere (notat Leo XIII, in citata Encyclica), si sponsi, non cupiditate acti, sed praesumptis cogitatione tum officiis conjugum, tum causis conjugiorum nobilissimis, ea qua aequum est mente ad matrimonium accederent; neque nuptias anteverterent continuatione quadam serieque flagitiorum, irato Deo ». L. c., p. 135.

Cf. hîc, circa continentiam antenuptalem, FRANCOTTE, o. c., p. 29 ss.

(4) « Aequalis est quoad conjugalem castitatem servandam obligatio viri et mulieris; hinc a sensu christiano prorsus aliena censenda est distinctio, quam mundani homines non rarò inducunt, majori nempe indulgentia utentes erga virum infidelem quam erga uxorem ». Decr. 54 Conc. Mechlin. quarti.

(5) Cf. EHRLER, o. c., p. 29 ss.

officia nec levia; ea tamen conjugibus bonis, ob virtutem quae sacramento percipitur, non modò tolerabilia fieri sed jucunda ». Encyclica *Arcanum*.

Saepe ac viriliter impugnet parochus materialisticum illum vitae conceptum, « qui hodiedum ubique pervadit nec etiam christianos immunes relinquit: homines deliciis frui contendunt et concupiscentiis laxas habenas dare, quin onera velint assumere quae ipsis jam videntur importabilia ». *Instructiones* Episcoporum Belgii, l. c., p. 455. Cf. etiam VERMEERSCH, *La peur de l'enfant*, p. 28 ss., p. 44 s.; *Le problème de la natalité*, p. 58 ss.

693 in specie circa usum coniugii.

4° Quod in specie spectat *usum conjugii*, profectò nonnisi generali et obvoluto sermone est de illo loquendum in ecclesiae cathedra; non est tamen abstinendum a gravi monitione pro opportunitate (v. gr. occasione explicationis catechismi) danda uxoratis, quatenus ipsis non omnia liceant, quatenus etiam in statu conjugali possit contra castitatem peccari, idque foedissime; ac plerumque proderit, attenta vitii frequentia, severè ac energicè invehere in vitium onanismi, fini Creatoris directè contrariantis ac Dei vindictam provocantis (1): suggerendo etiam numerosas familias benedictionibus supernis cumulari, et quaerendo num illis benedictionibus non obsistant conjugati.

Hujusmodi autem monitionibus opportunus prae caeteris locus est, uti modò notavimus, in sodalitatibus in gratiam conjugum institutis (2), in quibus magis ex professo, liberiori ac fusiori sermone, utique casto et modesto, licet de illis loqui, ad modum quo illa delicatè tractat S. FRANCISCUS, o. c., P. III, c. 39: *De thori conjugalis honestate et puritate*.

Nimirum, comparatione instituta inter usum matrimonii et comestionem, ostendit S. Doctor quomodo, « sicuti ad corpus nutriendum et conservandum dumtaxat comedere res bona, sancta et praecepta est, sic, quod in matrimonio ad sobolis et hominum multiplicationem requiritur, laudabile cumprimis et sanctum est ».

Pariter, quemadmodum peccatum esse potest in usu cibi et potus immoderato, imo et peccatum grave, putà in ebrietate, ita monet nonnunquam delinqui in matrimonii fruitione, idque graviter, si actus a fine detorquetur.

B. **Instructio privata.**

694. 2° Instructio privata,

Haec privata nupturientium instructio, proximè praeparatoria ad matrimonium, summa cum cura est obeunda, sive occasione examinis instituti, sive etiam, si fieri potest, alio temporis momento.

Imprimis juvabit quaedam generalia monita in memoriam revocare circa matrimonii naturam ac dignitatem, officia inculcando conjugum inter se et erga proles (3): ipsis etiam in manus tradendo parvum libellum manualem, cujus lectione horum memoria renovetur (4). Hanc instruendi sponsos obligationem expressis verbis

(1) Cf. *Conc. Mechlin. quartum*, decr. 86.

(2) Item, uti monent laudatae *Instructiones*, p. 460, « in sacris missionibus, coactis viris vel matribus christianis, vel potius simul omnibus matrimonio junctis, itemque occasione recollectionis, si alicubi existat, ad matrimonium praeparatoriae ». Cf. etiam Conc. Mechlin. quartum, l. c.

(3) Doctrina christiana est potius objectum examinis, de quo suprà, n. 688.

(4) Ita DE SMET, *Het christelijk huwelijk*, Brugge, 3de uitg., 1923; *Mariage chrétien*, Bruges, 2e éd., 1924; MERVILLIE, *Trouwersboekje of raadgevingen voor het huwelijk*,

inculcat can.. 1033: « Ne omittat parochus, secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas conjugum obligationes et obligationes parentum erga prolem ».

In specie insistendum est a parocho in gravi obligatione *baptismo* conferendi in casu necessitatis, nec omittat sponsos artem docere baptizandi, ut et ipsi, si opus sit, sacramentum administrare valeant: ad quod tamen moneantur non esse procedendum nisi deficiente omni alia persona idonea; prae oculis etiam ponantur nupturientium, praesertim sponsae, nonnullae animadversiones practicae pro curanda salute abortivorum, juxta latius exposita in nostro tractatu *De sacramentis in genere, baptismo et confirmatione,* Brugis, 1925, n. 319 s. (1).

695. speciali ad hibita cura cum ignorantibus sexualia.

Prudenter et providè sciscitetur parochus a sponsis utrum sufficienter instructi existant circa *usum matrimonii.* Illos autem quos in hoc negotio *ignorantes* inveniat, quod nonnunquam contingit apud candidae innocentiae puellas, inhaesitanter docebit parochus circa consortii conjugalis naturam ac primarium officium, vel eos cauté instruendos curabit, praesertim si de sponsa agatur juniori ac admodum verecunda, eam remittendo ad matrem vel piam matronam (2). Crudele est enim hujusmodi personas pro tota vita statui

---

5e uitg., 1910; HILLEGEER, *Bereiding tot het huwelijk,* Gent, 1871; JOSEFF, *Conseils pour la préparation au mariage,* 32e éd., Liége, 1909; GLÖCKLS, *Brautunterricht,* 5e Aufl., St Pölten, 1909; FORSCHNER, *Die christliche Familie — Briefe für junge Eheleute,* Mainz, 1910; HÖLLER, *Ehekatechismus,* 4e Aufl., Dülmen, 1909; HOPPENOT, *Petit catéchisme du mariage,* Paris, 1908; P. ROBERT, *Le livre d'or ou le conseiller des jeunes mariés,* Bruges, 1910; SOMMER, *Kurzer Brautunterricht,* Köln, 1908; GEENS, *Vrome bedenkingen voor trouwers en getrouwden,* Hoogstraeten, 1911; ROUZIC, *Avant le mariage,* Paris, 1913; NYSTEN, *Ce que les jeunes fiancés et les époux doivent savoir,* Liége, 3e éd.; IDEM, *Instructions familières sur le mariage, son origine, sa vie intime et sa préparation,* Liége, 1912; D. G., *Le bonheur des familles assuré,* Liége, 2e éd.; APPELMAN, o. c.; VAN DER BURG, *Ouderzorg en ouderweelde,* Leiden, 1918; EGGER, *De christelijke vader in de hedendaagsche wereld,* Amsterdam, 1911; IDEM, *De christelijke moeder...,* Amsterdam, 1911; VAN HEESCH, *Vrouwenzorg,* Grimbergen, 1919; MONTIER, *La vie conjugale,* Paris. — In *Instructione pro confessariis* Epp. Germaniae commendantur etiam: KRICK, *Der kirchliche Brautunterricht,* Kempten, 4e Aufl.; RIST, *Brautunterricht,* Dülmen. Adde opellas in elencho citatas: *Die Ehe;* EHRLER, o. c.; BAUR, o. c.

(1) Cf. etiam opellam: *Over het doopsel in tijd van nood...,* 's Gravenhage, 1919. Multum autem commendatur, quod spectat universam curam prolium, egregia opella Prof. Dris DAELS, *Voor moeder en zuigeling,* Leuven-Leiden, 1918.

(2) Statuta renovata dioecesis Harlemensis hanc instructionem sine restrictione urgent a parocho vel confessario dandam: « Omnes parochus et confessarios, ad quos spectat, in Domino obstringimus ut instructionem matrimonialem honeste et clare semper tradant, antequam matrimonium celebretur. Et ubi praevidetur longa procrastinatio primae post matrimonium confessionis, neque pars hujus instructionis differatur, sed ante matrimonium instructionem *completam* confessarii honeste tradant nupturientibus ». Cf. *Ned. kath. Stemmen,* 1918, p. 222 ss.

De hac instructione agit Conc. Mechlin. quartum, in decr. 290, monens ut parochus « affectu paterno et sermone gravi tradat sponsis monita competentia circa vitam christianam in statu matrimoniali ducendam ». De ipsa autem initiatione facienda et methodo in ea adhibenda, cf. suprà, n. 274.

devovere quem penitus ignorant, eisque jugum imponere quod ipsis, tardius instructis, exosum erit forsitan ac intolerabile.

Profectò prudenter et cautè est danda illa instructio, abstinendo a nimium evocanda analogia cum brutis, sed potius extollendo dignitatem matrimonii ac nobilitatem actus conjugalis, quo mediante quasi cooperatores existunt Dei in sublimi opere creationis, ac vocantur ad augendum numerum filiorum Dei ac civium sanctorum (1).

Melius edoctos circa naturam conjugalis consortii, non omittat ad honestatem et castimoniam conjugalem adhortari, juxta monita superius proposita pro instructione publica.

Utrum autem ulterius sit procedendum, vel pro ulteriori instructione in hac re sint ad confessarium remittendi, prudentis parochi est dijudicare pro variis adjunctis. Porro potest esse opportunum, imo non desunt graves Auctores hanc normam passim servandam urgentes, ut ipse parochus sponsos instruat *circa licita et illicita* in matrimonio, ad modum qui infrà describetur servandus a confessario: in hunc etiam sensum urgere videtur citatus can. 1033. Et sane absque offensione excipient hujusmodi instructionem ex ore proprii pastoris, ac majori cum fructu quam ex parte confessarii, junioris nonnunquam vel sponsos ignorantis ipsisque ignoti, qui caeteroquin non semel ab illa instructione danda impedietur ob alia gravissima negotia in confessionis decursu tractanda.

Huc spectat potissimum gravis monitio contra vitium *onanismi*, eaque eo explicitior requiritur et instantior quo latius in regione grassatur nefanda illa lues, et quo majori jure timetur illa praxis adoptanda a nupturientibus hic et nunc instruendis.

Suggeratur tandem nupturientibus ut, si dubia postea exsurgant, ea confessario confidenter proponere non timeant, ut tuta et quieta conscientia vitam degant in conjugio. Quodsi consilio vel ope medici indigeant, cavebunt ab adeundo viro improbo aut a principiis christianis alieno, et sciant non deesse ejusmodi medicos qui illicita ac moralitati contraria suadere non vereantur.

---

(1) Cf. suprà, n. 274. — Non pauci commendant ad hoc praxim tradendi hujusmodi sponsis libellum legendum, qui ad instructionem functionis physiologicae matrimonii sit conscriptus. In hunc finem proponitur opella in elencho citata, *Die Ehe* (cujus editio hollandica « *Het huwelijk* » prostat apud Swartsenburg, Amsterdam), a consortio medicorum, sacerdotum et mulierum edita in gatriam sponsorum et nuptorum: in hac quidem opella, optima intentione conscripta, utilissima monita reperiuntur et doctrinae physiologicae capita, a nonnullis magno cum fructu excipienda; sed non esset ejusdem lectio, in nostris regionibus, absque delectu suadenda. Minus adhuc commendanda est lectio operis, cui titulus: *Het volkomen huwelijk*. Cf., circa opellam *Die Ehe*, *Th. Pr. Quartalschrift*, 1910, p. 302, ubi commendatur dicta opella ad praesentem finem adhibenda, simul cum scripto ejusdem generis jam citato, *Das Eheleben*, auctore Wilhelm. Cf. etiam opellas citatas in nota ad n. 274.

§ 2. Instructio danda a confessario.

A. Circa usum matrimonii.

1° *Nupturientes:*

696. Instructio danda a confessario: 1° circa usum matrimonii;

Si a/ confessarius eos reperit primarium officium matrimonii ignorantes, illos doceat vel edocendos curet, juxta modò dicta suprà.

Si b/ ulterius *interrogant circa licita et illicita in conjugio,* confessarius principia summariè proponat olim vindicata et hanc materiam regentia, juxta quae poenitentes suam conscientiam moderare tuto valeant. Nimirum:

a/ cum sponsis;

α/ actum conjugalem esse legitimum, imo ad eum ex stricta justitia mutuò obligari conjuges; β/ omnia inter conjugatos licere quae ad prolis procreationem ordinantur; ac etiam γ/ a culpa saltem lethali esse generatim immunes actus venereos, licet ad conceptionem non directe ordinatos, modò fini generationis non contrarientur positive; δ/ gravissime vero peccari per quemcumque usum matrimonii, generationis fini positive contrarium, maxime effusionem seminis procurando onanisticam, qua scelerosa praxi funditus destruitur finis a Creatore intentus et divinae Justitiae vindicta jam in terris provocatur.

Quinimo, nisi nupturientes a parocho jam sint instructi aut aliunde cognoscantur in hisce sufficienter edocti, vel honestioris plane vitae, regulariter opportunum erit eos, *etiam non interrogantes,* in hunc sensum edocere: hac ratione malum praevenietur, nec serius medicina parabitur.

Hoc etiam inculcetur nupturientibus, ex una quidem parte, vitandas esse anxietates in usu matrimonii, sed, ex alia parte, in omnibus *servandam esse honestatem naturalem,* ac conjuges debere esse conscios dignitatis actus quem ponunt, ac memores verborum tum Tobiae junioris ad castam uxorem: « Filii quippe sanctorum sumus et non possumus ita conjungi sicut gentes quae ignorant Deum », tum Archangeli Raphaëlis ad ipsum Tobiam: « Hi namque qui conjugium ita suscipiunt ut Deum a se et a sua mente excludant, et suae libidini ita vacent, sicut equus et mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem daemonium super eos » (1).

Non omittat tandem confessarius nupturientes monere ut, aliquanto post contractum matrimonium tempore, ad confessionem

(1) *Liber Tobiae,* c. VIII, 5 et VI, 17; coll. *Rit. Rom.,* Tit. VII, c. 1, n. 17. Cf. etiam dicenda sub 2°, ad c/. Hoc monitum potissimum spectat *virum,* qui nonnunquam brutali sua agendi ratione, jam ab ipso limine conjugalis consortii, sponsae verecundiam gravissimè laedit, ejusque animum irremediabiliter abalienat.

revertantur, ut anxietatum, si quae sint, circa matrimonii statum et officia solutionem quaerant et accipiant.

2° *Conjuges,*

697. b/ cum nuptis,

a/ *nihil confitentes* nec aliquid sciscitantes circa usum matrimonii, plerumque, exceptis scilicet conjugibus quorum spectata probitas est nota, juvat generali sub formula interrogare utrum officia status rite adimpleverint. Imo, si suspicio detur gravis inordinationis, diligentius est indagandum et prudenter urgendi sunt ut peccata aperiant, ne confessarii incuria, in peccatis sordescant: prae oculis habitis principiis et normis suprà propositis, n. 241 ss., ubi de *onanismo.*

Quod munus prudenter est obeundum, ne ignota addiscant vel suspicentur poenitentes, neve modestiam laedat sacerdos.

698. praesertim anxiis.

Si b/ *anxios* sese dicunt *circa conjugalia jura ac officia,* tunc praeprimis sacerdoti opus est singulari prudentia et modestia. Nam ex una parte, uti jam notavimus et iterum notandum volumus, non sufficit prae nimia modestia dubia removere, generali formula quietem commendando, ac ita responsum eludere, cum maximo nonnunquam detrimento animae ac pacis familiae, ex malè intellectis juribus ac officiis respectivis conjugum, continuis jurgiis disturbatae (1); ex altera vero parte, difficilius cavetur ab omni modestiae laesione, ubi ad particularia est descendendum nec sufficit abstracta proponere principia.

Porro prudentia suadet ut hujusmodi poenitentes, in hisce negotiis anxios repertos, caute adducat confessarius ut ipsi sponte exponant anxietatis objectum, potius quam interroganti et scrutanti sacerdoti aperiant. Praeterea solerter distinguat et secernat confessarius dubia theologica a dubiis mere physiologicis, et optime compertum habeat et alta mente repostum, suum officium non esse haec ultima solvere, sed illa solvenda relinquere medico vel chirurgo, praesertim si agatur de uxore: memor sit se non esse medicum corporis sed animae, seque illa dumtaxat impune tentare pericula quae adeunda strictum urget officium.

Tandem, in ipsis enodandis difficultatibus subjectis, attendat confessarius in hisce rebus passim sufficere ut conjuges sciant quid faciendo vel omittendo peccatum *mortale* effugere queant, adeo ut regulariter abstineat ab ulteriori explicatione circa venialem inordinationem, puta circa modum coeundi et alia hujusmodi, in qua

(1) Ita fit ut uxor non obtemperet marito, quia falsa conscientia laborat circa frequentiam copulae, et signanter circa liceitatem actuum non consummatorum et alia hujusmodi: quarum dubitationum solers enodatio quietem reducet in conscientia et pacem in familia.

caeteroquin intimiori explicatione gravius non raro latet castitatis sacerdotalis discrimen.

c/ Bonum est etiam conjuges monere *non omnia quae licent expedire,* ac christianum decere ut etiam in matrimonio, pro conditione sua, continentem et morigeratam degat vitam, passiones cohibendo ac nimiam voluptatum cupiditatem, sublimen matrimonii finem prosequendo potius quam libidini vacando (1).

« Même dans le mariage, ait *Card. Mercier,* l'homme et la femme doivent modérer leurs désirs. Chaque mari doit avoir pour la complexion de sa femme les égards, les ménagements, que la prudence et la délicatesse du cœur commandent. Un jour peut venir où la sauvegarde de la santé de l'un des époux mettra entr'eux, pour longtemps peut-être, une barrière; comment la respecteraient-ils alors, s'ils ignoraient les premiers efforts de la continence »? (2).

Ideo etiam, uti monent *Instructiones* Episc. Belgii, l. c., p. 456, « omnibus conjugibus christianis auctores sint confessarii, ut nonnunquam, ad tempus mutuoque consensu, ab actu matrimoniali abstineant, atque ita liberè eximiam illam virtutem sectentur quam multi necessitate coacti exercere postea debeant » (3).

Pro opportunitate etiam inculcentur suavissima monita FRANCISCI SALESII, o. c., P. III, c. 39, ostendendo quomodo, sicut non convenit mentem in cibos intentam habere, ita non deceat conjuges carnalibus voluptatibus continuò occupari ac detineri, carni vivendo potius quam spiritui (4).

Caeterum moderatio in usu matrimonii, nedum noceat sanitati, ipsi multùm favet, dum immoderatus usus matrimonii vires corporales admodum debilitat (5).

---

(1) Cf. *Catech. Conc. Trid.,* P. II, cap. VIII, n. 33 s.

(2) *Lettre Pastorale* de 1909. Cf. etiam suprà, n. 236; item WILHELM, o. c., p. 99 ss.; SALSMANS, *Geneeskundige Plichtenleer,* n. 163.

(3) Ita etiam *Conc. Mechlin. quartum,* decr. 54: « Convenit ut voluptatum cupido temperetur voluntaria abstinentia, ad tempus, ut conjuges vacent orationi vel christianam mortificationem exerceant, sublimioris vocationis conscii, quatenus, juxta consilium Apostoli, « qui habent uxores, tanquam non habentes sint ».

(4) Juvat hîc memorare verba laudati auctoris J. L. VIVIS, o. c., in quo, de officio mariti praeclare scribens, hunc alloquitur: « Si propter sobolem uxor est tibi ducta, huic uni da operam, non libidini, imitatus sanctos illos patres qui ob eam unam causam videbantur uxoribus conjungi ».

« Sin, ad motus libidinis comprimendos, conjugio medicinae vice uteris, juxta consilium Apostoli, nec morbus excitandus est ut medicina utaris... Quis enim compos mentis medicinam ad delicias sumit? Quis medicinae vires assuetudine amittit? Excercendum et consuefaciendum est corpus ut medicina facile, nisi cum res flagitet, possimus carere, quae si interdum desit, non succumbamus morbo, collecto jam ex consuetudine robore aliquo, ut minus habeat virium morbus in corpore vegetiore ».

« Maritorum et rarae debent esse et sobriae voluptates, quos meminisse convenit se viros esse et a natura magnum se animi robur accepisse, ut, spretis ac repudiatis deliciis, laudem et decus per laborem consectentur...; christianum esse se, qui mundo et deliciis nuncium miserit ».

(5) Cf. DAELS, *Voor moeder en zuigeling,* p. 26, coll. DE SMET, *Het christelijk huwelijk,* 3e uitg., blz. 55.

B. **Circa electionem status conjugalis.**

699. 2° circa electionem status conjugalis.

1° A matrimonio avocandi sunt, *intuitu perfectioris status coelibatus,* soli illi qui capiunt verbum Domini et cupiunt a carnalibus abstinere ac sese castrare propter regnum coelorum, ex motivo scil. supernaturali, seu ex amore castitatis vel ut liberius vacent orationi et operibus charitatis, praesupposita aliunde jam sufficienti castitatis probatione ut prudenter sperari queat perseverantia in vita continentiae (1).

2° *Alio titulo* dissuadendum est *per se* matrimonium, vel etiam prohibendum, illis qui ad illud inepti reperiuntur vel ad ejus onera ferenda non idonei, sicut et illis quorum valetudo nata est grave periculum inducere conjugi aut proli nascendae.

Hujusmodi sunt, praeter impotentes, omnes illi qui adeo hebetes sunt et ingenio imbecilles, ut educandae soboli prorsus inepti existant, necnon illi qui tanta corporis debilitate aut defectuositate laborant ut sine periculo notabilis detrimenti sanitatis copulam instituere (2), aut generare vel parere non valeant, ac tandem illi qui gravi morbo inficiuntur comparti vel proli communicando (3), quemadmodum contingit maximè cum phtysicis et syphiliticis aut blennorrhagia infectis, saltem in periodo contagiosa (4). Dissuadeantur etiam matrimonia ineunda a junioribus personis perfectam virium evolutionem nondum adeptis (5); ac cauté procedatur in suadendo matrimonio a vel cum persona hysterica (6), aut

(1) Cf. suprà, n. 90.

(2) Cf. PAYEN, o. c., n. 250, sub 2/ et 3/, a/.

(3) Circa potestatem Ecclesiae ac Status civilis, illiusque potestatis limites et exercitium, in proscribendis hujusmodi personarum matrimoniis, cf. suprà, n. 421 ss. et 436.

(4) Juxta D^rem DAELS, *Voor onze jongens,* Leiden, 1918, p. 61 « om aan een gewezen syphiliszieke het huwelijk toe te laten, eischt het geneeskundig geweten: dat hij van de noodzakelijkheid eener *bestendige* geneeskundige behandeling overtuigd zij en beslist deze behoorlijk toe te passen; dat hij sedert ten minste twee jaren van alle ziekteteekenen vrij is, ook van de kenmerkende bloedreaktie; dat het begin der ziekte ten minste van vóór vier jaren dagteekent ». Cf. suprà, n. 235.

Circa quaestionem utrum et quousque medicus, conscius defectus corporalis apud nupturientem existentis et vel matrimonium dirimentis vel alteri parti graviter nocivi, possit aut debeat defectus illius existentiam manifestare alteri illi parti hujusve parentibus, cf. suprà, n. 68 et 235, collato SALSMANS, *Geneesk. plichtenl.,* n. 105. Cf. etiam HUBERT, *Le devoir du médecin,* n. 109, coll. n. 77 s., cum notis *Salsmans.*

(5) KNOCH, apud *Rev. eccl. de Liége,* VIII (1913), p. 383 ss. Cf. *Die Ehe,* c. III; TREUB, *Verspreide opstellen,* sub V°: *Huwelijk en ziekte;* BAUR, o. c., p. 55 ss.; VINCENT, o. c., p. 171 ss., ubi notat: « Le jeune homme qui se marie entre dix-huit et vingt ans se met en état de grand péril; garçon, sa mortalité n'était que de 14 pour 1000; marié, elle s'élève à 100. Les mariages à cette époque précoce de la vie sont meurtriers ». Cf. etiam PAYEN, o. c., n. 269, ubi tanquam normam proponit ut matrimonium aetatem 20 aut 21 annorum non praeveniat et ultra aetatem 23 et 25 annorum, pro puellis respective et juvenibus, non differatur.

(6) Non rarò enim contingit ex consortio conjugali intensius disturbari personas hystericas, eo vel magis quod plures hujusmodi puellae abhorrent ab usu matrimonii. Potest tamen sperari faustus exitus, possuntque nuptiae interdum suaderi, modò hysteria non pervenerit ad stadium criseos, agaturque de ducendo viro bonae ac mitis indolis, praesertim si puella reperitur vitam agere inquietam et impacatam in domo paterna, in qua familiares non satis indulgent infirmae ejusdem valetudini. Cf. *Th. Pr. Quartalschr.,* 1898, p. 310 ss. Cfr. etiam D^r NYHOFF, o. c., p. 32 s., severius opinans.

masturbationi seu homosexualitati dedita (1), contrahendo (2). Dicitur: *per se,* quia, seposita impotentia, potest hujusmodi personis matrimonium permitti ex altioris ordinis motivo, putà ad imminens incontinentiae periculum vitandum, salva obligatione imponenda compartem monendi de defectu ipsi damnoso, juxta dicta suprà, sub n. 35 (3).

3° Caeteris personis idoneis, nec ad alteriorem perfectionem vocatis, passim, viris praesertim, suadendum est matrimonium, vel etiam nonnunquam imponendum; et maximé reprobanda est abstinentia a conjugio ex egoismo aut inani timore onerum conjugibus incumbentium (4), aut etiam ex contemptu matrimonii vitaeque conjugalis (5), praesertim si, quemadmodum frequenter contingit, continentia non servatur.

Nota 1. Eadem principia prae oculis habeat *parochus,* quotiescumque ab ipso in hac re consilium exquiritur, vel sponte dandum judicatur.

2. Circa electionem status non subsunt filii auctoritati paternae (6).

PUNCTUM III. INSCRIPTIO IN REGISTRO.

700. Inscriptio est procuranda regulariter a parocho;

Ad tramites Codicis, can. 1103 (cf. Decr. *Ne temere,* art. IX), coll. can. 470:

A. **Regulariter** officium est *parochi,* in cujus parochia matrimonium est celebratum, ut

1° sive per se, sive per alium vices suas gerentem (7), « quamprimum

(1) Cf. circa hanc quaestionem FRANCOTTE, o. c., p. 26-35.

(2) Efficax medium in hoc esset quod communiter in moribus admittatur usus mutuò exigendi testimonium medicale, ab alieno medico ministrandum; periculosum autem foret et abusivum potestatis permittere ut a Statu civili hujusmodi testimonium exigendum imponatur. Cf. SALSMANS, *Geneesk. plichtenl.,* n. 152 s., coll. *Rechterl. Plichtenl.,* n. 104bis et *Casus Consc.,* n. 1120. Cf. etiam suprà, n. 36 et n. 68.

(3) Hujusmodi defectus alteri parti revelandus est etiam sterilitas, si de ea constat, puta ex operatione chirurgica.

(4) Cf. VERMEERSCH, *La peur de l'enfant,* p. 28 ss., ubi egregié exponit influxum egoismi, in hac re, apud magnates praesertim et divites. Cf. etiam *L'éducation de la chasteté,* p. 33, ubi egregié scribit contra hujusmodi repudiantes matrimonium: « L'Eglise réprouve tout célibat envisagé comme simple moyen de se libérer des charges du mariage, de se donner une vie oisive et douce qui permette de répondre, sans entraves, à tout appel du monde et du plaisir; elle condamne surtout tout célibat volontaire, amené par le hideux calcul d'y avoir les coudées plus franches pour le mal, par l'intention inavouable de demeurer sans foyer, pour aller, avec plus de liberté, s'asseoir à celui du voisin, au risque de le troubler et de le détruire. Ce célibat-là ne constitue pas la chasteté parfaite, mais la licence parfaite; la caste des « vieux garçons » n'a jamais joui des sympathies particulières des gens de bien ».

(5) Ita in Concilio Gangrensi (circa medium saec. IV), can. 9: « si quelqu'un vit en dehors du mariage ou dans la continence par mépris du mariage, et non pas à cause de la beauté et de la sainteté de la virginité, qu'il soit anathème ». HÉFELÉ-LECLERCQ, o. c., I^2, p. 1036, collato canone 14, *ibidem,* p. 1039.

(6) S. THOMAS, 2^a 2^{ae}, qu. CIV, a. 5.

(7) Non convenit nec juvat illud munus committere laico; cuicumque autem committatur, parochi conscientia oneratur.

describat *in libro matrimoniorum* (1) nomina conjugum ac testium (2), locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, juxta modum in libris ritualibus vel a proprio Ordinario praescriptum (3); idque licet alius sacerdos a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit » (4). — Adnotanda etiam est in matrimoniorum libro, ad marginem, dissolutio matrimonii, si contingat nullitatem declarari (aut illud dissolvi per professionem sollemnem vel dispensationem pontificiam) (5). Juvat etiam notari dispensationem super impedimentis, si forte concessa fuerit in foro externo necnon legitimationem prolis, si contingat; sive per ipsum contractum matrimonium, sive per rescriptum Principis. Ubi alteruter contrahentium viduus est, opportune memoratur nomen prioris conjugis defuncti.

Non modò matrimonia in ecclesia celebrata, sed etiam matrimonia extra ecclesiam in parochia inita coram sacerdote ab Ordinario delegato, sunt inscribenda in libro paroeciali, nisi agatur de matrimonio conscientiae, de quo in nota ad finem n. 701. Ideo sine mora sunt parocho denuntianda (6).

Bonum est etiam et opportunum matrimonii celebrationem coram Ecclesia brevi formula notare in libello matrimonii a magistratu civili tradi solito.

2° Mentio facienda matrimonii *in libro baptizatorum.* Quae mentio inseri debet:

a/ in libro baptismali *personae quae matrimonium contraxit.* Nimirum adnotari debet, ad marginem, eam tali die matrimonium celebrasse (can. 1103, § 2 et can. 470, § 2). Et, si postea contingat matrimonium declarari nullum aut dissolvi, id ibidem notetur (can. 1988).

« Quodsi conjux *alibi* baptizatus fuerit, matrimonii parochus *notitiam iniit contractus* ad parochum baptismi, sive per se, sive per Curiam episcopalem (signanter si agitur de parochia ignota alterius dioeceseos), transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur » (7); trans-

(1) Circa originem et fata registrorum matrimonialium, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 562.

(2) Juxta decr. 152, n. 3, Conc. Mechliniensis quarti, « ipsi testes, una cum sacerdote assistente, nomen suum subscribant ».

(3) Liberum est igitur adhibere formulam *Rit. Romani,* vel formulam in dioecesi usurpari solitam; melius est tamen ut eadem ab omnibus formula adhibeatur. In dioecesi autem Brugensi approbata est et ab omnibus adhibenda praescribitur formula determinata. Cf. Congr. Prosyn. anni 1919 et 1920. Vult etiam Episcopus « ut, in fine *formae describendi conjugatos in libro matrimoniorum,* addatur utrum necne benedictionem nuptialem sub missae celebratione receperint ». Congr. Prosyn. anni 1908, apud *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 431. — Videsis *formulam* 27, ad calcem.

(4) Can. 1103, § 1. — Non potest Episcopus, absque S. Sedis venia, permittere ut matrimonium indiscriminatim inscribatur a sacerdote qui ex delegatione assistit matrimonio. Hujusmodi venia est pro gratia concessa Episcopo Mangalorensi, in decreto S. C. de Sacr., 12 Martii 1910, sub 9°, ad 4^m. Cf. *Collat. Brug.,* t. XV, 317, collato, in sensum contrarium, BOUDINHON, apud *Canon. Contemp.,* 1910, p. 265, et *Ne temere,* n. 98.

(5) Can. 1988. — Praescribitur hoc canone sola nullitatis declaratio inscribenda; sed, ex analogia, idem dicendum videtur de inscribenda dissolutione matrimonii rati non consummati per pontificiam dispensationem aut per professionem sollemnem. Caeterum in regula 106 Decreti S. C. de Sacr. 7 Maii 1923 inseritur hujusmodi dispositio. Cf. suprà, n. 331^ter.

(6) *Concil. Mechlin. quartum.,* decr. 153.

(7) Can. 1103, § 2, coll. Instr. S. C. de Sacr., 4 Julii 1921, ad 2^m; quae eadem Instr., ad 3^m, disponit, pro matrimoniis fidelium *emigrantium* (de quibus agit dicta Instructio), quod: « quo securius... denuntiatio de secuto matrimonio ad parochum Baptismi perveniat, parochi haec documenta petant vel transmittant per Cancellariam Ordinarii

mittenda est etiam nullitatis declaratae aut dissolutionis notitia (can. 1988) (1).

Circa quam notitiae matrimonii in baptismorum libro insertionem et transmissionem, nota:

α/ spectat haec dispositio *utrumque* conjugem; et ita, si uterque conjux alibi est baptizatus, et quidem diversis in paroeciis, ad utriusque conjugis parochum transmittenda est matrimonii notitia.

β/ eo tendit dicta dispositio, quemadmodum sub n. 678 notavimus, ut acceleretur inquisitio de statu libero, utque in specie efficacius occurratur periculo bigamiae, quatenus, inspecto extracto baptismali ab extraneis nupturientibus exhibendo, illicò appareat utrùm et quandonam matrimonio sint juncti (2).

γ/ « celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, conjugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secum ferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adjecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accuratè indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi conjugum et ea quae ad scripta per publicos portitores tutò transmittenda pertinent » (3).

δ/ « si forte accidat ut... baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii, comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii » (4).

ε/ opportunum esset ab Ordinario tempus determinari infra quod illa transmissio notitiae matrimonii sit facienda, addita monitione ut in notitia matrimonii dies baptismatis indicetur, eum in finem ut parochus baptismi facilius reperiat locum, ad quem in margine adnotatio sit inserenda (5).

φ/ juxta Instructionem 6 Martii 1911, ad 4^{m}, « Ordinarii sedulò invigilent ut haec praescripta religiosè serventur, et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis ».

b/ Etiam, si casus ferat, inserenda est mentio matrimonii in libro baptismali *prolis* ex nuptis ante matrimonium illegitimè natae.

Nimirum sedulò notanda est *legitimatio* (per subsequens matrimonium vel per rescriptum Principis, occasione matrimonii obtentum) in margine libri baptismalis, remissione facta ad registrum matrimoniorum, vel legitimationis notitia est transmittenda ad parochum loci in quo proles illa baptismum suscepit (6).

---

loci ». Jam monuerat Episcopus Brugensis, in Congr. Prosyn. anni 1908, ut transmissio illa *semper* fieret mediante curia episcopali, si parochus baptismi alienae sit dioeceseos.

(1) Cf. nostrum *Tract. de sacram. in genere, de Baptismo et Confirmatione*, 1925, n. 353.

(2) Conferet etiam haec adnotatio ut facilius detegatur impedimentum affinitatis: ad hoc autem requiritur ut, in matrimonii mentione, adnotetur nomen compartis; quae additio utiliter fiet, licet in tenore legis non praescribatur. Cf. suprà, n. 678.

(3) *Instr.* S. C. de Sacr. 6 Martii 1911, ad 2^{m}. *Collat. Brug.*, XVI, p. 307 s. Item *Instr.* S. C. de Sacr., 4 Julii 1921, ad 2^{m}.

(4) *Instr.* S. C. de Sacr. anni 1911, ad 3^{m}, coll. Instr. 4 Julii 1921, ad 5^{m}.

(5) Ideo decretum tulit Episcopus Brugensis, in laudata *Congr. Prosyn.* anni 1908: « Ad obviandum oblivionis periculo statuimus ut ista transmissio fiat *infra biduum* a contracto matrimonio... atque in omni notitia matrimonii transmittenda notetur *dies* Baptismi suscepti ».

(6) Cf. nostrum *Tractatum de sacramentis...*, n. 356; cf. etiam suprà, n. 290.

701 exceptionaliter ab alio sacerdote, vel a sponsis aut a testibus.

B. **Exceptionaliter,** quoties scil. « matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur (in duobus scil. casibus exceptis in quibus valet matrimonium coram duobus testibus celebratum, de quibus suprà, n. 130 ss.), sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes, tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum conjugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur ». Ita can. 1103, § 3. — Formula proponitur ad calcem, n. 28.

Obligatio scilicet curandi inscriptionem incumbit sacerdoti qui, ad tramites can. 1098, num. 2, pro liceitate adstitit; si nullus sacerdos nuptiis adfuerit, tunc urget dicta obligatio testes et contrahentes, qui tenentur in solidum, ita nempe ut unus, defectu alterius, ad totum adstringatur. Extenditur autem obligatio ad curandam inscriptionem tum in libro conjugatorum, tum in libro baptizatorum.

Nota. 1. « *Matrimonium conscientiae* non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo ». Ita can. 1107. Observa etiam, juxta decr. S. C. de Sacr., 6 Martii 1911, matrimonium de quo non existit legitima ac plena probatio, de cujusque existentia constat per solum partium testimonium juramento confirmatum, ad tramites dictorum suprà, n. 149, matrimonium, inquam, hujusmodi inscribendum esse, « non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato ». *A. A. S.*, III, p. 103.

2. Nulla praescribitur inscriptio contractus *sponsalitii.* Suadendum tamen ut ejus mentio, ubi fuerit rite initus, conservetur in speciali registro, juxta formulam infrà describendam. Imo ulterius juvat ibidem varia notare circa proclamationem bannorum, circa delegationem vel licentiam fortè datam alterius parochiae parocho, et alia hujusmodi, etiam pro illis matrimoniis quae alibi celebrantur. Cf. de hoc *Pastor Bonus,* t. XXV (1913), p. 291 s.

3. Ad normam can. 470, § 3, authenticum exemplar libri matrimoniorum est transmittendum ad Curiam episcopalem (1).

Appendix II

DE PROCESSU MATRIMONIALI.

702. Prænotanda.

Praenotanda. Suprà, ubi de regimine matrimonii (signanter n. 425 et 438, coll. n. 417 et 429), vidimus omnes *causas matrimoniales,* causas scil. spectantes vel contractum aut vinculum conjugale inter duos fideles vel inter fidelem et infidelem existens (2), vel illa quae cum vinculo conjugale intimè cohaerent, sive qua vinculi constitutiva, sive qua effectus inseparabiliter ex eo consequentes sive qua vinculo praevia, ad exclusivam Ecclesiae competentiam pertinere, adeoque exclusive esse dijudicandas a judicibus

(1) Ideo praescribitur, in dioecesi Brugensi, ut singuli actus eadem manu bis conscribantur, et quidem in folio et juxta formulam quae ab Ordinario fuit approbata. Cf. decreta Congr. Prosyn., 1919, n. 13.

(2) Causae spectantes matrimonium *inter duos infideles* initum regulariter pertinent ad judicem laicum; potest tamen fieri quod judicium ferre debeat Ecclesia super matrimonio in utriusque partis infidelitate contracto: quando nempe alterutra pars, relicta comparte, novas nuptias inire intendit cum persona catholica. Investigare scil. potest ac debet Ecclesia, ad normam can. 1020, circa statum liberum hujus partis

ecclesiasticis, ac tranctandas esse ab Episcopo aut a S. Sede, mediantibus variis dicasteriis, prout via disciplinari vel via stricte judiciali sunt agendae.

Porro non omnes causae matrimoniales requirunt processum juridicum, nec etiam authenticam declarationem Ordinarii, sed solae causae quae spectant *nullitatem* aut *dissolutionem vinculi, in ordine ad novas nuptias;* hae scil. causae matrimoniales, quae *stricte dictae* vocantur, *regulariter* exigunt *processum juridicum,* juxta formalitates in jure determinatas (signanter can. 1960-1989) et mox summarie referendas, collatis formalitatibus, de quibus in Codicis sectione I partis primae libri quarti, *de judiciis in genere* (1).

Dicitur: *regulariter;*

quia a/ juxta can. 1990, « cum *ex certo et authentico documento,* quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit (2), *constiterit* de existentia impedimenti *disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis* aut *cognationis spiritualis,* simulque pari certitudine apparuerit dispensationem (fori externi) super his impedimentis datam non esse, hisce in casibus, praetermissis sollemnitatibus hucusque (in praecedentibus scil. canonibus) recensitis (et sub n. 703 ss. exponendis), poterit Ordinarius, citatis partibus, matrimonii nullitatem (authenticè) declarare, *cum interventione tamen defensoris vinculi* », qui potest, si id faciendum judicet, ad judicem secundae instantiae appellare (3).

Nimirum omitti possunt in descriptis casibus, quaecumque formalitates judiciales, non modò illae quae in Constit. *Dei miseratione* statuuntur (circa appellationis necessitatem et secundam nullitatis sententiam), sed etiam illae quae generatim in judicio instaurando praescribuntur observandae, adeo ut potius *administrative* procedatur (4), iis tantum adhibitis probationibus et formalitatibus quae quoquo modo ad certitudinem ducant. Requiritur tamen citatio partium ac interventus *defensoris vinculi,* in cujus manu ab Ordinario ponantur omnia documenta hujusmodi causam spectantia: ex quibus documentis acceptis, si « statim conscientiam concipiat casum exceptum vere ac plene verificari, id Ordinario significet,

infidelis novas nuptias ambientis, adeoque circa nullitatem aut dissolutionem vinculi in infidelitate contracti; quod a fortiori valet pro casu quo pars illa infidelis baptismum susceperat ante novum matrimonium. Cf. DE BECKER, apud *Eph. theol. Lov.,* 1924, p. 37 ss., ubi etiam examinatur quaestio de processu instaurando et de procedura in casu adhibenda, de qua quaestione mox. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 687, nota 16. — Sola etiam competens est Ecclesia pro interpretatione juris divini vel naturalis circa matrimonia infidelium, ad normam dictorum suprà, n. 437, coll. n. 431.

(1) *Ante Codicem,* formalitates in causis matrimonialibus stricte dictis servandas moderabatur Constit. Bened. XIV *Dei miseratione,* anni 1741, attentis mitigationibus non levibus exinceps inductis, speciatim per decr. C. S. O., 5 Junii 1889, ad instar can. 1990, coll. variis aliis decretis et Instructionibus citatis apud DE BECKER, o. c., p. 465 ss.

(2) Documentum *authenticum* intelligitur documentum officiale, uti vocatur, confectum scil. ex officio a persona ad hoc constituta, quales sunt registri curiae diocaesanae, registri paroeciales, aut excriptiones legalizatae, necnon registri status civilis.

(3) Non debet (sed potest) Ordinarius sibi adsciscere duos assessores, uti contendit TRIEBS, o. c., I, p. 72. Cf. hîc WERNZ-VIDAL, o. c., n. 704, ubi notat differentiam inter disciplinam decr. C. S. O., 5 Junii 1889, et disciplinam can. 1990. Cf. etiam CAPPELLO, o. c., n. 891 s.; VLAMING, o. c., n. 804.

(4) NOVAL, o. c., n. 873, tenet, in casu can. 1990, equidem judiciliter procedi, non vero administrative.

qui dein absque ulteriori mora scriptam nullitatis sententiam ferat et decretum *status liberi* partibus curet intimari » (1).

b/ Ipsa etiam authentica et formiter praestanda declaratio Episcopi, de qua modò, non requiritur, nisi ubi agitur de dissolutione vel nullitatis declaratione matrimonii *quod speciem habeat matrimonii,* quale non est matrimonium mere civiliter, vel coram acatholico ministro, a personis clandestinitatis legi certo obnoxiis contractum: possunt, in casu, novae nuptiae permitti ab Ordinario, vel et a parocho, consulto Ordinario, omissa omni juridica formalitate et absque interventu defensoris vinculi. *Pont. Commiss. de Cod. interpr.,* 16 Oct 1919, ad 17^{m} (A. A. S., XI, p. 479), necnon responsum ejusdem Commissionis, 23 Martii 1919, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1919, p. 64 s. (2).

c/ Etiam passim non requiritur juridicus processus nec authentica declaratio Ordinarii, cum interventione defensoris vinculi, ad hoc ut constet de *dissolutione* vinculi matrimonialis *per mortem compartis*; sufficit autem inquisitio privata, aut saltem merè administrativa, circa statum liberum, ad tramites dictorum suprà, n. 685 (3).

d/ Etiam non sunt juridicae formalitates adhibendae in investiganda nullitate aut dissolutione matrimonii *inter duos infideles* celebrati, in casu de quo sub initio hujus numeri, in nota, quando nempe alterutra pars, relicta comparte, nubere intendit catholico, sive illa pars maneat in infidelitate sive ad catholicam Ecclesiam convertatur (4).

702bis. Observanda.

Nota 1. Necessitas regulariter instaurandi juridicum processum aut obtinendi authenticam declarationem Ordinarii, cum interventione defensoris vinculi, ad normam modò dictorum, non spectat, uti praenotavimus, nisi *causas matrimoniales strictè dictas,* modò delineatas. Reliquae causae matrimoniales, quae nempe non spectant nullitatem aut dissolutionem vinculi in ordine ad novas nuptias, quales sunt causae sponsalium, pro actione in reparationem damnorum, vel separationis a toro et cohabitatione, non sunt obnoxiae praedictis formalitatibus, adeoque sine authentica declaratione, et sine interventione vinculi defensoris solvi possunt, ad modum propositum sub b/ (5).

---

(1) Cf. VLAMING, o. c., n. 803, coll. *Periodica-De Religiosis,* XIII, p. (211) s. — Quodsi defensor vinculi « prudenter existimet impedimenta, de quibus in can. 1990 (modò enumerata), non esse certa aut dispensationem super eisdem probabiliter intercessisse, provocare tenetur (contra declarationem Ordinarii, nullitatem matrimonii declarantis) ad judicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu excepto ». Hic autem « judex alterius sententiae, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet eodem modo, de quo in can. 1990, utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem juris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae ». Ita can. 1991 et 1992.

(2) Cf. VLAMING, o. c., n. 804; DURIEUX, *Le Mariage,* p. 113; CAPPELLO, o. c., n. 147; HARING, apud *Theol. pr. Quartalschr.,* 1926, p. 349 ss.

(3) Sub a/ agitur de *nullitate* matrimonii declaranda ob existentiam impedimenti ligaminis, seu anterioris vinculi.

(4) Contendit etiam DE BECKER, *Eph. th. Lov.,* 1924, p. 39 s., non esse urgendum processum juridicum in investigatione in simili casu instauranda circa validitatem matrimonii antea contracti inter duos *baptizatos acatholicos,* vel etiam, sub disciplina praesenti can. 1070, inter partem infidelem et partem baptizatam acatholicam. Quam thesim meritò impugnandam suscepit HILLING, apud *Archiv f. k. Hirchenr.,* 1925, p. 117 ss.

(5) Cf. DE BECKER, o. c., p. 483 s., coll. p. 469 s. — Notetur autem quod si matrimonium fuit declaratum nullum, v. gr. ob impotentiam, et postea constat matrimonium fuisse validum, non potest ad reinstaurandum prius matrimonium procedi, antequam nullitas sententiae latae fuerit authenticè declarata.

2. Ubi agitur de *dissolvendo* vinculo *per dispensationem pontificiam* vel *per professionem sollemnem,* praerequiritur instructio circa inconsummationem matrimonii per processum *aequivalenter juridicum,* juxta normas et formalitates suprà, n. 331 ss., descriptas; non est tamen processus stricte juridicus, uti ibidem notavimus, quia causae inconsummationis « non promoventur ab actione judiciali contentiosa aut criminali, sed ex benigna concessione S. Sedis annuentis oratoris precibus », adeo ut magis gratiosae sint causae et administrativae potius quam stricte judiciales (1).

3. In can. 1990 jam non occurrit, inter casus exceptos, impedimentum clandestinitatis, dum excipiebatur in decr. anni 1889, adeoque, hoc attento quod enumeratio can. 1990 sit taxativa, jam non censetur excepta clandestinitas. Extra casum proinde quo penitus neglecta fuit forma juridica, ita ut desit ipsa species matrimonii (de quo sub b), deberet, ad apicem juris, institui processus juridicus, etiam ubi ex documento certo et authentico constat de vitio substantiali formae, vel aliàs evidens est hujusmodi vitium; atvero non desunt Auctores benigniori solutioni faventes, quatenus, in casu evidentis formae vitii, posset omitti appellatio ex parte defensoris vinculi et secunda instantia (ad normam decreti 1889) (2), vel etiam quatenus casus evidentis vitii aequiparari posset casui penitus neglectae formae juridicae, uti sub b/ (3).

En autem brevem conspectum juris canonici circa *processum juridicum,* ubi instaurandum contingit in praefatis causis matrimonialibus stricte dictis:

I. **De accusando matrimonio.**

703. De accusando matrimonio.

Juxta can. 1970, « tribunal collegiale (quale videbimus esse constituendum in causis matrimonialibus, excepta causa matrimonii rati non consummati) nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi *regularis accusatio* vel jure facta petitio praecesserit »: accusatio autem est delatio causae judici ad agendum de ea et jus circa illam vindicandum.

Jamvero, ad normam can. 1971, § 1, *habiles ad accusandum* sunt a/ *conjuges* (4), in omnibus causis nullitatis, nisi in quantum ipsi fuerint impedimenti causa (puta in causa criminis, raptus aut publicae honestatis) (5), quin obstare videatur quod mala fide contraxerint; b/ *promotor justitiae,* sed tantum in impedimentis natura sua publicis (6). Nota quod,

(1) Cf. decr. S. C. de Sacr., 7 Maii 1923. — Caeterum ex infrà dicendis liquebit in illis causis nonnihil recedi a communibus formalitatibus.

(2) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 705.

(3) Cf. VLAMING, o. c., n. 804, coll. CAPPELLO, o. c., n. 893.

(4) Ad Episcopum dirigatur libellus, a conjuge subsignatus, in quo, indicatis nominibus et domicilio, exponitur primò factum matrimonii, cum indicatione compartis, datae et loci celebrationis; additur causa nitidè proposita nullitatis, ac tandem sollicitatur ut dignetur Episcopus processum instaurare ac nullitatis sententiam ferre. Cf. specimen formulae apud DURIEUX, *Le Mariage,* n. 268 et n. 269.

(5) Etiam in casu nullitatis ob defectum consensus, pars quae fuerit nullitatis causa ab accusando matrimonio excluditur; et ita, in casu erroris, pars quae partem errantem in errorem duxit, vel, in casu vis et metus, pars quae vim intulit aut metum incussit.

(6) Conjuges igitur *soli* habiles sunt ad matrimonium accusandum in causis nullitatis ob impedimenta natura occulta, quantumvis facto publica; in causis vero nullitatis ob impedimenta natura publica, illud accusandi jus habent *cumulativè* cum fisci promotore.

ad normam can. 1973, « *soli* conjuges jus habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato ».

Juxta can. 1972, « matrimonium quod, utroque conjuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque conjugis ita praesumitur validum fuisse, ut contra hanc praesumptionem non admittatur probatio, nisi incidenter oriatur quaestio » (1).

II. **Competentia judicis.**

704. Judex competens pro prima instantia est Ordinarius loci,

1° Exceptis causis reservatis S. Sedi, judex competens primae instantiae est *Ordinarius loci* (2), et quidem vel Ordinarius loci in quo matrimonium celebratum est (forum contractus), vel Ordinarius loci in quo pars conventa (contra quam scil. actio inducitur) domicilium vel quasi-domicilium habet (forum domicilii) (3).

Quodsi una pars est acatholica, uti in matrimoniis mixtis, solus competens est, ratione domicilii aut quasi-domicilii, Ordinarius partis catholicae, sive haec actrix sit sive rea. Can. 1964 (4).

Si contingat reum plures habere Ordinarios competentes, quatenus duo habeat domicilia aut quasi-domicilia vel domicilium et quasi-domicilium, « optio fori actori conceditur » (can. 1559, § 3); electione autem facta et intimata citatione judiciali, « ei jus est causam cognoscendi qui prius citatione reum legitime convenit ». Can. 1568, coll. can. 1725, n. 2.

2° *Causae reservatae S. Sedi* sunt:

Cf. suprà, n. 464. — Notetur autem quod, in hac materia, impedimentis adnumerantur impedimenta latè dicta, seu defectus consensus, de quibus n. 522bis et seq., censentur autem natura occulta.

« Reliqui omnes (prater conjuges et fisci promotorem), etsi consanguinei, non habent jus matrimonia accusandi, sed tantummodò nullitatem matrimonii Ordinario vel promotori justitiae denuntiandi » (can. 1971, § 2); a qua denuntiandi facultate jam nemo excluditur. Cf. VLAMING, o. c., n. 796, ubi notat distinctionem inter accusationem et denuntiationem, quatenus nempe accusatione juridice defertur causa judici, ut de ea agat et jus dicat, dum denuntiatione factum, ex quo derivatur matrimonii nullitas, mere notificatur Ordinario aut promotori justitiae, qui tunc actionem ex officio instituat. — Ante Codicem, cuilibet catholico jus erat matrimonium accusare ob impedimenta juris publici invalidum. Cf. suprà, n. 464 et n. 71.

(1) Ratio cur post mortem non admittatur probatio contra validitatem vinculi est in tuitionem prolium earumque jurium haereditariorum.

Quodsi incidenter oriatur quaestio de vinculo, acta principaliter alia quaestione, signanter circa legitimitatem prolis, tunc potest induci et admitti probatio contra vinculum.

Utrum et quousque matrimonium possit impugnari post mortem alterutrius conjugis, in ordine ad legitimationem prolis aut quaestus temporales, cf. DE BECKER, o. c., p. 478; *Can. Contemp.*, 1908, p. 233 ss., coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 698, nota 39.

(2) Can. 1572, § 1. — Utrum nomine *Ordinarii loci* hic veniat solus Episcopus, excluso Vicario generali sine mandato speciali, id non dicitur expressis verbis uti in aliis casibus; illud tamen affirmat CAPPELLO, o. c., n. 873, provocans ad can. 1573, § 1, ubi id innui videtur: quo admisso, non posset Vicarius generalis agere judicem, nisi ad hoc ab Episcopo delegatus aut, in causa inconsummationis, ab Episcopo subdelegatus. — Caeterum, juxta eumdem canonem 1573, § 1, de norma « quilibet Episcopus tenetur officialem eligere... a Vicario generali distinctum ».

(3) Pro norma igitur altera applicatur adagium: « actor sequitur forum rei », partis scil. conventae. Can. 1559, § 3.

Norma autem urgetur etiam in casu malitiosae desertionis viri: hunc scil. convenire debet uxor derelicta coram Ordinario domicilii vel quasi-domicilii viri. Ita *Pont. Comm. pro interpret. Codicis*, 14 Julii 1922 (A. A. S., XIV, p. 529 s.), ad dubium XIV, sub 1.

(4) Observa uxorem pro domicilio habere domicilium viri, etiam acatholici, quousque non est a viro legitime separata (ad tramites dictorum sub n. 47, 249, 265 et 279); potest autem acquirere proprium quasi-domicilium: quibus attentis, « actrix catholica, a viro non legitime separata, quae proprium ac distinctum quasi-domicilium habet, ... potest virum (acatholicum) convenire coram alterutro Ordinario », coram Ordinario scil. sui proprii quasi-domicilii vel coram Ordinario domicilii viri, quod jure retinet ut suum. Cf. citatum responsum *Pont. Comm.*, ad XIV, sub 2.

705. exceptis causis reservatis S. Sedi.

a/ Causae *principum*, eorum scil. qui supremum tenent populorum principatum (etiam reipublicae praesidis) horumque filiorum ac filiarum eorumve quibus jus est proxime succedendi in principatum (can. 1557, § I, n. 1): hae causae reservantur ipsi S. Pontifici et de iis cognoscit « illa S. Congregatio vel illud tribunal aut specialis ea Commissio... cui eas toties quoties S. Pontifex delegaverit ». Can. 1962 (1).

b/ Causae quae referuntur ad *privilegium Paulinum*, de quibus cognoscit S. Congregatio S. Officii. Can. 1962. (2).

c/ Causae dispensationis *super matrimonio rato et non consummato*, de quibus cognoscit S. Congr. de Sacram. Can. 1962 (3).

Ex eo quod S. Sedi reservatur causa dispensationis super matrimonio rato, « nullus judex inferior (in specie nullus Ordinarius) potest processum in causis dispensationis super rato instruere, nisi Sedes apost. facultatem eidem fecerit » (4); quod valet etiam pro aliis causis reservatis. Cf. suprà, n. 331 ss. (5).

d/ Attento responso C. S. O., 8 Apr. 1925 (6), reservata censetur causa matrimonii *duorum acatholicorum* (a fortiori duorum infidelium), cum recurrendum dicatur in singulis casibus (7).

706 Nota.

Nota 1. Causas, in quibus, juxta normas propositas, competens est Ordinarius loci, ad suum judicium advocare potest S. Pontifex, sive proprio marte (can. 1597 et 1557, § 3), sive ad instantiam partium, qui-

(1) Causae principum reservantur non tantum propter causae momentum, sed etiam ut judicis independentiae consulatur.

(2) Ubi, ex una parte, can. 1962 Congregationi S. O. reservat solas causas relatas ad privilegium Paulinum, ex alia parte, can. 247, § 3, eidem S. Officio reservare videtur quaestiones spectantes *disparitatem cultus* (omittimus mixtam religionem, de qua in eodem canone, siquidem exinde non potest derivari vinculi nullitas). Quam antinomiam NOVAL, o. c., n. 840, inquisitione facta circa praxim S. Officii, hac ratione solvendam dicit, quatenus S. O. « permittit Ordinariis cognoscere causas super impedimento disparitatis cultus in casu de quo in can. 1990 (cf. suprà, n. 702), in caeteris vero cognoscit ipsa privative ». — Aliter WERNZ-VIDAL, o. c., n. 690, sub 3°, qui reservationem quoad processum et sententiam de nullitate ob impedimentum disparitatis cultus intelligit « de casibus in quibus occurrat dubium juris aut dubium facti circa baptismum, per quod dubium de baptismo jam causa fit connexa cum privilegio Paulino ».

(3) Cf. etiam can. 249, § 3, ac regulam 1ᵐ, juxta Decr. S. C. de Sacr., 7 Maii 1923. Cf. modò suprà, n. 702, ubi notavimus hasce causas non esse quidem stricte judiciales et potius gratiosas seu administrativas, in illis tamen veritatem esse inquirendam eodem rigore ac in negotiis propriè judicialibus. Cf. etiam suprà, n. 331 ss., quo loco integer processus sequendus exponitur.

(4) Can. 1963, § 1, coll. can. 1963, § 2, necnon regula 2ª Decreti anni 1923. Cf. suprà, n. 331. Solet autem S. Sedes, pro indaganda non consummatione et causae existentia, committere Ordinario processus instructionem.

(5) Utique, ubi dicitur judici inferiori non permitti causae instructionem, non prohibetur informationem quamdam praeviam instituere in ordine ad recursum Romanum et libelli supplicis redactionem. Cf. reg. 9, § 1, decreti S. C. de Sacr. 7 Maii 1923, coll. suprà, n. 331 ss.

(6) Ad quaestionem positam, sub I, « utrum nempe Tribunal ecclesiasticum judicare possit de validitate matrimonii duorum acatholicorum, instante parte acatholica, quae nempe cum catholico contrahere vult, aut parte catholica acatholico nupturiente, aut utraque, aut solo promotore justitiae? », respondetur: « recurrendum in singulis casibus ». — Tenorem exhibent *Periodica*, XIV, p. 166.

(7) Attenta reservatione causae, in quantum est sustinenda, minor locus est controversiae vigenti circa competentiam tribunalis dioecesani: disputatur scil. utrum dispositio canonis 1964, circa competentiam judicis, valeat etiam pro matrimoniis inter *duos acatholicos contractis*, an vero pro illis valeat regula a S. Officio applicata in Causa Coloniensi, 23 Junii 1903, juxta quam judicium circa nullitatem hujusmodi matrimonii spectat ad Ordinarium partis catholicae quae intendit matrimonium inire cum parte acatholica, a sua priori comparte acatholica separata. Cf. controversiam expositam et in priorem sensum solutam apud HILLING, *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1925, p. 113 ss.

bus semper integrum est suam causam ad S. Sedem deferre (can. 1769, § 1). Causas autem illas, ad suum judicium advocatas, judicandas committit S. Pontifex ad judicem a se electum (can. 1557, § 3), in specie ad S. Rotam, quae sic constituitur judex in prima instantia (can. 1599, § 2) (1).

III. **Procedura.** (2).

707. Procedura in constituendo tribunali;

A. *Constitutio tribunalis.*

Juxta can. 1576, § 1, n. 1, debet, reprobato contrario privilegio, constitui *tribunal collegiale trium judicum,* pro omnibus causis contentiosis de vinculo matrimoniali (3) in Curia episcopali tractandis; potest autem tribunal constitui stabiliter aut pro singulis casibus (4).

Tamen pro causa dispensationis super rato, pro qua Ordinarius non fungitur nisi munere judicis instructoris, sufficit unicus judex instructor. Can. 1966.

« Sive agatur de nullitate matrimonii, sive de probandis inconsummatione et causis ad dispensandum super rato, citari debet *defensor vinculi* » (5). Can. 1967, coll. can. 1586 et 1587, § 1, juxta quam alteram dispositionem, « vinculi defensore non citato, acta irrita sunt », nisi ipse, etsi non citatus, revera adfuerit.

Insuper, ad normam can. 1585, § 1, « cuilibet processui interesse oportet *notarium,* qui *actuarii* officio fungatur; adeo ut nulla habeantur acta, si actuarii manu non fuerint exarata, vel saltem ab eo subscripta ».

---

(1) S. Signaturae est videre, « ex potestate delegata, de petitionibus per supplices libellos ad Sanctissimum porrectos ad obtinendam causae commissionem apud S. Rotam ». Can. 1603, § 2. — Exemplum causae in prima instantia coram S. Rota tractatae, ad instantiam actoris, habes in causa *Ambianen.,* soluta 3 Jan. 1917 (A. A. S., X, p. 378 ss.).

(2) Procedura sequenda in judiciis in genere fusè exponitur in Codice, l. IV, a tit. III ad tit. XII; et in judiciis matrimonialibus, *ibidem,* tit. XX, cap. 4° et 5°, coll. etiam decr. S. C. de Sacr., 7 Maii 1923, pro instructione super inconsummatione matrimonii rati. — Specimina judicii instituendi cum omnibus et singulis actibus adamussim descriptis, cf. apud PIERANTONELLI, o. c., et SAGNORI, o. c. Utiliter etiam leges PISANI, o. c., p. 45 ss.; BOUDINHON, *Le mariage religieux,* p. 42 ss.

Quod spectat in specie normas sequendas in tribunali S. Rotae, cfr *Lex propria* S. R. Rotae apud A. A. S., I, p. 20 ss., coll. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 431.

(3) Dicitur: in causis de *vinculo conjugali,* quae sunt causae matrimoniales stricte dictae, quales solas hic prae oculis habemus.

(4) « Tribunal collegiale collegialiter procedere debet, et ad majorem suffragiorum partem sententias ferre ». Can. 1577, § 1. — Eidem praeest Officialis vel Vice-officialis, cujus est tribunal convocare, partes ac testes citare, ac totum processum dirigere et moderare. Can. 1577, § 2.

(5) Juxta can. 1968, « *defensoris vinculi* est 1° examini partium, testium et peritorum adesse; exhibere judici interrogatoria clausa et obsignata, in actu examinis a judice aperienda et partibus aut testibus proponenda; novas interrogationes, ab examine emergentes, judici suggerere; 2° articulos a partibus propositos perpendere, eisque, quatenus opus sit, contradicere; documenta a partibus exhibita recognoscere; 3° animadversiones contra matrimonii nullitatem ac probationes pro validitate aut pro consummatione matrimonii scribere et allegare, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium tuendum utilia censuerit ». Ad ipsum etiam spectat appellationem interponere contra sententiam, si quae feratur, valori matrimonii contrariam.

In can. 1969 describuntur *jura* defensoris vinculi, nempe: 1. « semper et quolibet causae momento acta processus, etsi nondum publicati, invisere; novos terminos ad scripta perficienda flagitare, prudenti judicis arbitrio prorogandos; 2. de omnibus probationibus vel allegationibus ita certiorem fieri ut contradicendi facultate uti possit; 3. petere ut alii testes inducantur vel iidem iterum examini subjiciantur, processu etiam absoluto vel publicato, novasque animadversiones edere; 4. exigere ut alia acta, quae ipse suggesserit, conficiantur, nisi tribunal unanimi consensu dissentiat ». Ad normam etiam can. 1984, § 1, idem « defensor vinculi jus habet ut in allegando, petendo et respondendo, tam in scriptis quam in defensione orali, audiatur postremus ».

708. *in actis conficiendis;*

B. *Methodus sequenda in actis conficiendis* ex ordine describitur in citata *Instr.* S. C. de P. F., par. 12ª, usque ad 23ᵐ inclusive.

Praenotandum quod in votis est S. Sedis ut, actione inducta in nullitatem matrimonii, faveatur, in quantum fieri potest, matrimonii ac maritalis consortii conservationi. Quare monet can. 1965: « si matrimonium accusatur ex defectu consensus, curet ante omnia judex ut monitionibus opportunis partem, cujus consensus deesse affirmatur, ad consensum renovandum inducat; si ex defectu formae substantialis vel ex impedimento dirimente quod dispensari potest et solet, partes inducere studeat ad consensum in forma legitima renovandum vel ad dispensationem petendam ». Eo ipso a processu prosequendo abstineri potest.

Quodsi ad hanc solutionem deveniri nequit et prosequendus est processus, haec circa methodum indicasse sufficiat: coram tribunali citandi sunt ex ordine actor, conjuges, testes. Interrogandi sunt, praevie emisso juramento, tactis evangeliis; responsa autem scripta, in fine depositionis, sunt praelegenda deponenti ab eoque subscribenda; interrogandi autem sunt juxta interrogatorium a vinculi defensore conficiendum; interrogationi praemittenda est citatio formiter facta (1).

Circa testes adhibendos, et in specie circa testes qui septimae manus audiunt in causis impotentiae et inconsummationis, cf. suprà, n. 331 ss., cum can. 1974 ss., ubi etiam, inde a can. 1976, de inspectione corporali (2).

709. *in processus conclusione et sententia ferenda;*

C. *De processus conclusione, sententia proferenda, appellatione et secunda aut tertia instantia.*

1° Absuluto processu, deveniendum est ad *publicationem processus* et ad *conclusionem in causa.*

Ad *publicationem processus* sufficit concessa partibus earumque advocatis facultas acta processualia inspiciendi. Can. 1859, coll. can. 1858. Quodsi partes declarent se nihil aliud deducendum habere aut a judice causa satis instructa habeatur, judex decretum fert de peracta *conclusione in causa.* Can. 1860. Quae (publicatio scil. processus et decretum de conclusione in causa) locum non habent in causis matrimonii rati non consummati, cum omnia acta (cum voto scripto Episcopi et defensoris vinculi) sint transmittenda ad S. Sedem, cujus est sententiam ferre. Can. 1985; coll. suprà, n. 331ᵇⁱˢ.

2° « Publicato processu, fas adhuc est partibus novos testes... super diversis articulis inducere » (3). Serventur autem dispositiones can. 1786,

(1) Quodsi citandi sunt non-subditi Ordinarii processum instituentis, possunt quidem ab hoc Ordinario invitari, ut sese praesentent, sed non possunt juridice citari: citatio tunc fiat ab Ordinario proprio citandi, qui Ordinarius personam citet coram tribunali Ordinarii processum agentis, vel coram tribunali suo, praevie ad hoc accepta commissione ab Episcopo processum instruente (commission rogatoire).

(2) Quod spectat *tribunalia Romana:* solent quae *facti* sunt ad tribunalia dioecesana remittere excutienda, adeoque et *acta* conficienda; quorum acceptorum actorum summarium conficitur a Secretario vel Ponente, quod summarium, una cum votis consultorum, defensionibus advocatorum ac animadversionibus defensoris matrimonii, typis impressum, judicibus, puta auditoribus Rotae, communicatur ut, post serium examen privatum singillatim institutum, in plenario tribunalis consessu sententiam ferant. Cf. VLAMING, o. c., n. 801.

(3) Can. 1983, § 1. Cujus peculiaris facultatis ratio est quod causae matrimoniales, uti mox notabitur, nunquam transeunt in rem judicatam.

« omni scil. fraudis et subornationis periculo remoto, altera parte audita et requisito voto... defensoris vinculi », et ita ut ea judex decreto suo definiat expresse peragenda.

3° Lato decreto conclusionis in causa, partes adhuc possunt, ad normam can. 1862, defensiones seu allegationes suas per se vel per advocatum exhibere, ea tamen lege ut, ad tramites can. 1984, § 1, jus remaneat vinculi defensori « ut in allegando, petendo et respondendo... audiatur postremus ».

4° *Sententia* nequit proferri nisi praevia declaratione defensoris vinculi: « sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum superesse » (1); suadetur etiam votum exquiri duorum consultorum (2).

710. in appellatione facienda.

5° Si sententia primae instantiae lata est pro validitate, et nemo contra eam appellat (potest scil. appellare pars contra quam validitas pronuntiatur), ei acquiescatur; si e contrario lata est pro nullitate, contra illam ex officio appellare *debet* defensor vinculi, quia nullitati matrimonii acquiescere non licet, nisi praevia duplici sententia conformi, et, si negligat suum officium implere, compellendus est auctoritate judicis. Can. 1986.

Appellatio autem, juxta can. 1594, § 1, a tribunali Episcopi suffraganei fit, salvo privilegio can. 1599, § 1, num. 1 (3), ad metropolitam; pro causis autem in prima instantia pertractatis coram metropolita, fit appellatio ad loci Ordinarium, quem ipse metropolita, probante S. Sede, semel pro semper designaverit (4); pro causis vero quae in prima instantia actae sunt coram S. Rota, ad normam modò dictorum (n. 706), appellatio fit ab uno turno ad alterum.

6° Si post sententiam primae instantiae, validitati faventem, sententia secundae instantiae difformis est ac favet nullitati, instituenda est a vinculi defensore appellatio in tertia instantia; appellatio autem haec instituenda est coram S. Sede (can. 1599, § 1, num 2), nominatim coram S. Rota, in primo turno, aut in altero turno, si secunda instantia acta fuit coram S. Rota (5). Quodsi, post sententiam primae instantiae in favorem nullitatis, sententia secundae instantiae nullitatem confirmaverit, et defensor vinculi in gradu appellationis pro sua conscientia non censuit esse appellandum (potest namque adhuc appellare), huic duplici senten-

---

(1) Can. 1984, § 2, ubi, sub § 3, additur: « si vero ante praefinitum a judice judicii diem defensor nihil deduxerit, praesumitur eum jam nihil deducendum habere ».

(2) Quomodo sententia sit ferenda, cf. can. 1873 et 1874. Lata sententia quamprimum publicetur (can. 1876), juxta modum in can. 1877 descriptum.

(3) Sicut causae possunt ad S. Sedem deferri, uti vidimus, in prima instantia, sic possunt, postquam in prima instantia sunt actae coram Ordinario loci, appellatione deferri ad *S. Sedem,* et tractari in secunda instantia coram S. Rota.

(4) Can. 1594, § 2; ubi, sub § 3, additur: « Pro causis primum agitatis coram archiepiscopo qui caret suffraganeis vel coram loci Ordinario immediate Sedi Apost. subjecto, fit appellatio ad metropolitam de quo in can. 285 », quatenus scil. ad hoc fuerit semel pro semper electus, praevia approbatione S. Sedis. Cf. apud *Rev. écct. de Metz,* 1910, p. 361 s., indultum S. C. Consist. 13 Junii 1910, concedens, ad decennium, « tribunalia Curiae Metensis et Curiae Argentinensis vicissim constitui tribunalia secundae instantiae pro causis matrimonialibus judicandis »: antea hae Curiae, cum non haberent Curiam metropolitanam, debebant pro secunda instantia ad S. Sedem recurrere; unde expensae majores. Cf. etiam *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1918, p. 464, ubi specialis dispositio refertur pro dioecesi Ratislavensi.

(5) Cf. Causas in variis turnis dijudicatas apud A. A. S., II, p. 961 ss. et III, p. 497 ss.; II, p. 917 ss. et IV, p. 629 ss.

tiae conformi stari debet, et « jus conjugibus est, decem diebus a sententiae denuntatione elapsis, novas nuptias contrahendi ». Can. 1987.

Verum tamen manet quod, ad tramites can. 1989, causae matrimoniales, utpote quae, attenta vinculi indissolubilitate, nunquam transeunt in rem judicatam, semper retractari possunt, modò nova ac gravia argumenta proferantur (can. 1903), idque possunt etiam postquam partes novum matrimonium jam inierint (1); retractari autem possunt dictae causae, sive eas revocando ad novum examen ordinarium, sive per restitutionem in integrum (can. 1687 s. et 1905 (2). Cf. hîc notandam solutionem datam a Signatura Apostolica, in causa *Paderbornen.*, 31 Maii 1919, apud A. A. S., XI, p. 295 ss.; cf. etiam decisionem Rotalem, 19 Maii 1919, in Causa Z., apud A. A. S., XIII, p. 546 ss.; item in Causa *Ægypti*, 20 Julii 1922, apud A. A. S., XIV, p. 600 ss., coll. *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1922, p. 103, cum ibidem relata causa Rotali 19 Maii 1921.

711
Nota : a/ circa jus et officium Signaturae ;

Nota 1. Circa jus et officium *Signaturae Apostolicae,* in causis matrimonialibus, vide can. 1603, § 1, num. 5 et § 2, necnon can. 1604, § 3, coll. chirographo Benedicti XV, 28 Junii 1915, apud A. A. S., VII, p. 320 ss. Cf. etiam *N. R. th.*, 1920, p. 464 ss., coll. *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1923, p. 177.

b/ circa conflictum inter forum internum et forum internum.

2. Si sententia definitiva favet matrimonii validitati, pro valido habendum est matrimonium *in foro externo,* adeo ut viro et mulieri coram foro externo obligatio sit injungenda cohabitandi et maritaliter convivendi. Quodsi *in foro interno* constat matrimonium esse nullum, iidem vir et mulier non possunt in conscientia conjugaliter conversari et separandi forent. Cui conflictui gravi inter utrumque forum remedium posset afferri, recurrendo ad matrimonii convalidationem pro foro interno, in quantum est possibilis.

Simili conflictui locus esset si judex matrimonium declaravit nulliter contractum, ubi in foro interno constat illud esse validum. Remedium pariter foret in matrimonii convalidatione procuranda pro foro externo.

712. Utrum formalitates observandae pro valore.

Scholion I. Si quaeratur utrum formalitates juris sint observandae *pro valore:* dicendum videtur quaedam ad valorem observanda requiri, in specie constitutionem tribunalis (3), interventum defensoris vinculi et actuarii; plura vero, praesertim quae spectant actorum confectionem et methodum in procedura adhibendam, non esse pro valore urgenda, modò

(1) Exceptio tamen habetur pro casu quo vinculum per mortem alterutrius conjugis dissolutum est, siquidem tunc jam non potest sententiae forte injustae observatio fovere peccatum. Ita S. Rota, 20 Junii 1922, apud A. A. S., 1922, p. 602.

(2) Recurri potest ad ipsum S. Pontificem, ut obtineatur institutio specialis commissionis (exemplum apud A. A. S., X, 388 ss.); vel deferenda est causa coram S. Signatura, cujus competentiam ad hoc determinavit chirographum Bened. XV, 28 Junii 1915 (A. A. S., VII, p. 320 ss.). Cf. *Can. Contemp.*, 1915, p. 419 ss., coll. *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1918, p. 235. Huc spectat celebris Causa *Castellane-Gould,* introducta coram S. Rota ad obtinendam nullitatis declarationem ex eo quod mulier haeretica noluerit inire nisi matrimonium dissolubile: in primo turno, 9 Dec. 1911, declarat S. Rota non constare de nullitate; in 2° turno, 1 Martii 1913, declaratur matrimonium invalidum; appellatione ex officio instituta, S. Rota, in 3^to^ turno, 8 Febr. 1915, confirmat primam sententiam. Et tunc appellatur ad S. Pontificem, qui rem remittit ad specialem Commissionem Cardinalium, quae, mense Martio 1925, sententiam tulit in favorem validitatis. Nova exinceps facta instantia fuit rejecta.

(3) Non constat utrum pro valore requiratur triplex judex: de quo cf. VLAMING, o. c., n. 790.

de elementis substantialibus causae sufficienter constet. Solet tamen S. Sedes, ubi ad eam causa defertur, acta sanare etiam in defectu merae formalitatis non substantialis; si quid autem omissum fuerit ipsam causae substantiam afficiens, jubentur acta complenda antequam sententia confirmetur aut infirmetur. Cf. *Anal. eccl.*, 1908, p. 377 s.

In memoriam revocetur id quod notavimus suprà, sub n. 475, processum nunc instaurandum super matrimonio sequi normas in Codice statutas et modò enucleatas, quantumvis matrimonium fuerit ante Codicem celebratum.

Statisticae. **Scholion II.** Uti liquet ex oratione a Decano S. Rotae, die 16 Oct. 1922 habita, in instauratione anni judiciarii, actae sunt coram S. Rota, per sex annorum spatium, 117 causae matrimoniales, inter quas sex causae ad illam remissae inconsummationis matrimonii.

Inter illas 111 causas circa validitatem vinculi, 31 latae sunt sententiae pro validitate et 80 pro nullitate; qui alter numerus est reducendus ad circiter 66, ex eo quod nonnumquam lata est duplex sententia pro eadem causa solvenda, quando nempe a sententia unius turni appellatio debuit fieri ad alterum turnum; unde non plus quam 11 sententiae nullitatis numerantur pro singulo anno. Qui numerus valde exiguus apparebit, signanter si attenditur tribunal S. Rotae esse tribunal appellationis, ad quod ex officio debet appellare vinculi defensor tribunalis inferioris quotiescumque a judice inferiori lata est sententia nullitatis, et rarius appellationem institui a parte contra quam lata est sententia pro validitate vinculi. Et sic solvitur objectio, quasi Ecclesia minus jam urgeret principium indissolubilitatis, aequo magis favendo nullitatis declarationi et causas nullitatis ampliando.

In eadem oratione occurrit laudatus Decanus alteri objectioni, crimini scil. vertenti Ecclesiae quod admittat acceptionem personarum et vix non solis divitibus aditum aperiat ad sua tribunalia matrimonialia. Et de facto, ex dictis 117 causis matrimonialibus, 39 causae planè gratis actae sunt, 9 cum diminutis expensis, et ex 69 causis divitum 46 dumtaxat ad optatam solutionem devenerunt, dum ex 39 causis pauperum vix 7 contrariam sententiam obtinuerunt, et una tantum ex 9 reliquis.

PARS TERTIA

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

713. *Ordo dicendorum.*

Ordo dicendorum. Quando detegitur impedimentum matrimonii, sive dirimens sive impediens, ante matrimonium contrahendum, vel quando reperitur matrimonium, ob impedimenti dirimentis praesentiam, nulliter contractum, *ordinarium* remedium est *dispensatio matrimonialis;* et ideo inscribitur haec tertia pars *de dispensationibus matrimonialibus.*

Dispensatio tamen non est nisi remedium ordinarium, ac praesto sunt nonnunquam alia remedia, quorum electioni et applicationi praesunt quaedam normae juris, pro opportunitate adhibendae; et ideo proprie dicto tractatui de dispensationibus praemittitur *disputatio praevia:* de remedio adhibendo in casu impedimenti ante matrimonium detecti, vel in casu matrimonii nulliter contracti.

Ulterius autem, via sic parata ad proprie dictum tractatum de dispensationibus, successivis capitibus agemus 1° de notione dispensationis matrimonialis; 2° de ejusdem auctore; 3° de causis; 4° de petitione dispensationis; 5° de concessione et executione dispensationis, tum in ordine ad matrimonium contrahendum, tum in ordine ad matrimonium contractum convalidandum; ac tandem 6° de dispensationis vitiis eorumque sanatione.

Notari etiam juvat sub hac parte tertia, non secus ac sub parte secunda, prae oculis haberi, nisi contrarium notetur, sola impedimenta *canonica* ac dispensationem ab illis.

Disputatio Praevia.

De Remedio adhibendo in casu impedimenti ante matrimonium detecti vel in casu matrimonii nulliter contracti.

§ 1. In casu impedimenti ante matrimonium detecti.

714. 1° De remedio in casu impedimenti ante matrimonium detecti,

I. Primum quod examinandum habet parochus vel confessarius, est utrum impedimentum sit *removibile* vel *irremovibile,* et utrum *certum* sit vel *probabile* tantum (1).

A. **Removibilia** sunt:

praevia notione impedimenti removibilis,

1° per *viam dispensationis,* quemadmodum ex infrà dicendis magis innotescet: votum simplex, mixta religio et cognatio legalis, quod spectat impedimenta *impedientia;* inter *dirimentia:* disparitas cultus, consanguinitas in linea collaterali ultra primum gradum aequalem, publica honestas, cognatio spiritualis; dispensatur etiam super affinitate, ea tamen lege ut in linea recta aegerimme obtineatur dispensatio, signanter consummato matrimonio, et vix unquam intra primum gradum (suprà, n. 622); dispensatur etiam in aetate, supposita discretione, et in raptu, sed super hisce duobus impedimentis, rarò et aegre; dispensatur quoque votum sollemne et ordo, hac salva restrictione quod in hisce duobus impedimentis non dispensetur nisi gravissima de causa, quodque super presbyteratu soleat requiri causa ordinis publici et super episcopatu numquam dispensetur; tandem impedimentum criminis, sub hac restrictione quod, extra periculum mortis et casum urgentem, aegre dispensatur in conjugicidio publicè noto; imo dispensari potest a S. Sede uti suprà, n. 333, vidimus, dispensatione late dicta, ligamen proveniens ex matrimonio quod non sit ratum et consummatum.

2° per *viam recessus spontanei,* dependenter scil. a facto partium vel tertiae personae: nimirum aetas, quae recedit per dilationem matrimonii; ligamen, per votum sollemne aut privilegium Paulinum, positis ponendis; raptus, per restitutionem partis raptae in loco tuto ejusque liberum consensum; disparitas cultus et mixta religio, per baptismum partis infidelis vel conversionem partis acatholicae (2).

715. et irremovibilis:

B. **Irremovibilia** sunt impedimenta quae neque sponte recedere

(1) Cf. suprà, n. 60bis.

(2) Recessui spontaneo aequivalet casus quo abrogatur unum alterumve impedimentum, uti contigit per Codicem. Cf. suprà, n. 475 et infrà, n. 730.

possunt, neque dispensabilia sunt, ratione habita praxis Ecclesiae (1).

Jamvero 1° *indispensabilia* sunt: impedimenta dirimentia impotentiae, ligaminis (ex matrimonio rato et consummato), consanguinitatis in linea recta ac in primo gradu lineae collateralis, ordinis episcopalis. Reliqua impedimenta dispensantur, licet super quibusdam aegre dispensetur, uti modò vidimus, sub n. 714 (2).

2° *Sponte recedere nequeunt* eadem omnia impedimenta indispensabilia.

Impedimentis irremovibilibus aequiparantur impedimenta quae quidem, per alterutram viam recessus spontanei aut dispensationis, removibilia sunt, sed quae, attentis adjunctis, hic et nunc de facto removeri nequeunt, sive quia conditio ad spontaneum recessum non verificatur, sive quia dispensatio, ob defectum causae proportionatae vel ob temporis angustiam, impetrari non potest (3).

II. Examine instituto, en **normam** sequendam:

716. a/ si est impedimentum certum irremovibile;

A. Si **certo** obstat impedimentum quod hic et nunc omnibus attentis, est **irremovibile,** *de regula generali* obsistendum est matrimonio, vel saltem differendum est matrimonium, si agatur de impedimento, dispensabili quidem, sed quod ob angustiam temporis hic et nunc dispensari nequit.

Exceptionaliter autem potest fieri ut ad matrimonium procedi queat. Nimirum:

1° Ubi agitur de impedimento *merè impediente:* impedimentum absolute quidem dispensabile, sed quod ob angustiam temporis dispensari nequit, cessare potest *ex epikeia,* coram urgenti matri-

---

(1) Dicitur: ratione habita praxis Ecclesiae; quia dantur impedimenta super quibus stricte posset quidem dispensare Ecclesia, sed in quibus de facto non dispensat. Cf. infrà, n. 746.

(2) Haec igitur impedimenta, quantumvis aegre dispensantur, votum scil. sollemne, ordo infra presbyteratum, aetas, raptus, affinitas in linea recta, crimen ex conjugicidio publico, non possunt dici indispensabilia, cum de facto dispensentur ac imo comprehendantur in facultatibus can. 1043 ss.; sed talia dici debere videntur super quibus Ecclesia *non solet* dispensare: quod a fortiori valet de presbyteratu et de affinitate in linea recta, consummato matrimonio, cum ab ipsa facultate canonis 1043 excipiantur. Cf. can. 15 et 81, coll. infrà, n. 755 et 763, coll. *N. R. th.*, 1920, p. 538 ss. Cf. etiam, quod spectat aetatem, Facultates novas S. C. de P. F., Formula 2ª, n. 14, ubi ab amplissima ibidem facta concessione excipitur, praeter presbyteratum et affinitatem in linea recta, impedimentum aetatis; in facultatibus pro Nuntiis apostolicis, excipitur, praeter affinitatem in linea recta ex matrimonio consummato, ordo et votum sollemne.

(3) Hujusmodi hypothesis impedimenti dispensabilis, quod nequeat, ob angustiam temporis, dispensatione removeri, adhuc est practica sub disciplina Codicis, cum potestas dispensandi, can. 1045, § 3, pro casu urgenti, parochis concessa, restringatur, uti infrà, n. 793, dicetur, ad casus occultos; item in casu de quo sub n. 839.

monium ineundi necessitate (1); potest etiam, aliàs obstante impedimento impediente, nonnunquam, graviori de causa et de consensu Episcopi, tolerari matrimonii celebratio (2).

2° Ubi res est de impedimento *dirimente,* locus est, *in foro interno,* exceptioni sequenti:

Nimirum possunt sponsi, impedimenti occulti existentiam ignorantes, nonnunquam *in bona fide* relinqui et ad matrimonium admitti, quando scilicet ex una parte bona fides non praevidetur disturbanda, et ex alia parte gravissima mala timentur ex revelatione impedimenti, v. gr. si, in casu consanguinitatis illegitimae, revelanda forent filio illegitima natalia et turpitudo matris (suprà, n. 69); posset etiam, licet nunc raruis, esse locus cessationi impedimenti, ex epikeia (3).

717. b/ si impedimentum est removibile;

B. Si **certo** obstare reperitur impedimentum hic et nunc **removibile:** provocetur, quatenus fieri potest, etiam tunc quando locus est dispensationi, spontanea remotio impedimenti, differendo v. gr. matrimonii celebrationem post adeptam aetatem competentem, vel curando ut pars infidelis baptismum suscipiat aut pars acatholica convertatur.

Quodsi spontaneus recessus obtineri nequeat, recurri potest ad *dispensationem.* Attamen parochus debet praeviè, in tuitionem disciplinae ecclesiasticae, partes a matrimonio ineundo dehortari(4), nec potest ad dispensationem recurrere nisi postquam repererit nupturientes a nuptiis dissuaderi non posse, vel serias rationes militare in favorem matrimonii contrahendi.

718. c/ si obstat impedimentum probabiliter tantùm.

C. Si **probabiliter dubitatur** obesse impedimentum: tunc 1° ubi agitur de impedimento *merè impediente,* nihil obstat, uti vidimus sub n. 471, cum res sit de sola liceitate, quominus, salvo recursu ad Ordinarium, a probabilitate speculativa transeatur ad probabili-

(1) Supponitur matrimonium non posse absque gravi incommodo procrastinari.

(2) Ita tolerantia, ante Codicem, observabatur cum impedimento mixtae religionis, quando ab Ecclesia denegabatur vel etiam a partibus culpabiliter negligebatur dispensatio: veniam scil. concesserat S. Sedes ut, in quibusdam regionibus Germaniae, Austriae et Hungariae, nuptiis, spreta vel denegata dispensatione contractis, assisteret parochus, quando Ecclesiae utilitas et bonum commune id exigebunt. Cf. suprà, n. 512.

(3) Hucusque, ante inductum Codicem, locus erat epikeiae, etiam respectu impedimenti dirimentis, *in casu* sic dicto *perplexo,* quando nempe, ex una parte, agebatur de impedimento dirimente, absolute quidem dispensabili, sed in quo ob angustiam temporis dispensari nequibat, et ex alia parte urgebat, sub periculo infamiae, matrimonii celebratio. Nunc, sub nova disciplina Codicis, attenta amplissima facultate, in can. 1045, § 3, concessa, dispensandi, in casu urgenti, multo minus attendere debemus practice hypothesim casus perplexi, licet posset ipsi adhuc esse locus, juxta notanda sub n. 837 ss., coll. n. 794 et 795, necnon n. 715, in nota.

(4) Ita urget *Liber manualis* pro dioecesi Brugensi, p. 188: « Ubi primum inaudit parochus de matrimonio cogitari inter consanguineos aut affines, in gradibus praesertim proximioribus, conetur, quantum potest, tempestive eos quorum interest a proposito avertere ». — Quod monitum adhuc magis valet contra matrimonia mixtae religionis vel disparis cultus.

tatem practicam et ad matrimonium procedatur, sive dubium sit facti sive dubium juris, sive dubium spectet impedimentum juris naturalis aut divini, sive spectet impedimentum juris ecclesiastici.

Si 2° dubium versatur circa impedimentum *dirimens:* a/ si est impedimentum juris *ecclesiastici:* dubium *juris* potest negligi, et nihil obstat quominus ad matrimonium procedatur; in dubio autem *facti,* removendum est impedimentum per recessum spontaneum vel per dispensationem, quam infrà videbimus (n. 755 s.), in casu, posse concedi ab Ordinario, modò agatur de impedimento in quo S. Sedes dispensare solet (can. 15). b/ Si est impedimentum juris *naturalis* aut *divini,* sive agatur de dubio juris vel de dubio facti, removendum est impedimentum vel est a matrimonio abstinendum, sicuti in casu impedimenti certò existentis, salva tamen hac notanda exceptione: si nempe res est de impedimento indispensabili, quod sit absolutum, i. e. omne matrimonium excludens, posset matrimonium permitti, non obstante dubio, praevalente tunc nativo jure, quod unusquisque habet, ad nubendum, salvo jure tertii (1); et ita persona probabiliter tantum impotens (impotentia absoluta) non esset a matrimonio impedienda (2).

§ 2. In casu matrimonii invalidè contracti.

719. De remedio adhibendo in casu matrimonii invalide contracti.

Supponitur matrimonium *certò* invalidum, et non dubiè dumtaxat; in dubio scil. de norma applicandum foret principium can. 1014, stando valori actus, attenta restrictione facta suprà, n. 472[bis].

Quibus positis:

720. Enumerantur remedia.

I. **Enumerantur varia remedia** quae adhiberi possunt pro opportunitate. Nimirum sunt *convalidatio matrimonii, nullitatis declaratio* cum pseudo-conjugum dissociatione, *cohabitatio fraterna* et tandem *bona fides* in qua relinquantur putati conjuges.

II. Indicantur **normae** *pro* **electione remedii:**

721. Normae pro electione remedii:

A. Si matrimonii nullitas est **publica** vel *divulganda praevidetur,* signanter ubi provenit ex praesentia impedimenti natura vel facto *publici,* vel publicus est consensus defectus:

si nullitas est publica;

Tunc eligendum est inter convalidationem et nullitatis declarationem; et quidem *regulariter* recurrendum est ad *remedium convalidationis,* ita ut nullitatis declaratio non sit provocanda, nisi

(1) Dicitur: « salvo jure tertii »; et ideo dictum non applicatur impedimento *ligaminis,* ita ut non possent dubitanti de morte conjugis novae nuptiae permitti, ob salvandum jus probabile tertii, i. e. compartis.

(2) Cf. suprà, n. 472 et n. 558.

quando nullitas est insanabilis, ob impossibilitatem removendi impedimentum, vel, si sanari potest, quando gravissima rationis momenta dissolutionem omninò suadent.

Quodsi nullitas matrimonii jam *hic et nunc est nota,* statim separandi sunt pseudo-conjuges quoad torum et cohabitationem; vel, si separatio hic et nunc institui nequit, puta quia vir graviter infirmatur nec ad nosocomium deferri potest, adeo ut mulieris adjutorio privari nequeat, deberent pseudo-conjuges coram testibus declarare sese paratos esse ad convalidationem procurandam vel separationem instituendam, quantocius id poterunt; intereà sedulò vitare deberent omnem occasionem peccati, adhibitis cautelis a parocho pro opportunitate suggerendis.

722.
si est occulta: B. Si matrimonii nullitas est **occulta** et *occultanda praevidetur:*

insanabilis; 1° Quando nullitas est *insanabilis,* obstante scil. impedimento irremovibili:

a/ si alterutra vel utraque pars est *nullitatis conscia:* matrimonii nullitas declaretur ac separentur pseudo-conjuges; vel permittatur, quod rarò opportunum erit, habitatio fraterna;

b/ si *utraque pars* est *nullitatis inconscia:* relinquantur in bona fide, excepto casu quo graves admodum causae dissociationem urgeant.

723.
sanabilis. 2° Quando nullitas est *sanabilis:*

Ordinarium remedium erit *convalidatio,* nisi iterum peculiaria adjuncta faveant dissolutioni. Et haec solutio de convalidatione adhibenda pro ordinario remedio, valere videtur etiam in casu quo utraque pars est impedimenti inconscia et male disposita praevidetur circa consensus renovationem (1).

Nota 1. Ubi, in casu nullitatis occultae, poenitens dicit se *dubitare* de valore sui matrimonii, interrogetur de motivo in quo nitatur dubium: si verum motivum nullitatis allegatur, non potest nullitas dissimulari; si falsa ratio inducitur, licet a parte rei invalidum a confessario cognoscatur matrimonium, potest confessarius, inopportunam judicans saltem hic et nunc monitionem, prudenter dissimulare, respondendo matrimonium ob illud motivum non esse irritum, et, si poenitens insistat, ex hac causa non esse negandum debitum.

2. Quando alterutra pars, puta poenitens, est conscia nullitatis matrimonii, aliàs occultae, illi statim interdicendus est omnis *usus*

(1) Hucusque potius recurrendum docebatur, in illo casu, ad remedium bonae fidei servandae; sed nunc, attento can. 1138, § 3, nihil obstare videtur quominus recurratur ad sanationem in radice.

matrimonii, non exspectata nullitatis declaratione aut matrimonii convalidatione, idque etiam in hypothesi qua altera pars nullitatem ignorat, nec de ea moneri potest: quo casu recurrere deberet poenitens ad varia subterfugia, puta praetextando infirmitatem, ut usui matrimonii sese subtrahat, interea accelerata dispensationis concessione vel authentica nullitatis declaratione; quodsi dicta subterfugia aegre adhibenda praevideantur, urgens haberetur casus ac locus esset, si nullitas est sanabilis, applicationi canonis 1045, § 3, adeo ut a parocho, vel a simplici sacerdote aut confessario, dispensando convalidari posset matrimonium.

III. **Modus applicandi** *electum remedium.*

724. Modus applicandi remedia,

A. *Declaratio nullitatis* constituit causam matrimonialem strictè dictam, cujus tractatio pertinet ad Episcopum vel ad S. Sedem, a quibus regulariter obtinenda est authentica sententia nullitatis, quam de norma praecedere debet processus juridicus. Cf. suprà, n. 702 ss. (1).

Causa proinde regulariter deferri debet ad Episcopum, nomine pseudo-conjugum oblata supplica, in qua totum negotium exponatur.

Obtenta nullitatis sententia definitiva, utrique parti integra acquiritur libertas, elapsis decem diebus inde a sententiae denuntiatione, transeundi ad novas nuptias, excepto casu quo nullitas nititur in *impotentia* alterutrius partis: quo casu, si impotentia est absoluta, simpliciter prohibentur nuptiae parti impotenti, si verò impotentia est relativa, solet parti impotenti interdici transitus ad aliud conjugium, inconsulta S. Sede, vel cum restrictione ut non ducatur nisi vidua.

Recursus ad Episcopum competit parocho; quodsi causa ad forum confessarii deducta fuerit, ipsius est poenitentem dirigere ad parochum, cui extrasacramentaliter negotium exponat.

B. Si judicatur recurrendum *ad habitationem fraternam:* cautelae opportunae sunt praescribendae ad efficaciter praecavendum periculum incontinentiae, prae caeteris separatio tori et thalami.

C. Si *in bona fide* relinquendi videantur pseudo-conjuges, cautè caveat confessarius ne ulla suspicio moveatur de matrimonii nullitate, et vigilanter attendat in posterum utrum bona fides non turbetur.

725. In specie remedium convalidationis,

D. Quod spectat **matrimonii convalidationem:** vel procurari potest *absque dispensatione* vel *ope dispensationis,* et quidem, in

(1) Num. 702 et 702bis, exposuimus in quibusnam casibus exceptionaliter non requiratur processus juridicus, sed sufficiat authentica declaratio Ordinarii, cum interventione defensoris vinculi, aut etiam ab omni formalitate juridica abstineri possit.

hoc altero casu, sive via dispensationis simplicis sive via sanationis in radice.

idque sine dispensatione:

Jamvero quod convalidationem attinet *absque dispensatione,* de qua sola hic est agendum:

726. quandonam huic sit locus;

1° Si quaeratur *quandonam ei locus sit,* id obtinet a/ quando nullitas oritur ex defectu consensus, puta quia initum est matrimonium cum consensu ficto vel ex metu vel errore (1); b/ quando oritur ex praesentia impedimenti personam inhabilitantis, sponte recedentis, in supposito quod vel utraque pars sit benè disposita circa consensus renovationem, vel agatur de impedimento juris divini aut naturalis (2); c/ quando procedit ex defectu formae consensus, supposita utriusque partis bona dispositione circa consensus renovationem, et exclusa hypothesi plurium matrimoniorum convalidandorum (3).

2° Si quaeratur *de modo* matrimonium convalidandi absque dispensatione, respondetur ad hoc requiri et sufficere, ex parte unius vel utriusque pseudo-conjugis, *renovationem consensus,* juxta normas sequentes:

727. quonam processu;

Nimirum a/ debet renovatio consensus fieri *per novum voluntatis actum* in matrimonium quod constat ab initio nullum fuisse (can. 1134), *praevia* proinde *nullitatis prioris consensus notitia,* i. e. monitis et certioratis pseudo-conjugibus, ad novum consensum praestandum adstrictis, nullitatem ignorantibus; b/ in *forma juridica* (can. 1094), si nullitas est publica seu divulganda praevidetur, i. e. si provenit ex praesentia impedimenti natura vel facto publici (can. 1135, § 1), aut publicus fuerit defectus consensus (can. 1136, § 3), vel, etiam ubi occulta est nullitas, si forma consensus non fuit servata (c. 1137); secus, si nempe nullitas est occulta ac servata fuit forma juridica, renovatio fiat *privatim,* extra formam can. 1094, et secretò, inter solos scil. pseudo-conjuges (4), vel melius et convenientius, si aliunde nihil obstat, coram sacerdote, puta confessario; c/ ubi nullitas oritur ex defectu occulto consensus, adeoque privatim renovandus est consensus: si defectus consensus fuerit merè internus, satis est ut consensus interius renovetur (can. 1136, § 2); « si fuerit etiam *externus* (licet occultus, uti supponitur),

(1) Deficere censetur consensus, non tantùm ubi consensus omninò non fuerit datus, sed etiam ubi vitiatus fuerit per unum ex defectibus, suprà, n. 102bis, enumeratis.

(2) Infrà, n. 736, videbimus Ecclesiam non concedere sanationem in radice, in casu nullitatis ortae ex praesentia impedimenti juris naturalis aut divini, quod sponte recesserit. Cf. etiam infrà, n. 832.

(3) Si plura matrimonia in aliquo loco reperiuntur invalidè contracta et simul convalidanda, passim praestat recurrere ad sanationem in radice. Cf. infrà, n. 832, et n. 899.

(4) Can. 1135, § 2 et § 3.

necesse est consensus etiam exterius manifestare », modo secreto (can. 1136, § 3); d/ ubi consensus renovatio fieri potest extra formam juridicam, sufficit *unius* partis consensus, si nullitas occulta uni tantùm parti est nota, vel si una dumtaxat pars non consenserat, modò, in utraque hypothesi, consensus alterius partis perseveret (can. 1135, § 3 et can. 1136, § 1); requiritur vero *utriusque* partis consensus, si uterque non consenserat aut nullitas matrimonii utrique parti est nota (can. 1135, § 2) (1).

Circa quae notari juvat:

728. notandum primum;

1. Necessitas consensum renovandi, extra casum quo defecerit ipse consensus (2), non oritur ex natura rei, cum natum sit ut consensus, olim praestitus et virtualiter perseverans, sponte sua convalescat, statim ac ab impedimento liber existit; ast inducitur illa necessitas *a positiva voluntate Ecclesiae,* quatenus, in casu, non velit Ecclesia rationem veri matrimonii agnoscere consensui, post impedimenti remotionem, virtualiter remanenti et non renovato: quod nunc expressis verbis asseritur in can. 1133, § 2; et hoc applicatur casui nullitatis ortae ex praesentia impedimenti juris naturalis aut divini, non secus ac ex praesentia impedimenti juris merè ecclesiastici (3); adeoque dicta lex non urgetur in infideles (4). Idem valet a fortiori de necessitate praeviae notitiae nullitatis matrimonii, quae ex natura rei non exigitur, nequidem in casu quo consensus defuerit; positiva autem voluntate Ecclesiae censetur

(1) Sub alia forma schematicè proposita, normae huc redeunt:

1° Quando matrimonium nullum est *ob impedimentum inhabilitans personam:* a/ si impedimentum est *fori externi:* renovandus est consensus ab utraque parte in forma can. 1094, idque publicè vel secretò, juxta adjuncta, ad normam mox dicendorum sub n. 729; b/ si impedimentum est *fori interni:* privatim, seu extra formam can. 1094, idque ab utraque parte vel ab una tantùm, prouti impedimentum est utrique vel uni dumtaxat parti notum.

2° Quando matrimonium nullum est *ex defectu consensus,* supposita servata forma juridica: a/ si defectus est merè internus, sufficit renovatio interna; b/ si defectus est externus, interna renovatio est exterius manifestanda, et quidem in forma can. 1094, si defectus est publicus, in forma vero privata, si occultus est defectus.

Quodsi defectus occurrit in utraque parte, ab utraque parte iterandus est consensus; secus, ab una tantum parte.

3° Quando nullum est matrimonium *ob defectum formae juridicae:* « contrahi denuò debet iegitima forma », ad normam scil. can. 1094, idque publicè vel secretò, juxta adjuncta. Can. 1137.

(2) Profectò, ubi defuerit ipse consensus vel fuerit retractatus, natura rei exigit ut novus praestetur consensus, qui, ad normam can. 1081, § 1, nulla humana potestate suppleri potest.

(3) Cf. hîc GASPARRI, o. c., n. 1137, ubi sententiam suam, quod huic etiam casui applicetur principium, urget contra FEYE, o. c., n. 446, qui, cum aliis, volebat, in descripto casu nullitatis ortae ex impedimento juris naturalis aut divini, quod recessit, renovationem consensus requiri ex natura rei, seu ex jure naturali: puta in casu matrimonii invalidè contracti ob ligaminis impedimentum, superstite scil. priori legitima comparte, exinceps defuncta. — Caeterum nullam restrictionem adhibet tenor can. 1133, § 2. Cf. etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 656.

(4) Ita Titius infidelis, relicta Titia legitima uxore infideli, matrimonium attentat cum Caia infideli, matrimoniali emisso consensu; Titia defuncta, sponte sua convalescit matrimonium Titii cum Caia, absque consensus renovatione.

notitia illa praevia, positis ponendis, exigi, uti eruitur ex variis declarationibus S. Sedis (1).

729. notandum secundum;

2. Ubi renovandus est consensus *in forma* can. 1094, ad normam dictorum sub n. 727, 2°, b, potest renovari *secretò,* coram parocho et testibus familiaribus, in modum matrimonii conscientiae, si nullitas hic et nunc non est publice nota, licet divulganda timeatur; aliàs renovari debet *publicè,* hoc tamen attento quod etiam tunc potest nonnunquam a publica renovatione consensus abstineri, de licentia Episcopi, ea lege ut, per facti divulgationem exinceps opportunè faciendam, efficaciter praecaveatur scandalum. — Quodsi nullitas occulta matrimonii innotescat *confessario,* et, ob neglectam formam consensus, renovandus sit consensus in forma can. 1094, debet confessarius poenitentem remittere ad parochum, nisi ratio sit nullitatem occultandi parocho: quo casu confessarius petat delegationem ab Ordinario, ut coram ipso et duobus testibus renovetur consensus.

730. notandum tertium.

3. Applicatio sponte oblata disciplinae expositae, circa convalidationem matrimonii absque dispensatione, spectat matrimonia, *ante Pentecosten anni 1918 invalidè inita,* ob impedimentum dirimens a novo Codice abrogatum. Nimirum, cum novae Codicis dispositiones non habeant vim retroactivam (suprà, n. 475), matrimonia sic nulliter contracta indigent convalidatione; sed, inde a dicta data, convalidari possunt *absque dispensatione,* renovato consensu juxta normas modò propositas. Ita obtinet pro matrimoniis, ante Pentecosten anni 1918, nulliter contractis inter consanguineos in quarto gradu, inter affines ex copula illicita, inter patrinum et susceptae prolis matrem, et ita porro (2).

---

(1) Can. 1134. — Caeterum de hac voluntate Ecclesiae generali probé jam constabat ex variis documentis et citationibus relatis apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 311 ss., et in specie ex praxi S. Poenitentiariae, hujusmodi renovationem consensus exigentis, necnon ex decreto C. S. O., 8 Maii 1899, cujus tenorem exhibent *Collat. Brug.*, t. IV, p. 666 s. Agebatur nempe de matrimonio invalide inito ob impedimentum disparitatis cultus, et post conversionem partis infidelis convalidando: ad quaestionem autem utrum, posita ignorantia nullitatis matrimonii, perseverans consensus validum inducat matrimonium, respondetur non dari validum matrimonium *quousque consensus olim datus non fuerit, post baptismum partis infidelis, ab ipsis scientibus illius nullitatem ratificatus.* Confirmabatur haec doctrina in Causa *Osnabrugen.*, 11 Jan. 1912 (*A. A. S.*, IV, p. 186), ubi docetur quod defectus consensus metu vitiati, etiam post metum depositum, « non poterat suppleri per pacificam cohabitationem, quia sponsa (metum passa) nesciebat consensum priorem fuisse nullum et irritum ». Item in Causa *Eboracen.*, in 2° turno soluta, die 1ª Martii 1913 (A. A. S., V, p. 332). Cf. etiam GENNARI-BOUDINHON, o. c., 1re Partie, cons. CXIX. In contrarum sensum cf. SICA, o. c., p. 392 s.

(2) Aliquam difficultatem facit quod, in tenore decreti 2-3 Junii 1918 (suprà citati sub n. 475), dicatur opus esse *dispensatione;* sed ex oppositione ad alteram alternativam (quod scil. ipsa Codicis promulgatione non convalescant matrimonia sic antea inita), apparet intendi convalidatio potius quam proprie dicta dispensatio. In hunc autem sensum interpretandum esse decretum respondit, in privato rescripto, ipse Card. Gasparri (*Periodica-De Religiosis,* IX (1921) p. 154). — Applicationem practicam videsis propositam a SALSMANS, apud *Pastor bonus,* 1922, p. 114 s.

731. Connexio cum sequentibus.

4. Sub littera D (n. 725), prae oculis habuimus solam convalidationem *absque dispensatione,* utpote quae sola pertinet ad hanc disputationem praeviam, n. 713 dilineatam; quaestio de convalidatione *ope dispensationis* ingreditur ipsam tractationem sequentem, in qua successive, sub n. 733 ss., tradetur notio convalidationis per simplicem dispensationem et per sanationem in radice; sub n. 831 ss., determinabitur quaenam via pro variis adjunctis sit eligenda, et, sub 899 ss., exponetur quomodo ad convalidationem per unam et alteram viam sit procedendum.

Quae praecedunt sufficiunt ut appareat locus quem occupat tractatio de dispensationibus tum *in causa matrimonii contrahendi,* tum *in causa matrimonii nulliter contracti;* simul scimus quodnam, in duplici illa causa, remedium eligendum sit, et quomodo applicari debeant remedia alia, praeter dispensationem.

Caput I

DE NOTIONE DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS

I. Notio.

732. Notio dispensationis.

Notionem generalem dispensationis adaptando, definitur *dispensatio matrimonialis: legis, matrimonium prohibentis vel irritantis, in casu particulari relaxatio,* i. e. actus potestatis legitimae quo in casu particulari relaxatur lex quoad suam vim irritantem vel prohibentem matrimonium, manente illa vi legis quoad reliqua membra communitatis aut alios casus (1).

Eo ipso quod dispensatio sit legis relaxatio *in casu particulari,* differt a legis abrogatione et derogatione, quibus, ex integro respective vel ex parte, tollitur lex pro communitate universim (2). Eo autem quod sit relaxatio *legis,* dispensationem stricte dictam non importat actus superioris, relaxantis votum (suprà, n. 490) aut dissolventis vinculum matrimonii (suprà, n. 329), quantumvis passim duplex ille actus dispensationis nomine decoretur (3): quo attento, dissolutio vinculi per modum statuti generalis (de qua suprà, n. 332

(1) In dispensando vera exercetur potestas jurisdictionis non secus ac in ipsa lege condenda: eadem enim requiritur potestas ad ligamen auferendum quae requiritur ad ligamen inferendum.

(2) In can. 1040, nitide distinguitur dispensatio ab abrogatione et derogatione. — Nota quod legis relaxatio in casu particulari non sit confundenda cum relaxatione legis erga unum determinatum matrimonium: non excluditur scil. dispensatio concessa in pluribus matrimoniis cumulatim, uti citantur exempla, sub n. 744 et n. 832.

(3) Cf. can. 80. — Cf. etiam VAN DEN BERGHE, *Tractatus de Legibus,* Brugis, 1904, n. 145; BRANDHUBER VON ETSCHFELD, o. c., p. 1 ss.; VAN HOVE, *De la notion du privilège,* Tournai, 1922, p. 37 ss.; ubi nota distinctionem inter dispensationem et privilegium contra jus, coll. HILLING, *Die algemeinen Normen des CJC,* p. 84. Cf. etiam MAROTO, *Institutiones juris canonici,* Matriti, 1919, I, n. 302, coll. HILLING, o. c., p. 87 s., ubi notatur dispensationis distinctio ab epikeia, a declaratione et absolutione.

et n. 333, utrimque in nota finali, coll. n. 338 ss.) duplici titulo aliena est a dispensatione proprie dicta.

II. **Variae species.**

733. Variae species:

Praecipuae dispensationis matrimonialis species hae sunt:

1° dispensatio in ordine ad matrimonium contrahendum;

A. Dispensatio in ordine ad matrimonium **contrahendum,** quatenus auferatur impedimentum antequam ad matrimonii celebrationem procedatur; et dispensatio in ordine ad matrimonium contractum **convalidandum,** quatenus impedimentum relaxetur postquam apparuerit matrimonium antecedenter contractum esse invalidè (1).

vel convalidandum matrimonium contractum:

Circa quam alteram dispensationis speciem haec nota:

1° Matrimonium censetur *contractum* quando celebratum est tali modo ut *speciem* retineat *matrimonii,* juxta notionem datam sub n. 158; potest quoque uti matrimonium contractum haberi et obnoxium esse convalidationi, ac in specie sanationi in radice, *matrimonium civile,* celebratum inter personas clandestinitatis legi obnoxias, vel matrimonium initum coram ministro acatholico (cui utrique matrimonio denegatur species matrimonii), modò constet de eorum intentione verum consensum conjugalem emittendi (2). Cf. suprà, n. 461 et infrà, n. 736 et 848 (3).

734. quid convalidatio simplex;

2° Convalidatio matrimonii nulliter contracti fieri potest per duplicem viam: *per ordinariam* viam *convalidationis simplicis,* et per *extraordinariam* viam *sanationis in radice.*

Convalidatio simplex, seu convalidatio ope dispensationis simplicis, consistit in *duplici actu: prior* est in remotione impedimenti, qua partes habilitantur ad novum matrimonium contrahendum; *alter* in emissione novi consensus, a priori consensu independentis, praevia nullitatis prioris consensus notitia: quae novi consensus emissio, juxta can. 1133 et 1134, uti vidimus sub n. 727 s., ex positiva lege Ecclesiae, accedere debet hujusmodi impedimenti relaxationi.

---

(1) Etiam datur dispensatio in ordine ad matrimonio contracto utendum, seu ad petendum debitum, de quo suprà n. 231; de hac autem dispensatione sub hac parte tertia non agitur.

(2) Cf., sub n. 770, tenorem facultatis dispensandi super mixta religione, in quo inseritur facultas sanandi in radice matrimonia mixta « attentata coram officiali civili vel ministro acatholico », utique cum dicta intentione verum praestandi consensum matrimonialem.

(3) Usque ad haec ultima tempora, vix unquam contingebat sanari matrimonium *civile,* inter partes lege clandestinitatis ligatas celebratum, etiam ubi pro vero matrimonio fuerat initum: idque non tantum ob frequentem defectum veri consensus conjugalis, sed etiam ex eo quod Ecclesia dicto matrimonio civili non agnoscat *speciem matrimonii,* et ex hoc capite difficilius concederet sanationis gratiam. Cf. suprà, n. 158, et praesertim n. 461; item *Irish eccles. Record,* 1913, p. 410 s; DURIEUX, *Le mariage,* n. 218.

Unde per actum Superioris, convalidationis simplicis beneficium concedentis, non convalidatur matrimonium nisi in actu primo, seu in potentia, quatenus scil. pseudo-conjuges, per remotionem impedimenti, habilitantur ad matrimonium convalidandum per novi consensus emissionem (1).

735. quid sanatio in radice;

Sanatio in radice est matrimonii invalidè contracti « convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem juris, circa effectus canonicos, ad praeteritum ». Can. 1138, § 1.

Explicatio.

a/ Ex data notione eruitur sanationem in radice importare *haec duo: primò* importat ipsam matrimonii convalidationem in actu secundo, quatenus pseudo-conjuges non modò habilitantur, per impedimenti remotionem, ad novum matrimonium, iteratò emisso consensu, contrahendum, sicut in convalidatione simplici, sed quatenus ipso facto matrimonium convalescit, dispensata lege positiva ecclesiastica novum consensum exigente (2): eo namque ipso quod Ecclesia suam legem de renovando consensu non urget, consensus matrimonialis olim emissus et virtualiter, uti supponitur, perseverans, ab impedimento nunc liberatus, sponte sua convalescit et legitimus evadit; haec matrimonii convalidatio fit a momento concessionis gratiae (3); importat *secundò* retrotractionem, quoad effectus canonicos, quatenus matrimonio in radice sanato ab Ecclesia agnoscantur effectus canonici, signanter legitimatio prolis, *perinde ac si antea jam fuisset validè initum;* dicitur: *antea,* i. e. vel momento initi matrimonii — et sic est sumendum, nisi aliud expresse caveatur (can. 1138, § 2) — vel momento aliquo subsequente, puta momento quo consensus, tempore celebrationis matrimonii deficiens, postea accessit (can. 1040, § 2). Uno verbo matrimonium incipit validum esse *ex nunc,* sed ipsi agnoscuntur effectus juridici,

(1) Quod per dispensationem et remotionem impedimenti non convalidatur matrimonium, vel non convalidatur nisi in actu primo seu in potentia, id apparet etiam in variis rescriptis convalidationis, in quorum tenore dicitur dispensari, ad hoc ut pseudo-conjuges « matrimonium de novo... contrahere... valeant ». Cf. infrà n. 906.

(2) Equidem nonnunquam praescribitur, in sanationis rescripto, ut ab alterutra parte consensus renovetur; ast, licet praescripta consensus renovatio convalidationi matrimonii, sub poena nullitatis, est praemittenda, non tamen per hunc iteratum consensum convalidatur matrimonium, sicuti in casu dispensationis simplicis, sed merè adimpletur clausula pro gratiae sanationis executione imposita; ad hoc autem injungitur haec clausula ut securius provideatur prioris consensus perseverantiae.

(3) Sanatur nempe matrimonii *radix,* i. e. consensus naturaliter validus, in ineundo matrimonio praestitus et virtualiter perseverans, remoto impedimento illum consensum jure ecclesiastico invalidante, et simul ablata lege urgente consensus renovationem.

speciatim legitimatio prolis, perinde ac si fuisset validum *ex tunc*, momento scil. initi contractus vel momento aliquo postea (1).

736. quandonam sanatio concedi possit.

Sanatio in radice obtinet *in forma sua perfecta*, quando matrimonii convalidatio secumfert tum dispensationem impedimenti, tum retrotractionem, quoad effectus canonicos, usque ad ipsum momentum initi matrimonii, seu ad ipsam matrimonii radicem. Contrà *minus plena* censetur sanatio in radice, licet Codex hujusmodi distinctionem non attendat, quando unum alterumve elementum deficit: quando scil. vel retrotractio non ascendit ad matrimonii initium, sed ad momentum intermedium inter dictum matrimonii initium et ejusdem convalidationem (can. 1138, § 2, coll. can. 1140, § 2); vel quando convalidatio non confert secum dispensationem super impedimento, quippe quod sponte sua recessit (2).

b/ Quod spectat *requisita* ad sanationem in radice:

Ad hoc ut sanatio in radice, saltem semiplena, concedi possit, *ex natura rei* requiritur α/ ut consensus matrimonialis naturaliter sufficiens fuerit ex utraque parte reipsa emissus (3), sive ab initio fuerit praestitus, sive postea tantum accesserit (4), utque ille consensus hic et nunc penes utramque partem perseveret (5); β/ ut

(1) Dicitur: « *perinde ac si* fuisset validum ex tunc ». Et sane liquet per sanationem in radice non convalidari matrimonium in praeterito, signanter ab initio, efficiendo ut matrimonium nulliter contractum reipsa fuerit validè initum — quod implicaret; convalidatur tantùm matrimonium, uti docet can. 1138, § 2, et sub a/ est notatum, « a momento concessionis gratiae »; sed, per fictionem juris, censetur matrimonium ab initio (vel a momento intermedio) fuisse validum et effectus canonicos sortitum: in specie legitima censetur proles ac si fuisset legitimè nata, ac ita ut in omnibus aequiparetur legitimè natis (cf. suprà, n. 291, sub 2°/. — Cf. hic WERNZ-VIDAL, o. c., n. 661, nota 21, ubi confutat miram et vix attentione dignam opinionem quorumdam Auctorum, qui contendebant matrimonium in radice sanatum fuisse ab initio validum: volebant scil. R. Pontificem leges suas irritantes matrimoniales tulisse ea conditione, quod noluerit comprehendere « illa matrimonia de quibus Deus praevideat R. Pontificem iisdem suo tempore sanationem in radice esse applicaturum ».

(2) Quodsi matrimonium contingit non convalidari, puta defuncto alterutro vel utroque pseudo-conjuge, sed concessio facta ad hoc reducitur ut matrimonio merè agnoscantur quidam effectus canonici, signanter prolium legitimatio, cum retroactivitate fictiva, nullatenus sanationis nomen meretur hujusmodi concessio: est potius plena legitimatio prolis. Cf. GASPARRI, o. c., II, n. 1151, coll. *Collat. Brug.*, V, p. 357, in nota, et infrà, n. 744.

(3) Can. 1139, § 1. — Debet igitur emissus esse consensus qui non sit invalidus ob defectum jure naturali *ipsum consensum* irritantem; requiritur prae caeteris consensus vere matrimonialis (suprà, n. 100 ss.).

(4) Can. 1140, § 1 et 2; quo altero loco disponitur: « quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus ». Cf. modò suprà, n. 735.

(5) Can. 1139, § 1, coll. 1040, § 1, et can. 1093, quo ultimo loco providetur quod « consensus praestitus (licet, ratione impedimenti, invalidè) praesumitur perseverare, donec de ejus revocatione constiterit ». Ad hoc autem non praebetur sufficiens argumentum ex eo quod partes consensum revocarent, si scirent illum posse revocari efficaciter; non enim attenditur quid partes *facerent*, si tale quid cognoscerent, sed quid *de facto faciant*. Hinc consensus maritalis non revocatur, eo quod pars impedimenti ignara esset parata, propter lites domesticas, ad matrimonium solvendum, imo etiam si jam nolit cohabitare vel sollicitet separationem a toro et a cohabitatione, nec etiam si renuat consensum renovare. Contrà revocatur consensus quando alterutra pars, cognita matrimonii nullitate, vindicat suam libertatem. Cf. STANDAERT, l. c., p. 37 s., coll. KISELSTEIN, l. c., p. 215, et praesertim, WERNZ-VIDAL, o. c., n. 666, nota 34.

matrimonio hic et nunc non obstet impedimentum juris naturalis vel divini, sive ab initio obstiterit illud impedimentum sive postea matrimonio supervenerit (1). Insuper *ex voluntate Ecclesiae* requiritur γ/ ut matrimonium non fuerit initialiter contractum cum impedimento juris naturalis vel divini, hic et nunc remoto, quod scil. exinceps cessaverit (2); / ut, momento sanationis dandae, non obstet impedimentum, quod quidem sit juris mere ecclesiastici, sed super quo Ecclesia de facto non dispensat (3). Jam non requiritur, uti praenotavimus sub n. 733, species matrimonii (4).

Nota 1. Ad legitimum exercitium potestatis matrimonium in radice sanandi, praesupponitur *causa proportionata* (5), idque pro valore vel liceitate, juxta normam, de qua n. 812.

2. Notetur etiam quod, attentis dictis, in nota 5ª pag. praec., circa consensus perseverantiam, nihil obstat quominus concedatur sanatio in radice, una vel utraque parte inscia, quemadmodum enuntiat tenor can. 1138, § 3; quinimo ex natura rei nihil obstat, attentis ibidem notatis, quominus alterutra vel utraque pars invita esset, si sciret sanationem esse concedendam, uti facilè continget cum sanationibus generalibus, quales concessae sunt nonnunquam in casibus, de quibus infrà, n. 744 et n. 832, utrimque in nota.

---

(1) Sanatio matrimonii, initialiter initi cum impedimento juris ecclesiastici, cui supervenit impedimentum indispensabile juris naturalis vel divini hic et nunc remanens, ex natura rei concedi nequit, siquidem sanatio praecise attingit consensum hic et nunc perseverantem. Cf. decr. C. S. O., 8 Martii 1900, apud *Collat. Brug.*, V, p. 385 ss., ubi agitur de matrimonio clandestine contracto, cui supervenerat impotentia perpetua; item si supervenit amentia perpetua; caeterum, in casu supervenientis amentiae, jam non perseverat consensus (cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 659, in nota 14). — Ad summum indulgeri posset, in casu, simulacrum sanationis in radice, de quo modò suprà, sub fine n. 735, reducta scil. concessione ad pleniorem prolis legitimationem. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 763, nota 25.

(2) Si solam rei naturam attendimus, nihil obstat quominus in radice sanetur, sanatione minus plena et cum retrotractione incompleta, matrimonium, quod quidem fuit initialiter contractum cum impedimento juris naturalis vel divini, sed cujus impedimentum exinceps recessit; nec desunt specimina hujusmodi sanationis, uti videre est apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 357, ubi refertur, juxta *Anal. eccl.*, 1900, p. 305, casus mulieris catholicae, quae, post matrimonium vivente viro civiliter contractum, anno 1890, die 25 Aprilis, obtinuit a S. Poenitentiaria, post legitimi mariti mortem, sanationem in radice, denegata legitimatione prolis in adulterio conceptae. Cf. GASPARRI, o. c., n. 1154; DE BECKER, *De Matr.*, p. 348; PUTZER, o. c., n. 244; *N. R. th.*, XXVII, p. 218 ss.; BASSIBEY, *Le Mariage devant les tribunaux*, n. 211; POMPEN, o. c., n. 130; BOUDINHON, apud *R. du clergé fr.*, t. XLI, p. 416 ss.; GENNARI-BOUDINHON, o. c., 1re Partie, *Morale*, II, p. 384 s.; KISELSTEIN, l. c., p. 216 ss.; cf. etiam supra, n. 728, ubi docuimus renovationem consensus ad convalidationem non requiri nisi ex solo jure ecclesiastico.

Atvero licet sanatio, in descriptis adjunctis, habenda sit uti ex natura rei possibilis, *de facto* tamen, quemadmodum constat ex tenore can. 1139, § 2, Ecclesia talem sanationem jam non concedit; non dicitur: Ecclesia non potest sanare, sed: « non sanat ».

(3) Ita non esset speranda sanatio in radice super impedimento ordinis episcopalis.

(4) Ita, uti vidimus, sanari possunt et de facto sanantur matrimonia merè civiliter inita inter personas legi clandestinitatis obnoxias; ast cum hujusmodi personis peculiariter attendendum est utrùm verum consensum conjugalem praestiterint.

(5) De causis ad dispensandum agetur ex professo sub n. 812 ss.; in specie quod spectat varios casus in quibus opportunum est recurrere ad sanationem in radice, cf. infrà, n. 832, coll. n. 899.

B. Dispensatio **fori externi** et **fori interni.**

1° Quod spectat *notionem:*

737.
2° Dispensatio fori externi et interni:

Dispensatio *fori interni,* seu *fori conscientiae,* seu *fori poli* (= fori coeli, seu beatitudinis coelestis, quae noster polus est), est dispensatio tali modo concessa ut de ipsa constare nequeat coram foro externo, fictis scil. adhibitis nominibus et aliis servatis cautelis infrà describendis. Dici etiam potest dispensatio *in foro interno,* vel *pro foro interno.*

Prouti autem dispensatio conceditur aut exequenda mandatur (1) in foro interno sacramentali, seu in actu sacramentalis confessionis, vel in foro interno extrasacramentali, dicitur dispensatio esse fori interni *sacramentalis* vel fori interni non sacramentalis seu *extrasacramentalis* (2).

Contrà dispensatio *fori externi* seu *fori fori,* est dispensatio tali modo concessa quo de earumdem adeptione et elargitione rite constare possit coram Superiore ecclesiastico, ad hoc expressis nominibus et variis servatis clausulis infrà exponendis. Dicitur quoque dispensatio *in foro externo,* vel *pro foro externo* (3).

2° Quod spectat *effectum juridicum:*

738.
cum respectivo effectu juridico.

Dispensatio *fori externi directe* valet *pro foro externo,* i. e. impedimentum aufert coram publico regimine Ecclesiae, ita ut ab hoc regimine jam non sit attendendum; ac *indirecte* valet *etiam pro foro interno,* quatenus impedimentum haberi possit qua ablatum coram Deo et conscientia, nisi probe liqueat forum externum niti falsa praesumptione: propterea dicitur etiam dispensatio *pro utroque foro.* Ita can. 202, § 1.

Contrà dispensatio *fori interni* de norma valet *pro solo foro interno,* impedimentum auferendo coram Deo et conscientia dumtaxat, non autem coram publico regimine Ecclesiae (can. 202, § 1), adeo ut, si impedimentum postea innotescat in foro externo (4),

---

(1) Nota dispensationem censeri concedi in foro interno sacramentali, etiam ubi in forma commissoria conceditur extra confessionem, puta a Cardinali Poenitentiario aut ab Ordinario, sed in actu sacramentalis confessionis executioni mandanda. Cf. infrà, n. 747.

(2) Juxta MAROTO, o. c., n. 718, in nota, forum *poenitentiale* non aequivalet foro interno sacramentali, sed foro interno, adeo ut possit esse sacramentale vel non sacramentale. Alii e contra, uti DE MEESTER, o. c., I, n. 440, identificant terminos: sacramentale et poenitentiale.

(3) Terminus: *in* foro interno vel externo, respicit modum concessionis (sub 1°), dum terminus *pro* respicit effectum (sub 2°).

(4) Quodsi « impedimentum nondum sit publicum, Episcopus tamen ejus notitiam in foro externo acquirat, a separatione injungenda et actione contra matrimonium instituenda abstinere debet, si in foro conscientiae dispensatum fuisse noverit testimonio secreto legitimo, v. gr. confessarii, qui cum poenitentis venia illud Episcopo communicaverit ». Ita BENEDICTUS XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 51.

nova dispensatione sit opus, quae valeat coram foro externo (1).

Dicitur: *de norma,* et haec norma est absoluta quod spectat dispensationem fori interni *sacramentalis.* Quod autem spectat dispensationem fori interni *non sacramentalis,* habetur *dispositio normae derogans,* quatenus scil., ad tramites can. 1047, « nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio(ne) in foro interno *non sacramentali* concessa super impedimento occulto..., alia dispensatio pro foro externo non est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit »; valet proinde dispensatio in casu pro foro externo (2). Ideo in ejusdem canonis parte priori providetur ut dispensatio, in dicto foro interno non sacramentali concessa, « adnotetur in libro, diligenter in secreto Curiae archivo, de quo canon 379 (suprà, n. 160), asservando », cum indicatione nominis ac pronominis oratorum (3). Cf. infrà, n. 811, 888 et 913.

Ad cujus dispositionis derogatoriae penitiorem intelligentiam observa: a/ eam applicari dispensationibus non modò apostolicis, sed et episcopalibus ac sacerdotalibus (4); b/ eam applicari dispensationibus non tantùm super impedimentis occultis, natura scil. simul et facto occultis, sed etiam et quidem a fortiori, super impedimentis facto dumtaxat occultis, et natura publicis, in quantum super illis exceptionaliter dispensari posse contingat pro foro interno extrasacramentali, juxta dicenda infrà, sub n. 830 et 833 (5);

---

(1) Id non significat quod dispensatio, pro foro interno concessa super impedimento occulto, irritatur, si contingat hoc impedimentum postea evadere publicum: manet scil. dispensatio valida, impedimentum est ablatum et matrimonium sic contractum est et manet validum, sed nec dispensatio nec matrimonii validitas invocari potest in foro externo. Cf. TRIEBS, o. c., I, p. 159 s.

(2) Ita feliciter vitatur, in non paucis casibus, conflictus inter forum internum et forum externum, quatenus matrimonium, coram Deo et conscientia validum, pro tali non habeatur coram foro externo et coram administratione Ecclesiae, adeo ut conjuges coram Deo conjuncti ab Ecclesia habeantur et tractandi sint uti fornicarii. — Ideo, ubi electio datur inter dispensationem in foro sacramentali et dispensationem in foro non sacramentali, haec altera praeferenda est priori.

(3) Quod nunc sponte sua fit et obtinet pro quacumque dispensatione in foro interno non sacramentali, super impedimento occulto concessa, hucusque indigebat speciali clausula, quae nonnunquam inserebatur in rescriptis Romanis pro foro interno: expresse scil. providebatur quod rescriptum... suffragari posset in foro externo, ubi opus esset, adhibita scil. cautela ut dispensationis documentum secretò conservaretur in Cancellaria episcopali, cum indicatione, ad ejusdem calcem, nominis et cognominis oratorum. Ad hoc remedium recurrebatur quando timebatur ne impedimentum, hic et nunc occultum et pro posse occultandum, exinceps innotesceret ac evaderet publicum. Cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 601 s. et t. XII, p. 119 s.

(4) Incisum « *nisi aliter ferat S. Poenitentiariae rescriptum* » innuere posset, in can. 1047, agi de solis dispensationibus a S. Poenitentiaria impetrandis. Atvero eadem ratio quae militat pro applicatione can. 1047 ad dispensationes apostolicas, ut nempe conflictus vitetur inter forum externum et internum, eadem, inquam, illa ratio valet pro dispensationibus episcopalibus et sacerdotalibus. Cf. SCHÄFER, o. c., p. 130; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 408; CAPPELLO, o. c., n. 242, ubi etiam provocatur ad omissionem incisi in schemate provisorio.

(5) Equidem tenor can. 1047 habet: « super impedimento *occulto* »; sed non liquet illam determinationem esse exclusivam, eamdemque dispositionem non posse applicari dispensationi in foro interno extrasacramentali exceptionaliter concedendae super impedimento publico (natura scil. publico sed facto occulto), eo vel magis quod ratio,

c/ excipi casum quo aliter ferat S. Poenitentiariae rescriptum; potest scil. fieri quod in rescripto S. Poenitentiariae inseratur clausula dispensationis effectum restringens ad forum internum; passim tamen clausula specialis, si inseratur, non afficit dispensationis effectum, sed solam inscriptionem in registro, quatenus S. Poenitentiaria praescribat inscriptionem in libro secreto ipsius Poenitentiariae, potius quam in libro secreto curiae episcopalis, puta quando peculiaris ratio exigit ut negotium occultetur Ordinario (1).

739. Notanda circa varias potestates dispensandi pro foro externo vel interno vel utroque.

Nota. Potestas dispensandi *pro foro externo* est potestas concedendi dispensationem fori externi seu in foro externo tantùm (2); *potestas* dispensandi *pro foro interno* est potestas concedendi dispensationem fori conscientiae seu in foro interno tantùm, eaque potestas potest exerceri extrasacramentaliter vel sacramentaliter, nisi forum sacramentale natura sua vel juris dispositione exigatur (can. 202, § 2); *potestas* dispensandi *pro utroque foro* est potestas clargiendi vel dispensationem fori externi, vel dispensationem fori interni, prouti agitur de impedimento fori externi vel fori interni.

« Si forum, pro quo potestas (seu facultas) data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet », puta ex natura impedimenti super quo facultas datur, vel ex qualitate personae, v. gr. confessarii, cui facultas conceditur. Can. 202, § 3.

740. 3° Dispensatio apostolica, episcopalis, sacerdotalis;

C. Dispensatio **apostolica, episcopalis** vel **sacerdotalis,** pro vario auctore a quo conceditur.

4° dispensatio in forma gratiosa et commissoria;

D. Dispensatio **in forma gratiosa** vel **in forma commissoria.**

Dispensatio dicitur concedi *in forma gratiosa,* quando ab ipso auctore dispensationis impetranti conceditur directe et *sine intermedio executore.*

Contrà dicitur concedi *in forma commissoria,* quando conceditur *cum interjecto executore,* i. e. quando dispensatio ab hujus auctore non applicatur directè, sed intermedia persona adhibetur ad gratiam applicandam oratori.

---

in qua niti censetur concessio facta, a pari, imo a fortiori, hujusmodi impedimentis publicis applicatur. Cf. infrà, n. 830.

(1) Ubi dispensatio *a sacerdote* conceditur, et judicat idem sacerdos dispensationis factum non posse innotescere Ordinario, ipsi patet recursus ad S. Poenitentiariam, ut ab ea impetret inscriptionem in libro secreto Romano, potius quam in libro Curiae episcopalis.

(2) Qui habet potestatem dispensandi pro foro externo non potest illa potestate uti ad dispensandum in foro interno, adhibita scil. forma propria fori interni, licet, uti vidimus, dispensatio, vi dictae potestatis in foro externo data, valeat etiam coram foro interno.

Duplici autem modo potest interponi executor: vel ita scil. ut sit executor *necessarius,* quatenus huic committatur merum executionis ministerium, ipsi mandato facto dispensationem exequendi quin executionem denegare possit, salvo casu can. 54, § 1 (1), salva etiam facultate alium sibi substituendi (infrà, n. 864[bis]): et tunc est dispensatio in forma commissoria *stricte dicta;* vel ita ut executor sit *voluntarius,* quatenus ipsi facultas datur dispensationem in casu particulari concedendi, tali scil. modo ut ipsius sit « pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare » (can. 54, § 2, coll. *Normis pecul.,* cap. III, n. 3 et 4), et tunc est dispensatio in forma commissoria *minus strictè dicta:* importat concessionem facultatis dispensandi in casu omninò particulari (2).

Porro dispensatio in forma gratiosa necnon in forma commissoria cum executore necessario constituit gratiam *factam,* dum dispensatio in forma commissoria cum executore voluntario constituit gratiam *faciendam.*

Ad normam autem can. 38, dispensatio in forma gratiosa, seu sine interjecto executore, effectum habet a momento quo ab auctore est concessa; dispensatio vero in forma commissoria, seu cum interjecto executore sive necessario sive voluntario, effectum non habet nisi momento executionis. Cf. infrà, n. 914[bis] (3).

Executio importat, praeter nonnullas formalitates praevias (n. 866), ipsam dispensationis elargitionem, seu ipsam impedimenti remotionem in actu secundo, sive haec fiat mere exequendo mandatum acceptum (executor necessarius), sive quadam potestate discretionali utendo (executor voluntarius). Haec autem ipsa dispensationis elargitio, in utroque casu, vocatur *fulminatio,* strictiori tamen sensu in casu executionis necessariae quam in casu executionis voluntariae (4).

Quod spectat distinctionem in dispensationem *in forma ordinaria* vel *in forma nobilium* et dispensationem *in forma pauperum,* in quantum sub

(1) Nimirum executio denegari potest si « aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis nullum esse, aut in rescripto apponantur conditiones quas executori constet non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, judicio executoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio; quod ultimum si accidat, executor, intermissa executione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem ».

(2) Sunt Auctores, uti DURIEUX, o. c., p. 121, qui dispensationem in forma commissoria cum executore necessario, dispensationem appellant *in forma mixta,* reservantes nomen dispensationis in forma commissoria dispensationi quae conceditur cum facultate dispensandi in casu particulari, seu cum executore voluntario. Alii aliam eligunt terminologiam.

(3) Specimen formulae dispensationis pro foro externo in forma commissoria, cum executore necessario, proponitur infrà, n. 862, et, sub n. 874, cum executore voluntario.

(4) Ipse actus dispensandi in forma gratiosa, qualis procedit a dispensationis auctore, etiam nonnunquam vocatur fulminatio, sed improprio tantum sensu.

nova constitutione Curiae Romanae fortassis adhuc servantur, minoris sunt momenti (1).

741. Notanda circa modum dispensandi;

Nota 1. Dispensationes matrimoniales concedi possunt vel *explicitè* et expressè, uti solet fieri, vel *implicitè,* quemadmodum fieri contingit, vi can. 1053, positis ponendis, super impedimento criminis neutro machinante (2).

2. Dispensationes matrimoniales explicite datae possunt concedi sive *scripto,* sive *viva voce.* Attento autem canone 79 (qui canon, etsi explicitè loquens de privilegio, potest applicari dispensationi), oretenus, seu vivae vocis oraculo, data dispensatio non suffragatur in foro externo, nisi illius concessio legitimè probetur (3). Possunt etiam dari vel *ad instantiam partium,* uti solet fieri, vel *motu proprio;* si autem ad instantiam partium conceduntur scripto, dari dicuntur *per rescriptum* (4). Cf. infrà, n. 749, 861, 890, 894 et 895 (5).

742. circa dispensationis usum, et interpretationem.

Scholion. Dispensatio est vulnus inflictum legi (6), et ideo mens est Ecclesiae ut ejusdem usus, in quantum fieri potest, decrescat. Quare Conc. Trid., Sess. XXIV, c. 5 *de ref. matr.,* monebat ut « in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur ». Cujus moniti Tridentini, licet Ecclesia, id urgentibus rerum adjunctis, disciplinam mitigaverit, etiamnum est ratio habenda a *parochis,* uti jam notavimus sub n. 717. Ideo etiam dispensatio « strictae subest interpretationi », uti habet can. 85, coll. can. 50 Cf. infrà, n. 862 (7).

743. Fata dispensationis matrimonialis,

Notitia historica.

1° *Decem prioribus saeculis,* sub nomine dispensationis veniebat, in jure canonico, quaecumque derogatio juris vigentis, ita ut non tantùm comprehenderit relaxationem legis in casu particulari sed etiam derogationem

(1) Dispensatio *in forma pauperum* dicebatur dispensatio pauperibus concessa a Dataria vel Cancellaria, super impedimentis consanguinitatis et affinitatis legitimae, ob alterutram causam infamantem, copulam nempe incestuosam ejusve suspicionem, cum clausulis severioribus. Dispensatio vero *in forma ordinaria* dicebatur dispensatio, super iisdem impedimentis a Dataria vel Cancellaria impertita, ob dictas causas infamantes sed absque severioribus illis clausulis, hisce substituta, in delicti poenam, majori componenda; quod si componenda erat admodum magna, dispensatio in forma ordinaria interdum dicebatur concessa *in forma nobilium.* Cf. *Collat. Brug.,* V, p. 671 s.

(2) Cf. suprà, n. 670, coll. n. 331 et 365.

(3) Ideo, post gratiae concessionem viva voce, solent confici litterae gratiae concessionem attestantes; manet tamen gratia vivae vocis.

(4) Etiam in rescripto, ad instantiam partium concesso, occurrit nonnunquam expressio: « motu proprio », quin mutetur natura rescripti. Sic, in casu can. 45 et 46. Tunc « Princeps per illam clausulam significat se non ex precibus, at, ex sua liberalitate et benevolentia, quasi spontanee vel motu proprio egisse; quare idem est ac si revera instantia non praecessisset, et Princeps solo motu proprio processisset ». MAROTO, o. c., n. 278, in nota, coll. TOSO, o. c., l. I, p. 119.

(5) Quanam forma reipsa concedantur variae dispensationes matrimoniales, dicetur infrà, sub n. 749, coll. n. 861 et 890.

(6) Dispensatio adversatur legi in commodum privatorum, uti habet can. 50.

(7) Id valet etiam pro dispensatione in forma commissoria cum executore voluntario, seu pro potestate dispensandi in casu particulari; quod autem spectat interpretationem potestatis dispensandi generalis, cf. infrà, n. 779 s., coll. n. 753.

aut mutationem necnon legis abrogationem. Cf. STIEGLER, o. c., p. 14 ss., coll. p. 40 et 72; BRYS, o. c., p. 16 et p. 74, coll. FREISEN, o. c., p. 891 s.

Exempla hujusmodi dispensationum lato sensu, ex prioribus jam saeculis deprompta, et varias materias spectantia, referuntur apud STIEGLER, o. c., p. 44-67, coll. BRYS, o. c., p. 26 ss, et p. 50; VILLIEN, *Dict. de Theol.*, col. 1430 ss., quibus attentis, apparet a/ non modò admissas fuisse, per decem priora saecula, dispensationes *post factum* (in factis), sed etiam *ad faciendum* (in faciendis), quales citantur dispensationes per modum privilegii generalis concessae a Gregorio Magno (590-604), scribente ad S. Augustinum, Angliae apostolum, ac a Gregorio II (715-731) ad S. Bonifacium, quatenus prior pro Anglia, alter pro Germania, temperaverit rigorem impedimenti consanguinitatis pro matrimoniis in posterum celebrandis (1); b/ dispensationis exercitium non fuisse, per illius aevi spatium, reductum ad exercitium potestatis *merè disciplinaris*, quatenus Ecclesia merè abstinuerit a puniendo delicto contra legem patrato (2).

Concessae sunt nimirum, dicto tempore, verae relaxationes legis, saepius quidem post factum, sed etiam hinc inde in ordine ad actum ponendum; sed datae sunt *ob motivum boni communis*, potius quam *ob motivum boni particularis:* quod magis conveniebat indoli dispensationis illius temporis, sese extendentis ad omnem legis derogationem, uti dictum est suprà.

2° *Inde a saeculo XI*, in hunc sensum evolvitur dispensationis oeconomia, ut ejus notio restringi coeperit ad legis relaxationem *in casu particulari*, exclusa legis mutatione aut abrogatione (3), utque correlativè jam in usum deduceretur dispensatio *ob motivum boni privati* (4).

Atvero admodum rarae, sub saeculis XI et XII, occurrunt dispensationes, saltem in re matrimoniali (5), et ex parte auctoritatis supremae (6). Primum exemplum certum dispensationis matrimonialis *in contractis* videtur esse dispensatio concessa, anno 1059, a Nicolao II, Gulielmo duci Normandiae, super consanguinitate (7); in ordine vero ad matrimonium

---

(1) Gregorius M.: « Unde necesse est ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter inter se conjungi debeat ». Gregorius II concedit « ut post quartam generationem jungantur ».

(2) Hoc contra ESMEIN, o. c., p. 316 ss., et DURIEUX, o. c., p. 6.

(3) Rufinus (1157-1159) primus adhibet dispensationis vocem in sensu stricto relaxationis juris in casu particulari, quantumvis adhuc etiam retineat simul sensum latiorem; postea notio adhuc epuratur a Decretalistis. Cf. BRYS, o. c., p. 95 ss., coll. p. 147 et p. 164 s. — Idem Rufinus primus expressis verbis usurpat distinctionem inter dispensationem *in factis* et *in faciendis*. Cf. STIEGLER, o. c., p. 50 et BRYS, o. c., p. 106.

(4) Contra hanc Curiae Romanae praxim reluctavit, per aliquod tempus, Auctorum doctrina. Gratianus autem jam videtur novae praxi favere.

(5) Severitas Curiae Romanae innotescit in multis causis matrimonialibus tunc coram ea actis, in quibus ad saeculum XII^m usque vix non semper urget strictum jus, signanter quod spectat impedimentum consanguinitatis, quatenus non modò matrimonia contrahenda prohibeat, sed et antea contracta, dissolvenda urgeat, idque cum regibus et magnatibus. Cf., apud STIEGLER, o. c., p. 233-292, integram seriem hujusmodi causarum, ibi notando, p. 259 et 267 ss., inter alia, severam agendi rationem Leonis IX (1048-1054) et Gregorii VII (1073-1085). Cf. etiam CHARDON, o. c., p. 446 ss., et *Conférences de Paris*, III, p. 287 ss. — Caeterum in ipso adhuc Concilio Tridentino disponitur ut « in contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro » (Sess. XXIV, cap. 5, de reform. matrimonii).

(6) Non defuerunt facta episcoporum qui, auctoritatis abusu, matrimonia incestuosa ratihabuerint aut permiserint, vel saltem dissimulatione contexerint. Cf. STIEGLER, l. c.

(7) STIEGLER, o. c., p. 265 s., ubi etiam, p. 279 s., refertur aliud dispensationis specimen, ex initio saeculi XII. — Citatur a nonnullis dispensatio quaedam a Paschali II concessa, circa annum 1105, Philippo I, regi Galliae; sed id a STIEGLER, o. c., p. 277, negatur. Immerito etiam provocatur ad factum Leonis IX, quasi dispensando ratiha-

contrahendum, prima dispensatio pontificia videtur data, anno 1100, ab Urbano II (1).

744. et in specie sanationis in radice.

3° *Sanatio in radice* non apparet fuisse usurpata ante saeculum XIII, et quidem primitus adhibita fuisse videtur sub sola forma decreti plenissimae legitimationis prolis, cum effectu, per fictionem juris, retroactivo (dicebatur legitimare *ut ex tunc*, vel etiam, juxta dictum Panormitani, legitimare *incipiendo* a radice matrimonii), quam concessionem notavimus, suprà, n. 735, non esse nisi sanationis simulacrum (2). Postea datae sunt sanationes in radice proprie dictae, sed, ante Benedictum XIV, ob solas causas ordinis publici, deinceps autem etiam ob causas ordinis privati (3).

CAPUT II

DE AUCTORE DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS.

745. Quisnam veniat nomine Auctoris dispensationis.

Sub nomine *auctoris* dispensationis, intelligitur ille qui dispensationis beneficium concedit, ille nempe cui qua causae adscribenda est impedimenti relaxatio, sive illam concedat ex potestate ordinaria sive ex potestate delegata, sive eam concedat in forma gratiosa sive in forma commissoria: quo pacto executor dispensationis in forma commissoria elargitae nullatenus est dicendus dispensationis auctor, nequidem quando constituitur executor voluntarius.

Porro in determinando dispensationis auctore, prae oculis est habendum sequens principium: potestatem nempe dispensandi super impedimentis correspondere potestati legislativae in hac materia, adeoque potestati condendi impedimenta matrimonialia (cf. suprà, n. 732). Unde sequitur:

1° *Soli Ecclesiae* exclusive competere potestatatem super impedimentis dispensandi cum baptizatis, siquidem soli Ecclesiae privative competit potestas legislativa in hac re, uti ostendimus suprà, in partis primae sectione tertia, signanter n. 419 ss.; et quidem

---

buerit matrimonium Balduini, comitis Flandriae, cum consanguinea initum; non enim aliud concessit quam ut pseudo-conjuges non separarentur, sed cohabitarent uti frater et soror.

(1) Cf. STIEGLER, o. c., p. 278. — Inde liquet non esse accuratam opinionem multùm vulgatam, quasi primum exemplum certum dispensationis in contrahendis fuisset dispensatio concessa, ab Innocentio III, Othoni IV, anno 1209. Caeterum *Rufinus*, uti modò notavimus (n. 743), et, post ipsum *Huggucio* (circa 1188), jam expressè loquitur de dispensatione *ad contrahendum*, in faciendis scil., uti dicit, quam tamen dispensationem monet aegrius obtineri quam in factis, seu contractis. Cf. BRYS, o. c., p. 106 s.; GILLMANN, *Spender...* — Beilage I, p. 40. Falsam illam opinionem adhuc proponit HIRSCHBERG, o. c., p. 33.

(2) Hujusmodi sanatio late dicta (seu potius plenissima prolis legitimatio) primum a Bonifacio VIII, circa 1301, concessa fuit, in gratiam reginae Castillanae, post obitum pseudo-viri.

(3) Cf. BENED. XIV, *De syn. dioec.*, l. XIII, cap. XXI, n. 7; *Instit.* 87, n. 80. Notissima autem facta sanationis in radice, ob causam ordinis publici, sunt decreta Julii III, anno 1554, pro matrimoniis in Anglia celebratis, et decr. Pii VII, anno 1801 et 1809, pro matrimoniis sub Gallica Perturbatione contractis. Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 660, nota 19, coll. infrà, n. 832, in nota.

Ecclesiae ita competit jus exclusivum dispensandi cum fidelibus, ut ipsa sola, super impedimentis relativis, dispensare valeat etiam respectu matrimonii inter partem fidelem et partem infidelem (suprà, n. 438).

2° Ecclesiae non competere potestatem dispensandi *propriam nisi* super impedimentis juris *ecclesiastici,* utpote ad quae sola sese extendit potestas ejus legislativa. Si igitur Ecclesiae agnoscenda est potestas quaedam dispensandi, dispensatione late dicta (n. 732), super impedimentis juris naturalis et divini, a facto hominis dependentibus, uti est votum, ligamen, non est haec potestas propria, sed ministerialis tantum et instrumentalis, juxta notata suprà, n. 298, coll. mox infrà, n. 746.

3° Soli *potestati supremae* competere, sub disciplina vigente, potestatem *propriam* super impedimentis dispensandi, cum ipsi nunc exclusive jus sit, ad normam can. 1038, § 2, condere impedimenta, tam impedientia quam dirimentia, sive per modum legis universalis sive per modum legis particularis. Can. 1040, coll. can. 81.

Soli igitur S. Pontifici (vel concilio oecumenico) (1) competit potestas *propria* super impedimentis matrimonialibus dispensandi, adeo ut nullus Episcopus potestate propria dispensare valeat, nequidem super impedimento a jure communi statuto per modum legis particularis, puta pro determinata aliqua provincia vel etiam dioecesi. Cf. suprà, n. 429.

Quodsi soli S. Pontifici agnoscitur potestas *propria* dispensandi super impedimentis juris ecclesiastici, solet *Episcopis* seu *loci Ordinariis* (n. 752), potestas dispensandi ordinaria *vicaria* (2) concedi, vel potestas *delegata,* adeo ut tanquam auctores dispensationis matrimonialis veniant, praeter S. Pontificem, etiam Episcopi seu loci Ordinarii; imo etiam *simplicibus sacerdotibus* conceditur dispensandi potestas, saltem delegata, adeoque et ipsi recensendi sunt inter dispensationis auctores: de quibus variis auctoribus ex ordine est agendum.

ARTICULUS 1°. **De Romano Pontifice et SS. Congregationibus.**

746. Determinatur potestas dispensandi S. Pontificis,

I. Potestas **Summi Pontificis,** in dispensando super impedimentis matrimonii:

1° Sese extendit Pontificia potestas dispensandi ad omnia et singula impedimenta *juris ecclesiastici,* sive a praedecessoribus

(1) Practice, in oeconomia dispensationis, attenditur solus R. Pontifex, cum Concilium oecumenicum sese huie negotio de facto non immisceat.

(2) De notione potestatis ordinariae, propriae vel vicariae, cf. infrà, n. 753, ubi etiam de potestate delegata.

sive a canonibus Conciliorum aut Codicis quomodocumque constituta, idque tam in ordine ad matrimonium contrahendum quam in ordine ad matrimonium convalidandum. Hujusmodi sunt, inter *impedientia:* mixta religio, cognatio legalis; et inter impedimenta *dirimentia:* aetas, votum, in quantum constituit impedimentum dirimens, ordo, disparitas cultus, consanguinitas, infrà limites suprà delineatos, affinitas, cognatio spiritualis, publica honestas, raptus, crimen: quibus additur clandestinitas. Potestas namque dispensandi sequitur, uti praenotavimus, potestatem legem ferendi, ac eadem amplitudine sese extendit.

2° Quod spectat impedimenta *juris naturalis* et *divini:* non valet dispensare super impedimentis juris naturalis et divini *a facto hominis independentibus,* puta super impotentia vel consanguinitate in primo gradu lineae rectae; sed nihil obstat quominus, ex potestate ministeriali, dispensare (dispensatione latè dicta) valeat super quibusdam impedimentis jure naturali secundario vel divino sancitis *consequenter ad factum hominis:* hujus alterius speciei sunt impedimentum impediens voti, necnon impedimentum dirimens ligaminis ex matrimonio quod non sit ratum simul et consummatum (1).

Observa tamen Rom. Pontificem potestate, quam habet dispensandi super omnibus impedimentis, de facto non uti universim et pro tota ejusdem amplitudine, sed dari quaedam impedimenta in quibus dispensare quidem posset, sed in quibus nunquam vel vix unquam dispensat, dari etiam impedimenta in quibus nonnunquam quidem dispensat, sed in quibus dispensare non solet, quemadmodum notavimus suprà, in disputatione praevia, sub n. 715.

Nunquam etiam dispensat Ecclesia *in dubio* circa existentiam impedimenti *juris naturalis* aut *divini a facto hominis independentis,* sive dubium sit *juris,* uti obtinet cum consanguinitate lineae collateralis in 1° gradu vel lineae rectae ultra 1^{m} gradum, sive dubium sit *facti,* quemadmodum in casu proposito coram C. S. O., 6 Apr. 1906 (2).

747. et SS. Congregationum:

II. Solet S. Pontifex, ad dispensationes matrimoniales elargiendas, uti **SS. Congregatonibus** et **Tribunalibus** tamquam organis ordinariis gratias illas concedentibus. Nimirum, juxta novam

(1) Cf. suprà, n. 298 et n. 329, ubi ostendimus Ecclesiam posse, *ex potestate ministeriali,* dissolvere vota, adeoque prohibitionem nubendi exinde exsurgentem relaxare, posse etiam dispensare (dispensatione late dicta) super vinculo matrimonii quod non sit ratum simul et consummatum.

(2) *Collat. Brug.,* t. XII, p. 777 s., coll. suprà, n. 608 et n. 622. — Circa doctrinam S. ALPHONSI, *Theol. mor.,* l. VI, tract. VI, n. 1120, cf. WERNZ-VIDAL, o. c , n. 407, nota 29.

oeconomiam, Constitutione *Sapienti consilio* inductam (1), et in Codice expresse reassumptam, ad normam canonis 241, sequentes SS. Congregationes ad illud officium sunt deputatae:

pro foro interno,

A. **Pro foro interno:** competens est *S. Poenitentiaria,* cui pertinet, sicut antea, dispensare in foro conscientiae super omnibus impedimentis, tam impedientibus quam dirimentibus, quae, juxta dicta sub n. 466, veniunt sub designatione *impedimentorum fori interni,* attentis infrà dicendis sub n. 830 et 833 (2). Dispensat autem in foro tam sacramentali quam non sacramentali: dispensat scil. in foro sacramentali quando dispensat in forma commissoria, cum executore confessario; aliàs vero, in foro non sacramentali. Cf. suprà, n. 737.

B. **Pro foro externo:**

748.

et pro foro externo,

1° Super impedimentis *mixtae religionis* et *disparitatis cultus:* dispensat *S. Congregatio S. Officii,* tam pro regionibus et personis ritus orientalis quam pro regionibus et personis ritus latini (3).

2° Super *aliis impedimentis:*

a/ Pro regionibus et personis pertinentibus *ad ritus orientales:* dispensat *S. Congr. pro Ecclesia Orientali* (4).

b/ Pro regionibus et personis *ritus latini:*

α/ dispensat *S. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita:* super *voto castitatis,* respectu matrimonii contrahendi et contracti, quoad *sodales religiosos utriusque sexus,* tum sollemnibus tum simplicibus votis adstrictos, et ad eos qui, quamvis

(1) Cf. suprà, n. 429.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 426 ss., ubi determinatur potestas *judicialis* quae etiam competit S. Poenitentiariae in foro interno. — Circa fata Poenitentiariae ejusque competentiae in re dispensationis matrimonialis, cf. LEITNER, apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* t. LXX (1893), p. 418 ss.

(3) Can. 247, § 3, coll. can. 257. — Ipsa « sola cognoscit ea quae, sive directe sive indirecte, in jure aut in facto, circa privilegium, uti aiunt, Paulinum et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur »; adeoque dubia solvit quae circa illa negotia oriuntur quocumque ex capite; item dispensat super impedimento forte concurrente cum mixta religione vel disparitate cultus, uti notat TRIEBS, o. c., I, p. 164, consentientibus LEITNER, o. c., p. 306; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 408, nota 34. — Potest tamen S. Officium, uti *ibidem* additur, « quaestionem remittere ad aliam Congregationem vel ad tribunal S. R. Rotae ». Cf. Votum S. C. Consist., 15 Febr. 1910 et decr. C. S. O., 21 Junii 1912, apud A. A. S., II, p. 56 et IV, 443 s., coll. *Collat. Brug.,* XV, p. 251 ss. et XVII, p. 561 et 564.

(4) Codex, can. 257, § 2, disponit quod, « pro Ecclesiis ritus orientalis, haec Congregatio (pro Ecclesia Orientali) omnibus facultatibus potitur quas aliae Congregationes pro Ecclesiis ritus latini obtinent, incolumi tamen jure Congr. S. O., ad normam can. 247 », ubi vidimus, sub § 3, soli S. Officio reservari cognitionem de privilegio Paulino et dispensationem super mixta religione et disparitate cultus. In alium sensum statuerat S. Congr. Consistor., 12 Nov. 1908, apud A. A. S., I, p. 149 ss., coll. *Coll. Brug.,* XV, p. 252.

Additur, can. 257, § 1, competentiam hujus Congregationis extendi ad negotia matrimonialia *mixta,* « quae scilicet sive rei sive personarum ratione latinos quoque attingant », ita ut sufficiat unam partem ad ritum orientalem pertinere.

sine votis, in communi tamen vitam agunt more religiosorum (1).

β/ aliàs dispensat *S. Congregatio de disciplina sacramentorum,* seu *de sacramentis:* ad quam spectant dispensationes super reliquis impedimentis *fori externi,* tam pro pauperibus quam pro divitibus (2).

Ad illa proinde respective organa est recurrendum pro impetranda dispensatione. — Quod spectat obtinenda dispensandi indulta, cf. infrà, n. 769 ss.

749. Notanda.

Nota. 1. Si competentia S. C. de religiosis et S. C. de sacramentis, secus ac competentia S. Poenitentiariae et S. Officii, restringitur ad Ecclesias ritus latini, comprehendit tamen etiam regiones subjectas S. C. de Prop. Fide; haec scil., ad tramites can. 252, § 2, « tenetur ad competentes Congregationes deferre negotia quae ... attingunt causas matrimoniales » (3).

2. « Gratia (in specie dispensatio) ab una S. Congregatione vel Officio Curiae Romanae *denegata, invalide* ab alia S. Congregatione vel Officio (aut a loci Ordinario), etsi potestatem habente, conceditur sine assensu S. Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit » (4). Can. 43 (5). Additur, in eodem canone 43, hanc clausulam non attingere rescripta S. Poenitentiariae pro foro interno, ita ut, rejectis precibus in foro externo, recurri adhuc possit ad S. Poenitentiariam pro foro interno, absque consensu Dicasterii quod preces rejecit (6).

---

(1) Can. 251, § 3, coll. § 1; Constitut. *Sapienti,* I, art. 5°, n. 1, coll. *Coll. Brug.*, t. XIV, p. 375.

(2) Can. 249, § 2. Ad hanc S. Congr. spectant, non tantum dispensationes, sed etiam omnia quae decerni et concedi solent in disciplina matrimonii, uti sunt quaestiones de separatione conjugum, de legitimis natalibus et ita porro. — Juxta § 3, « ipsa cognoscit quoque et exclusive de facto inconsummationis matrimonii et de existentia causarum ad dispensationem concedendam », necnon de aliis negotiis connexis, facultate ipsi facta cognitionem horum omnium, si id expedire judicaverit, ad S. R. Rotam remittendi; « pariter ad eam deferri possunt quaestiones de validitate vinculi matrimonialis, quas tamen, si accuratiorem disquisitionem aut investigationem exigant, ad tribunal competens remittat ».

(3) Cf. *Normas pecul.*, cap. 1.

(4) Ut vitietur dispensatio, requiritur quod recurratur ad aliud Officium quam ad illud quod gratiam denegaverit; et nihil obstat quominus iterum recurratur ad Officium a quo repulsam quis est passus, nec etiam memoranda est praevia gratiae denegatio. Ut autem, in recursu ad aliud Officium, vitium non incurratur, nota non sufficere ut. in libello supplici, mentio inseratur denegationis ex parte prioris Officii, sed requiri hujus prioris Officii assensum.

(5) Cf. *Normas pecul.*, c. I, n. 2, coll. Regula Juris 84. — Can. 43 non irritat gratiam concessam ab una S. Congr., nisi postquam *denegata* fuit ab altera; *Normae Pecul.*, l. c., irritabant gratiam ab uno Officio concessam, postquam delatus fuit et *exceptus* supplex libellus ab alio Officio ad impetrandam illam gratiam.

(6) Norma etiam non attingit S. Pontificem, quatenus ipse posset gratiam, a SS. Congregationibus vel Officiis Romanis (aut ab Ordinario) rejectam, personaliter concedere valide, absque consensu de quo in can. 43. Adde nihil obstare quominus gratia, a loci Ordinario rejecta, a S. Congregatione vel Officio Romano validè concedatur absque dicti Ordinarii consensu. Cf. MAROTO, o. c., p. 321 s.; CAPPELLO, o. c., n. 274; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I, n. 126.

3. Circa subjectum habile ad impetrandam seu obtinendam dispensationis apostolicae gratiam, cf. infrà, n. 862.

4. Quod attinet *modum procedendi* in dictis Dicasteriis sequendum: S. Officium et S. Poenitentiaria consueto more procedunt; S. Congregationi vero de sacram. variae normae proponuntur observandae, quas describunt *Normae pec.*, C. VII, art. 3[1°] (1).

5. Quoad *formam* qua *a SS. Congregationibus* conceduntur dispensationes: tam pro foro interno quam pro foro externo passim conceduntur scriptò, non per vivae vocis oraculum, et quidem ad instantiam partium, adeoque *ope rescripti* (sive in forma brevis, sive in forma bullae, sive in forma simplicis rescripti seu epistolae) (2), non autem per *Motu proprio* (suprà, n. 741). Solet autem S. Sedes dispensare in forma commissoria; exceptionaliter vero dispensat in forma gratiosa, puta cum principibus. Cf. infrà, n. 861.

6. In decursu tractatus veniunt nomine Sedis Apostolicae vel S. Sedis, non solum R. Pontifex, sed etiam Congregationes, Tribunalia (in specie S. Poenitentiaria) et Officia. Can. 7.

750. Quid de facultatibus SS. Congregationum et Officiorum, Sede vacante.

Scholion I. Sede vacante: *S. Poenitentiaria* eadem potestate dispensandi fruitur quam habet Sede plena, ac etiam ultra procedere potest, ita ut dispensationes concedere valeat quas Sede plena concedere nequit, hoc tamen attento ut id non fiat nisi in urgenti casu, de consilio Majoris Poenitentiarii, et hac salva cautela ut oratoribus imponatur recursus, infra mensem, ad novum Pontificem, si fieri potest (3).

SS. Congregationes, ex sua parte, servant quidem facultates suas *ordinarias,* hisce applicata norma can. 207, § 1, et can. 73, coll. can. 66, § 1; sed « nullam potestatem habent in iis quae Sede plena facere et expedire non possunt nisi *facto verbo cum SS*[mo], vel *ex audientia SS*[mi], vel *vigore specialium et extraordinariarum facultatum* » (4);

(1) Concessio dispensationum matrimonialium, quae de plano concedi possunt nec obnoxiae sunt dubiis aut difficultatibus peculiaribus, ad plenam Congregationem seu plenum Conventum deferendis (n. 11), pertinet ad *Congressum,* seu coetum administrorum superiorum, Cardinalis scil. Praefecti et praelati a secretis cum tribus suis subsecretariis, et ita quidem ut dispensationes *minoris gradus,* a *Subsecretario dispensationum,* aut ab ejus adjutore, dispensationes vero *majoris gradus,* a Cardinali Praefecto aut a Secretario concedantur (n° 17).

(2) Coram S. Congr. de Sacram., « documento *forma Brevis,* redacto tamen in hujus Congregationis officio secreto, mittentur dispensationes ab impedimentis matrimonii cujusvis gradus, modò honestae naturae, si dispensationes ipsae sint majoribus obnoxiae taxationibus. Caeterae dispensationes documento mittentur *forma rescripti* » (simplicis). *Normae pec.*, c. VII, art. 3, n. 13. Cf. MAROTO, o. c., I, n. 338, ubi varias formas variorum illorum actuum fusè describit.

Quod spectat sensum formularum quae in responsis Romanis adhiberi solent, vide *N. R. th.*, 1911, p. 588 ss.; PERATHONER, *Der Geschaftsverkehr mit der Römischen Kurie,* apud *Th. Pr. Quartalschr.*, 1912, p. 744 ss.

(3) Can. 241, quem vidimus reassumpsisse dispositiones Constit. *Sede Vacante* Pii X, n. 16, coll. Bened. XIV, Constit. *Pastor Bonus,* §§ 51-55; CAPPELLO, o. c., n. 228.

(4) *Ibidem,* n. 24 et 23.

imo, quod spectat ipsas facultates ordinarias, mens est S. Sedis ut illis non utantur nisi in iis quae minoris momenti sunt, reservatis futuro Pontifici negotiis gravioribus et controversiis obnoxiis, in quantum solutio differri potest (1).

Scholion II. Quod spectat *ferias:* S. Poenitentiaria ferias non habet; et, si clausum est ejus officium diebus dominicis et festivis de praecepto, tamen, ubi urget necessitas, adiri possunt illius officiales privatim. SS. Congregationes feriis gaudent autumnalibus (a 20 Aug. ad 10 Octobris), praeter dies festivos de praecepto, et quosdam alios; sed providetur ut semper tractari possint negotia urgentiora, ac nullum unquam officium intermittatur (2).

751. Praecipuae multationes recens inductae.

Scholion III. Uti ex dictis liquet, non parum *immutata est,* inde a Curia reformata, oeconomia dispensationum quoad recursum instituendum ad S. Sedem. Penitus nempe ablata est dispensandi potestas Datariae Apostolicae, cui hucusque praecipue pertinebat munus dispensandi pro foro externo; item sua potestate destituuntur S. Congr. de P. Fide, Secretaria Brevium ac Congregatio pro negotiis extra-ordinariis; ulterius S. Poenitentiariae competentia restringitur ad *solum forum internum,* sublata potestate qua hucusque provisoriè gaudebat dispensandi pro foro externo cum pauperibus et quasi-pauperibus (3).

Salvo jure S. Officii ac S. Congr. pro Ecclesia Orientali, necnon S. Congr. negotiis religiosorum sodalium praepositae, nova Congregatio de disciplina sacramentorum sibi erogandas assumit omnes dispensationes matrimoniales *fori externi.*

Circa jus antea vigens cf. BANGEN, *Die Römische Curie,* Münster, 1854; HILLING, *Die Römische Kurie,* Paderborn, 1906; GRIMALDI, *Les Congrégations Romaines* (in Indice), Sienne, 1890; MONIN, o. c.

ARTICULUS 2^{s}. **De Episcopo et loci Ordinario.**

Praenotanda.

752. Quis veniat nomine Ordinarii.

1° *Ordinarius loci* stricte loquendo non idem sonat ac *Episcopus,* licet saepe indiscriminatim usurpatur utraque denominatio. Nimirum, in jure, nomine *Ordinarii loci* « intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter R. Pontificem, pro suo quisque territorio, Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus nullius, eorumque Vicarii generales, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, interim, ex juris praescripto aut ex probatis constitutionibus, succedunt in regimine » (4).

(1) *Ibidem,* n. 25.

(2) *Normae generales,* cap. V, coll. infrà, n. 836.

(3) Ex hac ultima mutatione, quatenus nunc ex eodem Officio procedunt dispensationes pro divitibus et pauperibus, hîc jam non est attendenda sollemnis distinctio inter *divites, pauperes* et *quasi-pauperes:* solummodò ejusdem ratio est habenda in determinanda taxa imponenda, de qua infrà, nec potest jam influxum habere in validitatem vel nullitatem dispensationis, uti explicitè monent *Normae communes,* c. XI, n. 3: « Utcumque tamen gratiae validitati nihil unquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem ».

(4) Can. 198, § 1, coll. Litt. encycl. C. S. O., 20 Febr. 1888. — Nomine *Ordinariorum*

753. *Distinctio inter potestatem Episcopi ordinariam et delegatam.*

2° Potestas dispensandi vel est *ordinaria* vel *delegata; ordinaria* est potestas quae jure adnexa est officio (197, § 1); *delegata* vero potestas est illa quae commissa est personae (ibidem); censetur autem commissa personae, si non adnectitur ipsi officio (licet concedatur intuitu officii), vel si officio non adnectitur a jure (1).

Porro potestas *ordinaria* est *propria,* si alicui a jure agnoscitur tanquam ipsi competens vi nativa muneris et officii sui; est *vicaria,* si ipsi, ultra id quod ipsi ex nativa muneris vi competit, conceditur a jure (2).

Potestas *delegata* vel est *delegata a jure* vel *delegata ab homine,* prouti in juris dispositione continetur delegatio facta, seu commissio personae data, vel conceditur ab homine (3). Cf. infrà, n. 799. Ulterius potestas delegata vel conceditur alicui, puta Ordinario, intuitu officii, et tunc dici posset *realis,* vel conceditur ratione ipsius personae ejusque peculiaris competentiae, seu, uti dicitur, ex industria personae, et tunc vocari potest *personalis* (4).

Quo pacto *ordinaria* censetur potestas, eaque *propria,* qua Ordinarius gaudet dispensandi in legibus propriis vel in legibus praedecessorum; ordinaria vero est, sed *vicaria,* illa potestas quam habet dispensandi in legibus a jure communi inductis. Priorem scil. potestatem habet in propriam, nativa vi muneris sui; alteram, intra determinatos limites, habet vi concessionis, explicite vel implicite (5) a superiore factae, non vero vi muneris, licet muneri stabiliter a jure sit adnexa: illam haurit ex alieno fonte, eamque alieno nomine,

---

qui non sunt Ordinarii loci, veniunt, ad normam can 198, § 2, *Superiores majores* (can. 488, n. 8) in religionibus clericalibus exemptis (quarum scil. plerique sodales sunt sacerdotes — can. 488, n. 4) *pro suis subditis.* — « *Ordinarii* ergo vocantur illi omnes qui, *ex jure communi,* potestatem ordinariam in foro *externo* habent... Vox *Ordinarius loci* supponit jurisdictionem certo territorio definitam ». Ita CLAEYS BOUUAERT-SIMENON, o. c., n. 352.

In nostra materia, uti patet, attenditur, nisi contrarium notetur, Ordinarius loci, ad exclusionem Ordinarii, qui non sit Ordinarius loci; ideo in sequentibus, etiam ubi ad vocem Ordinarii non additur « loci », subintelligitur. — Circa originem denominationis Ordinarii, cf. VERMEERSCH, apud *Periodica,* XIII, p. (1) ss.

(1) Ex notione apparet ad potestatem ordinariam duo simul requiri: quod adnectatur *officio,* quodque officio adnectatur *a jure;* si alterutrum deficit, potestas est delegata. Cf. TOSO, o. c., ad can. 197.

(2) Notio potestatis ordinariae propriae et vicariae illico applicabitur dispensandi potestati, Ordinariis competenti. Etiam ad ordinariam vicariam accedit potestas dispensandi (dispensatione late dicta), quam S. Pontifici agnoscimus (n. 279, n. 329 et n. 747) super voto et ligamine, quamque potestatem ministerialem vocavimus seu instrumentalem. Cf. MAROTO, o. c., n. 304.

(3) Quod delegatio dicatur esse *a jure,* « non hoc videtur significare quod ipsum jus sit delegans, cum potius delegans habendus sit juris conditor..., sed id innuitur nempe delegationem in jure esse contentam ». MAROTO, o. c., n. 705, sub B.

(4) Cf. MAROTO, o. c., n. 705; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 368, coll. DE MEESTER, o. c., I, n. 456, ubi notat censeri personam ex industria electam, sive implicitè, dum agitur de causa peculiariter ardua, sive explicitè (saltem regulariter) dum in concessionis tenore occurrunt haec vel similia verba: per teipsum, personaliter, tuis manibus, perspecta tua prudentia.

(5) *Implicitè* conceditur Ordinariis dispensandi potestas quando in lege additur: dispensari posse, aut lex urgetur « nisi dispensatum fuerit »: quo casu implicite censetur concedi dispensandi potestas Ordinariis.

Superioris scil. illam concedentis vice, exercendam accepit. Ita ceu ordinariam vicariam habemus potestatem super impedimentis matrimonialibus dispensandi, quam habent Ordinarii, vi can. 1043 et 1045 (1).

Contrà *delegata* est potestas, eaque ab homine, quae Ordinario conceditur in variis indultis, de quibus infrà, n. 770; est autem potestas delegata realis, seu concessa intuitu officii, cum non sit concessa individualiter et personaliter personae talis nominis et cognominis, sed omnibus qui veniunt nomine Ordinarii Brugensis, vel omnibus Ordinariis Belgii, et ita porro (2).

Observa 1. Potestas dispensandi delegata ulterius distingui posset in dispensandi potestatem *habitualem* seu generalem, concessam scil. in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum (can. 66, § 1), et potestatem dispensandi *in casu particulari*. Atvero, attentis notionibus, sub n. 740 propositis, potestas dispensandi in casu particulari confunditur cum concessione dispensationis in forma commissoria cum executore voluntario. Ideo ubi in sequentibus agetur de potestate dispensandi, prae oculis habebimus, nisi contrarium dicatur aut ex contextu appareat, potestatem habitualem seu generalem. Cf. infrà, n. 779.

2. In sequentibus describendi sunt limites potestatis dispensandi utriusque speciei (ordinariae scil. ac delegatae), indicando primò *objectum* potestatis, secundò determinando *naturam* potestatis et tertio *subjectum* potestatis, activum et passivum, ac tandem quartò, enuntiando *principia* interpretationis necnon *principia* potestatis exercitium moderantia.

---

(1) Cf., in eumdem sensum, WERNZ-VIDAL, o. c., V, n. 411; TRIEBS, o. c., I, p. 166, coll. p. 174; CLAEYS BOUÜAERT, *Tract. de legibus*, 1924, n. 117, coll. tamen CLAEYS BOUÜAERT-SIMENON, o. c., n. 351; MAROTO, o. c., I, n. 696 ss., signanter p. 829. Alii, uti VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, I, n. 277; DE MEESTER, o. c., n. 444; TOSO, o. c., ad can. 197, potestatem dispensandi a jure adnexam officio episcopali, quin ipsi competat nativo jure, potius vocant potestatem ordinariam *derivatam;* ordinariam vero *vicariam* dicunt illam quae jure adnectitur officio Vicarii generalis, utpote quae potestas vice et nomine alterius exercetur, sub vigilantia speciali Superioris, dum potestas Episcopi exercetur nomine proprio. Accedit etiam HILLING, *Das Personenrecht des Codex J. C.*, Paderborn, 1924, p. 87 s. Quae controversia practicum momentum non habet, cum potestati ordinariae, sive propriae sive derivatae (sensu indicato) sive vicariae (in utraque acceptione), eadem principia et normae juris applicentur.

Dantur etiam Auctores qui potestatem, can. 1043 et 1045 agnitam Ordinariis locorum, habent non pro potestate ordinaria, sed pro potestate *delegata a jure*. Ita FUSTER, apud *Jus Pontificium*, 1923, p. 44 s., juxta *Razon y Fe;* OJETTI, apud *Gregorianum*, 1925, p. 436 ss.; *Rev. eccl. de Metz*, 1923, p. 72 s., collata tamen p. 266. Cf. infrà, n. 795.

(2) Attentis notionibus praemissis, potestati Ordinariis vi indulti concessae duplici titulo deneganda est indoles potestatis ordinariae: primò, quia non adnectitur ipsi officio, et secundo, quia non conceditur a jure.

Paragraphus Prima. *De objecto potestatis Ordinarii.*

Punctum I. Objectum potestatis ordinariae.

754. Ordinarius loci nihil potest ex potestate ordinaria propria.

Attentis notionibus sub n. 753 propositis et principiis enuntiatis sub n. 745, nulla, sub praesenti oeconomia (1), Episcopo seu loci Ordinario competit, uti, sub eodem n. 745, jam asseruimus, potestas *ordinaria propria* dispensandi super impedimentis matrimonii (2), sed potestas *ordinaria vicaria* dumtaxat: potestas scil. quam non habet vi nativa muneris sui, sed quae ipsius muneri adnectitur ex concessione S. Sedis, sive explicita sive implicita.

755. Ex potestate ordinaria vicaria:

En autem *objectum* potestatis *ordinariae vicariae:*

I. Quoad **impedimenta dubia.**

1º Dispensare potest super impedimentis dubiis,

In dubio facti, potest Ordinarius dispensare, tam in ordine ad matrimonium convalidandum, quam in ordine ad matrimonium contrahendum, super quovis impedimento, sive dirimente sive impediente, publico vel occulto, modò sit impedimentum *juris ecclesiastici* super quo *solet S. Sedes dispensare.* Can. 15 (3). Excipiuntur proinde, praeter impedimenta juris naturalis et divini, impedimenta affinitatis in linea recta, consummato matrimonio, necnon ordinis presbyteralis (can. 1043, et infrà, n. 761), ac etiam, juxta notata sub n. 714, ordo infra presbyteratum, votum sollemne, raptus, aetas, crimen ex conjugicidio publico, necnon affinitas in linea recta ex non consummato matrimonio (4); deneganda etiam est potestas dispensandi super forma juridica (can. 1045, coll. n. 764) (5).

---

(1) Historicam evolutionem juris in hac re cf. apud STIEGLER, o. c., p. 312 ss.; BRAUDHUBER, o. c., p. 26 ss., ubi exponitur quomodo S. Sedes potestatem dispensandi successivè sibi reservaverit. Cf. suprà, n. 429. Quomodo deinceps Episcopis accesserit potestas ordinaria (quasi-ordinaria nuncupata) circa impedimenta occulta, intra limites (sub n. 764, in nota, et hic in nota 5) describendos, exponit VILLIEN, apud *Canon. Contemp.*, 1903, p. 554 ss.

(2) Potestate ordinaria propria potest Episcopus dispensare super vetito particulari, ab ipso inducto; sed hujusmodi vetitum non constituit impedimentum matrimonii. Cf. suprà, n. 463 et n. 476, coll. n. 486, necnon n. 429, in nota.

(3) Cf. solutionem casus practici, apud *Ami du clergé,* 1926, p. 428 s.

(4) Super hac impedimentorum ultima serie potest quidem Ordinarius dispensare in periculo mortis vel casu urgente; sed id valet non vi can. 15, sed vi can. 1043 et 1045, idque etiam ubi impedimenta sunt certa.

(5) Jam *ante Codicem,* passim admittebatur Episcopum ex potestate ordinaria, vi praesumptae voluntatis S. Sedis (quasi-ordinaria nuncupata), posse dispensare super impedimentis dubiis dubio facti; sed a multis auctoribus restringebatur illa potestas ad impedimenta *occulta,* ita ut in dubio facti circa impedimentum publicum practice suaderetur recursus ad S. Sedem.

Circa illam potestatem Episcopi ejusque extensionem interrogata S. C. C., anno 1852, remittebat ad probatos Auctores; favebat autem decretum C. S. O., 3 Aug. 1873 (*N. R. th.,* XV, p. 399), siquidem, controversiam de potestae quasi-ordinaria Episcopi limitando ad impedimenta *certò* existentia, non obscure innuebat Episcopum habere potestatem super impedimentis dubiis.

756. dubio facti;

Dicitur: in dubio *facti,* quia, uti vidimus sub n. 472, juxta eumdem can. 15, in dubio juris, impedimenta juris ecclesiastici non urgent. — Dubium facti est, si dubitetur utrum sponsi sint consanguinei v. gr. in tertio gradu, utrum sint affines, utrum sponsus validè susceperit sponsam, et ita porro.

Si, postquam Ordinarius impedimentum facto dubium dispensaverit, impedimentum evadat certum, uti efficaciter remotum haberi debet.

757. 2° super impedimentis certis :

II. Quoad **impedimenta certa:**

a/ in periculo mortis,

A. **In periculo mortis,** possunt locorum Ordinarii, vi can. 1043, ad consulendum conscientiae, et, si casus ferat, legitimationi prolis, dispensare « tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super *omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici,* sive *publicis* sive *occultis,* etiam *multiplicibus,* exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate licita in linea recta, consummato matrimonio ».

Explicatio.

1° Potestas dispensandi cum periclitantibus, quae olim censebatur concessa tanquam delegata, nunc intelligitur esse potestas *ordinaria,* utique vicaria.

Hucusque nempe competebat Ordinariis potestas dispensandi in periculo mortis, tum vi indulti Leonis XIII (cf. Litt. encycl. C. S. O., 20 Febr. 1888), tum vi indulti Pii X (decr. S. C. de Sacr., 14 Maii 1909, apud A. A. S., I, p. 468 s., coll. *Collat. Brug.,* XIV, p. 442 s.), dispensandi potestatem indulgentis, positis ponendis, omnibus sacerdotibus.

Ex eo quod praesens potestas sit potestas ordinaria, hujus normas sequitur pro delegatione danda, de quibus infrà; facultas autem Leonina non poterat, juxta declarationem C. S. O., 9 Jan. 1889 (*Collectan.,* n. 1472), delegari habitualiter nisi solis parochis.

758. in quo dispensare potest etiam cum non aegrotis et non concubinariis,

2° Dum facultas Leonina limitabatur ad solos aegrotos concubinarios, i. e. civiliter junctos aut alias in concubinatu viventes (decr. C. S. O., 17 Sept. 1890, apud *Collectan.,* n. 1475), extenditur praesens potestas, ad normam facultatis Pianae, ad *omnes* periclitantes etiam *non aegrotos,* quorum scil. mortis discrimen oritur ex causa extrinseca, puta ex capitis damnatione, ex praelio instante aut ex operatione chirurgica periculosa, necnon et ad *non concubinarios* (1).

(1) Quod facultas Piana extenderetur ad moribundos etiam non concubinarios, id constat declaratione S. C. de Sacr., de die 16 Aug. 1909. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 562 s.

759. *supposita ratione consulendi conscientiae aut legitimandi prolem,*

Ad validum facultatis exercitium, satis est et requiritur, posito periculo mortis, ut matrimonium sit contrahendum ob unam alteramve disjunctive causam: sive a/ *ad consulendum conscientiae,* i. e. quando alteruter nupturiens obligationem conscientiae contraxit nubendi, puta quia aliter removeri nequit occasio peccandi, vel quia sponsus puellam seduxit sub promissione matrimonii, vel quia aliter quam per matrimonium non potest famae consulere complicis (1); sive b/ *ad consulendum legitimationi prolis,* natae vel nascendae, ut nempe per subsequens matrimonium legitimetur proles nata (2), vel legitima exinceps nascatur.

Notetur etiam non referre quod impedimentum dispensandum afficiat partem non periclitantem, quemadmodum S. C. O., 1 Julii 1891, expresse declaravit pro interpretatione indulti anni 1888 (3). Pariter non refert quod necessitas consulendi conscientiae afficiat partem non periclitantem.

760. *etiam sepositа casus urgentia,*

3° Dum facultas Leonina restringebatur ad casum urgentem, quo nempe tempus Ordinario non suppetebat recurrendi ad S. Sedem, facultas autem Piana limitabatur ad casum quo, ad normam art. VII Decreti *Ne temere,* coram duobus testibus matrimonio assistere poterat quivis sacerdos, praesens potestas extenditur ad *quemcumque* casum, *etiam non urgentem,* adeoque et exerceri quoque potest quando praesto est Ordinario tempus adeundi S. Sedem (4). Etiam non requiritur articulus mortis, sed periculum dumtaxat mortis, quod sufficit probabile.

---

(1) Non desunt Auctores qui, ulterius, imo forte aequo latius, procedentes, descriptae facultatis usum permittant etiam in casu quo contingit « aegrotum auctorem fuisse damni materialis, quod, attenta lege regionis, per jus viduae acquisitum melius reparetur, vel posse per nuptias diuturnum extingui odium inter familias, vel impediri quominus patrimonium in malos impendatur usus ». Ita VERMEERSCH, *Ne temere,* n. 73, et *Theol. Mor.,* III, n. 758, quem sequitur VLAMING, o. c., n. 401 (II, p. 24), necnon *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 78.

(2) Attinguntur directè proles *naturales,* utpote quas sponte legitimat matrimonium subsequens; attinguntur etiam indirecte proles *spuriae,* non sacrilegae nec adulterinae, siquidem Ordinarius, dispensans vi potestatis praesentis, eo ipso legitimat prolem spuriam non adulteram nec sacrilegam. Cf. can. 1051, coll. infrà, n. 786. — Non posset proin, ut nobis videtur, adhiberi haec facultas ad consulendum legitimitati prolis sacrilegae vel adulterinae, utpote quae per concedendam dispensationem non legitimantur. In hunc sensum, cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 413; VLAMING, o. c., n. 401; LEITNER, o. c., p. 324; GENICOT-SALSMANS, *Casus consc.,* ed. 5ª, casus 1077. In aliam potius partem inclinant CAPPELLO, o. c., n. 232; CHELODI, o. c., n. 41, ex eo quod, celebrato matrimonio, facilius obtinenda speratur legitimatio per rescriptum Pontificis.

(3) *Collectan.,* n. 1476. Ita dispensari posset cum puella periclitante et diacono vel cum sollemniter professa et juvene periclitante.

(4) Dicitur quidem in tenore canonis 1043: *urgente* mortis periculo; sed haec expressio, seorsim sumpta, non videtur importare, attento loquendi usu, periculi imminentiam, nisi aliud indicet contextus: hujusmodi determinatio occurrebat in tenore indulti Leonini, omittitur autem in can. 1043, et quidem, ut videtur, consultò, cum eam habuerit schema provisorium. — Alii, uti LEITNER, o. c., p. 324; BLAT, o. c., n. 435; *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 77, restringunt potestatem Ordinarii ad mortis periculum *urgens,* ita ut tempus ad S. Sedem recurrendi desit. Nobis consentit CAPPELLO, o. c., n. 232, sub littera h/; VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* III, n. 758; TRIEBS, o. c., p. 168, ac SCHÄFER, o. c., p. 103.

761. super omnibus impedimentis juris ecclesiastici, exceptis duobus,

4° Quod spectat *ambitum potestatis:* potest dispensari super forma celebrationis (1), necnon super *omnibus* impedimentis matrimonii, quae sunt *juris ecclesiastici* (2), sive sint *publica* sive *occulta,* sive fori externi sive fori interni, sive sint *dirimentia* sive *impedientia* (3), etiam *cumulative* (4). Sola excipiuntur duo impedimenta: impedimentum scil. ordinis presbyteralis et affinitas in linea recta, consummato matrimonio (5).

Attenta etiam tenoris generalitate, valet concessa potestas ad dispensandum tam in ordine ad matrimonium *convalidandum,* quam in ordine ad matrimonium *contrahendum* (infrà, n. 780). Excluditur vero *sanatio in radice,* utpote quae, attento can. 1141, *reservatur soli Apostolicae Sedi.*

762. servatis cautelis servandis.

5° Quod attinet *cautelas* observandas, imponitur, in tenore can. 1043, ut a/ removeatur scandalum, si quod sit, utque b/, si dispensetur super cultus disparitate aut mixta religione, non dispensetur nisi praestitis cautionibus, de quibus respective suprà, sub n. 590 et 504 s.: quae cautiones ad ipsam dispensationis validitatem videntur servandae (6).

---

(1) Ita dispensari posset super praesentia parochi vel sacerdotis delegati, v. gr. si graves difficultates timentur ex lege civili circa anterioritatem matrimonii civilis, difficultates quae, in Belgio, minus timendae jam sunt inde a moderatione in legislatione inducta, anno 1909. Cf. suprà, n. 456.

(2) Profectò excluduntur impedimenta juris naturalis aut divini, etiam illa quae probabiliter tantum a jure naturali aut divino urgentur. In specie, quod spectat consanguinitatem, cf. suprà, n. 607, coll. can. 1076, § 3, et n. 755 s.

(3) Facultates Leonina et Piana ab ambitu suo excludebant impedimenta *prohibentia,* adeo ut, vi illarum facultatum, non potuerit dispensari super mixta religione nec super voto simplici castitatis reservato; nunc autem comprehenduntur haec impedimenta in potestate ordinaria, de qua hic. — Olim aliud remedium non erat contra impedimenta impedientia quam ut, in urgente necessitate, declararetur impedimentum ex epikeia cessare.

(4) Cf., praeter tenorem can. 1043, dispositionem can. 1049, § 2.

(5) Consummatio matrimonii debet accedere impedimento affinitatis, quod, in praesenti disciplina, oritur ex matrimonio non consummato. Evidenter supponitur incisum « consummato matrimonio » afficere *solum* impedimentum affinitatis, neglecta controversia de qua apud OESTERLÉ-BRENNINKMEYER, o. c., p. 21 ss., coll. AUGUSTINE, o. c., p. 100 s.: quatenus incisum illud afficere posset totum canonem, seu potius principalem ejusdem propositionem, ita ut sensus canonis esset Ordinarium posse, in articulo mortis, super omnibus impedimentis, praeter duo excepta, dispensare, *modò agatur de matrimonio consummato.*

Ante matrimonii consummationem, affinitatis impedimentum dispensari potest etiam in linea recta; ideo autem videtur facilius concedi posse dispensatio, quia, seposita matrimonii consummatione, non est timendum ne vir nubat propriae proli.

Quodsi matrimonium ex quo ortum habet affinitas, puta inter sponsum A et B, matrem sponsae C, non fuerit quidem consummatum, sed si, ante matrimonium, A et B copulam inter se habuerint illicitam, eamque nativitati sponsae C anteriorem, obstat canon 1076, § 3, quominus matrimonium permittatur inter A et C ineundum: juxta declarationem Commiss. Codicis, apud A. A. S., 1918, p. 346, collatis tamen dictis suprà, in nota ad n. 622.

Nota etiam ex requisita circumstantia consummati matrimonii exceptionem factam in can. 1043 correspondere exceptioni insertae in indulto anni 1888, cum affinitas praesentis juris, consummato matrimonio, confundatur cum affinitate licita anterioris juris.

(6) Hoc attento quod explicitè urgetur cautelarum consuetarum observatio, non posset Ordinarius absque cautelis servatis *validè* dispensare super mixta religione aut disparitate cultus, licet id a S. Sede fieri contingat, casu nempe quo, supposita bona

Ad remotionem scandali speciatim attendendum est quando dispensatur cum subdiaconis, diaconis vel sollemniter professis, pro casu quo postea forte convaluerint, circa quem casum sedulò monebat decretum anni 1888, suggerens inducendos illos esse « ut in loca se conferant ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur », vel, si id obtineri nequeat, illis injungenda esse « spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum » (1).

Nota. Quod spectat personas cum quibus dispensari possit, cf. infrà, ubi de subjecto potestatis Ordinarii. Cf. etiam infrà, ubi de natura potestatis (n. 771), circa forum pro quo usurpari potest descripta dispensandi potestas.

B. **Extra periculum mortis:**

763. b/ Extra periculum mortis:

a/ in casu urgenti;

1° **In casu urgenti,** potest loci Ordinarius dispensare super omnibus impedimentis, modò descriptis, super quibus dispensare valet in periculo mortis; non vero probabilius super forma contractus. Can. 1045, § 1.

Porro *casus urgens* intelligitur adesse 1. in ordine ad matrimonium *contrahendum,* si « impedimentum detegatur cum jam omnia sint parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur » (can. 1045, § 1); 2. in ordine ad matrimonium contractum *convalidandum,* « si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem ». Can. 1045, § 2 (2).

Explicatio.

a/ Concessio specialis, de qua can. 1045, applicatio est et determinatio concessionis generalis insertae in can. 81, quo canone

---

fide partis catholicae, cautelas observare renuit pars acatholica vel infidelis (cf. suprà, n. 504, coll. n. 508, 515 et 591).

In hunc etiam sensum cf. TRIEBS, o. c., p. 169; CHELODI, o. c., n. 41; LEITNER, o. c., p. 326; favet etiam WERNZ-VIDAL, o. c., n. 413. Non desunt tamen Auctores qui censeant, in casu, illicite quidem sed *validè* dispensari ab Ordinario, solis adhibitis cautelis jure divino requisitis, quando consuetae cautiones obtineri nequeunt. Ita CAPPELLO, o. c., n. 232; CERATO, o. c., n. 35; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II, n. 306; VERMEERSCH, *Theol. Mor.,* III, n. 758, qui hoc minus ex praesenti facultate colligendum docet quam ex can. 81, « quo, ubi in mora est periculum gravis damni, Ordinarius ad mentem S. S. dispensare permittitur ». Ad quod reponi potest generalem concessionem canonis 81, in quantum concessio illa hic sit invocanda, applicari et taxative determinari, quod spectat casum periculi mortis, per canonem 1043, cujus proinde conditiones sunt observandae. Cf. mox notanda sub n. 763.

(1) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 413. — In eodem indulto mens esse dicebatur S. Sedis, ut Ordinarii de impertita dispensatione super ordine vel voto sollemni C. S. O. certiorem facerent. Canon vero 1043 de hac cautela observanda silet, adeoque jam non est attendenda.

(2) In determinanda casus urgentia, attenditur sola possibilitas recurrendi *ad S. Sedem;* abstrahitur scil. a possibilitate recursum instituendi ad *Nuntium* seu Internuntium, de quo infrà, sub n. 770ter.

agnoscitur Ordinario dispensandi potestas, si « difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet ».

Generalis illius concessionis applicatio, respectu dispensationis matrimonialis, intelligenda videtur *taxativè,* adeo ut potestas dispensandi, in casu urgenti, super impedimentis matrimonii extendi nequeat ultra limites canonis 1045, utque adamussim servandae sint restrictiones in canonis tenore allatae necnon cautiones seu cautelae ibidem impositae, de quibus sub c/ (1): qui caeteroquin limites adeo ampliantur ut vix, in re dispensationis matrimonialis, ulterius extendi posset generalis concessio facta (2).

764. in quo dispensare potest super iisdem ac in mortis periculo impedimentis, exceptа, probabilius, forma contractus,

b/ Quod spectat *ambitum potestatis,* extenditur ad omnia impedimenta sub n. 761 indicata, attenta duplici exceptione ibidem facta; quocirca nota eam potestatem extendi etiam ad impedimenta quantumcumque publica seu fori externi, tam dirimentia quam impedientia (3), idque tam in ordine ad matrimonium convalidandum (non tamen per sanationem in radice) quam in ordine ad matrimonium contrahendum (can. 1045, § 2). *Excluditur* autem, juxta plerosque, potestas dispensandi super forma contractus (4).

---

(1) Non auderemus, cum CAPPELLO, o. c., n. 234, asserere quod « si singulae (conditiones can. 1045, § 1) non verificentur, ex. gr. si omnia non sint parata ad nuptias, et gravissima causa urgeat ut matrimonium celebretur, item dispensare valet (Ordinarius) ad normam can. 81 ».

(2) Latius etiam patet concessio particularis can. 1045 quam concessio generalis can. 81, cum haec restringatur ad dispensationes quae a S. Sede concedi solent, nec adeo extendi posset v. gr. ad dispensationem super diaconatu, super aetate et raptu, quae rarò conceditur a S. Sede, et in canone 1045 non excluditur. Cf. suprà, n. 755 et n. 715, coll. *Ephem. theol. Lovan.,* 1925, p. 58 s.

(3) Ante Codicem, agnoscebatur Episcopo potestas ordinaria, ex praesumpta S. Sedis voluntate (quasi-ordinaria dicta), dispensandi in casu urgenti, tam pro contrahendo matrimonio quam pro convalidando, super impedimentis juris ecclesiastici, in quibus dispensare solebat Ecclesia. Sed limitabatur potestatis exercitium — et quidem ex vix non unanimi consensu — ad impedimenta *occulta.* Insuper, ad dispensandum in ordine ad matrimonii convalidationem, solebant auctores exigere quasdam conditiones verificandas, signanter ut matrimonium fuerit bona fide, ex alterutrius saltem parte, initum, utque fuerit coram Ecclesia celebratum. Cf. infrà, n. 785bis.

(4) Ratio est quia, dum in can. 1043 expresse memoratur potestas dispensandi super forma contractus, praeter potestatem dispensandi super impedimentis, contrà, in can. 1045, § 1, limitatur facultas ad dispensandum super impedimentis, non memorata facultate dispensandi super forma matrimonii. — Posset tamen forte reponi quod facultas dispensandi super omnibus impedimentis contineat potestatem dispensandi super forma, quatenus clandestinitas non excludatur a censu impedimentorum matrimonii (licet sub cap. IV, De impedimentis dirimentibus, non veniat), siquidem in *Indice,* ad Codicem adnexo, pro enumeratione impedimentorum dirimentium, remittitur ad can. 1094, ubi memoratur clandestinitas (suprà, n. 106 et 463). Quidquid sit, plerique Auctores, uti dictum est, favent sententiae severiori; ita TESSENS, *Vie Diocésaine,* 1920, p. 341; GILLMANN, *Spender...* — Beilage I, p. 41, ubi etiam provocat ad oppositionem inter can. 1133 et 1135 ex una parte et can. 1137 ex alia parte; PRÜMMER, *Th. Pr. Quartalschr.,* 1920, p. 597; HÖLLER, ibidem, p. 409; TRIEBS, o. c., p. 169; SCHÄFER, o. c., p. 105; CAPPELLO, *Gregorianum,* 1921, p. 125; et o. c., n. 233; SCHAEPMAN, apud *Ned. kath. Stemmen,* 1923, p. 20; HARING, o. c., p. 12; CERATO, o. c., n. 37; SALSMANS, *Pastor bonus,* 1921, p. 126; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* n. 350; *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 242; CHELODI, o. c., n. 41. — Aliter tamen censent DURIEUX, *Le Mariage,* n. 167; VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 755; OESTERLÉ-BRENNINKMEYER, o. c., p. 36 s. Etiam BOUDINHON, *Rev. du cl. fr.,* XCII, p. 107, dicit quod Ordinarius, in casu urgenti

c/ Quod attinet *cautelas,* easdem observandas monet can. 1045, quae inseruntur in fine can. 1043, et modò suprà sunt propositae, sub n. 762 (1). *ac iisdem sub cautelis;*

765. *détermina-tur casus ur-gens.*

d/ Quod spectat *casus urgentiam:* ut obtineat, respectu matrimonii *contrahendi,* requiritur et sufficit ut primò, momento detecti impedimenti, jam omnia parata sint ad nuptias, et simul ut secundò, sine probabili gravis mali periculo, matrimonii celebratio differri nequeat usquedum dispensatio Romana fuerit obtenta (2); ut autem obtineat, respectu matrimonii *convalidandi,* opus est et satis ut grave malum timeatur oriundum ex matrimonii convalidationis dilatione, usquedum dispensatio apostolica obtineatur.

Periculum proinde sufficit *probabile,* periculum, inquam, *gravis mali.* Quod malum, cum ejus natura non determinetur, intelligitur *qualecumque:* non tantum igitur infamia vel scandalum, cujus periculum facilè orietur in casu impedimenti occulti, aut in casu nullitatis matrimonii occultae, sed etiam incommodum grave alterius speciei, sive partes afficiat sive tertiam personam (3).

Ita, quod spectat matrimonium *contrahendum,* obtinere potest casus urgentia, in supposito quod omnia sint ad nuptias parata, coram periculo gravis incommodi exsurgendi ex eo quod impedimentum natura publicum detegatur immediatè ante nuptiarum sollemnitatem, quodque nupturientes sint in alienam regionem brevi discessuri aut in dilationem consentire renuant, matrimonium merè civile contracturi. Item, quod spectat matrimonium contractum *convalidandum,* obtineret casus urgentia, non modò quando, sup-

---

eadem facultate gaudet ac in periculo mortis. Sperare licet ut S. Sedes interpretationem authenticam proponat; interea autem severiorem sententiam habemus uti magis fundatam.

(1) CAPPELLO, o. c., n. 233, censet hîc, in casu urgente, cautiones consuetas pro dispensatione mixtae religionis vel disparitatis cultus exigendas esse, secus ac in periculo mortis, *ad valorem.* Item VERMEERSCH, l. c. — Contrà CERATO, o. c., n. 37. Cf. modò suprà, ad n. 762.

(2) Altera conditio est distincta a priori, nec est habenda uti priori aequivalens, quasi eo ipso quod omnia sunt ad nuptias parata, dilatio sit moraliter impossibilis. Ex alia parte, non sufficit impossibilitas differendi matrimonium, nisi simul omnia sint ad nuptias parata: et sic casus urgens non obtineret si ideo urget necessitas matrimonii celebrandi, quia nupturientes ex improviso debent ad alienam regionem profiscici, quin omnia sint ad nuptias parata, imo quin forsan de matrimonio ineundo jam inter se convenerint. Cf. infrà, n. 770, in notandis ad indultum S. C. de Sacr. — Ad hoc autem ut omnia censeantur ad nuptias parata, sufficit ut dies fuerit statutus, aut invitationes sint missae, aut banna coeperint proclamari.

Contra scripsit *Il Monitore eccles.,* 1925, p. 297 ss., ubi contendit Ordinarium, vi can. 1045, § 1, posse dispensare quotiescumque deficit tempus recurrendi ad S. Sedem, quin attendendum sit ad hoc utrum omnia parata sint ad nuptias, modò grave incommodum sit in differendo matrimonio, a. v. sufficere solam differendi matrimonii impossibilitatem usque dum recurratur Romam. Equidem optanda esset hujusmodi casus perplexi solutio; sed, quousque praesens tenor servatur, non videtur posse admitti. Caeterum rarò continget urgentia extra casum quo omnia existant ad nuptias parata.

(3) In casu matrimonii convalidandi, malum timendum saepe erit incontinentiae periculum, supposita separationis impossibilitate.

posita matrimonii nullitatis ignorantia et cohabitationis fraternae per plures dies protrahendae impossibilitate (1), separatio pseudo-conjugum absque periculo scandali vel infamiae fieri nequit; sed etiam obtinere potest in hypothesi nullitatis publicè notae: facile nempe continget quod pseudo-conjuges, ex una parte, separationem instituere, per tempus pro recursu Romano necessarium, vel renuant, vel sine gravi incommodo nequeant, quodque, ex alia parte, sine populi offensione, cohabitare non possint.

Tempus pro recursu ad S. Sedem requisitum practice importat, in nostris regionibus, spatium duarum circiter hebdomadarum (2).

Attende quod, ad normam resp. Commissionis pro interpret. Codicis, 1 Martii 1921 (A. A. S., XIII, p. 177 s.), ad 4^{m}, clausula: « quoties impedimentum *detegatur* cum jam omnia sunt parata ad nuptias » intelligi non debet stricto sensu, quatenus scil. impedimentum antea omninò ignotum fuerit et tunc primum resciatur, sed potius eo sensu quod, quamvis antea cognitum, v. gr. sponsis, tunc solùm ad notitiam parochi aut Ordinarii sit delatum (3).

Pariter observa quod si, pendente recursu Romano, urgens casus oriatur, i. e. quod, omnibus ad nuptias paratis, imminens periculum exoriatur gravis mali, facultate sua uti posse videtur Ordinarius, monita S. Sede, ad normam can. 204, § 2 (4).

766. Nota practica. *Nota* 1. Si posset Ordinario agnosci, *in casu urgenti,* potestas dispensandi super impedimento clandestinitatis, non raro adesset possibilitas vitandi difficultates oriri natas ex lege anterioritatis obligatoriae matrimonii civilis, quin recurratur ad applicationem can. 1098, de qua suprà, sub n. 135-137 et n. 460.

Nimirum, si ex una parte urgeret necessitas matrimonii ineundi, quin tempus sit adeundi S. Sedem, et, ex alia parte, a lege civili prohiberetur matrimonii canonici celebratio, quia matrimonium civile praemitti nequit, nihil obstaret, in dicta hypothesi, quominus Ordinarius, utens descripta potestate dispensandi in casu urgenti, dispenset super clandestinitate, permittens ut matrimonium celebretur coram testibus, absque sacerdote. Cf. modò supra, n. 761.

2. Circa personas quae dispensari possunt et circa naturam potestatis concessae, agetur infrà, sub paragr. 3^{1a} respective et 2^{a}.

---

(1) Cohabitationis fraternae difficultas augetur si, dum una pars est nullitatis conscia, altera eam ignorat et moneri nequit. Cf. suprà, n. 723.

(2) Non attenditur nisi recursus normali via instituendus, et sic non est ratio habenda possibilitatis recurrendi via telegraphica vel telephonica. *Pont. Comm. Codicis,* 12 Nov. 1922, ad V, apud A. A. S., XIV, p. 662 s.

(3) Non est improbabile Ordinarium facultate sua etiam uti posse, licet nupturientes *mala fide* sibi cognitum impedimentum occultaverint donec urgentia exorta fuerit. In hunc sensum CAPPELLO, o. c., n. 233; TRIEBS, o. c., p. 170, contradicente WERNZ-VIDAL, o. c., n. 413, nota 59.

(4) Cf. hic WERNZ-VIDAL, o. c., n. 413, p. 499 s., paulò aliter loquentem.

767. β/ *Extra casum urgentem : in votis non reservatis.*

2° **Extra casum urgentem,** dispensare potest Ordinarius super *votis non reservatis* (can. 1313, n. 1).

Porro vota *non reservata* sunt omnia vota *privatim* emissa (1), *exceptis* voto perfectae ac perpetuae castitatis et voto ingrediendi religionem votorum sollemnium, quae « emissa fuerint absolutè et post completum decimum octavum aetatis annum ». Cf. can. 1309, coll. suprà, n. 231, ubi de dispensatione super voto, ad petendum debitum.

Potest proinde Ordinarius dispensare a/ super votis non nubendi seu coelibatus, virginitatis, ordines suscipiendi, religionem votorum simplicium ingrediendi, necnon super voto castitatis, non perpetuae vel non perfectae (2); b/ super voto privato castitatis perfectae ac perpetuae, necnon super voto ingrediendi religionem votorum sollemnium, si fuerint emissa conditionatè (3), aut ante aetatem octodecim annorum completam.

Etiam dispensare potest loci Ordinarius, extra casum urgentem, super *bannis* (can. 1028, coll. dictis suprà, n. 63); sed, uti notavimus suprà, n. 463 et n. 476, banna non constituunt impedimentum stricte dictum.

Nota. Infra, sub n. 771, notabitur, Ordinarium, vi potestatis delegatae a S. C. de Sacr., dispensare posse super impedimentis canonis 1058, idque pro utroque foro, adeo ut dicto Ordinario praesto sit, respectu votorum *non reservatorum, duplex* potestas dispensandi.

Punctum II. Objectum potestatis delegatae.

Possunt Ordinarii, ultra limites potestatis suae ordinariae, modò delineatos, frui variis facultatibus a S. Sede delegatis, sive pro foro interno sive pro foro externo. En autem quae indulta, in praesenti disciplina, passim conceduntur Episcopis seu Ordinariis locorum, in nostris regionibus, abstractione facta a facultatibus nunc concedi solitis in gratiam Nuntiorum aut Ordinariorum in locis

(1) Votum *privatum* est omne votum quod non sit publicum; *publicum* autem est « si nomine Ecclesiae a legitimo superiore ecclesiastico acceptetur ». Can. 1308, § 1. — Votum *publicum,* etiam temporaneum, est reservatum, uti jam notatum suprà, n. 231.

(2) Ut voveatur castitas *perfecta,* oportet, ex parte *materiae,* ut voveatur castitas completa, i. e. sese extendens ad integram materiam castitatis; ex parte vero *actus,* requiritur ut votum fuerit emissum cum obligatione sub gravi, cum perfecta libertate (seposito scil. etiam levi metu incusso), et non disjunctive.

(3) Votum conditionatum certò non est reservatum, dum pendet conditio. Verificata autem conditione, videri posset esse reservationi obnoxium, cum eo ipso evaserit absolutum; attamen, attento tenore can. 1309, requirentis ut votum fuerit *absolutè emissum,* ad minus probabile est, adeoque practice tutum, pro reservato non esse habendum votum conditionatè emissum, postquam conditio fuerit purificata.

missionum, de quibus sub scholion I et scholion II (n. 770bis et n. 770ter):

I. Pro foro interno.

768. Ordinarius potest, ex potestate delegata, dispensare pro foro interno super crimine;

Ad normam decreti S. C. Consist., 25 Apr. 1918, sub 3, « facultates pro foro interno a S. Poenitentiaria datae... abolitae *non* sunt ». A. A. S., X, p. 190 s.

Manent proinde facultates quinquennales S. Poenitentiariae, olim Ordinariis concedi solitae, in quantum eis, in praesenti disciplina Codicis, adhuc locus est (1).

Novae etiam facultates conceduntur *a S. Poenitentiaria,* seu potius facultates, mutato tenore, renovantur in gratiam Ordinariorum id sollicitantium. In specie impetrare possunt Ordinarii Europae *ad quinquennium* facultatem dispensandi super *occulto* impedimento *criminis,* nemine machinante, *in contractis* et *contrahendis,* etiam *extra casum urgentem* (2).

Facultas dispensandi super crimine, in ordine ad matrimonium contractum convalidandum, intelligitur de convalidatione *simplici,* exclusa scil. sanatione in radice. Renovandus proinde est, in casu, consensus, juxta normas proponendas sub n. 907, coll. ll. cc., ad tramites can. 1133, 1134 et 1135.

Nota 1. Circa potestatem dispensandi, vi indulti S. Poenitentiariae, in ordine *ad petendum debitum,* cf. suprà, n. 231, coll. n. 233.

2. Ex infrà dicendis, sub n. 771, apparebit Ordinarium etiam ex alio fonte dispensare posse pro foro interno super occulto impedimento criminis.

II. Pro foro externo:

769. pro foro externo jam indulta conceduntur,

Jam universim receditur a norma post Codicem prius inducta, de abrogandis scil. et amplius non concedendis indultis pro foro externo (3).

---

(1) Non jam est locus facultati, in *Pagella* S. Poenitentiariae olim contentae, dispensandi super crimine in ordine ad matrimonium contrahendum, *pro casu urgenti,* cum haec dispensandi potestas contineatur in ambitu potestatis ordinariae. Item jam non est locus facultati dispensandi super *affinitate illicita,* utpote quae jam non constituit impedimentum matrimonii.

(2) Tenorem indulti, seu *Pagellae,* uti vocatur, videsis ad calcem Tractatus. Hanc facultatem obtinuit Ordinarius Brugensis, die 16 Sept. 1922. Continetur in *elencho facultatum matrimonialium* S. C. Consistor., de quo sub n. 769.

(3) S. Congr. Consistorialis, die 25 Aprilis 1918, decreverat quod « in universis dioecesibus, juri communi obnoxiis, *facultates omnes pro foro externo* Ordinariis concessae..., a die 18 Maii hujus anni (1918) cessabunt neque amplius in usu esse poterunt ». Ex sua autem parte S. Congr. de Prop. Fide, in Instructione data die 4 Julii 1919, eamdem normam extendit ad regiones missionum, monens facultates a dicta Congregatione concessas Ordinariis « usque ad diem 31 proximè futuri mensis Decembris tantùm in suo robore esse permansuras », et addendo quod a die primo

Die 17 Martii 1922, prodiit a S. Congr. Consist. *elenchus facultatum matrimonialium,* tam a S. C. de Sacr. quam a S. Officio impetrandarum (1), quas facultates nunc, ad tramites *Motu proprio* Pii XI, 20 Aprilis 1923, *ad quinquennium* (2), ab una S. Congr. Consist. obtinere possunt « *omnes Episcopi non obnoxii jurisdictioni sive S. Congr. de Prop. Fide, sive S. Congr. pro Ecclesia Orientali* » (3). En autem, quod spectat facultatum *objectum:*

A. **Indultum S. C. de Sacramentis** (4)**:**

Conceditur facultas:

770. quorum objectum describitur.

1° « Dispensandi, *justa et rationabili ex causa,* super matrimonialibus impedimentis *minoris gradus* quae in can. 1042 recensentur, necnon super impedimentis impedientibus de quibus in can. 1058, ad effectum tantùm matrimonium contrahendi.

2° Dispensandi *ex gravi urgentique causa, quoties periculum sit in mora et matrimonium differri nequeat usquedum dispensatio a S. Sede obtineatur,* super impedimentis *majoris gradus* infrà recensitis: a/ *consanguinitatis* in secundo aut tertio cum primo mixtis,

---

Januarii sequentis anni 1920 peculiares facultates non amplius concederet (*Archiv f. k. Kirchenrecht,* 1919, p. 156 s.). — Nimirum censuerat S. Sedes, uti ipsa S. Congr. Consistor. in laudato decreto observat, per dispositiones in novo jure, per Codicem inducto, contentas, satis superque esse provisum defectui indultorum quae antea Ordinariis concedi solebant, in specie, quod spectat dispensationes matrimoniales, per amplas facultates in can. 1043 et 1045 insertas: adeo ut indulta illa supervacanea viderentur, « quinimo confusionem haud levem ingerere » censerentur.

Norma illa non spectabat facultates S. Poenitentiariae *pro foro interno,* uti jam dictum sub n. 768. Etiam non attingebat alias quascumque facultates ratione belli aut alia peculiari de causa concessas.

Quod spectat *facultates belli:* vi decreti S. Congr. Consistor., 7 Martii 1921 (A. A. S., 1921, p. 134) provisoriè permansurae erant, donec scil. definitiva norma pro facultatibus Ordinariorum fuerit statuta. Qua inducta norma, per citatum decr. S. C. Consist., diei 17 Martii 1922 et 20 Aprilis 1923, practicè jam non sunt attendendae.

(1) Juxta elenchum facultatum diei 17 Martii 1922, recurrendum erat ad varia dicasteria a quibus respective emanant indulta, et haec indulta reservabantur Ordinariis Europae, ab eis universim exceptis Russia et Italia. Ulterius autem in tenore indulti S. C. de Sacr. notabatur ab illius favore excludenda esse, inter Europae regiones, praeter Russiam et Italiam, etiam Helvetiam, Gálliam, Hispaniam, Lusitaniam et Belgium; indultum vero a S. Officio impetrandum restringebatur ad regiones « ubi catholici acatholicis permixti vivunt, exceptis proinde Gallia, Hispania et Lusitantia ».

(2) Initium quinquennii computatur a die receptionis, non a die datae. S. C. de P. F., 22 Jan. 1759. — *Collectan.,* n. 146.

(3) Hucusque, ante Codicem scil., vi quinquennalium S. C. Consist. (olim a S. C. de P. F. concedebantur), poterant Ordinarii Belgii dispensare in foro externo: super consanguinitate et affinitate licita in 3° et 4° gradu, non attingente 2^m; super publica honestate ex sponsalibus, super crimine absque machinatione et super cognatione spirituali compaternitatis. Insuper peculiaribus indultis fruebantur nonnulli Ordinarii, signanter Ordinarius Mechliniensis. — Circa quinquennalium interpretationem cf. *Collat. Brug.,* t. V, p. 480 ss., X, p. 488 ss. et XIV, p. 617 ss.; circa illorum originem, cf. MERGENTHEIM, *Die Quinquennalfakultäten pro foro externo,* Stutgart, 1908, coll. *Zeitschrift der Savigny-Stiftung,* kan. Abt., 1912, p. 100 ss.; *Rev. d'hist. eccl.,* 1909, p. 851 ss. et *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1910, p. 586 ss.; ac recentius VERMEERSCH, apud *Periodica,* XI, p. (33) ss.

(4) Licet indulta nunc ab una S. Consistoriali expediuntur, in singulis tamen respectivè Officiis conficiuntur formulae, et unumquodque indultum nomine Officii, a quo emanat, inscribitur.

dummodò nullum exinde scandalum aut admiratio oriatur; b/ *consanguinitatis* in secundo lineae collateralis gradu; c/ *affinitatis* in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo; d/ *publicae honestatis* in primo gradu, dummodò nullum subsit dubium quod conjux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3° Dispensandi tempore et in actu sacrae pastoralis visitationis aut sacrarum missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis suprà memoratis, cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4° *Sanandi in radice* matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis *minoris gradus,* si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia de effectu hujus sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

Circa quod indultum S. C. de Sacr. haec *notentur:*

Ad 1m. Praeter impedimenta dirimentia *minora* (suprà, n. 464), dispensari possunt vota matrimonium *prohibentia,* de quibus in can. 1058, adeoque votum virginitatis, coelibatus, ordinis suscipiendi, necnon ingrediendi religionem, etiam votorum sollemnium, ac tandem votum simplex castitatis perfectae, excepto voto scholasticorum Soc. Jesu, utpote quod constituit impedimentum dirimens.

Restringitur potestas dispensandi super *votis « ad effectum tantùm matrimonium contrahendi »*: quod importat non posse ab Ordinario auferri ipsum votum absolutè, sed solam prohibitionem nubendi, eamque nubendi licentiam restringi ad matrimonium hic et nunc instans (1).

Ad 2m. Facultatis exercitio afferuntur *restrictiones* sequentes: una *generalis,* quatenus limitetur ad *casum urgentem;* ad hunc autem requiritur et sufficit ut grave malum probabiliter immineat ex matrimonii contrahendi aut convalidandi dilatione; non autem requiritur quod omnia sint parata ad nuptias, uti in casu can. 1045, adeo ut latius pateat facultas hic delegata quam potestas ordinaria can. 1045. Cf. suprà, n. 765.

Habetur etiam duplex restrictio *particularis: prior,* spectans dispensationem super consanguinitate, in 1° gradu mixto cum 2° vel tertio quatenus scil. non adsit aut removeatur scandalum vel admira-

(1) Haec restrictio non afficit dispensandi potestatem, vi can. 1313 concessam, super votis *non reservatis;* haec vota auferri possunt obsolutè. Cf. suprà, n. 490 et infrà, n. 889.

tio: quae admiratio videtur intelligenda cum offensione populi conjuncta; *altera* spectat dispensationem super publica honestate, in 1° gradu: oportet ut remotum sit omne periculum quod conjux esse possit proles ab altero contrahente genita quae conditio ab ipso jure naturae urgetur et in can. 1076, § 3, inseritur. Cf. suprà, n. 622, cum nota, coll. n. 633.

Ad 3m. Restringitur potestas dispensandi in gratiam *concubinariorum,* quod spectat personas, et, quod spectat tempus exercitii, ad tempora missionis et pastoralis visitationis, ipso actu institutarum, ita ut usus facultatis limitetur ad solas paroecias in quibus hic et nunc instituitur visitatio aut sacra missio peragitur. Quoad impedimenta, extenditur ad omnia impedimenta sub 1° et 2° enumerata. Caeterum non requiritur casus urgens.

Ad 4m. Indulgetur peculiaris facultas *sanandi in radice* (quam sanationem can. 1141 reservat S. Sedi) matrimonia nulliter contracta ob impedimentum *minoris gradus,* hac salva duplici conditione essentiali: ut nempe una pars sit nullitatis ignara et sine gravi incommodo ad consensus renovationem, praevia monitione, adduci nequeat; utque, ad normam can. 1140, § 1, consensus naturaliter sufficiens olim emissus perseveret, attento etiam can. 1139, § 2, ac absit periculum divortii seu compartis desertionis.

Ulterius in memoriam revocatur obligatio, qua tenetur Ordinarius, ut nempe moneat partem impedimenti consciam de sanationis effectu, utque curet matrimonii convalidationem in registro inscribi, juxta dicenda sub n. 915.

B. **Indultum S. C. S. Officii:**

Conceditur facultas:

1° *Dispensandi* super impedimento *mixtae religionis,* et, ad cautelam, *disparitatis cultus,* pro casu scil. quo dubitatur de baptismo partis acatholicae (1). In ordine ad quam dispensationem:

a/ urgentur servandae dispositiones can. 1061: ut nempe justae et graves adsint causae (suprà, n. 506), utque cautelae et cautiones pro valore exigantur ac ipse Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri (n. 504 s.).

b/ Inculcantur variae obligationes Ordinario, in casu, incumbentes: signanter ipsius est curare ut moneatur pars catholica quod

(1) Haec facultas, uti ex tenore apparet, afficit *mixtam religionem,* non autem disparitatem cultus, nisi subsidiariè, in quantum scil., dispensando cum parte catholica et parte acatholica super mixta religione, simul dispensatur super disparitate cultus *ad cautelam,* ob dubium forte existens circa baptismum partis acatholicae. Non posset autem principaliter dispensari, vi hujus facultatis, super disparitate cultus, puta cum parte catholicè baptizata et parte infideli, certò non baptizata.

debeat acatholicae partis conversioni prudenter adlaborare (can. 1062, coll. n. 507); ut moneantur ambae partes de prohibitione adeundi ministrum acatholicum (can. 1063, § 1) et curetur a parocho servari dispositiones can. 1063, § 2. Ulterius, si partes actu *in concubinatu* vivunt, debet scandalum, si adsit, removeri et pars catholica est ad sacramentum rite disponenda, praevia absolutione a censura, si adierint ministellum qua talem.

2° *Sanandi in radice* matrimonia contracta cum impedimento mixtae religionis, aut disparitatis cultus, quando invalidè fuerunt celebrata sive coram officiali civili, sive coram ministro acatholico. In ordine ad quam sanationem:

a/ *conditiones* exiguntur *pro valore* servandae: ut nempe consensus naturaliter sufficiens perseveret (suprà, sub A, ad 4[m]); ut consensus legitimè (coram parocho et testibus) renovari nequeat, sive « quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni a catholico conjuge subeundi (quae monitio ad consensus renovationem requiritur), sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum (nequidem per procuratorem) aut ad cautiones praestandas... ullo modo induci nequeat »; tandem ut « aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo Ipse (Ordinarius) dispensandi aut sanandi facultate non polleat ».

b/ *clausulae* pro *liceitate* sunt adimplendae: ut scil. Ordinarius moneat partem catholicam de gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat; ut declaret matrimonium per sanationis gratiam factum esse validum et indissolubile, prolemque natam legitimari; ut parti catholicae in memoriam revocet obligationem gravem curandi catholicam educationem universae prolis et conversionem conjugis acatholici; tandem ut curet inscriptionem convalidationis fieri sive in registro secreto sive in registro paroeciali (1).

770bis. Facultates Ordinariorum missionum.

Scholion I. Facultates S. C. de Prop. Fide in gratiam Ordinariorum Missionum (2).

Tres dantur *Formulae,* quarum secunda et tertia in duplici forma sunt redactae (3), forma scil. majori et minori.

Vi formulae *tertiae majoris:* 1° dispensare possunt, super omnibus

(1) Pro ulteriori interpretatione indulti S. C. de Sacr., C. S. Officii, necnon S. Poenitentiariae (de quo sub n. 768), cf. commentarium nostrum apud *N. R. th.*, 1923, p. 124 ss., 182 ss., 243 ss. et 304 ss.

(2) Commentarium harum facultatum matrimonialium exhibent VERMEERSCH, apud *Periodica,* XI, p. (118)-(123), coll. p. (90) s., ac VROMANT, o. c.

(3) Formula prima et formulae secunda ac tertia, in forma *majori,* conceduntur Ordinariis, charactere episcopali insignitis, in forma vero *minori,* Ordinariis reliquis.

impedimentis juris ecclesiastici, tam majoris quam minoris gradus, etiam multiplicibus, publicis et occultis, praeterquam super ordine presbyteratus, aetate ac affinitate in linea recta, consummato matrimonio; 2° *sanare in radice* matrimonia nulliter contracta ob praesentiam unius ex dictis (sub 1°) impedimentis; 3° *sanare in radice* matrimonia mixta attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico (1).

Accedunt facultates, suprà, sub n. 353, enumeratae, circa applicationem privilegii fidei.

770ter. Facultates Nuntiorum apostolicorum.

Scholion II. Facultates Nuntiis, Internuntiis et Delegatis apostolicis concedi solitae (2).

Vi hujus indulti:

1° dispensare possunt super omnibus impedimentis *prohibentibus;* 2° dispensare valent, pro determinati numeri vicibus, super impedimentis *dirimentibus* juris ecclesiastici, publicis et occultis, exceptis affinitate lineae rectae, consummato matrimonio, ordine sacro et voto sollemni (3); 3° possunt, pro determinati numeri vicibus, *in radice sanare* matrimonia nulla ob impedimentum dirimens, super quo dispensare valent vi facultatis sub 2°, *quando moraliter impossibilis est renovatio consensus modo ordinario,* salva tamen restrictione facta pro casu quo matrimonium fuerit nullum ob defectum formae (4).

Nota quomodo, attenta hujus indulti amplitudine, non rarò ab Ordinario, in nostris regionibus, opportunè recurri posset ad Nuntium potius quam ad S. Sedem.

PARAGRAPHUS SECUNDA. *De natura potestatis Ordinarii.*

771. Natura potestatis Ordinario concessae:

A. Potestas dispensandi **ordinaria,** quae competit loci Ordinario, est potestas dispensandi *pro utroque foro,* quae proinde, ad normam dictorum sub n. 739, usurpari potest ad dispensandum vel pro foro externo et juxta formam huic foro propriam, vel pro foro interno et juxta formam ei propriam, prout agitur de impedimento fori externi vel fori interni.

a/ *ordinariae*

Ita dispensare potest Ordinarius, in periculo mortis et in casu urgenti, pro foro externo, super consanguinitate et aliis impedimentis fori externi, pro foro autem interno, super occulto criminis impedimento. Super voto non reservato, dispensare valet in foro externo vel in foro interno, prout votum est notum vel ignotum. Cf. suprà, n. 231.

(1) Tenor hujus triplicis facultatis inseritur ad calcem tractatus, in *Allegato II,* cum variis clausulis observandis. — Notetur autem facultatem, de qua sub 3°, deesse in Formula prima, in qua etiam facultas, sub 1° descripta, restringitur ad impedimenta minoris gradus. — Commentarium habes apud VERMEERSCH, *Periodica,* XI, p. (138) ss., coll. p. (117) ss.; item apud VROMANT, o. c., p. 53-87.

(2) Cf. commentarium apud VERMEERSCH, *Periodica,* XII, p. (125)-(131), coll. XIII, p. (28). — Solent hae facultates concedi per Secretariam Status vel per S. Congr. Consistorialem.

(3) Nota hîc, secus ac in facultatibus de quibus in Scholion I, excipi professionem sollemnem et ordinem sacrum universim, non autem aetatem.

(4) Tenorem indulti videsis ad calcem, ubi attende varias clausulas observandas.

Principium nititur in norma proposita a can. 202, § 3, quatenus, « si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet » (1).

B. Quod spectat potestatem **delegatam:**

b| delegatae. 1° Potestas delegata *a S. Poenitentiaria* restringitur ad forum *internum;* potest autem, ad normam can. 202, § 2, exerceri tam in foro extrasacramentali quam in foro sacramentali, cum sacramentale non exigatur.

Pro dispensatione autem in foro non sacramentali, attendatur dispositio can. 1047, de qua sub n. 738.

2° Potestas delegata a *S. C. de Sacr.* est potestas dispensandi *pro utroque foro.* Can. 202, § 3 (2).

Tandem 3° potestas delegata a *S. C. S. Officii* est, attenta natura impedimenti mixtae religionis, potestas dispensandi *pro foro externo* tantùm.

Nota. Ex praecedentibus innotescit Ordinarios nostros habere super quibusdam impedimentis dispensandi potestatem *ex multiplici fonte.* Ita Ordinarii, qui gaudent indulto Sacrae Poenitentiariae (n. 768) simul ac indulto S. C. de Sacr., facultatem dispensandi super occulto crimine, absque machinatione, habent ex duplici fonte. Concurrit etiam, respectu voti non reservati, potestas ordinaria vi can. 1313, n. 1, cum potestate delegata a S. C. de Sacr. Ulterius, in casu urgente, de quo in can. 1045, § 1, praesto est Ordinario, erga nonnulla impedimenta, potestas ordinaria simul et potestas delegata. Quaenam autem potestas, in hujusmodi concursu, sit usurpanda, exponetur infrà, n. 785bis.

Paragraphus Tertia. *De Subjecto potestatis Ordinarii.*

I. Subjectum activum.

1° Pro potestate *ordinaria:*

772. Subjectum activum est Ordinarius loci. Subjectum activum potestatis, seu ille cui competit haec potestas, est quaevis ex illis personis quae veniunt sub nomine *Ordinarii loci,* ad tramites dictorum sub n. 752, signanter, praeter Episcopum, Vicarius generalis et, Sede vacante, Capitulum et Vicarius capitularis.

(1) Ita, si ageretur de potestate absolvendi a peccatis.

(2) Idem dicendum de potestate delegata a S. C. de P. F. Ordinariis missionum, de qua sub n. 770bis, sicut et de potestate delegata Nuntiis, de qua sub n. 770ter.

2° Pro potestate *delegata:*

Idem valet de potestate delegata sic dicta *reali,* seu intuitu officii concessa, ad normam dictorum sub n. 753, qualis est potestas in indultis elargita (n. 770) (1), quae caeteroquin indulta inscribuntur ad Ordinarios (2). Cf. etiam can. 66, § 2.

Nota. Dicta suprà, n. 109, de parocho *putativo,* quatenus scil., ad normam can. 209, validè fungatur munere suo, etiam hic applicantur Ordinario, si contingat ipsum esse putativum: valeret nempe, ex Ecclesiae suppletione, dispensatio ab ipso concessa.

II. **Subjectum passivum.**

773. Ordinarius regulariter cum solis subditis

A. Juxta principium positum in can. 201, § 1, et antea etiam admissum, Ordinarius dispensare potest *directe* cum solis *subditis:* quod valet de potestate tam ordinaria quam delegata. *Excipitur* casus quo in jure expresse extenditur potestas ad alios non subditos.

Explicatur.

1° *Subditi* sunt, respectu Ordinarii, qui in dioecesi (vel Vicariatu aut Praefectura) domicilium habent vel quasi-domicilium, sive paroeciale sive dioecesanum, aut, si vagi sint, qui actu commorantur in dioecesi. Can. 94, § 1 et § 2, coll. can. 92 et dictis suprà, n. 45-48 (3).

774. dispensat directe;

2° Ordinarius *indirecte* dispensare potest cum *non dioecesanis,* quatenus Episcopus, suum subditum dispensando, etiam alteram partem extraneam ab impedimento relativo liberat. Unde ad valorem dispensationis, ab Ordinario concedendae, requiritur et sufficit ut Episcopi dispensantis *subdita* sit *una pars:* catholica nempe pars, si agatur de impedimento disparitatis cultus vel mixtae religionis, aut illa quae directe afficitur impedimento absoluto, aut alterutra pars, si res est de impedimentis relativis (4); oportet

(1) Unde etiam potestas delegata per indulta concessa competit Vicario generali et omnibus sub nomine Ordinarii venientibus. — Eadem disciplina jam vigebat *ante Codicem,* quod spectat potestatem *delegatam,* quemadmodum constat ex decretis ad calcem can. 66, § 2, invocatis. Quod autem spectat potestatem dispensandi *ordinariam* (quasi-ordinariam dictam), ea passim Episcopo agnoscebatur ad exclusionem Vicarii generalis, cui ab Episcopo solebat per speciale mandatum communicari.

(2) Facultates *Nuntiis* concessae etiam competunt Auditori vel secretario, cui commissio regendi officium cum facultatibus ordinariis est concessa.

(3) Attende competentiam Ordinarii, ad licitè assistendum matrimonio, latius extendi quam ejusdem competentiam ad dispensandum: pro assistentia matrimonio sufficit quod alteruter nupturiens *mensilem commorationem* habeat in dioecesi.

(4) Quando nupturientes pertinent ad *diversam* dioecesim, *pro valore* non refert quisnam Episcopus dispenset super dictis impedimentis relativis, uti liquet ex citatis documentis apud *Collat. Brug.,* t. V, p. 477; *convenit* tamen ut dispenset Episcopus *sponsae,* et usus est, licet non ubique, ut ab Episcopo dispensante praeviè obtineatur approbatio seu ratihabitio Episcopi alterius partis. Cf. VLAMING, o. c., n. 405, coll. infrà, n. 840.

autem ut subdita sit et maneat *momento quo gratia dispensationis conceditur,* i. e. momento quo dispensatio in forma gratiosa in cancellaria episcopali subsignatur, vel quo dispensatio in forma commissoria ab executore executioni mandatur; non debet autem esse subdita momento quo dispensationis gratia *communicatur.* Cf. infrà, n. 914[bis] (1).

775. exceptionaliter cum non subditis.

3° *Exceptio* occurrit pro potestate dispensandi *in articulo mortis,* vi can. 1043, in cujus tenore dicitur posse Ordinarium dispensare « omnes subditos... et *omnes* (non subditos) *in proprio territorio actu degentes* », adeoque *peregrinos;* item pro potestate dispensandi *super votis non reservatis,* ad normam can. 1313, num. 1, in quo agnoscitur Ordinario potestas dispensandi in dictis votis « omnes subditos atque *etiam peregrinos* »; item *pro facultatibus fori externi,* de quibus sub n. 770 (non autem pro facultatibus S. Poenitentiariae, de quibus sub n. 768), ac tandem, juxta plures (2), etiam in casu urgenti vi can. 1045, licet de hac ultima extensione non parum dubitamus (3).

776. Non obstat Ordinarii nec subditi absentia a dioeccsi.

B. Ordinarius, tam ex potestate delegata quam ex potestate ordinaria, dispensare potest, sive ipse dispensans extra territorium existat, sive subditus, sive uterque, e dioecesi sit absens. Can. 201, § 3 (4). Jam igitur non est attendenda, nisi contrarium expresse dicatur, clausula quae olim occurrere solebat in quinquennalibus

(1) Hoc ipsum quod, juxta statim notanda sub n. 775, in can. 1043, can. 1313 et in tenore indultorum pro foro externo, expressis verbis extenditur dispensandi facultas etiam ad peregrinos, id videtur confirmare interpretationem restrictivam can. 201, § 1, peregrinos scil. a beneficio dispensationis excludentem, nisi aliter expresse caveatur. Censemus proinde in gratiam illorum peregrinorum non posse exerceri dispensandi potestatem, non tantùm ubi expresso tenore restringitur dispensandi facultas ad solos subditos, uti in Pagella S. Poenitentiariae, sed etiam ubi non determinatur dispensationis subjectum: tunc scil. applicatur norma generalis can. 201, § 1.

Sunt tamen Auctores aliter sentientes, et ita VERMEERSCH, apud *Periodica,* XII, p. (66) et XIV, p. (26), cui consentit *Monitore eccles.,* 1925, p. 204 ss., docet universim comprehendi peregrinos in dispensandi facultate, nisi positive excludantur; quam sententiam « sufficienti probabilitate haud carere, adeoque in praxi applicari posse » fatetur CLAEYS-BOUÜAERT, o. c., n. 118. Contrà principium positum nobiscum tenent WERNZ-VIDAL, o. c., n. 423, nota 83; TRIEBS, o. c., I, p. 173 et 180; VLAMING, o. c., n. 405; CAPPELLO, o. c., n. 244, sub 3; DURIEUX, o. c., ed. 1924, n. 157; *Jus Pontif.,* VI, p. 114.

(2) Hanc derogationem, in canone 1043 insertam, ad canonem 1045 extendunt modò citati WERNZ-VIDAL, l. c.; TRIEBS, l. c.,; VLAMING, l. c.; CAPPELLO, o. c., n. 252, nota 15.

(3) Quod in tenore can. 1045 inseritur: « sub clausulis in fine can. 1043 statutis », id non afficit determinationem subjecti passivi, sed servandam clausulam de removendo scandalo et cautiones injungendas in dispensando super mixta religione et disparitate cultus.

(4) Ordinarius igitur extra dioecesim omnia potest quae valet, in dioecesi degens; et suam potestatem exercere potest erga subditos, sive praesentes sint in dioecesi, sive ab ea absentes. Non subditi nunquam dispensari possunt nisi in dioecesi actu commorantes, momento quo dispensatio conceditur; item vagi, cum non sint subditi Ordinarii nisi in quantum actu degunt in dioecesi.

Circa clausulam adnexam indulto S. C. de P. F., de quo sub n. 770[bis], quatenus Ordinarii missionum facultatibus suis uti tantum valeant « *intra fines suae jurisdictionis* », cf. VERMEERSCH, *Periodica,* XI, p. (76), coll. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 423, nota 86.

pro foro externo, quatenus ad valorem exigebatur ut pars, cum qua directe dispensabatur, fuerit intra fines dioeceseos, momento concessae dispensationis: unde non rarò intricatae oriebantur difficultates. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 478 s.; X, p. 491 s. et 690 ss. (1).

777. *Notanda,*

Nota 1. Dicta sub n. 774, quatenus persona dispensanda debeat, momento concessae dispensationis, esse ac manere subdita auctoris dispensationis, spectant actum Episcopi quo ipse *dispensat* ex potestate ordinaria vel delegata, nec applicantur dicta casui quo Ordinario committitur *executio dispensationis* apostolicae: potest nempe, ad tramites can. 1055, hujusmodi rescriptum apostolicum executioni mandare, « etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda erit dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri », adeoque postquam cessaverint esse subditi Episcopi executoris (2). Cf. dicenda sub n. 863.

2. Non potest, citra speciale ad hoc indultum (3), dispensari cum persona *indeterminata,* puta dispensando cum viro fideli (aut catholico) ut ducat aliquam mulierem infidelem (aut acatholicam) postea eligendam.

778. *in specie circa dispensandos reges et principes.*

3. Jam non inseritur in Codice dispositio S. C. de Sacr., 7 Martii 1910 (4), vi cujus dispensationes matrimoniales cum *regibus ac regiae stirpis principibus* concedendae reservantur S. Sedi, illaeque dispensationes censentur in indultis non comprehendi. Quae omissio, attenta Codicis disciplina, sponte sua intelligitur, siquidem haec dispositio spectabat tantum dispensationes *ex indulto* concedendas, easque pro foro externo tantum; sub disciplina autem Codicis, norma fuit ut abrogarentur omnes facultates delegatae dispensandi pro foro externo. Cf. suprà, n. 769.

Quodsi nunc ab illa norma recedatur, concessis passim indultis pro foro externo, videtur rationem esse habendam descriptae dis-

---

(1) Etiamsi exigatur expresse praesentia subditi in dioecesi, momento *dispensationis,* non impedit quominus *matrimonium* extra dioecesim celebretur. Cf. C. S. O., 22 Nov. 1865 (*Collectan.*, n. 1432).

(2) Haec dispositio can. 1055 applicatur executioni dispensationis in forma commissoria, non tantùm cum executore necessario, sed etiam cum executore voluntario. — Addit canon, in casu, monendum esse Ordinarium loci in quo matrimonium contrahere cupiunt.

(3) Cf. SICA, o. c., p. 340 s. Hujusmodi indultum concedebatur, pro quinque casibus, Vicario Apostolico Congi Belgici, in decreto C. S. O., 6-8 Maii 1903, ad 3^{m}, apud *De Religiosis-Periodica,* VII, p. 221 ss., coll. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 351 ss.

(4) S. C. de Sacramentis, die 7 Martii 1910, « SS^{mi} D. N. Pii X jussa faciens, de expresso Ipsius mandato atque Ejusdem auctoritate declaravit, dispensationes a quibusvis impedimentis matrimonium sive dirimentibus sive impedientibus, quae *regibus ac regiae stirpis principibus* erunt concedendae, Sedi Apostolicae speciali modo esse reservatas, ita ut ab hujus potestatis usu excludantur Ordinarii omnes et alii quilibet, in quavis dignitate constituti; eamdemque potestatem in facultatibus, cuilibet et quavis forma concessis, nullatenus esse comprehensam ». *Acta Ap. Sedis,* II, p. 417, coll. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 307 s.

positionis S. C. de Sacr., adeo ut ab indultorum usu excludenda sit dispensatio in gratiam regum et regiae stirpis principum (cf. can. 1557, § 1, num. 1 et can. 2227, § 1). Quae reservatio ita est intelligenda ut ad eam sufficiat quod *una* pars ad regalem stirpem pertineat, illa nimirum quae obnoxia est impedimento absoluto, vel utralibet, ubi agitur de impedimento relativo.

4. Circa *inhabilitatem* ad impetrandam dispensationis episcopalis gratiam, cf. infrà, n. 892.

Paragraphus Quarta. *Principia moderantia interpretationem ac exercitium potestatis Ordinarii.*

I. Principia interpretationis.

779. Quaenam dispensandi potestas latè interpretanda, quaenam stricte;

1° Potestas dispensandi super impedimentis **ordinaria** *late interpretanda est,* uti statuitur in can. 200, § 1.

2° Potestas **delegata** pariter *latam interpretationem* admittit, si est *ad universalitatem causarum* (can. 200, § 1), vel si importat facultatem *habitualem* aut generalem, de qua suprà, n. 753, quamque solam passim intelligimus sub nomine potestatis dispensandi (1); strictam vero interpretationem postulat potestas dispensandi in casu particulari, seu potius dispensationis concessio in forma commissoria cum executore voluntario (2). Can. 85 (3).

780. quid importet interpretatio lata,

Interpretatio lata importat: a/ quod potestas dispensandi super aliquo impedimento attingit, nisi contrarium expresse dicatur, hoc impedimentum etiamsi sit *multiplex,* puta consanguinitatem vel affinitatem multiplicem, aut crimen ex multiplici fonte exoriens (can. 1049, § 1);

b/ quod qui habet potestatem dispensandi « super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis etiam publicis *in uno*

(1) Juxta can. 66, § 1, descriptae facultates habituales accensentur privilegiis praeter jus, adeoque sequunter principium interpretationis hujusmodi privilegiis applicatum. Porro, ad tramites can. 68, privilegia interpretanda sunt juxta normam can. 50, adeoque privilegiis *praeter jus* applicanda est interpretatio lata: stricta enim interpretatio cadit tantum in privilegia quae sunt *contra* jus, vel aliàs ad lites referuntur, aut jura laedunt aut impetrata sunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem.

(2) Quodsi dispensatio concedatur cum executore necessario, a fortiori stricta interpretatione est utendum; caeterum hîc applicatur dispositio can. 50, ubi loquitur de stricte interpretandis rescriptis quae « adversantur legi in commodum privatorum ». Cf. infrà, n. 862, et suprà, n. 742.

(3) Nota nos, ad normam dictorum sub n. 753, dispensandi potestatem *generalem* et *habitualem* promiscue sumere pro omni potestate dispensandi quae non sit ad casum particularem (vel ad plures casus individuatim determinatos) restricta, sive sit data in indefinitum vel ad certum tempus vel ad certum casuum (indeterminatorum) numerum, sive complectatur plura impedimenta simul sive ad unum determinatum impedimentum limitetur (can. 1049, § 1).

eodemque casu occurrentibus », i. e. potest *cumulare* (1) (can. 1049, § 2) (2);

c/ quod, si restrictio non fiat expressé, potestas dispensandi super uno aut pluribus impedimentis adhiberi potest tam in ordine ad matrimonium convalidandum, per viam convalidationis simplicis, quam in ordine ad matrimonium contrahendum.

Ita facultas dispensandi delegata, vi indulti S. C. de Sacr. (n. 770), extenditur ad matrimonia contracta et contrahenda (3); item facultas delegata vi indulti C. S. Officii (4). Excluditur autem, salva speciali concessione expressa, sanatio in radice, utpote quae, ad normam can. 1141, reservatur S. Sedi. Cf. etiam suprà, n. 761 et infrà, n. 835.

781. quid interpretatio stricta.

Interpretatio stricta non impedit quominus cum potestate dispensandi (stricte interpretanda) ea quoque intelligantur concessa, sine quibus dicta potestas exerceri non posset (can. 200, § 1); adeoque secum fert hujusmodi potestas « alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae » (can. 66, § 3). Quare « in potestate dispensandi (quantumvis stricte interpretanda) includitur etiam potestas *absolvendi a poenis ecclesiasticis,* si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae » (can. 66, § 3) (5).

Nota quod, ad normam can. 67, interpretatio lata non comprehendit interpretationem extensivam.

---

(1) Attenta notione indulti generalis, de qua modò, sub n. 779, coll. n. 753, censemus dispositionem canonis 1049, § 2, applicari casui quo quis gaudet diversis facultatibus dispensandi super pluribus distinctis impedimentis, quatenus illis uti valeat cumulatim; quod non admittit WERNZ-VIDAL, o. c., n. 418, docens facultatem cumulandi, de qua in dicto can. 1049, § 2, spectare solum indultum dispensandi super pluribus simul impedimentis. In similem sensum scribit CAPPELLO, o. c., n. 248.

(2) Hucusque principium erat quod, secluso speciali indulto (passim concesso) non poterat ab Ordinario, dispensante ex potestate *delegata,* dispensari *cumulativè,* concurrentibus scil. pluribus impedimentis, super quibus indultum habebat respective dispensandi. Cui tamen principio derogabatur in concursu impedimenti publici cum occulto, necnon in concursu plurium impedimentorum, super quibus pro foro interno dispensare poterat Ordinarius ex *Pagella* Poenitentiariae.

(3) Locus etiam esse potest convalidationi in casu voti simplicis, de quo in indulto, sub 1°, licet constituat impedimentum impediens dumtaxat; intenditur scil. casus quo matrimonium cum voto contractum invalidum est ob inobservatam formam legitimam vel ob praesentiam cujuscumque impedimenti dirimentis.

(4) Pari modo locus esse potest convalidationi, etiam respectu mixtae religionis: quando nempe matrimonium mixtum invalidum fuit ob inobservatam formam vel ob praesentiam concurrentis alterius impedimenti dirimentis. — Non loquimur de indulto S. Poenitentiariae, quia in eo expressis verbis inseritur facultas dispensandi in contrahendis et contractis.

(5) Potestas proinde absolvendi a censuris ad effectum continetur etiam in facultate dispensandi in casu particulari, seu in dispensatione concessa in forma commissoria, cum executore voluntario; quod et applicatur dispensationi concessae in forma commissoria cum executore necessario: unde executor, sive voluntarius sive necessarius, potest, ex ipsa dispositione juris, absolutionem illam ad effectum impertiri. Cf. infrà, n. 878.

II. Prinicipia circa exercitium potestatis.

782. Norma servanda in concursu impedimenti a S. Sede dispensandi cum impedimento episcopali;

A. *Norma* est ut, si, in concursu plurium impedimentorum, pro uno impedimento adeunda est S. Sedes, *pro omnibus adiri debeat,* ita ut Ordinarius potestate sua dispensandi uti nequeat. Quae norma pendet a regula generali, juxta quam omnia impedimenta, in eodem casu occurrentia, dispensanda sunt simul et simul in supplica exponenda (cf. infrà, n. 847).

Porro a dicta norma illa recedi potest juxta canonem 1050, in sequentibus casibus:

783. derogatio ad normam.

1° si cum impedimento a S. Sede dispensando concurrit impedimentum super quo dispensare valet Ordinarius *ex potestate ordinaria* extra periculum mortis et casum urgentem (1), puta votum non reservatum vel impedimentum facto dubium, sive occultum sive publicum: Ordinarius seorsim dispensare potest super dicto voto, vel super impedimento dubio, dum ad S. Sedem recursus instituitur pro alio impedimento;

2° si cum impedimento *occulto* super quo ex indulto dispensare valet Ordinarius, puta cum occulto crimine absque machinatione, concurrit aliud impedimentum a S. Sede dispensandum, puta consanguinitas in 2° gradu: sufficit recurrere ad S. Sedem pro impedimento consanguinitatis, et Ordinarius potest seorsim dispensare, vi indulti, super impedimento criminis;

3° si impedimentum publicum, super quo ex indulto dispensare potest Ordinarius, *comperiatur* seu *innotescat* postquam dispensatio Romana super impedimento, a S. Sede dispensando, fuerit *impetrata* — non dicitur: petita (2) — i. e. postquam dispensationis rescriptum fuerit acceptum, sive rescriptum fuerit in forma gratiosa sive in forma commissoria (3), tunc nihil obstat quominus Ordinarius

---

(1) Etiam ex potestate ordinaria dispensat Ordinarius in periculo mortis ac in casu urgenti; sed hoc non est attendendum hic, quia, in periculo mortis ac in casu urgenti, non est locus recursui ad S. Sedem, et vix non super omnibus impedimentis dispensabilibus dispensare valet Ordinarius.

(2) Et tamen sunt qui, uti CERATO, o. c., n. 43, inclinantur in admittendam sententiam quod Ordinarius posset suis facultatibus uti, si novum impedimentum innotuerit ante impetratam, sed post *petitam* dispensatonem Romanam; deberet tamen exspectare donec obtentum fuerit rescriptum Romanum. Quod profectò admittere non valemus. In casu, innotescente impedimento post petitam, nondum impetratam, dispensationem Romanam, novus recursus esset instituendus — si tempus sit — ad S. Sedem.

(3) Quod spectat rescriptum in forma gratiosa, non est dubium. Videtur autem idem dicendum, si rescriptum Romanum concessum est in forma commissoria, licet nondum fuerit executioni mandatum: equidem ante hanc executionem nondum censetur ablatum impedimentum in actu secundo, sed plene verificatur tenor canonis 1050, quatenus *dispensatio* est *impetrata* a S. Sede, et non manet nisi ut executioni mandetur; quod valere videtur non tantùm ubi agitur de dispensatione Romana in forma commissoria, cum executore necessario, sed etiam ubi executor est voluntarius.

Censetur impedimentum non esse compertum ante impetratam dispensationem Romanam, licet antea innotuerit nupturientibus vel et parocho, modò ante impetratam illam dispensationem apostolicam non innotuerit *Ordinario*.

utatur suis facultatibus, dispensando super impedimento publico, super quo indultum habet.

Ita si impedimentum minoris gradus innotescat postquam receptum fuerit rescriptum dispensationis Romanae super impedimento majoris gradus, dispensari potest ab Ordinario indultum habente (n. 770) super illo impedimento minore.

In hoc triplici casu exceptionali potest Ordinarius validè et licitè dispensare *seorsim* super impedimento ejus potestati obnoxio. Aliàs servanda est, *saltem ad liceitatem,* norma proposita: pro omnibus nempe impedimentis simul adeunda est S. Sedes, in concursu impedimenti, dispensationem apostolicam exigentis, cum impedimento *publico* super quo *ex indulto* dispensare potest Ordinarius (cum impedimento scil. mixtae religionis vel publico impedimento minoris gradus), quodque innotuit *ante impetratam* dispensationem Romanam (1).

Dicitur: *saltem ad liceitatem;* quia norma de omnibus impedimentis simul relaxandis, et de simultaneo recursu ad S. Sedem, ubi urget, non semper urget *sub poena nullitatis;* ratio enim est habenda dispositionum can. 45 et 1054, juxta quas dicta norma, positis ponendis, non urget ad valorem (2). Cf. infrà, n. 847, sub b/.

784. Quid si dispensatio fuit a S. Sede petita, praetermisso Ordinario.

B. « Si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur » nisi ex gravi ac urgenti causa, et ea lege ut statim S. Sedem de re moneant ». Can. 1048, coll. can. 204, § 2.

Nimirum si, in ordine ad petendam dispensationem super impedimento super quo dispensare potest Ordinarius (sive ex potestate ordinaria sive ex delegata), recursus instituitur directè ad S. Sedem, praetermisso Ordinario, vel si Ordinarius, puta non attendens pro-

(1) Si impedimentum a S. Sede dispensandum pariter publicum est seu fori externi, alia via non datur quam ut utraque dispensatio obtineatur a S. Sede, recursu instituto, pro utroque simul impedimento, ad organon dispensationis pro foro externo. Quodsi impedimentum illud contingit esse occultum seu fori interni, nescio utrum non posset sic procedi: quod nempe Ordinarius dispenset pro foro externo super impedimento publico, super quo facultatem habet, et quod ad S. Poenitentiariam recurrat, postulando ut dispensetur super altero impedimento et simul pro foro interno convalidetur dispensatio episcopalis nulliter data. Et sane, licet Ordinarius dispensaverit, servatur tamen tenor can. 1050, quod nempe adeatur S. Sedes, in casu S. Poenitentiaria, pro omnibus impedimentis. Cf. infrà dicenda, sub 852, de duplici recursu in concursu impedimenti publici cum occulto.

(2) Ita quod spectat dispensationem super impedimento *minoris gradus,* potest, ad tramites can. 1054, ab Ordinario (indultum habente S. C. de Sacr.) *validè* concedi seorsim, in concursu cum impedimento recursum Romanum exigente; irrita autem foret dispensatio, in hujusmodi concursu, seorsim concessa super mixta religione ab Ordinario, indultum C. S. Officii habente.

priam facultatem, recursum jam instituit Romam: equidem non suspenditur Ordinarii potestas (can. 204, § 1), sed ei *non licet,* propter appositionem manus pontificiae, illa potestate uti nisi *ex gravi urgentique causa,* monitaque S. Sede de potestatis usu in casu (c. n. 204, § 2). Ita, si recursus fuerit institutus ad S. Sedem pro obtinenda dispensatione super voto non reservato, vel super occulto crimine absque machinatione, vel super quolibet impedimento minoris gradus (si indultum S. C. de Sacr. habetur), Ordinarius validè quidem (c. 204, § 1) (1), sed *illicitè* (can. 204, § 2), dispensaret, seclusa gravi urgentique causa. Causa *gravis* et urgens adesset, si, pendente recursu ad S. Sedem, inciperet urgere necessitas celebrandi matrimonium, ita ut sine gravis mali periculo differri nequeat usquedum dispensatio apostolica sit obtenta.

Nota 1. Descripta norma applicari posse censetur etiam casui quo ab Ordinario recursus fuerit institutus Romam pro obtinenda dispensatione super impedimento, super quo non habet potestatem (puta super impedimento majoris gradus), si pendente recursu, supervenerit casus canonis 1043 vel can 1045: nihil obstare videtur quominus Ordinarius utatur potestate qua gaudet vi dictorum canonum, salva clausula de monenda S. Sede, post factum (2).

2. Hic sermo est de missis precibus ad S. Sedem. Quodsi preces fuerint a S. Congregatione aut ab Officio Curiae Romanae *rejectae, invalidè* concederet dispensationem Ordinarius loci, absque assensu dicti Officii. Can. 43, coll. suprà, n. 749 (3).

784bis. Quid si gratia ab uno Ordinario fuit denegata et ab alio impetratur.

C. Attendendae dispositiones canonis 44:

§ 1 « Nemo gratiam (in specie dispensationem) a *proprio* Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus » (4).

Casus obtinet quando, denegata dispensatione ab Ordinario cujus

(1) Hucusque a multis docebatur Ordinarium potestate sua privari, in casu, propter invocatam *appositionem manus Pontificiae,* adeo ut *invalidè* dispensaret.

(2) Difficultatem tamen movere potest tenor concessionis quibusdam Ordinariis olim factae, per decr. 18 Maii 1918, quatenus alterius facultatis elargitio subordinabatur conditioni: « si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et *urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu* ».

(3) Etiam *a S. Poenitentiaria* denegatam gratiam invalidè concederet Ordinarius. In can. 43 reservatur quidem jus S. Poenitentiariae, sed hoc ita intelligitur quod derogatio faveat S. Poenitentiariae, quatenus possit ipsa gratiam validè concedere ab alio organo S. Sedis denegatam, non autem quod contra ipsam adhiberi possit, ita ut gratia ab ipsa denegata posset validè concedi ab Ordinario.

(4) Est dispositio *prohibitiva* tantùm, non *irritativa.* — Non prohibetur gratiam, a proprio Ordinario denegatam, ab ejus successore petere, absque denegationis mentione. Ita MAROTO, o. c., p. 263.

subditi sunt oratores, dispensatio petitur et impetratur ab Ordinario, in cujus dioecesi oratores existunt peregrini, si cum peregrinis dispensari potest, vel quando, denegata dispensatione ab Ordinario proprio unius partis, dispensatio sollicitatur ab Ordinario proprio alterius partis (1). Contrà casus non obtinet quando gratia fuit denegata ab Ordinario non proprio (puta in cujus dioecesi peregrinus existit nupturiens): non obstante illius Ordinarii non proprii denegatione, licitè dispensaret Ordinarius proprius, absque denegationis mentione.

§ 2 « Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta hujus denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, *invalida* est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit *validè*, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari » Cf. can. 369, § 2 (2).

785. Tenetur Ordinarius, in utendo potestate delegata, servare stylum Curiae.

D. Ordinarius, *ex indulto* apostolico dispensans super impedimentis, tenetur, in facultatis exercitio, non tantùm servare clausulas indulti, sed etiam *stylum Curiae,* qui praescribitur observandus quando ab ipsa S. Sede dispensatur et rescriptum apostolicum executioni mandatur: servanda nempe sunt, ad valorem respective vel liceitatem, quae S. Sedes ad valorem vel liceitatem respective observari vult in confectione supplicae et in dispensationis apostolicae executione ac instrumenti confectione, ad normam dicendorum infrà, sub n. 844 ss. et 866 ss., quibus locis notabitur, si quaedam praescripta urgent ad valorem, plura, signanter quae spectant extrinsecam supplicae et instrumenti fulminationis formam, injungi pro sola liceitate, idque in quantum rerum, temporum locorumque adjuncta ferre possunt (3).

Debet etiam ex potestate apostolica delegata dispensans, ex-

(1) Idem valere videtur de recursu instituto ad unum Vicarium generalem, postquam gratia ab altero Vicario generali ejusdem dioecesis fuerit denegata. Cf. *Collat. Tornac.*, 1919, p. 15.

(2) Haec dispositio spectare videtur solum casum quo Episcopus et Vicarius generalis sunt ejusdem dioecesis, adeo ut Vicarius generalis proprius validè dispensare posset, idque absque denegationis mentione, postquam *alienus* Episcopus dispensationem denegaverit. Ita etiam CLAEYS BOUUAERT-SIMENON, o. c., n. 203; item VERMEERSCH-CREUSEN, n. 128.

(3) Cf. S. C. de P. F., 22 Nov. 1860 (*Collectan.*, n. 1487); resp. S. Poenitentiariae 1 Junii 1858, apud FEYE, *De Imp.*, n. 698, et praesertim decr. C. S. O. 15 Junii 1875 (*Collectan.*, n. 1491), ubi ad dubium: « An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario juxta consuetas facultates apostolicas concessa, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit informis, propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatae, vel tempus ad quod expressa non sint, vel quia telegraphicè paucis verbis, vel oretenus tantùm concessa sit », respondetur: « Affirmative, dummodò reapse mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestate raptoris non existat (quae clausula de raptu solebat inseri in quinquennalibus Ep. Belgii); clausulas vero servandas adamussim esse, quantum tamen rerum, temporum locorumque adjuncta ferre possunt ». Cf. in specie n. 877 et 887 s. — Supponitur etiam quod modus servandus ipse non « fuerit a delegante praescriptus tanquam conditio » (can. 203, § 2).

pressam indulti mentionem facere. Ita can. 1057 (1). Solet etiam inseri, in dispensationis instrumento, tenor indulti.

Contrà, ubi Episcopus dispensat ex potestate *ordinaria,* decet quidem ut, in quantum fieri potest, sese conformet stylo Curiae, sed id ad strictam liceitatem et a fortiori ad dispensationis valorem non requiritur: et ita sufficit ut, in fulminationis actu, substantialia elementa praesto sint, ut nempe, supposita causa proportionata, dispensationis actus rite exprimatur ac sufficienter determinetur impedimentum relaxandum (2).

E. Quod spectat **concursum duplicis potestatis:**

785bis. Circa concursum potestatis duplicis.

1° Quando Ordinario praesto est, in casu determinato, potestas *delegata* simul ac potestas *ordinaria,* usurpanda videtur potestas ordinaria, relicta potestate delegata: haec enim censetur concessa, attentis adnotationibus ad n. 769, ut defectui potestatis ordinariae suppleatur, adeoque non videtur adhibenda nisi deficiente potestate ordinaria.

Ita, si dispensandum est super voto castitatis non reservato (sive in ordine ad petendum debitum, sive) in ordine ad contrahendum matrimonium, recurrat Ordinarius ad suam potestatem ordinariam, quam habet vi can. 1313, num. 1, potius quam ad potestatem delegatam, vi indulti S. C. de Sacr. (3).

Pariter, in periculo mortis vel in casu urgente, de quo in can. 1045 (4), usurpanda est potestas ordinaria, a can. 1043 et 1045 officio Ordinarii adnexa, etiam pro dispensandis impedimentis ad quae extenditur indultum S. C. de Sacr., sub 2°.

2° Quando, respectu ejusdem impedimenti *in foro interno* dispensandi, Ordinario competit *duplex potestas delegata,* una, vi indulti S. Poenitentiariae, altera, vi indulti S. C. de Sacr. (quod vidimus pro utroque foro posse adhiberi): praeferenda videtur potestas delegata a S. Poenitentiaria, posthabita potestate delegata a S. C. de Sacramentis. Poenitentiaria enim est organon cujus proprium forum est forum internum, in eoque habetur propria illius competentia, dum S. C. de Sacr. potius est organon cujus proprium forum est forum externum.

---

(1) Dispositio can. 1057 imponitur ad solam liceitatem. Cf. can. 11.

(2) Licet can. 1057 non spectet dispensationis concessionem ex potestate ordinaria, opportune tamen in dispensando invocatur canon, vi cujus dispensatur.

(3) In concursu potestatis delegatae cum potestate quasi-ordinaria dicta, quae sub disciplina Codici anteriore agnoscebatur Episcopo (suprà, n. 764, in nota), docebatur utendum esse potestate delegata potius quam potestate quasi-ordinaria, nec ipsi suffragari potestatem quasi-ordinariam nisi in defectu potestatis delegatae. Ratio autem erat quia dicta potestas quasi-ordinaria nitebatur sola praesumpta seu tacita concessione S. Sedis, cui meritò praeferenda erat potestas a S. Sede expresse delegata; nunc autem potestas ordinaria Ordinariis agnoscitur expresse.

(4) Notavimus, suprà, n. 770, eamdem urgentiam non requiri in indulto S. C. de Sacr., sub 2°, quam in can. 1045, adeoque hic latius patere potestatem delegatam quam potestatem ordinariam.

Ita, si dispensandum occurrit super occulto crimine, absque machinatione, eligenda et invocanda esset potestas delegata, a S. Poenitentiaria accepta, potius quam potestas delegata a S. C. de Sacr. accepta, nisi agatur de dispensatione danda non subdito, cum quo, intra dioeceseos limites peregrinante, vidimus ab Ordinario posse dispensari vi indulti S. C. de Sacram., non vero vi indulti S. Poenitentiariae.

Item, si dispensandum est votum castitatis reservatum, in ordine ad petendum debitum, recurrat Ordinarius ad indultum S. Poenitentiariae, potius quam ad indultum S. C. de Sacr., salva rursus exceptione modò facta pro casu quo agitur de non subdito.

Nota. Normae propositae, servandae in concursu duplicis potestatis, non urgent *ad valorem;* imo non urgent *ad strictam liceitatem,* ac sunt potius servandae *de congruo.*

786. Circa legitimationem prolium.

F. Dispensando super impedimento dirimente, conceditur quoque eo ipso **legitimatio prolis,** non adulterinae nec sacrilegae: modò dispensetur ex potestate ordinaria vel ex potestate delegata per indultum generale (can. 1051). Circa quam dispositionem nota:

Quando Ordinarius utitur sua potestate ordinaria vel delegata generali, vi indultorum de quibus suprà:

a/ Si dispensat *in forma gratiosa,* uti fieri solet, ipso eodem actu quo dispensat, legitimat prolem. Potestas scil. dispensandi ordinaria vel delegata generalis (1) non modò importat potestatem legitimandi, sed ejus exercitium in forma gratiosa legitimationem ipso facto inducit (2).

b/ Si dispensat *in forma commissoria,* debet executor, sive voluntarius sive necessarius, actu ab impedimenti relaxatione distincto, prolem, si casus ferat, legitimare, ad hoc ab Ordinario, dispensationis auctore, accepta facultate.

Idem valet pro casu quo Ordinario committitur executio dispensationis apostolicae, in forma commissoria concessae.

Pro practico dictorum momento, in redactione supplicae, cf. n. 849, coll. n. 876, in nota.

c/ A beneficio legitimationis excipitur proles *adulterina* necnon proles *sacrilega,* quarum notiones videsis sub n. 285. Cf. etiam infrà, n. 849.

---

(1) Censetur potestas delegata *generalis,* seu delegata per indultum generale, non modò quando conceditur in perpetuum, sed etiam ad praefinitum tempus, vel ad certum numerum casuum. Cf. can. 66, § 1, coll. suprà, n. 753.

(2) In disciplina anteriori, potestas dispensandi ordinaria vel delegata generalis importabat *potestatem legitimandi* prolem; per ipsam vero dispensationem, ex descripta potestate concessam, non censebatur proles ipso facto legitimari, sed legitimatio debebat concedi actu a dispensatione distincto.

787. Principia circa potestatem delegandi.

G. Quod spectat **delegationem** potestatis dispensandi, en normas attendendas, suprà jam memoratas, sub n. 118:

1° Potestatem *ordinariam* potest Ordinarius pro arbitrio *delegare* sive ex toto sive ex parte, sive generaliter sive particulariter, sive habitualiter sive transeunter, nisi aliud expresse jure caveatur (1).

Ille autem cui Ordinarii potestas ordinaria est delegata, si delegatio fuit ad universalitatem causarum, potest subdelegare, sed in singulis casibus tantùm; aliàs non potest subdelegare, nisi id expresse fuerit concessum. Can. 199, § 3 et § 4.

2° Facultates a S. Sede (2) *delegatae* possunt *per se,* ex ipsa juris dispositione (can. 199, § 2), ab Ordinario *subdelegari,* juxta adagium juris: « delegatus a Principe supremo subdelegare potest »; possunt autem subdelegari sive *ad actum,* seu transitoriè ad casum particularem, sive *habitualiter et generaliter.*

Excipitur: si electa fuerit industria personae (suprà, n. 753), vel si subdelegatio fuerit prohibita aut restricta (can. 199, § 2): quae altera restrictio occurrit in indulto S. Poenitentiariae pro foro interno, ac in indulto C. S. O., non autem in indulto S. C. de Sacr. (3).

Nota 1. Nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit. Ita disponit can. 199, § 5 (4).

2. In quantum dispensans habet potestatem delegandi aut subdelegandi, sive ad actum sive habitualiter, in tantum etiam potest dispensare *in forma commissoria,* cunc executore voluntario (5).

---

(1) Can. 199, § 1. In nota remittitur ad concessionem anni 1888: in ea occurrebat restrictio potestatis delegandi habitualiter ad solos *parochos.* Quod autem spectat potestatem ordinariam, qualis in Codice, intrà limites num. 755-767 descriptos, agnoscitur Ordinario, nulla resctrictio illi affertur in potestate delegandi; adeoque indiscriminatim ac illimitate delegare potest Ordinarius suam amplam potestatem dispensandi, in periculo mortis vel in casu urgenti, necnon, extra illas hypotheses, suam potestatem dispensandi super votis non reservatis ac super impedimentis dubiis.

(2) Nomine S. Sedis hic veniunt, non solum S. Pontifex, sed etiam Congregationes et Tribunalia, signanter S. Poenitentiaria, et Officia Romana. Can. 7, coll. n. 749.

(3) In tenore indulti S. C. de Sacr. (suprà, sub n. 770), non inseritur prohibitio subdelegationis nec ejus restrictio, vel imo expresse agnoscitur potestas subdelegandi. Contrà in indulto S. Poenitentiariae (n. 768), adest clausula restrictiva, eaque eadem quae olim inserebatur, quatenus scil. de norma non possit concessa facultas subdelegari *habitualiter* nisi Canonico Poenitentiario aut Vicariis foraneis; reliqui confessarii possunt subdelegari *in solo casu particulari,* nisi, « ob peculiares causas aliquibus confessariis » ab Ordinario specialiter subdelegandis, per tempus determinandum, visum fuerit opportunum illas communicare. Item in tenore facultatis C. S. O., super mixta religione (in nota ad n. 770), restringitur potestas subdelegandi facultatem sanandi in radice ad *solos parochos* et quidem pro *singulis vicibus* tantùm. Etiam facultates Nuntiorum subdelegari tantùm possunt « in casibus particularibus,... episcopis qui in loco suae jurisdictionis sunt ».

(4) Illa expressa concessio potestatis iterum subdelegandi videtur debere procedere, in casu can. 199, § 3, ab inferiore potestatem ordinariam habente; in casu autem can. 199, § 2, a R. Pontifice vel ab ejus delegato habitualiter.

(5) Nihil obstat quominus dispensans, licet omni potestate delegandi vel subdelegandi destitutus, constituat executorem necessarium, cum hic nullam exerceat jurisdictionem, sed merum ministerium.

3. Quod spectat subdelegationem potestatis exequendi rescriptum dispensationis in forma commissoria, cf. infrà, n. 864.

H. Circa **cessationem** potestatis Ordinarii:

788. Quomodo cesset potestas Ordinarii.

1° Potestas *ordinaria* non cessat: neque per vacationem S. Sedis, a qua derivatur (can. 208, coll. can. 183, § 2), neque etiam per vacationem dioecesis, cum, moriente aut dimittente officium Episcopo, cesset quidem potestas in Vicario Generali, sed servetur in Capitulo et Vicario Capitulari (can. 198, § 1, coll. can. 431 s.).

2° Potestas *delegata* Ordinarii *habitualis* seu generalis, quam, juxta notata sub n. 753, solam passim intendimus, pariter, non cessat per vacationem Sedis Apostolicae (1), nisi aliter ex clausulis indulti appareat (can. 207, § 1, can. 61) (2); neque cessat per mortem aut dimissionem Episcopi, cui concessa fuit facultas, excepto casu quo aliter cautum sit aut electa fuerit industria personae (can. 66, § 2) (3).

Cessaret autem, ad tramites can. 207, § 1, vel elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit potestas (4), vel « revocatione delegantis delegato directe intimata, aut renuntiatione delegati deleganti directè intimata et ab eodem acceptata ».

789. Notanda.

Nota a/ Juxta can. 207, § 2, per modum derogationis ad normam can. 207, § 1, « potestate *pro foro interno* concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (5).

---

(1) Haec norma de non cessante potestate habitualiter delegata per mortem S. Pontificis, non tantùm valet pro indultis concessis a SS. Congregationibus vi suarum facultatum habitualium, sed etiam pro indultis forte concessis aut ab ipso S. Pontifice aut a SS. Congregationibus vi specialis commissionis Pontificiae, seu ex audientia Sanctissimi. Cf. suprà, n. 750.

(2) Talis clausula esset: *ad beneplacitum nostrum, donec voluero;* tunc censetur, resoluto jure delegantis, cessare jus delegati: posset tamen opus incoeptum perficere, seu rem non integram integrare. Cf. MAROTO, o. c., n. 713, sub I, 1°. — Alia adhuc exceptio memoratur in can. 207, § 1, coll. can. 61; sed haec non spectat potestatem delegatam generalem, sed potius potestatem ad casum particularem restrictam.

(3) Moriente Episcopo, extinguitur potestas Vicarii generalis, sed potestas Episcopi delegata transit « ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt ».

(4) Si dispensationis opus jam fuerit ante elapsum tempus incoeptum, rursus posset dispensatio adhuc elapso tempore concedi, cum res jam non sit integra. Cf. infrà, n. 863. Porro tempus durationis indulti incipit currere, non a die datae, sed a die receptionis. Ita S. C. de P. F. 2 Apr. 1640 et 22 Jan. 1759. Cf. *Periodica de re canonica et morali,* 1922 (XI), p. (80) s.; aliter VROMANT, o. c., p. 19 s.; in computatione autem a primus dies ne computetur, ad normam can. 34, § 3, n. 3. — Quod spectat momentum a quo incipit indultum *valere,* est potius momentum *datae,* nisi aliud exprimatur. Cf. can. 37 et 38.

(5) Similis dispositio solet ad abundantiam inseri in *Pagella* S. Poenitentiariae, ut nempe, « si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus uti contingat (Episcopum...), dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae ».

In indulto, *Ordinariis missionum* concedi solito, de quo sub n. 770bis, universim applicatur norma sequens: « Quod si forte ex oblivione vel ex inadvertentia ultra tempus... hisce facultatibus Ordinarium uti contingat,... dispensationes... exinde impertitae ratae atque validae habeantur. Insuper, datis ab Ordinario precibus pro renovatione seu prorogatione earumdem facultatum, ipsae suo robore perseverare censeantur usquedum responsum S. C. ad eumdem Ordinarium pervenerit ».

b/ Quod spectat cessationem potestatis Ordinarii mere *exequendi* dispensationem in forma commissoria cum executore necessario vel cum executore voluntario, dicetur infrà, sub n. 864[bis].

I. De **suppletione** potestatis et de **usu** potestatis ab Ecclesia *suppletae.*

790. De suppletione Ecclesiae et usu potestatis suppletae.

1° Juxta can. 209, Ecclesia jurisdictionem, et in specie potestatem dispensandi, supplet, in quantum potestas a parte rei deficit, in duobus casibus: a/ in errore communi; b/ in dubio positivo et probabili.

Jamvero quod spectat casum *erroris communis,* jam notavimus suprà, n. 109, plures Auctores (1), idque non sine fundamento, favere sententiae juxta quam non requiritur error actualiter communis, sed virtualiter communis sufficit; etiam, uti ibidem observatum, non postulatur titulus coloratus.

Quod autem spectat casum *dubii,* non sufficit dubium negativum, sed requiritur dubium positivum, i. e. objectivo fundamento nitens, illudque probabile, seu nitens ratione probabili; non refert utrum sit dubium *juris,* puta circa extensionem potestatis, circa interpretationem conditionum quae ad potestatis exercitium requiruntur, vel utrum sit dubium *facti,* puta circa adimpletionem conditionum vel circa factum extinctionis facultatum; imo, cum ad suppletionem Ecclesiae jam non requiratur titulus coloratus, non impedit quod dubium versetur circa factum potestatis acceptae.

2° Quodsi quaeratur an et quousque quis uti possit dispensandi potestate, in casu quo Ecclesia eam supplet, si opus sit:

a/ Si ipse dispensans certò novit se, seclusa Ecclesiae suppletione, potestate carere, non posset, supposito *errore communi,* dispensare nisi in gravi necessitate fidelium: non potest enim Ecclesiam scienter cogere ad supplendum potestatis defectui, nisi data causa tali ob quam Ecclesia suppletionis remedium induxit.

b/ In casu *dubii* positivi et probabilis, requiritur aliqua causa, ast non postulatur causa gravis, sed quaecumque causa justa sufficit. Si post factum innotescat dispensantem, antecedenter ad Ecclesiae suppletionem, potestate caruisse, equidem nova dispensatione non est opus.

Circa quam dispositionem opportune observat VERMEERSCH, *Periodica,* XI, p. (78), eam spectare Ordinarium, non vero missionarium; et ita, si missionarius « usus sit facultate dispensandi ultra tempus sibi ab Ordinario assignatum, nullam, ex praesenti clausula, firmitatem dispensatio acquiret » (salva utique manet dispositio can. 207, § 2); contrà, si « Ordinarius communicaverit, post elapsum tempus, facultatem dispensandi in impedimentis, missionarius subdelegatus validè dispensabit », etiam in casu quo ipse conscius esset inadvertentiae Ordinarii. Cf. hic (quod spectat priorem observationem), in alium sensum, CREUSEN, *N. R. th.,* 1924, p. 178 s., et VROMANT, o. c., p. 24.

(1) Auctoribus ibidem citatis addi possunt WERNZ-VIDAL, o. c., II, n. 381; MONIN, apud *Ephem. theol. Lov.,* 1924, p. 437, ac VROMANT, o. c., p. 10.

Articulus 3s. **De sacerdote.**

Paragraphus Prima. *De objecto potestatis sacerdotis.*

791. Praenotanda.

Praenota sacerdoti (qui non sit Ordinarius) non tantum non competere dispensandi potestatem propriam, sed ipsi non posse agnosci ullam potestatem vicariam dispensandi super impedimentis *dubiis,* quae competit, vi can. 15, Ordinario, intra limites suprà, sub n. 755 s., descriptos; pariter eidem sacerdoti non agnosci generalem potestatem, de qua in can. 81; ipsi etiam non competere potestatem *implicitè* concessam, de qua suprà, n. 753, quae solis competit Ordinariis; juxta can. 83, non valet dispensare, nisi dispensandi potestas *expresse concessa sit:* sive *a jure* sive *ab homine,* hoc attento quod, juxta notiones datas sub n. 753, dicitur potestas *ordinaria,* utique vicaria, si a jure ita conceditur ut adnectatur officio, *delegata* vero si ab homine conceditur vel ita a jure conceditur ut non adnectatur officio sed committatur personae.

Jamvero 1° in disciplina novi Codicis, *expresse* conceditur non exigua dispensandi potestas *parochis, confessariis* ac *simplicibus sacerdotibus* (1); insuper 2°, pro variis locis et adjunctis, contingit ab homine concedi varias dispensandi facultates.

Et quidem

792. Determinatur potestas a jure concessa 1o parocho: a/ in periculo mortis;

I. Quod spectat potestatem **a jure concessam:**

A. **Parochus.**

1° *In periculo mortis,* eadem potestate pollet qua gaudent locorum Ordinarii, juxta descriptionem factam sub n. 757 ss., *modò loci Ordinarius adiri nequeat.* Can. 1044.

Sola igitur differentia inter potestatem Ordinarii, l. c. descriptam, et potestatem quae competit parocho, in hoc est quod, ad exercitium potestatis parochi, requiritur impossibilitas adeundi Ordinarium; si Ordinarius adiri potest, parochus omni potestate destituitur, et ad Ordinarium recurrere debet pro dispensatione impetranda.

Porro adest *impossibilitas* adeundi Ordinarium, quotiescumque nupturiens periclitans timetur moriturus vel sensibus destituendus, antequam recursus instituatur et dispensatio Ordinarii impetretur (2); etiam adest quando, non adeo urgente mortis discrimine,

---

(1) Circa varias facultates parochis vel aliis sacerdotibus successive concessas, ante Codicem, cf. TRIEBS, o. c., I, p. 174 s.

(2) Censetur ad Ordinarium non posse recurri tempestive, si aliter recurri nequeat

adiri quidem posset Ordinarius, sed non sine gravi aliunde orituro gravamine, signanter ob periculum violandi sigillum aut secretum, praesertim professionale (1); dicta impossibilitas censetur manere in casu quo adiri potest inferior ab Ordinario delegatus, non vero ipse Ordinarius; tenor enim can. 1044 (et 1045, § 3) expressis verbis loquitur de impossibilitate adeundi *Ordinarium* (2).

2° *Extra periculum mortis:*

793. b/ extra periculum mortis;

Juxta can. 1045, § 1 et § 2, potest parochus, *in casu urgenti,* suprà, sub n. 765, descripto, dispensare super iisdem impedimentis, sub iisdem cautelis, super quibus impedimentis et sub quibus cautelis dispensare potest Ordinarius, juxta descriptionem factam suprà, sub n. 764: hac salva duplici restrictione, in can. 1045, § 3, inserta, quod nempe a/ agatur de *casu occulto,* et quod b/ Ordinarius adiri nequeat, vel nonnisi cum periculo violationis sigilli aut secreti, ad normam modò dictorum sub n. 792.

Ad hoc nimirum ut parochus, extra mortis periculum, dispensare possit, requiritur et sufficit a/ quod praesto sit *casus urgens,* sub n. 765 descriptus; b/ quod *Ordinarius adiri non possit,* sive quia nimis urget matrimonii celebratio aut convalidatio quam ut ad eum recurratur, sive quia adiri nequit sine periculo laedendi sigillum sacramentale, aut secretum professionale, vel etiam secretum simpliciter commissum, vel et naturale quod sine gravi incommodo revelari nequit; c/ quod agatur *de casu occulto.*

Porro quod attinet hanc tertiam conditionem, quod nempe agatur *de casu occulto:* hic obtinet non tantum ubi agitur de impedimento occulto, i. e. natura simul et facto occulto, sed etiam, saltem probabiliter, adeoque, attento can. 209, tutò, quando agitur de impedimento natura publico, sed facto occulto (3).

---

nisi via telegraphica aut telephonica; aliud est si adiri queat per litteras « par expres » dictas, vel per nuntium. Cf. *Collat. Brug.,* XIII, p. 405, coll. XII, p. 408; suprà, n. 765.

(1) Cf. suprà, n. 131 et mox infrà, sub n. 793.

(2) Cf. suprà, n. 763, in nota. In hunc sensum scribit VERMEERSCH, *Theol. mor.,* III, n. 758; in contrarium vero sensum, VLAMING, o. c., n. 412.

(3) Profectò altera conditio, de impossibilitate scil. adeundi Ordinarium, passim non obtinebit nisi ubi obstare contingit impedimentum natura et facto occultum seu fori interni. Sed reponi posset quod conditio illa verificari queat etiam in casu impedimenti natura publici, facto occulti. Ita v. gr. possent nupturientes, quorum matrimonio, hic et nunc celebrando, obstare innotescit impedimentum affinitatis, cujus existentia in populo ignoratur, in eo esse ut, celebrato matrimonio, illico profisciscantur, longinquum iter agressuri et alienam regionem petituri: nonne casus intentus adesset? nonne opportunum foret dispensari posse a parocho?

Caeterum in tenore canonis 1045, § 3, non est sermo de *impedimentis* occultis, sed de *casibus* occultis, et casus impedimenti facto occulti, quantumvis natura publici, merito dici posse videtur casus occultus. Etiam in sententia, parochi potestatem ad impedimenta fori externi (facto occulta) extendente, melius intelligitur cur dispositio can. 1046 sequatur canonem 1045, et non inseratur immediatè post canonem 1044: quatenus etiam vi can. 1045 dispensatio concedi possit pro foro externo, puta a parocho

794. 2° confessario ;

B. **Confessarius** (1) gaudet eadem potestate dispensandi qua gaudet parochus, tam *in periculo mortis* quam, extra periculum mortis, *in casu urgenti,* hac salva restrictione quod illa potestate uti nequeat, in utroque casu, nisi *pro foro interno, in actu sacramentalis confessionis tantum* (2), adeoque, ut censemus, super solis impedimentis fori interni, *occultis* scil. *natura simul et facto* (3).

Restrictio potestatis confessarii ad impedimenta natura et facto occulta expresse quidem non inseritur in tenore can. 1044, et 1045, § 3, sed videtur implicite contineri in ipsa indole muneris confessarii et fori interni sacramentalis, coram quo solo ipsi competit dispensandi potestas.

Censemus proinde confessarium, cui revelatur in confessione impedimentum natura publicum, licet facto occultum, non posse super illo dispensare qua confessarium (4): deberet poenitentem remittere ad parochum, a quo obtineat dispensationem in foro externo; vel, si parochus adiri nequit aut non tempestive, potest confessarius, si praesto est mortis periculum, pro foro externo dispensare, qua sacerdos, ad normam can. 1098, n. 2 (can. 1044), impedimento extra confessionem manifestata; extra vero periculum mortis, ubi practicè vix est locus privilegio can. 1098 (infrà, n. 795): si instat matrimonii celebratio, passim, cum agatur de impedimento natura publico, poterit matrimonium paululum differri usquedum parochus dispensaverit, vel, si in casu extraordinario et rariori non potest impedimentum revelari, v. gr. votum in religione emissum, equidem posset celebrari matrimonium, applicando solutionem olim frequentius applicandam in casu perplexo, de quo infrà, n. 839.

---

super impedimento natura publico et facto occulto. — Quaenam sint impedimenta natura publica, cf. n. 465. Hanc interpretationem propugnant ARENDT, *N. R. th.*, 1920, p. 261 ss.; CHELODI, o. c., n. 44; GENICOT-SALSMANS, o. c., n. 523, in nota; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* II², n. 311; CAPPELLO, o. c., n. 236, ad d/; BLAT, o. c., n. 441; SCHÄFER, o. c., p. 114, attenta tamen nota 105; SCHAEPMAN, *Ned. kath. Stemmen,* 1923, p. 86 s.; CERATO, o. c., p. 67; TRIEBS, o. c., p. 178 s.; FERRUGIA, o. c., n. 87; DURIEUX, o. c., n. 182; OESTERLÉ-BRENNINKMEYER, o. c., p. 41 ss.; VLAMING, o. c., n. 412; *Vie diocésaine,* 1920, p. 250; STANDAERT, apud *Collat. Gandav.*, 1926, p. 6. — Contradicunt WERNZ-VIDAL, o. c., n. 428; HILLING, *Eherecht,* p. 68; necnon OJETTI, apud *Jus Pontif.*, VI (1926), p. 56 ss., qui existimat « vocem illam (casibus) esse synonymam vocis (impedimenti) eamque appositam ibi fuisse, loco alterius, ob eam tantum rationem quod melius congruebat formationi periodi ».

(1) Nota quemvis sacerdotem confessarii munere frui, *in periculo mortis,* erga quamcumque personam (can. 822); extra periculum mortis, confessarii non sunt nisi sacerdotes jurisdictionem adepti, ad tramites juris (can. 874 et 875), et intra limites jurisdictionis acceptae.

(2) Immeritò LEITNER, o. c., p. 336, potestatem confessarii, in casu urgenti, secus ac in mortis periculo, extendit ad forum *non sacramentale;* restrictio enim canonis 1044, quae deest in can. 1045, § 3, ex natura rei subintelligitur.

(3) Natura occulta impedimenta enumerantur suprà, n. 465. — Quid importet actus sacramentalis confessionis, cf. infrà, n. 882.

(4) In hunc sensum opinantur CAPPELLO, o. c., n. 238; HILLING, apud *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1922, p. 11-13, et 1925, p. 101 ss., ac *Eherecht,* p. 68; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 428; *Th. Prakt. Quartalschr.*, 1922, p. 466 ss.; FERRUGIA, o. c., n. 89; SCHÄFER, o. c., p. 111; TRIEBS, o. c., p. 176 s., quibus accesserunt VERMEERSCH-CREUSEN,

795. 3° simplici sacerdoti;

C. **Simplex sacerdos,** qui non sit parochus nec confessarius, eadem ac parochus potitur potestate dispensandi, in periculo mortis respective et in casu urgenti, quando ad assistendum matrimonio vocatur in casu can. 1098, § 2, quando scil. matrimonio assistit in defectu Ordinarii vel parochi vel sacerdotis delegati, qui sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeunt, ad normam dictorum suprà, sub n. 131. Ita can. 1044 et 1045, § 3 (1).

Porro sacerdos, puta vicepastor, a parocho delegatus ad assistendum matrimoniis (can. 1096), non constituitur in casu can. 1098, adeoque, stricte inhaerendo tenori legis ipsi non competit descripta potestas; et sic ad dispensandum, in periculo mortis (aut in casu urgenti), minus valeret hujusmodi vicepastor quam simplex sacerdos extraneus. Cui potestatis defectui non suppleret potestas quam dictus vicepastor habet tanquam confessarius, cum hujusmodi potestas limitetur, juxta modò proposita, ad impedimenta fori interni, natura scil. simul et facto occulta.

Hanc autem anomaliam, si theoreticè et ad apicem juris admittenda foret, practicè non esse urgendam docent nonnulli Auctores, uti CAPPELLO, o. c., n. 236, sub e/; VERMEERSCH, *Theol. Mor.*, III, n. 758; STANDAERT, *Collat. Gand.*, 1926, p. 7; LEITNER, o. c., p. 336, et HARING, apud *Theol. prakt, Quartalschr.*, 1926, p. 595 s. (2), sacerdoti ad assistendum delegato eamdem agnoscentes potestatem ac sacerdoti, in casu can. 1098 constituto. Cui benignae interpretationi favet decr. S. C. de Sacr., 29 Julii 1910, citatum in nota ad can. 1044, coll. decr. S. C. de Sacr., 14 Maii 1909 et 16 Aug. 1909, ibidem citatis. Cf. *Collat. Brug.*, XV, p. 581 ss., et XIV, p. 442 ss. ac 562 ss.

Epitome, II², n. 312; item OJETTI, apud *Jus Pontif.* (1926), VI, p. 61, ubi notat quod etiamsi casus occultus comprehenderet impedimenta quoque natura publica et facto occulta, quod spectat parochum, ad illa non esset extendenda potestas confessarii.

Contrà ARENDT, l. c.; GENICOT-SALSMANS, o. c., n. 523; VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III, n. 758; STANDAERT, apud *Collat. Gandaven.*, 1926, p. 8 ss., censent confessarium qua talem posse dispensare, vi can. 1045, § 3, super impedimentis facto occultis, etiam natura publicis, super iisdem scil. casibus occultis super quibus dispensare valet, vi ejusdem canonis, parochus. Quinimo non desunt Auctores, uti OESTERLÉ-BRENNINCKMEYER, o. c., p. 13 ss.; *Theol. Quartalschr.*, 1924, p. 49 ss.; *Rev. eccl. de Metz*, 1923, p. 81 s., qui eousque procedunt ut confessario qua tali agnoscant potestatem dispensandi, in mortis periculo, super impedimentis natura simul et facto publicis, rursus aequiparantes confessarium, quoad potestatem dispensandi, parocho quem modò vidimus, in periculo mortis, super dictis impedimentis posse dispensare, simul ac super forma celebrationis. Quam logicam conclusionem, quantumvis abnormem, non rejicit STANDAERT, l. c., sicuti eam admiserant, in priori editione, VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome*, n. 354.

(1) Rarius locus erit, in nostris regionibus, privilegio can. 1098, extra periculum mortis, cum debeat moralis impossibilitas parochi adeundi praevideri per mensem duratura, nec videatur, attentis dictis suprà, n. 135 ss., ad illam moralem impossibilitatem sufficere prohibitio legis civilis.

(2) Ibidem notat quomodo LEITNER, *Handb. der kath. Kirchenr.*, IV (1924), p. 313, suadeat ut parochus vicepastori, simul cum delegatione ad assistendum matrimonio, concedat etiam delegationem ad dispensandum, vi can. 1044.

Nota. Pro accuratiore descriptione potestatis parocho, confessario et simplici sacerdoti vindicatae, ac determinatione ejusdem extensionis, pro collatione etiam illius potestatis cum potestate dispensandi a Pio X concessa, recolenda sunt hic quae suprà sunt proposita sub n. 757-765.

796. 4° superiori religionis clericalis exemptae.

D. **Superiores** *religionis clericalis exemptae* possunt, vi can. 1313, n. 2, dispensare, extra periculum mortis et casum urgentem, *super votis non reservatis* (1), dummodò dispensatio ne laedat jus aliis quaesitum. Restringitur autem eorum potestas erga professos, novitios aliosque in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis (can. 514, § 1).

II. Quod spectat potestatem **ab homine concessam:**

A. *Confessarii:*

797. Determinatur potestas ab homine concessa,

1° Qui gaudent *Pagella S. Poenitentiariae* dispensare possunt super occulto *crimine, absque machinatione,* in matrimonio *contracto* et *contrahendo.* Cf. n. 768.

2° In variis dioecesibus varias facultates accipere solent, *ab Ordinario* delegatas aut subdelegatas.

798. signanter confessariis.

Ita, in dioecesi Brugensi, ad dispensandum super *votis non reservatis, habitualiter* delegantur sequentes confessarii: parochi-decani seu vicarii foranei, confessarii ad missionem deputati, necnon communes confessarii, confessionem excipientes in diebus privilegiatis (2). Cf. suprà, n. 231, ubi facultatis tenor adaptandus est tenori praesenti.

Item ad dispensandum, in contractis et contrahendis, super *occulto crimine, absque machinatione,* habitualiter subdelegantur: canonicus Poenitentiarius necnon decani. Ita decr. Congr. prosyn. anni 1923, sub n. VIII.

B. Possunt varii sacerdotes, pro opportunitate, ab Ordinario habitualiter subdelegari ad dispensandum etiam pro foro externo super impedimentis matrimonii, ad quae extenditur delegata Ordinarii potestas fori externi, suprà, n. 770, descripta, attentis tamen restrictionibus, de quibus suprà, sub n. 787.

Nota. Circa potestatem decanis delegari solitam, in dioecesi Brugensi, dispensandi super *bannis,* cf. suprà, n. 63, hoc attento quod, juxta dicta sub n. 476, bannorum omissio non constituit impedimentum. — Circa facultatem dispensandi super voto castitatis reservato, *in ordine ad petendum debitum,* cf. suprà, n. 231 (3).

---

(1) Cf. suprà, n. 231, coll. n. 767.

(2) Sunt nempe dies in quibus communes confessarii absolvere possunt a censuris, nimirum: in festo omnium sanctorum et per octavam, in adoratione perpetua et per octavam, tempore XL horarum, ac per triduanas supplicationes in honorem SS^mi. Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 395.

(3) De dispensatione super prohibitione dioecesana matrimonii *tempore feriato* celebrandi, jam non est loquendum, cum abrogata sit illa prohibitio, in qua olim dispensare poterant decani. Cf. suprà, n. 199; possunt autem nunc decani permittere,

PARAGRAPHUS SECUNDA. *De natura potestatis sacerdotalis.*

Duplex hic tangitur quaestio: *prima,* utrum potestas sacerdotalis sit ordinaria vel delegata; *altera,* pro quonam foro censeatur data.

Ad 1[m]:

A. Potestas *a jure concessa:*

799. Quaenam potestas a jure concessa sit ordinaria, quaenam delegata.

1° *parochis* (n. 792 s.), in utroque casu, est potestas *ordinaria,* utpote a jure officio adnexa; est autem potestas ordinaria *vicaria.* Cf. suprà, n. 753.

2° Idem dicendum de potestate, canone 1313, § 2, concessa *Superiori religionis* clericalis exemptae, de qua sub n. 796.

3° Quod autem spectat potestatem a jure collatam *confessario* (n. 794), et *simplici sacerdoti,* in casu canonis 1098, § 2 (n. 795), plerique Auctores hodierni (1) nolunt illam habere uti ordinariam, sed uti potestatem *a jure delegatam:* quibus, attento minori momento practico (2), jam amplius nolumus contradicere, licet illorum argumento nondum omninò convicti (3). Excipitur potestas canonici poenitentiarii, cujus potestas est ordinaria, juxta can. 401.

---

vi delegationis factae ab Ordinario, benedictionem nuptialem sollemnem, tempore clauso. Cf. n. 198.

(1) Ita DE MEESTER, apud *Collat. Brug.,* XXI, p. 238 ss.; STANDAERT, apud *Collat. Gandav.,* 1926, p. 6 s.; WERNZ-VIDAL, o. c., V, n. 426, coll. II, n. 366; TRIEBS, o. c., p. 180; VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I, n. 277; CAPPELLO, o. c., n. 238, sub fine. Addi possunt Auctores, n. 753, citati, qui ipsius Ordinarii potestatem habent uti delegatam, utique a jure.

(2) Quod potestas a jure concessa confessario ac simplici sacerdoti dicatur ordinaria vel delegata, eadem principia et normae ipsi applicantur quoad determinationem subjecti erga quod exerceri potest, quoad potestatis interpretationem necnon quoad usum ac exercitium et cessationem ejus. Sola differentia induci posset quod attinet delegabilitatem potestatis, quatenus potestas a jure delegata subdelegari quidem possit, sed non iterum subdelegari; atvero practice locus non est subdelegationi ex parte confessarii et simplicis sacerdotis. Cf. infra n. 801-810.

(3) Passim arguunt dicti Auctores ex eo quod, ut ordinaria censeatur potestas, debeat esse adnexa *officio* (can. 187, § 1, coll. suprà, n. 753), quodque, juxta can. 145, § 2, officium accipi debeat sensu stricto, adeoque tanquam « munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive jurisdictionis ».

Atvero non adeo liquet potestatem, ut sit ordinaria, debere adnecti officio stricte dicto: nonne, eo ipso quod, in tenore can. 197, § 1, officium opponitur personae, innui videtur officium ibi esse sumendum sensu lato, pro quolibet scil. munere quod in spiritualem finem legitime exercetur (can. 145, § 1)? Forsan addi posset quòd munus confessarii, si non est stabiliter conjunctum cum tali vel tali persona, est tamen munus in Ecclesia « stabiliter constitutum... secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis ».

Caeterum dispensandi potestatem quae a jure conceditur confessario et simplici sacerdoti uti ordinariam proponunt FERRUGIA, o. c., n. 86; VLAMING, o. c., qui alter Auctor, postquam, sub n. 415, docuerat dictam potestatem esse delegatam, illam doctrinam, in fine operis, p. 393, retractat, eamdemque potestatem uti ordinariam proponit. Juvat etiam notare quomodo *Rev. eccl. de Metz,* 1923, p. 72 s., quam suprà, n. 753, vidimus ipsam Ordinarii potestatem habere uti a jure delegatam, ibidem addat quod, si admittatur potestatem Ordinarii esse potestatem ordinariam, logice uti ordinaria sit habenda dispensandi potestas a jure collata confessario et simplici sacerdoti.

B. Potestas *ab homine concessa* est evidenter potestas *delegata*, idque duplici titulo, juxta dicta sub n. 753. *Potestas ab homine concessa est delegata.*

Ad 2^{m}:

A. Potestas *a jure concessa* quae, *in periculo mortis,* competit *parocho* et *sacerdoti,* ad matrimonii assistentiam vocato, in casu can. 1098, n. 2, necnon potestas competens *superiori* religionis clericalis exemptae super votis non reservatis, est potestas dispensandi *pro utroque foro;* unde illa potestate uti possunt ad dispensandum sive in foro externo, sive in foro interno, prouti agitur de impedimento fori externi vel fori interni (cf. suprà, n. 771); ubi autem dispensant in foro interno, dispensant in foro non sacramentali. Can. 202, § 2 et § 3. *800. Pro quonam foro censeatur concessa utraque potestas.*

Etiam potestas quae parocho et sacerdoti (ad normam can. 1098) competit *in casu urgenti,* potest dici, attenta interpretatione sub n. 793 proposita circa casus occultos, esse *potestas pro utroque foro,* ac posset adhiberi in foro externo vel in foro interno, prouti agitur de impedimento fori externi, natura scil. publico, vel de impedimento fori interni, natura scil. et facto occulto, attentis tamen infra dicendis sub n. 830 et 833 (1).

Potestas quae a jure competit *confessario,* ex ipsa natura sua, restringitur *ad forum internum,* illudque *sacramentale* tantum. Cf. n. 794.

B. Potestas *ab homine concessa confessario* est potestas *pro solo foro interno sacramentali.* — Quodsi forte Ordinarius alicui sacerdoti subdelegaverit facultatem dispensandi super impedimentis, de quibus in indulto S. C. de Sacram., foret etiam dispensandi potestas pro utroque foro.

PARAGRAPHUS TERTIA. *De subjecto quocum dispensare valet sacerdos* (2).

I. Quod spectat potestatem **a jure concessam:**

A. *Parochus* potest, ad tramites principiorum quae invocavimus sub n. 773 ss., *directe* dispensare cum *subditis,* i. e. parochianis, etiamsi vel ipse vel subditus versatur extra territorium parochiae (3); *801. Erga quosnam exerceri possit potestas dispensandi*

(1) Licet nimirum super impedimento natura publico sed facto occulto per se et regulariter dispensandum est in foro externo, contingit per accidens et extraregulariter super illo dispensari in foro interno, adhibita cautela ut in foro externo suffragetur dispensatio. Cf. infrà, n. 830 et 833, coll. suprà, n. 466 et 738.

(2) Hic non est agendum nisi de subjecto *passivo,* cum subjectum activum jam sufficienter sit determinatum in praecedentibus.

(3) Notetur quod, pro assistentia valide praestanda matrimonio, parochus debet, salva delegatione parochi loci, assistere intra limites parochiae suae.

potest dispensare etiam cum *non subditis,* in parochia actu degentibus, in periculo mortis, necnon etiam, juxta plures, in casu urgenti (1).

1° a jure concessa : parocho,

Parochiani sunt illi qui in parochia habent domicilium vel quasi-domicilium paroeciale, vel, si vagi sint vel si non habeant nisi dioecesanem domicilium aut quasi-domicilium, in ea actu commorantur. Can. 94, coll. notionibus suprà propositis, sub n. 44 ss. (2).

802. confessario,

B. *Confessarii* dispensare possunt omnes, et in omni loco, quorum et ubi confessionem validè excipere possunt: periclitantes scil. ubicumque, alios vero quoscumque obvios habent in territorio jurisdictionis (3).

803. simplici sacerdoti,

C. *Sacerdos,* de quo sub n. 795, dispensare potest, absque territorii restrictione, omnes quorum matrimonio assistere potest, vi can. 1098, n. 2.

ac superiori religionis clericalis ;

D. *Superioris* religionis clericalis exemptae potestas non potest exerceri nisi erga personas, sub n. 796, determinatas.

II. Quod spectat potestatem **ab homine concessam:**

804. 2° ab homine concessa.

Confessarii potestas exerceri potest juxta modò dicta, sub n. 802 (4).

Nota. Facultas in dioecesi Brugensi decanis concessa, dispensandi *super bannis,* exerceri potest cum nupturientibus sui districtus, et, si sponsi ad diversum decanatum pertinent, cum sponsa sui districtus. Cf. suprà, n. 63.

Paragraphus Quarta. *Principia circa interpretationem et exercitium potestatis sacerdotis.*

I. Principia interpretationis.

805. Interpretatio adhibenda lata.

Attentis principiis propositis suprà n. 779-781, omnes facultates dispensandi generales, sive ordinariae sive delegatae, concessae sacerdoti, non-Ordinario, sunt latè interpretandae, adeoque ipsis applicandae sunt normae sub n. 780 indicatae, signanter quod usurpari possint dictae facultates ad dispensandum super impedi-

(1) Cf. suprà, n. 775, ubi eadem quaestio movetur circa subjectum passivum potestatis Ordinarii, et ubi notavimus nos non parum dubitare de extensione derogationis (normae can. 201, § 1), in can. 1043 insertae, ad canonem 1045.

(2) Extra periculum proinde mortis, dispensare nequit, in nostra sententia, parochus qua talis cum nupturiente, non parochiano et non vago, qui a mense commoratur in parochia, et cujus matrimonio, uti olim vidimus, assistere potest licitè.

(3) Ad tramites can. 401, § 1, canonicus poenitentiarius absolvere potest « dioecesanos extra territorium quoque dioeceseos ».

(4) Attento tenore indulti S. Poenitentiariae, non potest canonicus poenitentiarius ad dispensandum subdelegari nisi « intra fines dioeceseos »; et sic non potest uti sua potestate subdelegata, ad modum potestatis ordinariae, erga dioecesanos extra territorium versantes.

mentis *multiplicibus,* necnon super impedimentis *cumulative* concurrentibus ; possunt quoque, nisi restrictio fiat expressè vel implicitè, attenta rei natura, adhiberi tam in ordine ad matrimonium *contrahendum* quam in ordine ad matrimonium *convalidandum,* per viam convalidationis simplicis.

II. **Principia circa potestatis exercitium.**

806. Praenotanda.

Principia quae moderantur executionem potestatis dispensandi, quam modò vidimus competere sacerdoti, non-Ordinario, magna pro parte conveniunt cum principiis suprà (n. 782-790) expositis circa executionem potestatis Ordinarii. Quaedam vero ex dictis principiis suam applicationem hîc non habent, signanter principia, de quibus respective sub n. 784 ac n. 784bis; non est scil. hîc locus priori principio, quod afficit recursum institutum ad S. Sedem, praetermisso inferiore, quatenus si, Ordinario loci praetermisso, petitio fuerit missa ad S. Sedem, dicto Ordinario prohibetur uti facultatibus suis; item hîc non applicatur dispositio can. 43, de qua in fine n. 784, quatenus Ordinarius loci non potest dispensationem, ab Officio Curiae Romanae denegatam, validè concedere absque hujus Officii consensu. Utraque scil. dispositio illa restrictiva potestatis afficit solum Ordinarium loci, et non spectat parochum et sacerdotem; tandem evidenter non applicatur norma de qua sub n. 784bis. Vix etiam attendendum est principium de quo sub n. 785bis, cum non soleant, praeterquam in Ordinario, concurrere potestas ordinaria et delegata.

Quod autem spectat reliqua principia:

807. Principia circa concursum impedimentorum ;

A. Dicta sub n. 782 et 783 hîc suam applicationem habere possunt, quatenus scil., non obstante concursu cum impedimento dispensationem apostolicam exigente, potest confessarius dispensare super impedimento occulto criminis, ad quod forte obtinuit delegatam potestatem.

circa stylum Curiae

B. Norma tertia, sub n. 785, proposita circa servandum vel non servandum *stylum Curiae,* hic est applicanda, in quantum adhibetur documentum scriptum, juxta dicenda infrà, n. 894 s.

et legitimationem prolis ;

C. Hic pariter valent, proportione servata, dicta sub n. 786, quatenus, ubi sacerdos gratiosè, vi potestatis ordinariae vel delegatae ex indulto generali, dispensat super impedimento dirimente, conceditur ipso facto *legitimatio prolis,* modò non fuerit adulterina nec sacrilega.

808. circa potestatem delegandi;

D. Circa potestatem *delegandi:*

1° Potestas *a jure concessa:*

a/ *ordinaria* delegari potest, nisi aliud expresse caveatur (can. 199, § 1), idque vel ex toto vel ex parte; sic autem delegatus ad universalitatem negotiorum potest subdelegare in casibus particularibus (can. 199, § 3).

Norma applicatur potestati *parochi* et *superioris religiosi;* exceptio afficit potestatem ordinariam canonici poenitentiarii, de qua expresse statuit can. 401, § 1, quod non possit aliis delegari.

b/ *delegata* potestas *confessarii* ac *simplicis sacerdotis* de se alii confessario, vel sacerdoti in iisdem adjunctis versanti, subdelegari posset, ad normam can. 199, § 2, idque sive ad actum sive habitualiter, quin posset iterum subdelegari (can. 199, § 5). Atvero practicè non est locus subdelegationi, cum dicta potestas ab ipso jure cuicumque confessario et cuicumque sacerdoti, in casu can. 1098, conferatur.

2° Potestas *ab homine delegata,* de qua sub n. 797 s., non est subdelegabilis, quia, si est a S. Sede concessa, data censetur ex industria personae, uti *Pagella* (can. 199, § 2), vel, si est ab Ordinario concessa, vi potestatis ordinariae, non solet esse ad universalitatem causarum (can. 199, § 3), vel est potestas subdelegata, quae proinde, juxta invocatum canonem 199, § 5, iterum subdelegari nequit.

809. circa cessationem potestatis;

E. Circa *cessationem* potestatis:

1° Potestas *a jure concessa,* sive ordinaria sive delegata censeatur, non cessat nisi cessante officio vel munere vel dignitate cui adnectitur, vel ratione cujus conceditur: cessante scil. officio parochi aut superioris religiosi, vel cessante munere confessarii (1).

2° Potestas *ab homine delegata,* delegatione generali, non cessat, juxta can. 207, § 1, resoluto jure delegantis, sed cessat elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit, revocatione delegantis delegato directe intimata (2), aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eo acceptata; hoc attento quod, juxta eumdem can. 207, § 2, pro « potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est ». Cf. suprà, n. 788 s.

Nota. Circa cessationem *muneris exequendi* dispensationem in

(1) Cf. can. 183, § 1, coll. dubio soluto coram *Pont. Commiss. pro interpr. Codicis,* 14 Julii 1922, ad III^{m} (A. A. S., XIV, p. 526 s.).

(2) Eaedem normae valent pro potestate *subdelegata,* subdelegatione generali, ad normam can. 199, § 2.

forma commissoria (si contingat illud munus concredi simplici sacerdoti, juxta dicenda, sub n. 890), sive executor necessarius sit, sive voluntarius (1), valent infrà dicenda sub n. 864[bis], coll. n. 890 et 893.

810. circa usum potestatis dubiae.

F. Quod tandem spectat *suppletionem Ecclesiae* et *usum* potestatis *suppletae:* Sufficiat hic notasse quod, juxta principia, sub n. 790, proposita, sacerdos potest, in casu potestatis dubiae, dubio positivo et probabili, uti sua potestate dispensandi, statim ac adest aliqua causa justa et rationabilis, sive agatur de dubio juris sive de dubio facti; quodque nova dispensatione non est opus, si post factum innotescat ipsum ultra limites potestatis processisse.

811. Observandum.

Observandum. Ad normam can. 1046, parochus necnon sacerdos, in casu can. 1098, n. 2, si dispensationem concesserint *in foro externo,* debent statim (i. e. infra duos vel tres dies) de illa certiorem facere Ordinarium loci, et illam adnotare in libro matrimoniorum. Ad normam autem can. 1047, si dispensaverint in *foro interno non sacramentali,* regulariter curent ut dispensatio adnotetur in libro secreto, quod in Curia episcopali asservatur, ad hoc ut in foro externo suffragari posset in casu. Cf. suprà, n. 738, ubi observatur quod, si quid obstet notificationi Ordinario faciendae, recurri possit ad S. Poenitentiariam, postulando ut in hujus regestis secretis inscribatur dispensatio concessa.

CAPUT III

DE CAUSIS DISPENSATIONIS MATRIMONIALIS.

ARTICULUS 1[s]. **De causis dispensationis matrimonialis in genere.**

812. Necessitas causae proportionatae ad dispensandum,

I. *Requiritur* ad dispensandum *causa* justa eaque gravitati impedimenti proportionata: et quidem ad *liceitatem* semper, ad *valorem* vero, quando ab inferiore dispensatur in lege superioris. Unde absque justa causa invalidè dispensat S. Pontifex in impedimento juris naturalis aut divini (cf. suprà, n. 330), et irrita est dispensatio Episcopi (2) vel sacerdotis super quibusvis impedimentis juris communis. Ita can. 84, § 1 (3), attenta tamen moderatione inducta

(1) Novimus munus executoris voluntarii aequivalere potestati dispensandi in casu particulari. Cf. suprà, n. 740.

(2) Ita Ordinarius invalidè dispensat ubicumque absque justa causa dispensat sive ex potestate delegata, sive ex potestate ordinaria vicaria. Cf. suprà, n. 754, coll. n. 753.

(3) Enuntiatur principium dispensationem, absque justa causa *ab inferiore* concessam, non modò illicitam esse, sed et invalidam: censetur namque superior non delegare ad dispensandum arbitrariè.

in can. 1054, ubi disponitur absentiam vel falsitatem causae finalis non obstare *validitati* dispensationis a *minoris gradus impedimento* concessae (cf. infrà, n. 828, n. 867, n. 892 et n. 919) (1).

In dubio autem de *sufficientia* causae, licite petitur dispensatio et potest licitè et validè concedi (can. 84, § 2); id non valet de dubio circa ipsam existentiam inductae causae.

etiam in praesenti disciplina.

II. Primitus, uti diximus, severior valde erat Ecclesiae disciplina, quatenus dispensationes rarius concedi solebant, ac graviores tantummodò causae admittebantur: quam severitatem adhuc urget *Conc. Trid.*, sess. XXIV, cap. 5, *De reform. matrim.* Quamvis nunc, ob temporum immutatas conditiones, multum temperatum est de antiquo rigore, propter commune animarum bonum, nihilominus graves exiguntur causae, eaeque pro crescente gravitate impedimenti graviores.

813. Causae honestae vel infamantes;

III. Causae sunt:

1° *honestae* vel *infamantes,* prouti necne delicto nituntur seu infamiae notam habent. Ita infamantes sunt copula, suspecta familiaritas; honestae vero sunt angustia loci, aetas superadulta et ita porro.

814. finales et impulsivae;

2° *motivae* seu *finales* vel *impulsivae.* Causa *motiva* seu *finalis* est causa vel causarum collectio, ob quam hîc et nunc in concreto dispensatio conceditur, et sine qua non concederetur aut non sub eadem forma vel amplitudine. Causa *impulsiva* est causa, sive unica sive multiplex, sine qua dispensatio fuisset quidem concessa, sed quae movit dispensantem ut citius ac facilius gratiam concederet.

815. canonicae et non canonicae.

3° *Canonicae* vel *non canonicae.* — Causae *canonicae* sunt illae quae, juxta jus scriptum vel juxta stylum Curiae, expresse recognoscuntur uti legitimae, quarum allegatio officialiter a Curia admittitur; sunt passim causae motivae, saltem respectu leviorum impedimentorum. Causa *non canonica* est illa quae non expresse recognoscitur in jure vel in stylo Curiae, practicè tamen admittitur, saltem uti causa accedens et impulsiva.

816. Quomodo determinanda causae sufficientia.

IV. Ad dijudicandum utrum pro determinato impedimento, in determinatis adjunctis, causae adsint motivae seu sufficientes, attendenda est qualitas personarum, et maximè natura et gravitas impedimenti, ratione habita praxis et consuetudinis Curiae Roma-

(1) Non obstat dispensationis valori quod una alterave causa allegata sit falsa, modò « una saltem motiva vera sit ». Can. 42, § 2, coll. infrà, n. 918.

nae: quae Curia pro variis temporibus varia utitur indulgentia vel severitate in libranda proportione causae.

Quod spectat *qualitatem personarum,* majorem indulgentiam adhibet Ecclesia cum nobilibus et magnatibus, idque ob rationem boni publici, cujus interest illorum familias haberi benevolas.

Quod spectat *naturam* et *gravitatem impedimenti,* sane gravior causa requiritur ad dispensationem *majoris gradus,* super graviori scil. impedimento, quam ad dispensationem *minoris gradus,* super minus gravi impedimento impertiendam; gravior passim exigitur causa pro dispensando impedimento fori externi quam pro dispensando impedimento fori interni. Solet etiam gravior causa requiri pro obtinenda dispensatione super consanguinitate quam super affinitate, super consanguinitate legitima quam super illegitima, super affinitate quam super publica honestate; valdè gravis requiritur causa ad obtinendam dispensationem super mixta religione et disparitate cultus, et olim non sufficiebant causae mere privatae et personales, quales sunt augustia loci et aetas superadulta aut paupertas viduae, sed causae exigebantur quae afficiunt bonum publicum, uti sunt causae, sub n. 825-827, enumerandae. Tanta etiam in quibusdam impedimentis causa requiritur ut, juxta notata suprà, vix unquam vel etiam nunquam qua sufficiens habeatur a S. Sede (1): in specie pro aetatis impedimento, pro publico crimine cum machinatione, pro consanguinitate in gradu mixto cum primo requiritur gravissima causa.

Quod tandem attinet *momentum* quo causa existere debeat, cf. infrà, n. 918, coll. can. 41 et n. 914bis.

ARTICULUS 2^{us}. **De causis dispensationis in specie.**

817. Enumerantur praecipuae causae canonicae:

Causae canonicae communiores et potiores enumerantur ac breviter describuntur in *Instr. S. C. de P. Fide,* 9 Maii 1877 (2), in parte priori (3):

1. *angustia loci;*

1° « **Angustia loci,** sive absoluta sive relativa (ratione tantum

(1) Haec latius evoluta videsis apud FEYE, o. c., n. 684 ss.; POMPEN, o. c., n. 53, collato monito Datariae, apud *Collat. Brug.*, t. I, p. 30 s. Cf. etiam VERMEERSCH, *Periodica,* 1922, p. (121), ubi notat quod etiam iis qui obstinate petant dispensationem, haec conceditur, « si agatur de impedimentis dispensabilibus. Ista enim obstinatio velut complet causam. Nam vel periculum creat publici concubinatus aut matrimonii merè civilis; vel, si bona partium religio periculum istud avertit, durum videtur et minus aequum paucis qui melioris sunt voluntatis, negare quod pejori concederetur ».

(2) *Collectan.*, n. 1482. Tenor etiam refertur in *Libro Manuali,* p. 172 ss.; commentarium vide apud *N. R. th.*, X, p. 24 ss.; POMPEN, o. c., n. 34 ss., praeterquam apud duos auctores classicos, PYRRHUM CORRADUM, *Praxis dispensationum apostolicarum,* l. VII et VIII, et DE JUSTIS, *De dispensationibus matrimonialibus,* l. III.

Enumerationem causarum etiam exhibent *Formulae Apostolicae Datariae pro matrimonialibus dispensationibus,* anni 1901.

(3) Prior pars proponit causas canonicas invocandas; altera vero pars exponit

oratricis), cum scilicet in *loco originis,* vel etiam *domicilii,* cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum ».

Haec causa invocari potest pro sola *sponsa* et pro solis impedimentis *consanguinitatis* et *affinitatis;* supponitur etiam mulier oriunda ex honesta familia, tali scil. quae, licet humilis et pauper, nullam turpitudinis notam habet.

Locus sumitur pro agglomeratione qualibet habitantium *distincta:* distincta nempe vel ratione nominis et gubernationis, uti urbs, communitas, vel distincta ratione distantiae, qualis est vicus (gehucht), distans ab alio loco quarta parte leucae Belgicae, aut etiam, attenta asperitate viarum, minori adhuc distantia (1). Cf. A. S. S., XVI, p. 543, coll. documentis citatis apud VLAMING, o. c., n. 423, p. 46, in nota.

Censetur locus *angustus* si non continet ultra 300 focularia, seu 1500 incolas, solos computando catholicos, etiam impios, exclusis acatholicis, sive infidelibus sive haereticis, licet praestat acatholicorum numerum memorare in supplica. Angustus esse potest locus *domicilii,* vel *originis,* vel *uterque:* sufficit angustia alterutrius loci, sed, si uterque non est angustus, id notetur in libello supplici; imo, uti observat VLAMING, o. c., n. 423, II, p. 47, in nota, indicare juvat etiam utrum sit locus utriusque sponsi, an vero solius sponsae (2).

Ad hoc autem ut plenè verificetur causa hic relata *angustiae loci,* oportet ut puella, praeterquam a sponso cum quo impedimento ligatur, a nullo alio juvene hic et nunc in matrimonium *rogetur* (3), qui sit paris conditionis (quoad genus, fortunam et mores), et in eodem loco habitet vel saltem ibidem habitare velit; utque sponsus in eodem loco puellae habitet ibique remanere consentiat: secus enim non obtinet ratio cur ob angustiam loci dispensetur, ne scil. puella cogatur parentes et cognatos deserere.

Porro notetur quod, si descriptae conditiones non perfectè obtineant, ideo non est haec causa removenda, sed non potest qua angustia loci allegari *simpliciter* et sine restrictione; determinata nempe adjuncta sunt exponenda. Ita v. gr., si locus est amplior ac ultra 1500 incolas habet, pro spectatae tamen familiae conditione, puellae vix locus est electioni, ob penuriam juvenum paris conditionis: quo casu, exponatur numerus approximativus hujusmodi juvenum; item si juvenis in sponsum electus ex alio loco sit in eoque remanere intendat.

818.
2. aetas superadulta ;

2° « **Aetas feminae** *superadulta,* si scilicet *24*^{m} *aetatis annum jam egressa* hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit,

---

quaenam, praeter causas, inserenda sint in supplici libello. Cf. infrà, n. 844 et seq.

(1) Ita natum est fieri ut sponsa in *loco* angusto habitet, licet pertineat ad *parochiam* numerosam et amplissimam.

(2) « Itaque causae expressio respective fiat uno ex his modis: Causa est: angustia loci, e quo oratrix est oriunda; vel: ... in quo oratrix ratione actualis domicilii degit; vel: angustia non tantùm loci e quo oratrix est oriunda, sed etiam illius ubi ratione actualis domicilii degit; vel: e quo oratores sunt oriundi; vel: angustia non tantum loci e quo oratores sunt oriundi, sed etiam illius ubi ipsi ratione actualis domicilii degunt ».

(3) Nihil impedit quod olim fuerit rogata et tunc recusaverit.

non invenit (1). Haec vero causa *haud suffragatur viduae,* quae ad alias nuptias convolare cupiat ».

Juxta responsum S. Poenit. 5 Apr. 1902 (*Collat. Brug.*, t. VII, p. 488), ad valorem dispensationis, ob hanc causam obtentae, non requiritur quod puella superadulta nondum invenerit virum paris conditionis, sed satis est quod « *certo constet de aetate superadulta* » (2). Ultra aetatem 40 annorum, jam non admittitur ut sufficiens causa aetas superadulta (3); infra autem illam aetatem, quo provectior aetas, eo urgentior censetur causa, et ideo juvat annorum numerum accuratè indicare potius quam solam invocare superadultam aetatem, absque determinatione.

« Animadvertatur autem, uti scitè monet Congr. Prosyn. Brug. 1921, ad VII^m^, causam illam non valere pro *vidua,* huic vero « potius favere aetatem juniorem vel adhuc florentem ». Cf. n. 821.

Est causa inter graviores reputata, et sic in *Formula IV* Datariae sola invocatur ad dispensationem impetrandam super consanguinitate in secundo gradu.

819.
3. deficientia dotis;

3° « **Deficientia aut incompetentia dotis,** si nempe *femina* non habeat *actu* tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit ».

Dos intelligitur non tantum de dote stricte dicta, in locis ubi viget regimen dotale (4), sed et de fortuna qua fruitur *actu* (non obstat inexistentiae aut insufficientiae dotis, praevisio fortunae futurae) (5).

Dos est computanda juxta conditionem familiae ad quam pertinet oratrix, attentis etiam ejus personalibus qualitatibus aut defectibus, quatenus difformis aut deflorata majori indigeat dote.

Causa sub quadruplici forma obtinere potest: 1° *insufficientia dotis,* quae adest quando vir consanguineus aut affinis paratus est ducere puellam insufficienter dotatam (est forma consueta); 2° *insufficientia dotis cum augmento,* quando dictus vir paratus est puellam insufficienter dotatam non modò ducere, sed et dotis deficientiam complere; 3° *insufficientia dotis cum augmento a tertia persona,* quando dotis incompetentiae providere parata est tertia persona, eo fine ut puella ducat virum consanguineum aut affinem; 4° *deficientia dotis,* uti dicitur: *pro indotata,* quando vir ille paratus est puellam dote penitus carentem nubere et dotare (6).

---

(1) Causa in hoc nititur, ne scil. mulier, cum incontinentiae periculo, innupta manere cogatur.

(2) Ad hoc ut errori in exprimenda aetate praecaveatur, decrevit Episcopus Brugensis: « Si autem allegetur... aetas oratricis superadulta, libello supplici addendum est extractum ejus baptismale ». Cf. Congr. Prosyn. anni 1921, ad VII^m^.

(3) Videtur in hoc quaedam mitigatio induci, et, ultra 40 annos, practicè admittitur, saltem ceu causa impulsiva, aetas proposita uti *plus quam superadulta.*

(4) Circa regimen dotale cf. VLAMING, o. c., n. 425, II, in nota ad p. 53.

(5) Notat autem VLAMING, o. c., n. 425, quod causa haec non suffragaretur puellae quae actu habet titulum juridicum ad dotem hic et nunc legaliter exquirendam.

(6) Cf., apud FERRUGIA, o. c., p. 193 s., diversas pro varia hypothesi formulas in supplici libello adhibendas. Cf. etiam *Form.* 22^m^, 23^m^ et 24^m^ et 31^m^ Datariae.

Causa minus urget sub prima forma, magis sub 2ª et 3ia; et magis adhuc sub 4ª forma (1); invocatur pro solis impedimentis consanguinitatis et affinitatis.

Nonnunquam etiam incompetentia dotis adjungitur angustiae loci, uti in enumeratione causarum canonicarum a Dataria, n. 3, enuntiatur: « propter angustiam, cum clausula, *et si extra,* dos non esset competens », quae causa ampliori tenore proponitur in *Formula* 18ª ejusdem Datariae (2).

820. lites super successione ;

4° « **Lites super successione bonorum jam exortae,** vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta,* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus sufficit ».

821. paupertas viduae ;

5° « **Paupertas viduae,** quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod *junior sit,* atque in periculo incontinentiae versetur ».

Duplicatur hic invocata causa: praecipua est *in paupertate viduae cum prole;* altera, subsidiaria, est *in aetate juniori cum periculo incontinentiae.* Prior causae species, etiam seorsim sumpta, habetur inter causas graviores, praesertim si invocantur quaedam circumstantiae aggravantes, puta quod sponsa infirma sit, parentibus orbata; sane gravior adhuc evadit si ipsi accedit altera causae species, paupertati scil. cum prole accedente aetate juniori cum periculo incontinentiae.

Aetas junior censetur usque ad trigesimum; aetas censetur florens infra 25 annos; opportune autem indicatur, in supplica, annorum numerus.

Haec causa, *juxta Instructionis tenorem,* valet ut canonica pro sola *vidua,* non pro viduo, nec pro puella quae ex fornicatione suscepit proles. Prolium numerus indicetur: quo major numerus, eo urgentior causa; censetur numerosa proles quando danter tres vel quatuor liberi; posset etiam una proles sufficere, saltem ubi simul aliae circumstantiae adduntur; etiam aetas prolium indicetur, si juniores sint, quia quo juniores sunt eo gravior est causa. Supponitur vidua in paupertate, unde difficilius virum invenire queat.

Attamen, *juxta mitiorem praxim hodie vigentem,* facile et frequenter

---

(1) Causa, sub forma, 2ª, 3ia et 4ª, gravior esse patet sub regimine dotali quam sub regimine communionis bonorum. Cf. VLAMING, l. c.

(2) « Cum autem, nisi matrimonium inter ipsos contrahatur, dicta oratrix graviter diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala orirentur, ac cum dicta mulier in dicto loco propter illius angustiam, virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, *et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos quam ipsa habet non esset competens, neque sufficiens,* ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere possit, invenire valeret... ».

dispensat S. Sedes, in gratiam *vidui*, etiam unicam tantum prolem habentis.

822. bonum prolis;

6° « **Bonum pacis,** quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret ».

Causa obtinere potest non modò in casu extinguendae litis, sed etiam praeveniendae, ita interpretantibus passim Auctoribus. Eo gravior est causa quo altioris conditionis sunt oratores, praesertim si agitur de principibus a quorum reconciliatione pendet ipsum bonum publicum.

823. familiaritas;

7° « **Nimia, suspecta, periculosa familiaritas**, necnon **cohabitatio** sub eodem tecto, quae facile impediri non possit ».

Periculosa illa familiaritas non debet inducere infamiam mulieris, vel saltem non talem ex qua oriatur copulae suspicio; et sic accuratius distinguitur haec causa a nona causa. Sufficeret igitur familiaritas etiam occulta, unde oritur peccandi periculum: quod periculum afficere potest sive tempus praesens, sive tempus futurum, post nuptias scil. ab alterutra parte contrahendas cum tertia persona.

Familiaritas illa potest consistere sine cohabitatione, sed cum hac si conjungatur, urgentiorem constituit causam (1).

copula;

8° « **Copula** cum consanguinea vel affini vel alia persona impedimento laborante praehabita (2), et **praegnantia,** *ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio».

Est causa duplex: copula scil. et praegnantia, quae per modum unius proponitur, et quae, si copulam secuta est impraegnatio, constituit unam ex gravioribus causis.

a/ *Copula* quae hic intenditur est copula *publica* vel brevi divulganda, cum ratio in qua nititur haec causa sit diffamatio puellae et inde resultans difficultas alteri nubendi. Potest tamen copula secreta allegari, et etiam interdum admittetur qua sufficiens vel ratione instantis quod innuit periculi incontinentiae (modò suprà, sub 7°), vel quia speciale motivum adest urgendi matrimonium cum complice ineundum.

b/ *Praegnantia* inducit urgentem causam dispensandi tum in gratiam puellae, ut minus diffametur, tum in gratiam prolis, ut nempe legitima

(1) Cf. VLAMING, o. c., n. 429, ubi etiam proponit formulam hujus causae allegandae: « Sed, quia ob nimiam quamdam familiaritatem qua oratores invicem... prosequuntur, timendum est ne iidem, nisi matrimonio invicem jungantur, gravissima peccata... inter se committant, ideo... ».

(2) Uti causa igitur non proponitur sola copula incestuosa aut quasi-incestuosa, instituta scil. cum consanguinea persona aut affini, sed etiam copula habita cum persona quocumque impedimento laborante.

nascatur vel nata legitimetur per subsequens matrimonium, tum in gratiam boni publici, ut minuatur scandalum.

In tenore Instr. S. C. de P. F., sub hoc n. 8, additur hanc causam unam esse ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeiis dari solet dispensatio, « *dummodò copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda* ». Quibus attentis, stante illa clausula, ubi copula cum dicta intentione fuerat peracta, non erat spes dispensationem impetrandi, vel saltem aegrius et nonnisi sub severioribus poenis obtinenda erat; insuper intentio illa erat, sub poena nullitatis, in precibus memoranda, uti circumstantia, sicut et ipsa copula incestuosa erat uti mera circumstantia, in precibus inserenda (n. 850). Haec autem necessitas dictam intentionem memorandi jam non urget inde a decreto C. S. O. diei 25 Junii 1885, de quo infrà, n. 850, necnon diei 18 Martii 1891, in quo altero decreto declaratur: « dispensationes matrimoniales super quovis impedimento, sive agatur de matrimoniis invalidè contractis sive de contrahendis, esse validas, etiamsi copula, vel *consilium et intentio per eam facilius gratiam impetrandi reticita fuerint* ». (*Collectan.*, n. 1495 et 1500, coll. infrà, n. 850): quae inducta disciplinae moderatio ita videtur intelligenda, ut illa malitiosa intentio in copula peragenda jam non sit in supplica inserenda, etiam ubi copula allegatur, non uti mera circumstantia, sed uti causa (1).

9° « **Infamia mulieris**, *ex suspicione orta,* quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, *licet suspicio sit falsa* (2), cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur (3).

824. revalidatio matrimonii ;

10° « **Revalidatio matrimonnii,** quod *bona fide et publice,* servata Tridentini (vel decreti *Ne temere,* vel can. 1094) forma, contractum est: quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae (c. 7, *de consanguin.*). At *si mala fide* sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid., *Sess.* XXIV, *cap.* 5, *de reform. matrim.* ».

Attenditur ergo matrimonium quod *bona fide,* saltem ex *unius* parte, ac in *forma Ecclesiae* fuerit initum. Quodsi mala utriusque fide fuerit contractum, difficilius quidem dispensabitur, sed, in praesenti disciplina,

(1) Cf., in eumdem sensum VLAMING, o. c., n. 430; WERNZ, o. c., n. 440, in nota 134.

(2) Nimirum non requiritur copula, sed ejusdem *suspicio,* licet falsa, suspicio scil. nitens factis *publicis,* quatenus v. gr. notum sit inter oratores intervenisse oscula vel amplexus libidinosa, tactus impudicos vel alia hujusmodi, quae nata sint dictam suspicionem inducere. Cf. dicta ad causam 7^{m}. — Nota etiam hanc causam (secus ac 7^{m}) afficere solos consanguineos et affines.

(3) « Quamvis Instructio requirat diffamationem talem, qua in casu individuo inferatur periculum ne innupta maneat oratrix etc., tamen non opus est ut circa ejusmodi periculum, utrum necne existat, anxie inquiratur: ubi enim mulieris fama semel laesa est, ibi praedictum periculum, generatim loquendo, per se adest ». Ita VLAMING, o. c., n. 431.

ideo non denegatur dispensatio, praesertim si proles nata sit et civiles formae fuerint adimpletae (infrà, n. 826) (1).

825. periculum matrimonii mixti;

11° « **Periculum matrimonii mixti,** vel *coram acatholico ministro celebrandi* (2). Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis, ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis, spreta Ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa, quia adest non modò gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in Instructione, die 17 Apr. 1820, ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter, cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetextant motivum quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii, in fer. IV, 14 Aug. 1822, decrevit: « respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II commissis, prout in Domino expedire judicaverit ». Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat ».

In hac causa intenditur periculum *individuum,* afficiens scil. oratores in individuo, quatenus merito timetur ne, attenta eorum dispositione, si non possunt mutuò inire matrimonium, contrahant cum acatholico. — Periculum commune, exinde oriens quod multi in loco existant haeretici et non pauca ineantur matrimonio mixta, potest quidem allegari, sed uti causa impulsiva tantùm.

826. periculum concubinatus;

12° « **Periculum incestuosi concubinatus.** Ex superius memorata Instructione anni 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse ».

vel matrimonii civilis;

13° « **Periculum matrimonii civilis.** Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile,* ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam ».

Pro timore matrimonii civilis indicandum est undenam concipiatur: utrum ex intentione oratorum manifestata, utrum ex circumstantiis dumtaxat, ne difficultates oriantur pro injungenda poenitentia; indicetur etiam utrum timor verè fundatus sit et quonam gradu.

(1) Circa *matrimonium contractum,* in precibus allegandum uti circumstantiam, cf. infrà, n. 848.

(2) In *Formulis Datariae* habetur, sub n. 16: « Propter catholicam religionem contrahentis in tuto ponendam; et periculum matrimonii mixti ».

Nec obstat mala dispositio dispensationem sollicitantium, sed potius causam complet.

Urgentissima causa est in caeremoniis civilibus *jam adimpletis;* non autem habetur causa canonica in ipso facto licentiae regiae petitae, nisi in quantum fundatum timorem ingerat futuri contractus civilis: quod natum est fieri.

827. remotio scandali; cessatio concubinatus; excellentia meritorum.

14° « **Remotio gravium scandalorum** ».

Causae praecedentes, a septima ad decimam tertiam, passim spectant *praeveniendum* scandalum; hîc potius spectatur scandalum *removendum,* ortum non tantum ex concubinatu (de quo causa sequens), sed etiam ex odio, inimicitiis et aliis hujusmodi.

15° « **Cessatio publici concubinatus** ».

16° « **Excellentia meritorum,** cum aliquis, aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus » (1).

Praeter enumeratas causas dantur et *aliae causae canonicae,* uti ipsa Instructio innuit, proponendo causas quas « communiores potioresque » vocat. Et ita plures citantur in *Formulis Apost. Datariae:* « propter difficultatem virorum accedendi ad locum...; virorum paucum numerum, e. g. ratione belli; propter catholicam religionem in tutò ponendam; propter spem conversionis compartis ad catholicam religionem; ut bona conserventur in familia; pro illustris familiae conservatione, pro conservatione regiae stirpis...; ob familiarum honestatem conservandam » (2).

Observanda.

828. Observationes practicae.

1° Uti sequitur ex dictis sub art. 1°, praeter causas canonicas, possunt aliae simul invocari qua roborantes et impulsivae; imo, in defectu causae canonicae, possunt nonnunquam plures causae non canonicae, quae singillatim sumptae merè impulsivae sunt, constituere, quando simul sumuntur, causam motivam, ut jam notavimus sub n. 815.

Hujusmodi causae sunt: a/ ex parte *sponsae:* alterutro vel utroque parente orbata (3); ex natalibus illegitimis orta; jam ab alio deflorata; infirmitate, deformitate aliove defectu detenta; b/ ex

(1) Notat VLAMING, o. c., n. 438, hanc causam posse movere S. Sedem non tantum ad dispensandum cum ipsis personis bene meritis, sed etiam ad dispensandum cum aliis, pro quibus illae intercedunt. Requiruntur autem merita verè magna, et non sufficit erogatio eleemosynae; aliàs haec causa non potest induci nisi coram S. Sede, non vero coram Ordinario.

(2) Circa interpretationem harum formularum, cf. *Das Dispenswesen in Ehesachen f. d. Erzdiözese Freiburg,* apud *Archiv f. k. Kirchenr.,* 1912, p. 494 ss.

Quod autem spectat formulam adhibendam pro exprimendis variis causis in supplica, cf. VLAMING, o. c., n. 423 ss. et FERRUGIA, l. c.

(3) Quod haec causa nonnunquam admittatur uti causa motiva, videtur eruendum ex responso S. Poenit., 28 Aprilis 1897, apud POMPEN, o. c., p. 167 s.

parte *sponsi:* infirmitate detentus, adjutorio hujus mulieris ad gerendam rem domesticam indigens, viduus numerosa prole gravatus; ex parte *utriusque* nupturientis: omnia ad nuptias jam parata; propositum contrahendi jam propalatum; boni mores utriusque oratoris; oratorum munificentia erga bonum publicum; mutuum auxilium oratorum aetate provectorum (1).

Item causae *fere* adimplentes conditiones causae canonicae, uti aetas puellae 23 annorum, vel locus 1500 incolis paulò amplior.

2° A S. Sede nonnunquam dispensatur, nulla in rescripto invocata causa determinata, sed adhibita formula generali, ad modum hujus formulae: « *ob rationabiles causas a S. Sede probatas* », aut alterius hujusmodi.

Dispensationes sic concessae interdum dicuntur dispensationes *sine causa:* non quia nulla adest causa, sed quia nulla determinata causa in rescripti tenore *inseritur*. Non exprimitur autem in rescripto causa determinata, sive quia non sunt in precibus allegatae causae strictè canonicae (2); sive quia, licet causae canonicae sunt allatae, earum verificatio pro valore non urgetur, quemadmodum, sub oeconomia reformatae Curiae, necnon Codicis, obtinet cum dispensationibus super impedimentis minoribus (3), uti jam notavimus sub n. 812, coll. infrà, n. 919 et 867, necnon 892 et 919 (4); sive quia conceditur dispensatio, nulla in precibus allegata causa canonica, sed mere invocatis oratorum statu ac familiae qualitate: quo casu copiosior imponitur componenda (5); sive tandem quia cum magnatibus dispensatur ob causam inhonestam, Sanctitati suae notificatam, sed in precibus, ob honorem oratorum, non expositam (6).

3° Si sufficientes adsunt causae *honestae,* providè omittantur causae inhonestae seu infamantes aliunde non declarandae, putà

---

(1) Cf. *Das Dispenswesen...*, l. c., p. 498; LINNEBORN, o. c., p. 126 s.; CHELODI, o. c., n. 46.

(2) Cf. FEYE, *De Imp.*, n. 669.

(3) Haec norma sine restrictione enuntiatur in can. 1054: « Dispensatio a *minore* impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit ». Censetur dispensatio concessa motu proprio et ex certa scientia; adhibetur autem tunc formula modò proposita.

(4) Cfr *Normae peculiares,* cap. VII, art. 3, n. 21, ubi idem principium jam ponitur; sed, cum art. 3ª inscriberetur de S. Congreg. de Sacramentis, dubitari poterat utrum dictum principium applicaretur omni dispensationi, a quocumque auctore procederet, an vero restringendum esset dispensationibus a S. Congr. de Sacr. elargiendis.

(5) N. 858. — Tunc usurpatur formula: « *ex certis rationabilibus causis* ».

(6) Tunc dicitur: « *Ex certis specialibus rationabilibus causis oratorum animos moventibus et Sanctitati Vestrae* (aliàs) *expositis* ». Ita *Formulae* Datariae, ubi, in *adnotationibus,* notatur quod hujusmodi dispensatio « nonnisi rarò conceditur, et tantum pro Principibus et magnatibus aliisque personis qualificatis...; et tunc verificanda non est causa in supplicatione non expressa, sed alia tantùm in ea narrata certificanda sunt, nempe impedimentum in supplicatione allegatum, et allegata personarum qualitas, quae nempe per modum conditionis tunc in supplicatione apponitur ».

qua circumstantiae: hac ratione cavetur ab infamanda parte noxia coram auctore dispensationis fori externi, ac etiam vitantur clausulae gravantes. Quod potissimum attende ubi occultae sunt nec publicandae causae infamantes, vel ubi meritò timetur ne aegre ferantur clausulae ob tales causas forte imponendae (1).

Caput IV

DE DISPENSATIONE MATRIMONIALI PETENDA.

829. Connexio rerum.

Praenotandum. Impedimentum, si quod sit, passim detegitur a parocho vel a confessario. Jamvero postquam, prae oculis habitis principiis et normis sub n. 714-730 propositis, opportunum fuerit ductum recurrere *ad dispensationem,* sive in ordine ad matrimonium contrahendum sive in ordine ad matrimonium convalidandum, imprimis examinare debet parochus vel confessarius utrum ipse, attentis facultatibus quas acceperit, dispensare valeat (quo casu dispensationem concedat, juxta dicenda sub cap. V), vel utrum alius non sit parochus vel confessarius vel alius sacerdos, opportuna facultate gaudens, ad quem nupturientem possit remittere dispensandum (2).

Quodsi, quemadmodum frequentius contingit, ipse dispensare nequeat, nec possit, absque gravi incommodo, aut non sine sigilli laedendi periculo, nupturientem ad alium sacerdotem facultate munitum dirigere, recurrendum est ad Episcopum seu Ordinarium vel ad S. Sedem: de quo nunc recursu est agendum, inquirendo 1° quaenam dispensatio sit petenda et pro quonam foro; 2° quandonam recursus sit habendus ad Episcopum, quandonam ad S. Sedem; 3° a quonam recursus sit instituendus; 4° quomodo recursus sit instituendus, adnexa quaestione de taxationibus et expensis.

Articulus 1s. **Quaenam et cujusnam fori dispensatio sit petenda.**

I. *In ordine* **ad matrimonium contrahendum.**

830. 1° Ubi agitur de dispensatione in ordine ad

Sub hoc I, non potest esse quaestio nisi de determinando *foro* pro quo dispensatio est impetranda.

(1) Videtur, sub Codicis disciplina, mitigatio induci ex parte illarum clausularum gravantium, easque minus urgeri in rescriptis dispensationis ob causas inhonestas. Cf. infrà, n. 862 et 869.

(2) Cf. suprà, n. 792-798, determinatos limites potestatis dispensandi qua, sub novi Codicis disciplina, fruuntur sacerdotes, non-Ordinarii: parochi scil., confessarii, superiores religiosi, simplices sacerdotes. Attendantur autem oportet dicta sub n. 801 ss., circa illos in quorum gratiam dispensare valeant et circa principia moderantia sacerdotalis potestatis exercitium.

Porro norma est ut determinetur forum dispensationis petendae per naturam impedimenti obstantis. *matrimonium contrahendum.*

Nimirum: pro *impedimentis fori interni,* occultis scil. tam natura quam facto (n. 466), nunquam dispensatur nisi *in foro interno,* sive sacramentali sive non sacramentali (n. 737-738 et 747); pro impedimentis vero *fori externi,* natura scil. vel facto publicis (n. 466), *per se et regulariter* impetranda est dispensatio *in foro externo.*

Haec est *norma,* a qua *exceptionaliter* recedi posse videtur: quatenus scil., in casu impedimenti natura publici sed facto occulti, ubi impedimenti divulgatio ejusque probatio in foro externo, quantumvis possibilis, non est seriò timenda, possit sufficere dispensatio *in foro interno,* praesertim si urget ratio ut non innotescat dispensationis concessio.

Facilius autem a descripta norma recedi posset ut super impedimento natura publico sed facto occulto dispensetur in foro interno *extrasacramentali,* quia, data hujusmodi dispensatione, provideri potest hypothesi possibili divulgationis, sive applicando dispositionem can. 1047, in quantum haec dispositio extendi potest ad dicta impedimenta natura publica sed facto occulta (1), sive recurrendo ad dispensationem cum clausula ut suffragari possit in foro externo, de qua clausula suprà, n. 738, in nota.

Notetur autem quod, in *dubio* utrum impedimentum habendum sit pro impedimento fori externi vel pro impedimento fori interni, generatim recurrendum est pro foro externo.

II. *In ordine* **ad matrimonium convalidandum.**

831.
2° Ubi agitur de dispensatione in ordine ad matrimonium convalidandum:

Hic *primò* determinanda est *natura dispensationis* postulandae, utrum scil. petenda sit dispensatio simplex vel sanatio in radice; *secundò* determinandum est *forum* pro quo dispensatio sit sollicitanda. Jamvero

A. Quod spectat **naturam dispensationis:**

Norma est ut recurratur ad *convalidationem simplicem,* ubi ipsi locus est; secus, ad *sanationem in radice.*

832.
a/ determinandum est utrum petenda sit convalidatio simplex,

Nimirum adhibeatur *convalidatio simplex:* quando invalidum est matrimonium ob impedimentum stricte dictum, seu inhabilitans

(1) Cf. suprà, n. 738, ubi notavimus quod equidem, in tenore can. 1047, non est sermo nisi de impedimento occulto (adeoque natura et facto occulto), super quo dispensari contingat in foro interno non sacramentali; sed nullatenus dicitur in dicto foro non posse dispensari nisi super solo impedimento occulto. Simpliciter declaratur quod dispensatio sic concessa super impedimento occulto potest, positis ponendis, valere pro foro externo; quod a fortiori videtur posse applicari dispensationi super impedimento natura publico.

personam, sponte non recedens, quodque simul, in casu nullitatis publicae vel publicandae, utraque pars parata est renovare consensum (can. 1135, § 1), aut quod, in casu nullitatis occultae, una pars, pars scil. impedimenti conscia, parata est renovare consensum, dum altera pars manet nullitatis inconscia (can. 1135, § 3).

vel sanatio in radice ;

Eligenda autem est via *sanationis in radice:* a/ quando nullitas oritur ex impedimento juris ecclesiastici (1) personam inhabilitante, et sponte recedente, aut ex defectu formae consensus, quodque simul una vel utraque pars non est parata renovare consensum (2); b/ quando nullitas oritur ex impedimento, personam inhabilitante et sponte non recedente, quodque simul, in casu nullitatis publicae, una pars est male disposita circa consensus renovationem (3), aut, in casu nullitatis occultae, quod utraque pars est male disposita circa consensus iterationem, vel una tantum pars est bene disposita, dum altera pars, malè disposita, est nullitatis conscia. Ad sanationem in radice quoque recurri solet c/ quando apparet plura matrimonia in aliquo loco irrita esse ex clandestinitatis vitio, etiamsi partes censentur bene dispositae circa consensus renovationem (4), vel etiam d/ nonnunquam, ad eam recurritur quando nullitas matrimonii oritur ex culpa aut negligentia Ordinarii vel parochi, puta in petenda aut exequenda dispensatione.

833. b/ determinandum pro quonam foro dispensatio sit petenda.

B. Quod spectat **forum** *pro quo dispensatio sit petenda:*

Petenda est *per se et regulariter* dispensatio — sive per viam simplicis convalidationis sive per viam sanationis in radice — in foro *externo* vel in foro *interno,* prouti nullitas oritur ex praesentia impedimenti publici seu fori externi vel impedimenti occulti seu fori interni. Cf. modò dicta sub n. 830, cum explicatione derogationis ad normam, quatenus scil. *extraregulariter* nonnunquam dispensatur in foro interno, praesertim *non-sacramentali,* super impedimento natura publico, et facto occulto. Quod frequentius et facilius contingit cum dispensatione in ordine ad matrimonium convalidandum quam cum dispensatione in ordine ad matrimonium contrahendum; facilius scil. contingit jam non esse timendam impedimenti facto occulti, licet natura publici, divulgationem, puta quando nota-

(1) Suprà, n. 736, vidimus non concedi sanationem in radice, quando matrimonium fuit invalidum ob impedimentum juris divini vel naturalis, quod sponte recesserit. — In casu igitur recurrendum foret ad convalidationem matrimonii absque dispensatione, renovato consensu ad normam dictorum sub n. 727, coll. n. 726.

(2) In casu foret sanatio in radice minus plena. Cf. n. 735.

(3) Potest fieri quod aliqua pars nolit personaliter consensum renovare coram Ecclesia, sed parata sit id facere per procuratorem: quod sane sufficeret.

(4) Cf. suprà, n. 726, in nota. — Ita in Constit. *Provida,* anni 1906, disposuit S. Pontifex ut omnia matrimonia mixta, ante Pascha 1906 invalidè ob clandestinatis vitium inita, supposita consensus perseverantia, in radice sanarentur. Cf. *Collat. Brug.,* XI, p. 289 s.; cf. etiam rescriptum S. C. de Sacr. 21 Julii 1919, circa quaedam matrimonia a militibus Belgis celebrata in Gallia, sub bello (suprà, sub n. 116).

bile tempus a matrimonii conclusione effluxerit, per quod tempus pacificè convixerint pseudo-conjuges, publicè reputati ceu legitimi (1).

ARTICULUS 2ª. **Quò instituendus sit recursus.**

I. *In ordine ad matrimonium* **contrahendum:**

834. Quo recurrendum 1° pro matrimonio contrahendo;

A. *In periculo mortis,* recurrendum est ad *Ordinarium,* si, quod hic supponitur (2), tempus sit ipsum adeundi; et numquam adeunda est S. Sedes, nisi ageretur de duobus impedimentis exceptis presbyteratus ac affinitatis in linea recta, consummato matrimonio; attende tamen quod ipsa S. Sedes super hisce duobus impedimentis non vel vix non dispensat.

B. *In casu urgenti,* deficiente tempore recurrendi ad S. Sedem (3), supposita autem possibilitate adeundi Ordinarium, adeundus est *Ordinarius,* sicut sub A (4).

C. *Extra periculum mortis et casum urgentem:*

Recurrendum est *ad Ordinarium,* si agatur de *votis non reservatis* aut de impedimentis *facto dubiis;* vel si agatur de impedimento occulto criminis, absque machinatione, aut, tempore pro quo conceditur indultum, de impedimentis recensitis in tenore utriusque indulti, de quo sub n. 770, signanter de impedimentis minoris gradus.

Secus recurrendum ad *S. Sedem* (5).

II. *In ordine ad matrimonium* **convalidandum:**

835. 2° pro matrimonio convalidando.

A. Pro *sanatione in radice:* passim recurrendum ad *S. Sedem* (can. 1141), excepto scil. casu quem determinant limites indulti S. C. de Sacr. et S. Officii (n. 770), pro tempore quo durat indultum (6).

---

(1) Ita, juxta Bened. XIV, *Pastor Bonus,* 13 Apr. 1744, coll. *Instit. eccles.* 87ª, n. 7, potest, in ordine ad matrimonium *convalidandum,* dispensari in foro interno, eoque sacramentali, super impedimento cognationis spiritualis ac consanguinitatis in tertio ac etiam, secundo gradu, « si saltem per decennium duraverit occultum et oratores simul publicè contraxerint et convixerint, et uti conjuges legitimi habiti fuerint ».

(2) Si non esset tempus adeundi Ordinarium, ipse parochus posset dispensare: quod est extra suppositum (n. 829).

(3) Quandonam censeatur adesse casus urgens, respectu matrimonii contrahendi vel respectu matrimonii convalidandi, determinavimus suprà, n. 763 et 765.

(4) Etiam recurrendum est ad Ordinarium, si agitur de *casibus publicis,* quando ita instat matrimonium ut ante statutum diem adiri nequeat Ordinarius: differenda scil. foret matrimonii celebratio donec ab Ordinario obtineatur dispensatio, quam dispensationem vidimus non posse obtineri a parocho (suprà, n. 793).

(5) Recursus ad S. Sedem, uti mox dicetur, sub n. 840 s., generatim instituitur, *mediante Ordinario.* — Potest etiam recursus institui, mediante Ordinario, ad Nuntium apostolicum, pro dispensatione obtinenda super impedimentis ad quae, juxta tenorem indulti, de quo sub n. 770ter, extenditur ejus facultas ultra limites indulti Ordinarii loci.

(6) Ante Codicem, sub art. 6 Form. D, inserebatur tenor indulti, quo in specie gaudebant Episcopi Statuum Foeder. Americae, necnon Praesules Congolenses, sequen-

B. Pro *convalidatione simplici:*

1° *In periculo mortis* vel *in casu urgente:* valent dicta sub I.

2° *Extra periculum mortis et casum urgentem:*

Recurrendum est ad *Ordinarium,* quando matrimonium invalidum est ob impedimentum facto dubium, vel ob impedimentum occultum criminis, absque machinatione, vel ob impedimentum comprehensum intrà limites indulti pro utroque foro, de quo sub n. 770 (1).

Secus adeunda est *S. Sedes,* attenta nota ad finem num. 834.

836. Notanda.

Nota 1. In determinando recursu ad *Ordinarium,* prae oculis haberi debent quae suprà, n. 773-790, sunt proposita circa illos in quos exerceri potest Ordinarii potestas dispensandi, et circa principia quae moderantur illius potestatis exercitium.

2. Quod autem spectat recursum ad *S. Sedem,* adeundum est organon cui, pro varia natura impedimenti, dispensatio concedenda competit, juxta descriptionem factam sub n. 747 s.

3. Juvat etiam, pro recursu ad S. Sedem, in memoriam revocare, quod suprà, n. 751, notavimus, Romana nempe Dicasteria, S. Poenitentiaria excepta, variis anni temporibus, feriis frui: in specie, praeter feriatos dies, a 20 Augusti usque ad 10 Octobris. Attamen, uti opportune providetur, « feriatis diebus, moderatores Officii curare poterunt ut aliquis ex administris Officium frequentet, expeditus negotia, si quae forte occurrerint »; per ferias autem autumnales, « Officium nullum erit intermissum, sed in unoquoque tot aderunt, tum majoris tum minoris ordinis, administri, quot satis esse existimentur urgentioribus expediendis negotiis ordinariae administrationis ».

Scholion. De Casu perplexo.

837. De casu perplexo :

Sub disciplina Codicis rarius locus erit sic dicto *casui perplexo:* in hoc consistente quod, ex una parte, urgeat necessitas celebrandi matrimonium, signanter ad infamiam vitandam, et quod, ex alia parte, obstet impedimentum dirimens, ad quod dispensandum nemo praesto sit nec adiri possit facultate munitus.

838. in praesenti disciplina, rarius illi est locus;

Et sane, non tantùm abrogatum est impedimentum affinitatis illicitae, ex quo frequentius oriebatur dictus casus, sed in Codice efficaciter provisum est, uti vidimus sub cap. 2°, art. 3°, urgenti necessitati, cum cuicumque parocho et confessario (necnon cuilibet sacerdoti, in hypothesi

---

tis tenoris: « Sanandi in radice matrimonia contracta, quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo, ex Apostolicae Sedis indulto, dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis ». Circa cujus indulti interpretationem cf. responsa C. S. O., 22 Aug. 1906, ad Episc. Convingtonensem, 2 Dec. 1908, ad Archiepisc. Cincinnatensem, et 20 Apr. 1910, ad Episc. Natchitochensem, cum explicationibus subnexis, apud *Eccl. Review,* t. XXXV (1906), p. 627 ss.; t. XLIII (1910), p. 57-69 et 168-183; coll. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 139 ss.

(1) Juxta principia posita sub n. 780, potestas dispensandi, vi dicti indulti, tam bene est in ordine ad matrimonium contractum convalidandum quam in ordine ad matrimonium contrahendum.

can. 1098, n. 2) agnoscatur, intra certos limites et attentis attendendis, non exigua potestas dispensandi.

Posset tamen contingere quod, per dispositiones Codicis, non satis cautum sit a casus perplexitate. Ita v. gr. in hypothesi, facta suprà, n. 794, quatenus confessario obvius sit poenitens revelans existentiam impedimenti facto quidem occulti, sed natura publici, tempusque desit vel grave incommodum obstet ad adeundum parochum, pro dispensatione obtinenda in foro externo; vidimus enim l. c. confessarii facultatem limitari ad impedimenta natura simul et facto occulta, eumque non posse dispensare super impedimentis natura publicis, quantumvis facto occultis; seponitur autem periculum mortis, quippe in quo, si absque gravi incommodo adiri nequeat parochus ejusve delegatus, confessarius super dicto impedimento dispensare posset tanquam sacerdos, in casu can. 1098, n. 2, constitutus.

Equidem, in descripto casu, non rarò differri poterit matrimonium, cum agatur de impedimento natura publico, et, si differri nequeat matrimonii celebratio, passim moneri poterit altera pars, adeo ut plerumque vitari queat casus perplexi acuitas; exceptionaliter tamen gravioribus difficultatibus obnoxia esse potest matrimonii dilatio vel etiam alterius partis monitio, puta ubi agitur de prorsus ignota ordinis susceptione vel sollemni professione emissa in regione aliena.

Quibus attentis, etiamnum poni posset quaestio, saepius practica olim:

Quomodo solvendus casus perplexus?

En autem *normas* pro solutione adhibendas:

839. Solutio.

1° Si *utraque* pars reperitur versari *in bona fide* circa existentiam impedimenti qua matrimonium dirimentis, *relinquantur in bona fide,* et matrimonium celebretur; postea autem convalidetur matrimonium sive per simplicem dispensationem, sive per sanationem in radice, pro varia opportunitate.

2° Si *utraque* pars est impedimenti *conscia,* vel si, una parte conscia, altera facilè moneri potest, quemadmodum plerumque fit, juxta modò notata, cum impedimento natura publico, suggeratur utrique nupturienti ut matrimonium contrahant *sub conditione suspensiva obtinendae dispensationis;* ac omni conatu nitatur confessarius dispensationem procurare ante ejusdem diei finem, etiam, si opus sit, per viam telegraphicam aut telephonicam.

Quodsi dispensatio non sit exspectanda nisi sequenti die, efficaciter urgendi sunt nupturientes ut abstineant ab omni usu conjugii, usquedum de obtenta dispensationis gratia certiores reddantur.

3° Si *una* pars, confessionem instituens, est impedimenti *conscia, nec altera absque gravi incommodo moneri potest: etiam tunc inhaesitanter est ad matrimonium procedendum.*

Quae praxis ex eo ligitimatur quod lex Ecclesiae, impedimentum statuentis, censeatur, tantis in angustiis, *ex epikeia* cessare, non modò *in quantum* est *prohibens,* sed etiam *in quantum est irritans* (1).

---

(1) Cf. suprà, n. 469, coll. n. 238. — Si lex, in casu, cessaret tantùm in quantum est prohibens, incompleta foret solutio. Valeret quidem pro casu quo dispensatio potest

Contra quam solutionem frustra invocari videtur principium ad quod provocant adversarii, quatenus *leges irritantes non admittant epikeiam nisi ob motivum boni publici,* adeoque in necessitate aliqua communitatem afficiente: principium namque illud directè spectat legis irritantis cessationem ex epikeia in *casu publico,* obstante scil. impedimento facto publico, ita ut inde damnum pateretur bonum commune, sic publicè enervata lege irritante; hîc autem agitur de occulta cessatione legis..

ARTICULUS 3^s^. **A quonam instituendus sit recursus.**

Principium est quod « rescripta tum Sedis Apostolicae, tum aliorum Ordinariorum, impetrari liberè possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur ». Ita can. 36, § 1 (1).

De facto autem, quod spectat rescripta *dispensationis matrimonialis,* sequens norma viget:

840. A quonam sit recurrendum ad S. Sedem:

A. Pro **dispensatione apostolica** impetranda:

pro foro externo,

1° *Pro foro externo,* passim apud nos recurritur, nomine oratorum (2), *per medium Ordinarium* (3), idque regulariter per Ordinarium proprium (4), qui ipse supplicem libellum conficiat et ad S. Sedem dirigat; *parochus* autem, et quidem regulariter parochus sponsae (5), coram Ordinario negotium exponat, in supplica quasi provisoria, in qua, indicatis omnibus elementis in supplica Ordinarii inserendis, postulet ab Ordinario ut S. Sedis

---

tempestive, ante diei exitum, obtineri et pseudo-conjugibus communicari; prorsus vero est insufficiens pro casu quo ante sequentem diem impetrari nequit dispensationis gratia, nec ullatenus potest pars conscia consummationi matrimonii sese subducere.

(1) Ita etiam *Normae commun.,* c. X, n. 1°: « christifideli cuique patet aditus ad S. Sedis Officia, servata rite forma quae decet, et facultas est cum iisdem agendi per se de suis negotiis ». Cf. PERATHONER, *Der Geschaftsverkehr...,* l. c., p. 742 s.

(2) Gratia imploratur nomine *utriusque* sponsi, si uterque est catholicus et utrique commune est impedimentum, nec unius partis delicto nititur; nomine *unius* partis dumtaxat, quando una tantum pars est catholica, vel una tantum impedimento afficitur absoluto, v. gr. voto, vel ordine, vel, si agitur de impedimento relativo, quod ex unius delicto oritur. Si utraque pars est obnoxia impedimento absoluto, nomine utriusque partis, *distincta supplica* est recurrendum.

(3) S. Sedes non solet pro foro externo dispensare nisi supplica fuerit confecta vel saltem litteris testimonialibus commendata ab Ordinario; huic etiam committuntur exequendae rescripta dispensationis matrimonialis, uti infrà dicetur. Insuper securius hac via recursus instituitur.

(4) Recursum illum instituere valet sive Ordinarius originis, sive Ordinarius proprius; (Litter. C. S. O., 20 Febr. 1888); praxis autem est ut ab Ordinario proprio preces transmittantur, et quidem ab Ordinario partis catholicae impedimento absoluto directè obnoxiae, vel, si agatur de impedimento relativo, ab Ordinario sponsae aut illius partis cujus delicto impedimentum nititur. Circa ratihabitionem petendam ab Ordinario non dispensante, cf. suprà, n. 774, in nota.

(5) Potest esse officium parochi *sponsi,* juxta modò notata de Ordinario, quando nempe impedimentum solum sponsum afficit directe, vel nititur in delicto a sponso admisso et hujus parocho innotescente; item si solus sponsus est catholicus.

dispensationem procurare dignetur (1): qua accepta supplica provisoria, Ordinarius definitivam conficit supplicam eamque Romam transmittit, Officio competendi submittendam (2).

2° *Pro foro interno:*

841. *pro foro interno;*

a/ *sacramentali:* recursus instituitur *per medium confessarium,* impedimentum detegentem, qui nomine oratorum (3) directe sollicitat dispensationem a S. Sede, a sacra scil. Poenitentiaria. Nihil tamen impedit quominus confessarius a se confectas et clausas litteras tradat Ordinario, hunc sollicitando ut illas velit Romam transmittere; potest etiam confessarius, salvo sigillo, Ordinario negotium suum committere, ut ipse supplicam conficiat, ad S. Sedem transmittendam: quod plerumque fieri solet, attenta restrictione sub n. 853 facienda, coll. n. 855.

b/ *non sacramentali:* recurritur *per medium Ordinarium,* vel *parochum,* vel *alium sacerdotem,* cui, extra confessionem, innotuit impedimentum, puta occasione examinis antenuptialis.

Parochus scil., vel alius sacerdos, in casu, nisi opportunum judicet sponsum remittere ad confessarium, ut negotium tractetur in foro sacramentali, recursum instituet extrasacramentalem, vel intermedio Ordinario vel immediate et directe, ad S. Poenitentiariam, tacitis nominibus et addito monito quod agatur de negotio extra confessionem acto et agendo. Qui recursus extrasacramentalis maxime opportunus erit, si nupturiens invitus est confessioni instituendae et negotio sacramentaliter tractando, vel si timendum videtur ne forte unquam publicum evadat impedimentum, quatenus, in hac hypothesi, locus sit applicandae dispositioni canonis 1047 (4). Cf. suprà, n. 830 et 833, coll. n. 737 et 738.

842. *ad Ordinarium.*

B. Pro **dispensatione episcopali:** recurritur per medium *parochum* in foro externo, et in foro interno sacramentali, per medium *confessarium,* in foro autem interno extrasacramentali, per parochum vel alium sacerdotem.

Nota. Ad normam can. 37, sollicitari ac impetrari potest dispensatio pro oratoribus, praeter eorum assensum. Cf. n. 875.

---

(1) Si confessario innotescit impedimentum pro foro externo dispensandum, debet poenitentem, salvo sigillo, remittere ad parochum.

(2) Ad supplicam S. Sedi offerendam, solent Ordinarii uti ministerio *Agentis,* ad hoc pro negotiis Romanis tractandis a Curia Romana aggregati et a singulis curiis episcopalibus specialiter electi.

(3) Dispensatio petitur nomine utriusque nupturientis, vel nomine unius dumtaxat, quando occurrit impedimentum unam partem afficiens, vel, si utrique est commune, ex unius delicto oritur. Utitur autem confessarius pseudo-nomine.

(4) Ubi *ad S. Sedem* recurritur in foro interno sacramentali, dispensatio in eodem foro sacramentali conceditur, a confessario exequenda (infrà, n. 865), nec adeo illi applicabilis est dispositio canonis 1047.

ARTICULUS 4ª. De ipso recursu instituendo.

843. Monitum praevium circa recursum instituendum regulariter ope supplicae scripto exaratae.

Monitum praevium: 1° Recursus pro impetranda dispensatione *de se* institui potest *viva voce,* vel ope telephonii aut telegraphi. Praestat tamen illum institui *per scripturam,* quia secus aegre observari potest stylus Curiae et ratio haberi dispositionum Instructionis S. C. de P. F., circa inserenda in supplicatione, de quibus mox, ac ansa potest praeberi variis abusibus; imo positiva prohibitione (Litterae Secretariae Status anni 1891), excluditur recursus, saltem de via ordinaria, per viam telegraphicam aut telephonicam. Exceptis proinde extraordinariis adjunctis, in quibus aliter recurri nequit, recursus instituatur per mediam *supplicam, scripto exaratam.* Attamen, si aliàs prohibeatur recursus telephonicus aut telegraphicus, invalidam non reddit dispensationem, modò omnia pro valore memoranda et attendenda fuerint servata; quod applicatur dispensationibus apostolicis et episcopalibus, sive ex potestate ordinaria sive ex indulto concessis (1).

2° Quod nunc spectat *confectionem supplicae,* successive agetur de inserendis in ea, et de ipsa supplicae redactione, attentis normis communibus et particularibus juris particularis Brugensis. In hisce autem directe prae oculis habemus *dispensationes Romanas,* ac supplicam, pro foro externo, ab Ordinario vel, pro foro interno, a confessario aut a parocho, ad S. Sedem transmittendam. Atvero simul valent dicenda, proportione servata, pro dispensationibus *episcopalibus:* in hisce namque debet servari stylus Curiae, quoad substantialia, ad *valorem,* quoad reliqua vero ad *liceitatem,* ubi ab Episcopo dispensatur ex potestate delegata (2), et ad *convenientiam,* ubi dispensatur ex potestate ordinaria, juxta dicta sub n. 785; etiam attendendae sunt, in recursu pro dispensatione episcopali, normae hic exponendae pro redactione supplicae provisoriae, quam parochus exarare debet, in qua Ordinario exponat totum negotium in

---

(1) *In doecesi Brugensi,* hucusque permittebatur recursus telegraphicus vel telephonicus ad Ordinarium, deficientibus scil. aliis recurrendi mediis.

Jam excluditur ille recurrendi modus, ac praescribitur ut, si opus sit, ad Ordinarium recurratur sive recursu personaliter instituto, sive nuntio misso cum litteris.

Caeteroquin, attentis amplis facultatibus sacerdotibus et signanter parochis factis pro casu urgenti, in quo normali via ad Ordinarium recurri nequit, recursui telegraphico aut telephonico vix aliter locus esset quam pro *casu publico,* in quo vidimus omnem dispensandi potestatem in casu urgenti deesse parocho (n. 793); posset autem applicationem etiam habere in casu exceptionali, de quo sub n. 837 ss.

(2) Sic, in fine Instructionis, de qua statim, et de qua suprà, sub n. 817, notatur: « Haec prae oculis habere debent non modò qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur ».

ordine ad confectionem supplicae definitivae Romam transmittendae (1).

I. Inserenda in supplica.

A. **Pro foro externo:**

844. Varia inserenda in supplica pro foro externo:

Juxta Instructionem S. C. de P. F. diei 9 Maii 1877, de qua sub n. 817, in altera ejusdem parte, sequentia sunt de jure vel consuetudine aut stylo Curiae exprimenda:

nomen;

1° « **Nomen** (voornaam) et **cognomen** (familienaam) oratorum (2), utrumque distincte et nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum ».

2° « Dioecesis originis vel actualis domicilii ».

dioecesis;

Sufficit igitur indicare dioecesim originis *vel* domicilii seu quasi-domicilii; passim autem indicatur dioecesis domicilii, et quidem domicilii utriusque sponsi, nisi alteruter esset acatholicus. *Parochiae* nomen jure communi non exigitur declarandum, nequidem ubi angustia loci affertur qua causa (3).

Circa 1^m^ et 2^m^ attende dispositionem can. 47: « Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur (4), aut loci in quo ipsa moratur (5) (aut rei de qua agitur), *dummodò,* judicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona (vel re) dubitatio ». Cf. infrà, n. 922, ubi notabitur citato canone 47 intendi defectum afficientem dispensationis *instrumentum,* quatenus scil., *ex amanuensis inadvertentia,* error vel in nomine vel in loco irrepserit.

845. species impedimenti;

3° « **Species etiam infima impedimenti,** an sit consanguinitas vel affinitas...; in impedimento *criminis,* utrum provenerit ex conjugicidio (cum promissione matrimonii) (6), aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione (aut attentatione) matrimonii... »; in *publica honestate,* utrum ex matrimonio invalido

(1) « In libello supplici, ad Episcopum directo pro hujusmodi dispensatione obtinenda, ea omnia exprimenda sunt quae exprimi debuissent si libellus ad Datariam (nunc ad S. Congr. de disc. Sacr.), vel ad Poenitentiariam Romanam fuisset directus ». *Lib. Man.* pro dioecesi Brugensi, p. 188.

(2) Indicetur nomen juxta registrum baptismale, et inter plura eligatur illud quod communius usurpetur. Cf. decr. Congr. Prosyn. Brugensis, anni 1921, sub VII, ubi etiam notatur superfluum esse indicare nomina parentum oratorum.

(3) *Jure particulari Brugensi,* in Congr. Prosyn. anni 1921, sub VII, requiritur « ut designetur locus *domicilii* seu *parochiae* ubi hic et nunc habitant oratores »; superfluum autem ibidem dicitur indicare locum nativitatis aut baptismi.

(4) Hucusque severior vigebat disciplina, excludens scil., sub poena nullitatis, errorem in nomine vel pronomine, etiam ex inadvertentia amanuensis provenientem, quemadmodum eruebatur ex tenore Instructionis 1877 et ex *Adnotationibus ad Formulas Ap. Datariae.* Ideo inter facultates Ordinariis elargiri solitas inserebatur facultas convalidandi « literas dispensationum matrimonialium, ab eadem S. Congr. super quovis canonico impedimento expeditas, quae nullae fuerint ob errorem nominum vel cognominum contrahentium ». Cf. *Collat. Brug.,* t. XVIII, p. 238.

(5) Minus severa erat disciplina anterior circa errorem in loco, quam circa errorem in nomine vel cognomine, uti constat ex responso S. Poenit. 6 Febr. 1895, apud *N. R. th.,* XXVII, p. 266 s.

(6) Cf. suprà, n. 663, in nota.

vel ex publico concubinatu; in *cognatione spirituali,* utrum inter baptizatum et baptizantem vel inter baptizatum et susceptorem.

Quae variae determinationes intelliguntur ex suprà dictis, ubi de singulis impedimentis. Quousque autem, in proponenda impedimenti specie, *amanuensis error* invalidare possit dispensationem, cf. infrà, n. 922, coll. can. 47.

846. gradus et linea;

4° « **Gradus** *consanguinitatis* aut *affinitatis* aut (*publicae*) *honestatis...,* et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et **linea**, an sit recta vel transversa; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris quam ex parte matris ».

Circa quae nota a/ in linea collaterali *aequali,* juxta can. 1052, dispensationem super consanguinitate vel affinitate non irritari ob errorem circa gradum, « *dummodò gradus revera existens sit inferior* »; adeoque non nocere dispensationis valori, quod gradus proximior exprimatur pro remotiore, puta ponendo secundum pro tertio, nec referre quod error occurrat sive in petitione sive in concessione (1); b/ in linea *inaequali,* exprimendum quidem esse utrumque gradum (2), sed id *non* requiri *pro valore,* ac sufficere ad valorem ut indicetur gradus remotior, utpote qui trahit ad se proximiorem, ad tramites dictorum suprà, sub n. 597, coll. can. 96, § 3 (3); dubitari tamen posset utrum non sit exceptio facienda pro casu ubi intervenit gradus primus, adeo ut non valeret dispensatio petita super 2° gradu, si nupturientes sunt in secundo gradu tangente primum, i. e. si sunt ad invicem avunculus et neptis (4).

Porro ad vitandos errores in computatione graduum, decrevit Episcopus Brugensis: « Si dispensatio petatur in impedimentis, quae ex consanguinitate vel affinitate oriuntur, libello supplici addenda est *arbor geneologica,* in qua notentur nomina parentum, ex quibus oratores descendunt, ascen-

(1) In disciplina anteriori id non videbatur admittendum, attentis scil. variis documentis Romanis, signanter decr. S. C. de P. F., 7 Junii 1853 (*Collectan.*, n. 1238), decr. S. C. de Sacr. 18 Martii 1913 (DURIEUX, o. c., p. 108 s.) et rescr. S. Sedis 7 Oct. 1911, apud *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 707 s., coll. t. XIV, p. 57 ss.

(2) Quando intervenit *primus* gradus, non tantùm exprimitur hic gradus, simul cum secundo vel tertio, sed etiam indicari solet — vel saltem hucusque solebat — provenientia, notando quisnam sexus sit propinquior, quatenus dicatur v. gr. oratores esse in primo gradu mixto cum secundo, ex eo quod orator sit avunculus oratricis.

(3) Pro secundo proinde gradu consanguinitatis mixto cum tertio, sufficit pro valore indicare gradum tertium. Non posset tamen exprimi gradus tertius *aequalis,* quia tunc excluderetur secundi gradus mixtio, adeoque error positivus induceretur. Cf. GENICOT-SALSMANS, *Casus consc.*, n. 1092; LEITNER, o. c., p. 300; *Theol. Prakt. Quartalschr.*, 1922, p. 678. Olim S. Poenitentiaria, dispensans pro foro externo, semper exigebat, sub poena nullitatis, exprimendum gradum proximiorem. Cf. GASPARRI, o. c., n. 320, 324 et 357, cum documentis ibidem citatis.

(4) Ratio dubitandi est quod, uti notat WERNZ-VIDAL, o. c., n. 440, juxta Const. Pii V, *Sanctissimus,* 20 Aug. 1566, et stylum Datariae, irritabatur hucusque dispensatio, omisso primo gradu, in casu; quem stylum Datariae mutasse dici nequit can. 96, § 3, utpote qui mere refert dispositionem anterioris juris (c. 9, X, IV, 14). Accedit quod ex facultatibus de quibus suprà, n. 770, attentis notatis sub n. 464 et 741, erui videtur consanguinitatem in tertio gradu lineae collateralis et affinitatem in secundo gradu evadere impedimenta gradus majoris, statim ac tangitur respectivè gradus primus. Ulterius notat CAPPELLO, o. c., n. 273, coll. TRIEBS, o. c., p. 192, quod, « si agitur de impedimento *secundi tangentis primum* consanguinitatis gradum, Ordinarius litteris *propria manu* exaratis rationes singulis in casibus explicare debet, vel saltem addere debet *specialem commendationem* pariter *propria manu* conscriptam ».

dendo usque ad communem stipitem », quae genealogica arbor praescribitur esse *completa,* in intricatis saltem casibus (1). Quae ordinatio non spectat supplicam ad S. Sedem mittendam, sed libellum a parocho ad Ordinarium dirigendum pro impetranda dispensatione episcopali, vel pro praeparanda supplica Romana.

847.

5° « **Numerus** *impedimentorum,* ex. gr. a/ si adsit duplex aut multiplex consanguinitas aut affinitas, vel b/ si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud *quodcumque* impedimentum, sive dirimens sive impediens ». *numerus;*

Nimirum indicandum est *primò* utrum impedimentum *in eadem specie multiplicetur* et quotuplex sit, juxta multiplicationis normas suprà expositas pro singulis impedimentis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, publicae honestatis et criminis. Pariter indicandum est *secundò* utrum *plura diversae speciei* impedimenta *concurrant* et quaenam, sive dirimentia sint sive impedientia, uti ipse tenor habet; unde omnia impedimenta tam *impedientia* quam *dirimentia,* quantumvis disparata (2), *sunt in eadem supplica exprimenda* et *simul dispensanda.*

Nimirum haec duplex *norma,* una scil. de indicanda impedimenti in eadem specie multiplicitate, et altera de omnibus diversae speciei impedimentis simul inserendis et simul dispensandis, licet nullibi, in Codice, expressis verbis memoratur, videtur equidem, attentis can. 20 et 23, coll. can. 6, perseverare sub nova disciplina, ratione tamen habita moderationum ac *mitigationum* a Codice inductarum:

Et quidem quod a/ spectat *primam* dispositionem, circa indicandam scil. impedimenti *multiplicitatem:* imprimis attendendus est can. 1052, ubi statuitur dispensationem super *consanguinitatis* vel *affinitatis* impedimento *non irritari,* « licet reticitum fuerit aliud impedimentum ejusdem speciei *in aequali* vel *inferiore gradu* », quin rursus referat reticertiam contingere sive in petitione sive in concessionis actu (3); unde, in casu consanguinitatis vel affinitatis *multiplicis,* sufficit *pro valore* indicasse simplex impedimentum in gradu proximiori. Attendenda est etiam norma proposita in decreto C. S. O., 22 Febr. 1899, ad 1^m^, quatenus scil. *valida* maneret dispensatio, « non obstante errore materiali in computatione impedimentorum (omissa scil. expressa mentione impedimenti ejusdem speciei in gradu superiori), dummodò casus exponatur uti est », subministratis scil. elementis ex quibus evidenter deducitur quotuplici impedimento detineantur oratores (4).

---

(1) Dicitur: *completa,* i. e. expressis nominibus et pronominibus ascendentium, usque ad tertiam generationem inclusive, pro consanguinitate, et usque ad secundam inclusive generationem pro affinitate. Cf. suprà, n. 603, n. 618 et n. 684.

(2) Non apparet quomodo, attenta generalitate tenoris in Instructione usurpati, sustineri possit distinctio quam, juxta S. ALPH., l. VI, n. 1139, inducit FERRERES, *Comp. theol. mor.,* II, n. 877, inter impedimenta *disparata* et *non disparata,* priora a norma statuta eximendo, quando unum est publicum et alterum occultum. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 59 s.

(3) Cf. suprà, n. 603. — Circa disciplinam anteriorem, cf. *Collat. Brug.,* t. IV, p. 422 ss., collatis decr. C. S. O., 11 Martii 1896, apud *Collat. Brug.,* t. I, p. 376 s., necnon Causa Parisien., coram S. Rota acta, 13 Jan. 1921, circa dispensationem concessam ante Codicem (A. A. S., XIV, p. 472 ss.). Cf. etiam VLAMING, o. c., n. 506, ad II.

(4) Ut efficacius ab errore praecaveatur, multum juvare potest arbor genealogica, de qua modò, *completa,* ad Officialem mittenda: sic potest per seipsum detegere utrum

Quod spectat b/ *alteram* dispositionem de insertione et dispensatione simultanea *omnium diversae speciei* impedimentorum *simul concurrentium:*

a/ Non urget *pro valore,* seu sub poena nullitatis, in casu can. 45, quando nempe dispensatur cum clausula *Motu proprio;* item in casu can. 1054, quando scil. dispensatio conceditur a *minori* impedimento (1).

β/ Prorsus non urget praefata lex, *nequidem ad liceitatem,* in hypothesi, suprà, n. 783, descripta, juxta can. 1050: quando nimirum cum impedimento, recursum Romanum exigente, concurrit impedimentum super quo Ordinarius (aut alius inferior) dispensare valet, modò agatur vel 1. de impedimento super quo Ordinarius dispensat ex potestate *ordinaria,* extra periculum mortis et casum urgentem, voto nempe non reservato et impedimentis facto dubiis; vel 2. de impedimento *occulto,* super quo *ex indulto* dispensare potest; vel 3. de impedimento *publico* super quo ex indulto dispensare potest, quod innotuit postquam super impedimento apostolico *impetrata* fuerit, licet nondum executioni mandata, dispensatio.

Alias servanda censetur descripta lex, in recursu relatis omnibus impedimentis simul (2), sive ad solam liceitatem, uti pro impedimentis minoris gradus, sive ad ipsum etiam valorem, uti pro impedimentis reliquis: quando nimirum simul concurrunt plura impedimenta episcopalia, sive dispensat Ordinarius ex potestate delegata, sive ex potestate ordinaria, in periculo mortis vel in casu urgenti; item quando plura concurrunt impedimenta apostolica, i. e. a S. Sede dispensanda; tandem in concursu impedimenti publici, super quo Ordinarius dispensare potest ex indulto, cum impedimento apostolico, super quo nondum impetrata seu obtenta est dispensatio Romana momento quo innotuit impedimentum episcopale (3).

848. variae circumstantiae;

6° « **Variae circumstantiae,** scilicet an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini (vel can. 1094); vel an spe facilius dispensationem obtinendi; [demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti]:

---

impedimentum multiplicetur: quae cautela opportune servetur, saltem in casibus intricatis.

(1) Cf. infrà, n. 867 et n. 919. Observa autem impedimentum omissum non relaxari, sed ejus omissionem non impedire quominus impedimentum aut impedimenta expressa dispensatione removeantur.

(2) Quomodo norma sit servanda in concursu impedimenti fori externi cum impedimento fori interni, dicetur mox, sub n. 852 et 853.

(3) Cf. CAPPELLO, o. c., n. 275, sub 5°, c/, ubi dubiam habet sententiam quae requirit, positis ponendis, sub poena nullitatis, insertionem omnium diversorum impedimentorum, quae in eodem casu concurrant, eorumque simultaneam dispensationem. Imo videtur inclinare in benigniorem solutionem, idque etiam ubi impedimenta *ad idem forum* pertinent, in solutionis favorem provocans ad tenorem can. 1052; ast immeritò, uti opinamur, cum ibidem potius innuatur *non valere* dispensationem super aliquo impedimento, puta consanguinitatis, quando reticitum fuit aliud impedimentum *diversae speciei:* enuntiatur enim principium quod non irritatur dispensatio ubi reticitum fuit aliud impedimentum *ejusdem speciei.* Quod spectat ejusdem Auctoris sententiam circa insertionem omnium impedimentorum *diversi fori,* cf. infrà, n. 853bis.

Indicandum est utrum agatur de matrimonio ineundo vel de matrimonio contracto, quia alia est dispensatio in ordine ad matrimonium contrahendum et alia dispensatio in ordine ad matrimonium contractum convalidandum, et aliae sunt clausulae servandae. Cf. n. 733.

Suprà, n. 824, vidimus *matrimonium contractum* posse invocari *tanquam causam canonicam,* eamque gravissimam; juxta hunc n. 6[m], etiamsi non invocetur qua causa, equidem declarandum est *ratione sui* et *qua mera circumstantia,* idque cum variis determinationibus mox referendis. *Matrimonium contractum* intelligitur matrimonium a nupturientibus initum cum intentione verum matrimonium contrahendi, sive speciem habeat matrimonii (n. 158), sive non; quo pacto hoc nomine venit etiam matrimonium civile, inter personas clandestinitatis legi obnoxias, modò intenderint verum matrimonium, et non meram civilium formalitatum celebrationem; item matrimonium coram ministello acatholico attentatum: cui utrique matrimonio denegatur species matrimonii. Cf. suprà, n. 461, sub 2°, et n. 733 (1).

Quodsi agatur de *matrimonio contracto* convalidando, non sufficit illud simpliciter indicare; addendae sunt variae circumstantiae determinantes: de bona scil. vel mala fide cum qua fuerit initum; de servata necne forma canonica et de bannis praemissis; utrum fuerit initum cum spe facilius impetrandi dispensationem (2).

In tenore Instructionis, additur addendam esse mentionem consummationis, et, si matrimonium fuerit consummatum, memorandum esse utrum bona vel mala fide. Attamen, attenta moderatione inducta per decr. C. S. O., 25 Junii 1885, de qua infrà, n. 850, et suprà, n. 823, de suppressa necessitate memorandi copulam et malitiosam intentionem in illa peragenda, videtur abrogata etiam necessitas in precibus inserendi *consummationem matrimonii* nulliter contracti (3).

7° Invocandae sunt causae proportionatae canonicae, de quibus suprà, omittendo infamantes occultas, tacendo etiam infamantes notas, si causae honestae adsunt sufficientes, uti notavimus sub n. 828, sub 3°.

849. quaedam per accidens inserenda.

Nota 1. Quae spectant oratorum *religionem, aetatem, familiam, qualitatem, per se* non sunt exprimenda *pro valore,* sed tantùm *per accidens,* ratione causae invocatae: uti contingere potest cum

(1) Matrimonium civile, pro mera caeremonia civili celebratum, potest quidem declarari uti *causa,* quemadmodum vidimus, n. 826; sed, cum hic dicta ipsi non applicentur, non est addendum utrum bona vel mala fide, cum spe vel sine spe facilius obtinendi dispensationem; nec etiam absque necessitate invocanda est haec causa, uti jam notavimus, et sub 7° notatur. Cf. GENICOT-SALSMANS, *Casus consc.,* n. 1093.

(2) Haec intentio non est omittenda, nec illam spectant decreta 1885 et 1891, supra, n. 823, invocata et n. 850 invocanda: haec nempe decreta sustulerunt quidem necessitatem declarandi intentionem facilius obtinendi dispensationem in *copula* exercenda (n. 850), non autem in *matrimonio* contrahendo. Hoc contra FEYE, o. c., n. 713; POMPEN, p. 55 et p. 141; VLAMING, o. c., n. 432. Utramque sententiam uti probabilem habet WERNZ-VIDAL, n. 440, nota 134.

(3) Decretum C. S. O., 18 Martii 1891, quo confirmatur dispositio decreti 25 Junii 1885 (suprà, n. 823 et infrà, n. 850), expressis verbis applicatur dispensationibus *in matrimonio contracto.* In eumdem sensum CAPPELLO, n. 275, p. 300; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 440, nota 134.

viduitate oratricis, vel cum aetate sponsae, licet etiam tunc annorum numerus non est accurate determinandus, et sufficit sponsam declarare superadultam, seu 24 annis majorem.

Attamen plura ex illis, pro variis adjunctis, vel *solent* memorari vel *de liceitate* sunt indicanda. Ita religio debet exprimi si una pars est acatholica; aetas generatim indicari solet apud nos in quocumque casu; familiae honestatem expedit addere ubi agitur de proximioribus gradibus et praesertim ubi allegatur angustia loci; mos etiam est ut coelibatus seu viduitatis fiat mentio. Circa paupertatis notam, vide *scholion* infrà, sub n. 858.

2. Non rarò, ad normam dictorum sub n. 786, exigitur vel consulitur, pro varia hypothesi, mentio facienda in precibus *prolis legitimandae.*

Nimirum, uti notavimus sub dicto n. 786, quando postulatur dispensatio concedenda in forma commissoria, uti solet fieri cum dispensationibus apostolicis et nonnunquam contingit cum dispensationibus episcopalibus fori interni (n. 861 et 890), non legitimatur proles ipso facto dispensationis fulminatae, sed speciali ac distincto actu legitimanda est proles a dispensationis executore, ad hoc accepto potestate a dispensationis auctore. Ubi igitur nata est proles, aut etiam concepta, saltem si praevidetur ante dispensationis fulminationem forte nascitura, mentio de hoc est facienda in supplici libello, ut in rescripto dispensationis legitimandi facultas inseratur ac in dispensationis executione legitimationis decretum feratur (1).

Quodsi sollicitatur dispensatio concedenda in forma gratiosa, vi potestatis ordinariae aut delegatae per indultum generale, quemadmodum solet fieri cum dispensationibus episcopalibus (n. 890): cum, per hujusmodi dispensationem super impedimento, ipso facto etiam legitimetur proles non sacrilega nec adulterina (can. 1051, coll. n. 786), stricte *non requiritur* mentio facienda in precibus prolis legitimandae (nisi forte sit adulterina aut sacrilega); videtur tamen

---

(1) Huc spectat monitum Episcopi Brugensis, in Congregatione prosynodali anni 1912 (*Collat. Brug.*, t. XVII, p. 358): « Quoties in supplica quam parochus ad Ordinarium dirigit, in ordine ad dispensationem matrimonialem *a Sede Apostolica* obtinendam, mentio fit copulae carnalis cum praegnantia oratricis, si praevidetur prolem forte nascituram ante dispensationis fulminationem, hoc sedulò indicetur, ut Ordinarius unà cum dispensatione prolis legitimationem postulet; a fortiori declaranduin est quod proles jam sit nata ».

Quinimo consulenda videtur mentio prolis conceptae, *etiam ubi non praevidetur ante fulminationis actum nascitura.* Equidem post dispensationis fulminationem nata proles non est spuria, adeoque legitimabitur per ipsum subsequens matrimonium; sed legitimationis decretum potest habere suam utilitatem pro casu quo matrimonium quacumque de causa exinceps non contrahatur. Cf. VLAMING, o. c., n. 454.

opportunum ut etiam tunc mentio illa fiat, non ad hoc ut in rescripto inseratur legitimationis decretum, utpote quo non est opus, sed ut in illo saltem memoretur legitimatio illa per dispensationem ipso facto concessa: ita nempe de legitimatione prolis actu authentico constabit.

Passim frustra petetur legitimatio prolis adulterinae aut sacrilegae, quam renuit S. Sedes legitimare (1).

3. Quando recurrendum est pro dispensatione super *disparitate cultus* vel *mixta religione,* opportunum est, nisi aliter disponat jus particulare (2), ut ipsi libello supplici adnectantur cautiones scripto exaratae et a partibus subsignatae, una cum attestatione parochi de morali certitudine futuri cautionum adimplementi. Cf. suprà, n. 505 et 590, ac infrà, n. 874.

4. Ubi ad Episcopum recurritur pro dispensatione in impedimento, super quo non habet dispensandi potestatem, nisi ratione periculi mortis vel urgentis necessitatis, hujus periculi vel urgentis necessitatis mentio est facienda in supplica, indicando naturam gravis mali quod natum esset oriri ex matrimonii celebrationis ejusve convalidationis dilatione.

850. Antiqua disciplina circa copulam incestuosam.

5. Olim, ante 25 Junii 1885, ad valorem dispensationis, inserenda erat, idque *ratione sui* et tanquam *mera circumstantia,* sive agebatur de matrimonio contrahendo vel de matrimonio contracto convalidando, « *copula incestuosa,* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota fuerit, sive etiam occulta », quotiescumque dispensatio erat impetranda « super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon et publicae honestatis » (3).

Quae disciplina ita est intelligenda ut tunc temporis fuerit irrita dispensatio, non tantùm quando omissa erat in supplica copula ante peracta, vel intentio dispensationem facilius consequendi, sed etiam quando, post dispensationis impetrationem ast ante ejudem executionem seu fulminationem, sponsi patraverant incestum, vel illum in supplica expressum iteraverant tempore quo separatio, vi litterarum Apostolicarum, erat indicta (4).

Jamvero *abrogata* fuit illa dispositio per notissimas Litteras Leonis XIII diei 25 Junii 1885, quibus declaratum est et statutum « dispensationes matrimoniales *posthac concedendas,* etiamsi copula incestuosa vel con-

(1) Anno 1924, die 12 Dec., S. C. de Sacram. dispensationem concessit super consanguinitate et crimine in gratiam nupturientium, qui in adulterio prolem susceperant, in cujus dispensationis rescripto inseruit: « Eadem S. C. declarat prolem adulterinam non legitimari ».

(2) In dioecesi Brugensi id *praescribi* vidimus suprà, n. 505 et 590. Cf. etiam infrà, n. 874.

(3) *Instr.* anni 1877, in altera parte, n. 7°.

(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. V, p. 615 s.

silium et intentio per eam facilius dispensationem impetrandi reticita fuerint, validas futuras » (1).

Circa quae nota: a/ decretum 1885, uti ex relato tenore liquet, spectabat matrimonia *futura,* adeoque disciplina olim vigens adhuc postea erat attendenda in dijudicando valore matrimonii ante illam datam anni 1885 celebrati (2); b/ supressa fuit tantùm necessitas inserendi copulam incestuosam, *quatenus est mera circumstantia et ratione sui:* nihil ergo impedit quominus aliunde *per accidens* sit memoranda, puta *ratione prolis legitimandae,* vel *ratione impedimenti declarandi,* v. gr. criminis, ex eo quod orator cum consanguinea adulteraverit sub promissione matrimonii, vel quatenus invocanda sit tamquam causa; c/ intentio, in copula instituta (3), facilius obtinendi dispensationem jam non est inserenda, pro valore, in supplica: quam moderationem vidimus esse generalem, adeo ut dicta intentio jam possit omitti non modò in casu quo copula allegatur uti circumstantia, sed etiam in casu quo invocatur uti causa (cf. suprà, n. 824); moderatio inducta afficit etiam, uti modò notavimus sub 848, copulam matrimonium contractum consummantem.

B. **Pro foro interno.**

851. Inserenda in supplica pro foro interno,

Omittenda sunt omnia ex quibus innotescere possent oratores: nomina nempe propria, quorum loco adhibeantur ficta, uti Titius et Titia, qualitas, aetas et alia hujusmodi; quod attinet *dioecesim,* ejus mentio non requiritur nisi indirecte et pro solis dispensationibus ab Episcopo concedendis, quatenus notari oportet oratores, vel saltem partem cum qua ab Episcopo est dispensandum, esse ejusdem subditam, omissa utique mentione parochiae.

De caetero, normae spectantes impedimenta eorumque determinationem necnon circumstantias exprimendas et causas, valent tam pro dispensationibus in foro interno quam pro dispensationibus in foro externo, nisi quod causae inhonestae etiam occultae possunt hic facilius invocari.

Hic prae oculis habemus potissimum recursum pro foro interno sacramentali; dicta tamen aeque valent pro foro non-sacramentali, hac salva cautela quod, si opportunum judicetur providere ut dispensatio suffragari possit etiam in foro externo, communicanda sint Ordinario, seorsim a tenore supplicae, nomina oratorum, quatenus, ad normam can. 1047, adnotetur dispensatio in secreto Curiae archivo.

---

(1) Tenorem integrum exhibet *Lib. Man.,* p. 177 s.; item *Collectan.,* n. 1495, coll. n. 1500, ubi refertur decr. C. S. O., 18 Martii 1891, idem statuens.

(2) *Collat. Brug.,* t. V, p. 615 ss.

(3) Dicitur : in copula instituta, quia suppressio necessitatis intentionem illam memorandi, spectat solam intentionem habitam *in copula,* non vero, ut nobis videtur et suprà, sub n. 848 notavimus, intentionem illam habitam *in ineundo matrimonio.*

C. In concursu impedimenti fori externi cum impedimento fori interni.

852. vel pro foro externo simul et pro foro interno.

Quando, respectu ejusdem matrimonii contrahendi vel convalidandi, impedimentum fori externi concurrit cum impedimento fori interni et, ad tramites dictorum sub n. 847, sub b/, super illis impedimentis simul est dispensandum: norma est ut *duplex* instituatur recursus, *unus* pro foro externo, mentione facta impedimenti publici ac insertis in supplica omnibus pro foro externo inserendis, et *alter* pro foro interno, mentione facta tum impedimenti occulti tum impedimenti publici ejusque dispensationis in foro externo concessae: quae norma est urgenda saltem ubi, juxta dicta sub n. 847, b, lex de omnibus impedimentis simul dispensandis servanda est *pro valore.*

Ex una namque parte non potest absque infamia impedimentum fori interni exponi in supplica pro foro externo, et ex alia parte non sufficit ut impedimentum publicum inseratur in supplica pro foro interno et simul cum impedimento occulto dispensetur in foro conscientiae, cum haec dispensatio non valeat in foro externo, coram quo notum est impedimentum publicum: ideo impetratur super impedimento publico dispensatio fori externi, et simul curatur ut vitium hujus dispensationis, quod est occultum ob omissam mentionem impedimenti occulti, sanetur in foro interno, simul ac dispensatio conceditur pro eodem foro interno super impedimento occulto, supposita mentione facta in supplica fori interni utriusque impedimenti; quo pacto utrique foro fit satis ac etiam legi de omnibus impedimentis simul relaxandis. Cf. *Collat. Brug.,* t. V, p. 547 s.

Practicè igitur, quando *confessarius,* cui revelatur impedimentum fori interni, novit eidem matrimonio simul obstare impedimentum fori externi:

a/ si jam obtenta est dispensatio in foro externo, sufficit quod confessarius id notet in supplica, et postulet, praeter dispensationem super impedimento fori interni, convalidationem pro foro conscientiae dispensationis in foro externo nulliter concessae.

b/ si nondum est dispensatum pro foro externo: remisso poenitente ad parochum, qui recurrat pro foro externo, dispensationem petendo super impedimento publico, confessarius, ex sua parte, instituet recursum pro foro interno, ac in sua supplica postulabit dispensationem super impedimento occulto, mentionem faciendo

dispensationis petitae vel concessae nulliter super impedimento fori externi, ac sollicitando convalidationem opportunam (1).

Quodsi confessarius sit parochus, cui incumbit recursus pro foro externo, distinctum instituat recursum, unum, qua parochus, pro foro externo, alterum, qua confessarius, pro foro interno, juxta modum indicatum.

853. Quomodo in ultimo casu parcendum sigillo et famae.

Nota 1°. In descripto casu concurrentis impedimenti fori externi et fori interni, in quo, juxta normam propositam, duplex recursus institui debet, adhuc potest, non obstante recursu distincto, esse *periculum infamationis*. Nimirum si pro uno et altero foro recurritur ad Ordinarium, pro obtinenda dispensatione episcopali: Ordinarius, recipiens ambas supplicas eodem fere tempore et ex eodem loco transmissas idemque impedimentum publicum referentes, facilè suspicabitur impedimentum occultum illas afficere personas quae in libello supplici fori externi designantur; quod pariter fiet ubi agitur de impedimentis a S. Sede dispensandis, si, uti passim fit, supplica fori interni Officiali committatur conficienda et Romam transmittenda. Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 548 s.

Equidem, quod spectat sigilli fractionem, difficultas evanescet, praevie obtento, in quantum est opus et salvis cautelis modò indicatis, consensu poenitentis, quem consensum facilius praestabit, cum hîc fama non exponatur certae laesioni sed meris dumtaxat suspicionibus penes Officialem Episcopi, caeteroquin secreto obstrictum; atvero dari possunt rerum circumstantiae tales ut Titium ne quidem dictae suspicioni exponere liceat nec consensus ad hoc postulari queat, puta si spectatae sit conditionis vel ipsi forsan Officiali non ignotus. Optimum tunc et efficax remedium est *in recursu directo* ad S. Poenitentiariam absque intermedio Officiali, vel hujus intermedio non adhibito nisi pro mera transmissione postali supplicae clausae.

Quae solutio supponit tempus adesse adeundi S. Sedem; potest autem fieri tempus illud deficere, ita ut aliter nequeat casui provideri nisi per recursum ad Ordinarium: quo casu ita procedatur ut recurratur ad ipsum Episcopum potius quam ad Officialem (2). Qui recursus fiat vel directe et personaliter adeundo Illustrissimum, vel mittendo epistolam in qua, praeter indicationem: « confidentielle, personnelle », petatur, addita ratione, ut ipse Episcopus, per seipsum et sine intermedio Officiali, opportunam dispensationem concedere dignetur.

---

(1) Non refert, pro valore, quisnam recursus alterum praeveniat. Cf. VLAMING, o. c., n. 448.

(2) Haec norma fuit proposita in Congregatione prosynodali Brugensi, 11 Maii 1869.

Observetur dicta sub hoc ac sub praecedente numero spectare potissimum recursum confessarii pro foro interno sacramentali; valent tamen quoque pro recursu parochi in fori interno non-sacramentali.

2° Diximus, sub n. 852, duplicem recursum, cum mentione omnium impedimentorum in supplica pro foro interno, esse instituendum saltem tunc quando lex de omnibus impedimentis simul dispensandis servari debet *pro valore*. Quodsi haec lex non urget sub poena nullitatis, sed ad solam dumtaxat liceitatem, equidem etiam tunc disciplinae conformior esset proposita praxis (1); minus tamen insisteremus, cum in causa non sit dispensationis valor, ac ratio excusans a stricta legis prohibitivae observatione inveniri forsan posset in periculo infamationis incurrendo per insertionem omnium utriusque fori impedimentorum in una eademque supplica.

853bis. Sententia contraria refellitur.

3° Dantur Auctores, iique egregii, in hanc partem inclinantes ut putent legem de omnibus impedimentis simul dispensandis universim relaxari in concursu impedimenti fori externi cum impedimento fori interni: opinantur jam posse, sub nova disciplina, seorsim et independenter recurri, salvo saltem dispensationis valore, ad forum externum et ad forum internum, quin, in recursu ad forum internum, mentio fiat, de qua modò, impedimenti publici. Ita VERMEERSCH, *Theol. mor.*, n. 831, et apud *Gregorianum,* 1926, p. 143; CAPPELLO, o. c., n. 227.

Hanc suam conclusionem deducere conatur Vermeersch ex canone jam citato 1050. Atvero praemissas excedere videtur conclusio deducta. Ibi namque enuntiatur inferiorem, in concursu impedimenti super quo sola S. Sedes habet potestatem, non privari sua potestate dispensandi ordinaria, nec etiam potestate delegata super impedimento occulto aut super impedimento publico, post impetratam dispensationem apostolicam innotescente, quatenus non urgeat, in hoc triplici casu, principium de appositione manus pontificiae (suprà, n. 782 s.). Unde sequitur quidem, quemadmodum modò notavimus (n. 847, b), normam de omnibus impedimentis simul dispensandis ad triplicem illam hypothesim non extendi; nullatenus vero sequitur normam illam, in concursu impedimentorum diversi fori, universim relaxari (2).

---

(1) Tunc non esset opus ut, in dispensationis rescripto pro foro interno, convalidetur dispensatio super impedimento fori externi, utpote valida.

(2) Cf., in eumdem sensum, DURIEUX, o. c., n. 192, in nota ad p. 116, coll. n. 204; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 437; VLAMING, o. c., n. 447 s., coll. n. 453; TRIEBS, o. c., p. 191, sub f/; LEITNER, o. c., p. 279; LINNEBORN, o. c., p. 149 s., SCHÄFER, o. c., p. 119.

II. REDACTIO SUPPLICAE.

1° Pro **dispensatione episcopali.**

854. Quomodo redigenda supplica in recursu ad Ordinarium ;

Redigatur haec supplica ad Ordinarium dirigenda *nomine oratorum,* sive utriusque sive alterutrius, juxta distinctiones factas sub n. 840. Praestat, in hujus supplicae redactione, servari stylum Curiae, licet non praescribatur.

2° Pro **dispensatione apostolica.**

855. in recursu ad S. Sedem.

Supplica *provisoria* a parocho vel confessario ad Officialem directa, ut supplex libellus Romam mittendus conficiatur, non est obnoxia specialibus praescriptionibus: sufficit ut omnia elementa subministrentur Officiali ad supplicam definitivam conficiendam. Solet tamen confici in forma supplicae proprie dictae ac in stylo Curiae, nomine oratorum, cum hac sola differentia quod non directe postuletur dispensationis gratia, sed petatur ut a S. Sede obtinenda curetur (1).

Quodsi supplica Romana pro foro interno *ab ipso confessario* (vel ab ipso parocho) conficienda est, uti nonnunquam fieri debet juxta dicta in num. 853, inscribenda est supplica Cardinali Majori Poenitentiario: dirigatur autem Romam vel ab ipso confessario (aut parocho), absque intermedio agente, ad ipsum scil. Cardinalem Poenitentiarum (Palazzo del S. Officio) Romae (2); vel transmittenda committatur, in involucro clauso inclusa, Officiali Episcopi, qui intermedio utetur agentis, ad supplicam remittendam inter manus Card. Poenitentiarii (3). Praestat ut idioma latinum vel italicum aut gallicum, praesertim vero latinum adhibeatur, excepta directione (adresse), vernacula lingua clare proponenda, omissa tamen mentione dioeceseos (4).

---

(1) Cf. specimina ad calcem tractatus.

(2) S. Poenitentiaria et S. Officium sedem suam habent in Palatio S. Officii; Congregatio de Sacr. sedem habet in Palatio Cancellariae.

(3) Agitur hic de utendo ministerio Officialis *pro mera transmissione postali.* « La supplique sera alors fermée, cachetée, affranchie, avec l'adresse au Cardinal Grand Pénitencier. Le confesseur ajoutera une lettre d'accompagnement dans l'enveloppe qui contient le pli cacheté. Cette lettre exposera qu'ayant à soumettre à la Pénitencerie un cas de conscience, on prie l'Ordinaire de faire parvenir la supplique à destination et de transmettre à son temps la réponse, qui plus tard sera remise fermée au confesseur ». ROUSSEAU, o. c., n. 57.

(4) Secretarius S. C. de P. F., in litteris datis die 18 Maii 1896 ad Ordinarios Missionum, rogat: « ut litterae et documenta quae ad hanc S. Congr. mittuntur, a/ latino idiomate, vel saltem italico aut gallico, exarata sint; b/ ut intelligibili charactere conscribantur, praesertim quoad nomina personarum et locorum, convenientemque prae se ferant formam quoad chartae dimensiones, quae charta sit albi coloris, et atramentum nigrum; c/ ut ordo scriptionis paginarum is sit, qui servatur in libris qui typis eduntur; d/ ut praescripta a lege in singulis regionibus pro expediendis litteris taxa exacte a mittentibus solvatur ». *Anal. eccl.,* IV, p. 273.

Nunc, sub reformata Curia, adhiberi etiam potest idioma germanicum, anglicum, hispanicum et lusitanicum. Cf. PERATHONER, l. c., p. 743, coll. *Normis pecul.,* c. VI, n. 5.

856. Nota practica.

Nota 1. Licet in utroque recursu, sive pro impetranda dispensatione episcopali sive pro obtinenda dispensatione apostolica, ad Ordinarium recurrere debeat parochus, importat tamen ut sciat parochus utrum dispensatio ab Episcopo concedi possit vel a S. Sede dumtaxat: diverso namque modo conficienda est supplica, uti ex dictis liquet, prout impetranda est dispensatio episcopalis vel dispensatio apostolica. Caeterùm diutius est exspectandum rescriptum apostolicum quam dispensatio episcopalis: quod utile, ac imo necessarium est parocho scire. Accedit differentia notanda quod spectat expensas, uti ex mox dicendis liquebit.

2. Juxta dicta suprà, n. 843, non licet recursum instituere per viam telegraphicam vel telephonicam; regula etiam est ut scripto recurratur et non oraliter.

Scholion. De Expensis et Taxationibus (1).

I. **Notiones.**

857. Variae species taxationum.

A. *Variae species taxationum:*

1° *Expensae postales.*

2° *Pro agentia.* Nimirum Curiae episcopales solent, in negotiis tractandis coram Curia Romana, operam adhibere officialis cujusdam, qui nuncupatur *agens* (etiam procurator), cujus munus est, inter alia, supplicas offerre easque a respectivis Congregationibus et Officiis repetere et ad Ordinarium transmittendas curare. Dicto autem agenti debetur stipendium.

3° *Taxa,* i. e. pecuniae summa pro sustentatione officialium Curiae (2).

4° *Componenda* seu *compositio,* quae importat aliquam mulctam oratoribus nonnunquam impositam in reparationem vulneris legi inflicti per dispensationem, vel etiam in expiationem culpae quam supponit natura impedimenti (puta crimen, raptum), aut invocata causa. Est aliqua compositio; convertitur autem in pios usus (3).

B. *Variae species oratorum,* quod spectat *fortunae statum:*

Quinam pauperes,

1° *Pauperes* reputantur sponsi qui *ambo simul* — si uterque est catholicus (4) — non possident, in capitali, ultra 1600 circiter francos, in Italia, vel 3000 fr., extra Italiam. Quodsi nullam possident fortunam et solo labore manuum vivunt, dicuntur *pauperes et miserabiles.*

(1) Circa originem et fata taxarum in elargiendis dispensationibus, cf. Stiegler, o. c., p. 350-360. — Notetur autem taxationum praxim, qualis est in usu, non reprobari in Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. V *de Ref. matr.,* ubi praescribitur dispensationes esse *gratis* impertiendas: reprobatur tantùm praxis lucrum reportandi ex dispensationibus, dum taxationes imponuntur ad necessarias expensas Curiae solvendas, aut (quod spectat componendam) in bona opera sustinenda.

(2) A taxa proprie dicta, pro officialibus Curiae Romanae, distinguitur taxatio ab ipso Officio Romano injuncta, ad calcem rescripti, *pro executione rescripti.*

(3) Circa *eleemosynam,* cujus erogatio nonnunquam injungitur vel hucusque injungebatur, cf. infrà, n. 874: non est taxatio sed clausulam rescripti constituit et est pecuniae summa ab ipsis oratoribus eroganda. Cf. Vlaming, o. c., n. 487, coll. n. 455 et n. 511.

(4) Fortuna partis acatholicae non attenditur, cum huic parti nulla gratia concedatur, sed unicè parti catholicae.

quasi-pauperes, 2° *Ferè* seu *quasi-pauperes* censentur qui non attingunt fortunam 5000 fr., in Italia, et 10.000 fr., extra Italiam.

divites. 3° *Non pauperes* seu *divites, sunt reliqui.*

Notetur autem quod, in computanda fortuna, ratio etiam est habenda fortunae in spe, quae solet pro media parte computari (sed quae, in supplica a parocho conficienda, integra debet indicari), necnon redituum stabilium, v. gr. ex munere vel officio, puta magistratus, medici, quo alteruter sponsorum fungitur (1).

In pluribus regionibus, ratio etiam habenda est praesentis devalorisationis pecuniae.

Caeterum proposita pauperum et non pauperum determinatio et discriminatio non videtur fixitatem habere, et sic, juxta communicationem factam Ordinario Namurcensi, pauperes habentur qui non attingunt fortunam 1500 fr., et quasi-pauperes, qui non attingunt fortunam 2500 fr. (2). Notat etiam CAPPELLO, o. c., n. 289, quod « nulla videtur haberi hodie ratio discriminis inter Italiam et caeteras nationes ».

858. Normae servandae 1° *in dispensationibus apostolicis:*

II. **Normae juris communis.**

A. Quod spectat *dispensationes* **apostolicas:**

En normas etiamnum vigentes, juxta praxim olim in usu apud Datariam et Poenitentiariam (3):

a/ pro foro interno;

1° Dispensationes **pro foro interno** *gratis* et absque ulla taxa concedebat et nunc concedit S. Poenitentiaria; unde solvendae sunt solae expensae *postales* pro supplica, et, si fieri potest, etiam pro responso (4). Quodsi impetretur dispensatio per mediam Officialitatem episcopalem, tunc etiam addenda est pecuniae summa pro agentia (passim apud nos attingit 5 francos).

b/ pro foro externo;

2° Pro dispensationibus **in foro externo:**

a/ *Pauperibus:* si *miserabiles* sunt, nihil imponitur solvendum, praeter expensas postales et agentiae (seu procurationis), quae et ipsae expensae agentiae nonnumquam minuuntur; reliquis pauperibus solet imponi taxa (5). Ab hisce independens est clausula, nonnunquam in rescripto inserta, de eleemosyna eroganda, de qua modò suprà.

---

(1) « Dans l'estimation de la fortune actuelle, il faut faire entrer la dot des suppliants, les immeubles dont ils ont déjà hérité, le fonds de commerce qu'ils possèdent, les rentes viagères ou pensions de retraite ». Ita DURIEUX, *Le mariage*, n. 193.

(2) Hanc circiter normam proponebant jam *Formulae Datariae* anni 1901, ad calcem: pauperes reputabantur quorum possessio non superabat 1500 libellas, et quasi-pauperes, quorum possessio non superabat 2000 libellas. Hunc autem computum S. Poenitentiaria non admittebat, ita ut solùm in usu fuerit in illis regionibus in quibus Dataria dispensabat cum pauperibus vel quasi-pauperibus, uti in Hispania et Lusitania. Cf. responsa S. Poenitentiariae, 23 Julii 1902, et 20 Jan. 1904, apud *R. th. fr.*, 1904, p. 483 ss. et 1905, p. 297, coll. 1899, p. 408 ss.

(3) Cf. *Normas communes*, c. XI, n. 12, ubi, per modum dispositionis transitoriae, statuitur: « Pro dispensationibus matrimonii vigere pergent in praesens taxationes pendi solitae penes Datariam apostolicam et S. Poenitentiariam ».

(4) Pro liberando responso a taxa postali, includatur in litteris sic dictum *coupon-réponse international* (wederlandsch ontvangstbewijs). Expensae postales pro responso a S. Sede *non exiguntur* solvendae; *convenit* autem ut solvantur, si fieri potest.

(5) *Taxa* est pro quolibet impedimento *determinata*, « juxta certas normas, independenter a fortuna oratorum; et quidem: in consanguinitate aut affinitate, gradu tangente *primum*, lib. 32; in 2°, lib. 26; in 3/2, lib. 21; in 3°, 16; in cognat. spir. et hon. publ., lib. 16 ». Ita CHELODI, o. c., n. 51. — Quae pro taxa accipiebat olim S. Poenitentiaria a quasi-pauperibus, illa in capsam Datariae transmittenda curabat, detractis propriis expensis.

b/ *Quasi-pauperibus* imponi solet, praeter expensas postales et agentiae et taxam, summa 10 libellarum pro componenda, quam summam per modum unius taxa complectitur.

c/ *Divitibus,* seu non-pauperibus, major componenda additur taxae et expensis pro posta et agentia: quae componenda augetur in quibusdam adjunctis peculiaribus, signanter ubi dispensatur « ex certis rationabilibus causis », de quo cf. suprà, n. 828.

In specie, quod spectat dispensationes C. S. Officii, ubi dispensat super mixta religione, solet a non pauperibus exigere 31 francos: 15 pro taxa, 8 pro agentia et 8 pro executione.

Nota 1. S. C. de P. F. dispensat gratis, quocumque titulo, solis impositis expensis postalibus.

2. Pro *executione* rescripti apostolici, potest, ad normam can. 1507, § 1, taxa aliqua solvenda praefiniri in concilio provinciali vel in conventu Episcoporum provinciae,praevie obtenta S. Sedis approbatione. Interdum taxa determinatur in ipso rescripto Romano, uti vidimus fieri in rescriptis C. S. Officii.

B. Quod spectat *dispensationes* **episcopales.**

1° **Pro foro interno,** dispensatur gratis omninò.

2° **Pro foro externo:**

859. 2° episcopalibus.

a/ Pro dispensationibus, quas concedit Ordinarius *ex potestate ordinaria,* urgetur dispositio can. 1056, vi cujus, salva facultate ad hoc a S. Sede expresse data, prohibetur ullum emolumentum, idque sub poena restitutionis, exigere, « excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae », et quidem in solis dispensationibus pro non pauperibus seu divitibus (1).

b/ Ubi dispensat Ordinarius *ex potestate delegata:* si dispensat *vi indulti S. C. de Sacr.,* debet curare ut « nupturientes qui pares solvendo inveniantur aequam oblationem juxta vires persolvant », determinatione relicta discretioni Ordinarii, qui debet taxas sic perceptas singulo anno ad S. Sedem transmittere; si vero dispensat *vi indulti C. S. Officii,* debet regulariter (nisi scil. taxa moderanda aut dispensanda judicetur ob paupertatem oratorum) exigere summam 15 francorum, detracta quinta parte, quam Ordinarius « pro sui suaeque dioecesis necessitatibus retinere poterit ».

De caetero servanda est dispositio can. 1056, de qua modò suprà.

III. **Derogatio juris particularis:**

1° Normae, sub II, A, 2°, statutae pro dispensationibus *apostolicis,* derogatio est a S. Sede concessa **pro Belgio.** Nimirum pro dispensationibus *a S. C. de Sacr.* impetrandis, determinatio taxationum S. Sedi solvendarum relinquitur facienda *ab ipso Ordinario,* ad modum quo fit in dispensatione episcopali vi indulti ejusdem S. Congregationis concessa.

2° In quibusdam locis, in specie **in Belgio,** ultra taxationem S. Sedi solvendam exigitur, occasione dispensationis, sive apostolicae sive episco-

(1) Jam ante Codicem existebant variae Instructiones S. Sedes circa dispensationes episcopales gratis et misericorditer elargiendas. Cui normae non erat praxis strictè conformis, cum, in plerisque Cancellariis, soleret, ultra modicam praestationem, quam permittit ipse can. 1056, pro expensis Cancellariae, exigi taxa solvenda, in sustentationem bonorum operum.

palis, super consanguinitate et affinitate, necnon super mixta religione et disparitate cultus, aliqua praestatio pro necessitatibus dioecesis. Approbatus est scil. a S. Sede tariffus, in conventu Episcoporum ad hoc constitutus, juxta respectivum statum fortunae oratorum, prout nempe agitur de divitibus, de mediae fortunae personis, vel de pauperibus, a quibus tamen ultimis plerumque nihil exigitur.

Conclusio practica. Parochus, quando ad Ordinarium recurrit pro impetranda dispensatione sive apostolica sive episcopali *fori enterni:* indicet utrum oratores pauperes sint vel non; pro non pauperibus autem indicet statum fortunae oratorum in re et in spe, ad hoc ut Ordinarius possit vel fortunae statum exponere coram S. Sede (ubi viget jus commune), vel aequam determinare summam S. Sedi offerendam (in Belgio), ac determinare taxationem, in subsidium dioeceseos exigendam, in locis in quibus tariffus ab Episcopis ad hoc est constitutus et a S. Sede approbatus. Juvat etiam pro pauperibus in hoc insistere si forte miserabiles sint et solvendo quidquam impares.

Caput V

DE DISPENSATIONIS CONCESSIONE ET EXECUTIONE.

Disputatio Prima.

DE CONCESSIONE ET EXECUTIONE DISPENSATIONIS IN ORDINE AD MATRIMONIUM CONTRAHENDUM.

860. Ordo dicendorum.

Disputatio haec prior (sicut et disputatio altera) succesive agit de *concessione* ac de *executione* dispensationis.

Nomine *concessionis* dispensationis intelligimus actum dispensandi, qualis procedit ab auctore dispensationis (n. 745), sive dispensat in forma gratiosa sive in forma commissoria. Tractantes igitur de concessione dispensationis, exponemus partes auctoris dispensationis, S. Sedis scil., pro dispensationibus apostolicis, Ordinarii, pro dispensationibus episcopalibus, parochi, confessarii aut simplicis sacerdotis, pro dispensationibus sacerdotalibus, quas scil. varii hi sacerdotes concedunt vi potestatis ordinariae aut delegatae, suprà descriptae, n. 791 ss.

Executio est actus exequendi dispensationem in forma commissoria concessam, sive meram importet executionem sive non, prouti executor est necessarius vel voluntarius. Hic ergo describentur partes executoris necessarii respective ac voluntarii, potissimum autem partes executoris necessarii, cum dispensationes in forma commissoria passim concedantur cum executore necessario; sunt nimirum, uti ex sequentibus magis liquebit, partes Ordinarii et confessarii, in dispensationibus apostolicis, pro respectivo foro

externo et interno (1); partes etiam parochi et confessarii, pro dispensationibus episcopalibus, si eas concedi contingat in forma commissoria (2). Quod autem spectat dispensationes sacerdotales, semper conceduntur in forma gratiosa, nec adeo in eis locus est executioni.

Quibus attentis, opportune incipiet tractatio, in articulo *primo,* a dispensationibus *apostolicis,* in quo articulo successive agetur 1° de concessione; 2° de executione, et quidem a/ dicetur quisnam sit dispensationis executor, et b/ describetur modus eam exequendi, indicatis partibus quae, in hac executione, respective pertinent ad Ordinarium, parochum et confessarium. In articulo *secundo,* agemus de dispensationibus *episcopalibus,* sub paragrapho prima prae oculis habentes dispensationem in forma gratiosa, simpliciter describendo modum eam concedendi, nonnulla notando quae, in hoc negotio, a parocho et confessario opportune sunt attendenda; sub paragrapho autem altera, spectantes executionem dispensationis episcopalis in forma commissoria, si contingit in hac forma concedi. In *tertio* articulo, agetur de dispensationibus *sacerdotalibus,* modum concessionis exponendo ex parte parochi aut simplicis sacerdotis (in casu can. 1098) aut confessarii.

Articulus 1[s]. **De dispensationibus apostolicis concedendis et exequendis.**

Paragraphus Prima. *De concessione dispensationis apostolicae.*

861. Dispensationes apostolicae ordinariè conceduntur in forma commissoria.

Dispensationes *apostolicae* regulariter conceduntur *ope rescripti* (3). Caeterum passim concedi solent *in forma commissoria:* i. e. intermedio executore, sive necessario (et tunc est in forma commissoria stricte dicta), uti passim fit, sive voluntario (et tunc aequivalet concessioni facultatis dispensandi in casu particulari), quemadmodum nonnunquam contingit fieri, signanter in dispensatione super mixta religione vel disparitate cultus. Cf. suprà, n. 740, coll. infrà, n. 874.

Nonnunquam tamen dispensat *in forma gratiosa,* cui dispensationi gratiosae signanter locus esse videtur ubi in foro interno dispensatur, recursu instituto extrasacramentali (n. 841, 865, 888), vel etiam in foro externo, in gratiam principum (suprà, n. 749).

Quodsi S. Sedes dispensat *in forma gratiosa,* totum negotium perficit per seipsam (salva forsan precum verificatione), varias

(1) Ordinarius executor in nonnullis opem adhibere debet, uti videbimus, n. 868, parochi: hujus etiam adjutoris partes describentur.

(2) Etiam ubi Ordinarius dispensat in forma gratiosa, licet non interveniat executor, quaedam tamen erunt a parocho et confessario utiliter prae oculis habenda in casu.

(3) Cf. suprà, n. 749, sub 5°, coll. n. 741.

clausulas directe oratoribus injungens, absolutionem ad effectum impertiens, vel et absolutionem juridicam seu specialem (juxta infrà notanda), et formiter declarans se dispensare ab impedimento rite determinato, ac prolem, si locus sit, legitimam decernens. — Ubi autem a S. Sede *gratiosè* dispensatur *pro foro externo,* dispensationis rescriptum debet, ad normam canonis 51, *Ordinario* impetrantis vel impetrantium *praesentari,* cui rescripto visum apponat: agitur enim de negotio publico.

Si vero, quemadmodum passim fit, dispensat S. Sedes *in forma commissoria,* ad executorem transmittitur dispensationis rescriptum, ipsi munere concredito illud executioni mandandi et dispensationis gratiam oratoribus applicandi, juxta dicenda sub paragrapho altera.

En autem specimen *rescripti dispensationis* apostolicae *fori externi, in forma commissoria* stricte dicta, i. e. cum executore *necessario:*

862. Formula solita.

Beatissime Pater,

N. N..., e dioecesi N..., et N. N..., e dioecesi eadem, matrimonium inire cupientes, humiliter postulant a Sanctitate Vestra dispensationem ab impedimento quo ligantur (consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu), quod obstat quominus legitime conjungantur (1).

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SS^{mo} D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur, hoc est (nimia familiaritas, aetas superadulta oratricis)... et attentis expositis, Ordinario Brugen. committit, ut, si vera sint exposita, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur, quo nuptias prout desiderant contrahere valeant, contrariis quibuslibet minime obstantibus (2).

Datum Romae, ex aedibus ejusdem S. Congregationis, die... (3).

Haec scil. est forma rescripti dispensantis super impedimento publico *gradus majoris.* Ubi dispensatur super impedimento *gradus minoris,* tunc, loco: « prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam potissime affertur, hoc est... », inseritur: « ob rationabiles causas a S. Sede probatas »; omittitur autem incisum: « si vera sint exposita » (4).

---

(1) Haec prior pars est pars *narrativa* seu *expositiva,* in qua summatim exponitur objectum instantiae.

(2) Est pars *dispositiva,* in qua gratiae concessio exprimitur simul cum clausulis et conditionibus servandis; passim in hac altera parte memorantur causae invocatae, ob quas gratia conceditur: quod olim solebat fieri in parte distincta, *motiva* dicta, seu *doctrinali.*

(3) Hoc rescriptum datum est in forma rescripti simplicis, seu scripturae. Cf. suprà, n. 749, sub 5°. Est haec forma consueta apud S. C. de Sacram.; utitur autem interdum forma Brevis, uti ibidem notavimus, signanter si dispensatio, in causa honesta, obnoxia est majori taxationi.

(4) Ante Codicem, solebat S. Congr. de Sacr. uti duplici formula rescripti pro foro

Specimen formulae dispensationis *pro foro externo,* in forma commissoria cum executore *voluntario,* proponetur infrà, n. 874, in nota.

Quod autem spectat dispensationem *pro foro interno* in forma commissoria, habebis specimen formulae infrà, n. 882.

Nota 1. Dispensationes apostolicae, sive in forma gratiosa concessae, sive in forma commissoria, possunt, ad normam can. 36, § 2, *validè* concedi *cuicumque,* etiam censuris irretito (1), hac salva duplici restrictione: *Notanda.*

a/ Excommunicatus, suspensus et personaliter interdictus, *post sententiam declaratoriam* vel *condemnatoriam* (2), nequit « gratiam ullam pontificiam validè consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione (vel suspensione aut interdicto) fiat » (3).

b/ A norma etiam excipitur qui a S. Sede poena vindicativa inhabilitatis ad gratias ecclesiasticas plectitur (4).

Quicumque alii censura irretiti a jure non arcentur (5).

2. Rescripta dispensationis sunt *strictè interpretanda,* etiam si concedantur in forma commissoria, cum executore voluntario. Cf. can. 50, coll. can. 85. Sunt autem, ad normam can. 49, intelligenda « secundum propriam verborum significationem et communem

---

externo: una, in forma *communi,* ad instar rescripti in textu allati; altera, in forma *speciali,* quando, dispensando super impedimentis infamantibus (puta criminis), inserebantur quaedam speciales cautelae, uti poenitentia, remotio scandali. En autem specimen hujusmodi rescripti in forma speciali:

Beatissime Pater,

N. N. et N. N..., dioeceseos N..., humiliter exponunt Sanctitati Vestrae, se a nuptiis ineundis prohiberi ex impedimento quod contraxerunt, ob adulterium cum machinatione mortis ab oratore intentae conjugi quacum prius erat matrimonialiter junctus. Perdolentes de contracto impedimento, enixe a Sanctitate Vestra postulant ut eo releventur.

Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SS^mo^ D. N. Pio Papa X sibi tributarum, prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur, hoc est (scandalum removendum), ... Ordinario committit, ut, imposita oratoribus salutari poenitentia, dummodo nullum scandalum intercedat et vera sint exposita, dispensationem a memorato impedimento eisdem largiatur, servatis canonicis praescriptionibus, contrariis quibuslibet minime obstantibus (erogata ab eis aliqua eleemosyna judicio Ordinarii taxanda et applicanda).

Datum Romae, ex aedibus ejusdem Congregationis, die ... 1909.

(1) Circa disciplinam, sub jure Decretalium vigente, cf. MAROTO, o. c., n. 280, in nota.

(2) Can. 2265, § 2, 2283 et 2275, n. 3. — Disputari autem posset utrum qui violentas manus injecerit in R. P. et, qua talis, vi can. 2343, § 1, n. 1, est vitandus ipso facto, absque sententia declaratoria aut condemnatoria, utrum, inquam, ille sit inhabilis ad gratiam pontificiam impetrandam. Est autem solus casus in quo quis excommunicatus existit vitandus ipso facto: aliàs « nemo est vitandus nisi fuerit nominatim a Sede Apost. excommunicatus, excommunicatio fuerit publicè denuntiata et in decreto vel sententia expressè dicatur ipsum vitari debere ». Can. 2058, § 2.

(3) Can. 1055, § 2, coll. can. 2283 et 2275, n. 3. — Non sufficit quod in rescripto dicatur dispensationem concedi *Motu proprio.* Can. 46.

(4) Can. 2291, § 9, coll. can. 2296, § 1. Cf. DE MEESTER, o. c., I, n. 292.

(5) Sub jure anteriore Curiae reformatae, a consequenda gratia removebantur nominatim excommunicati aut a S. Sede nominatim suspensi, non autem, uti nunc, personaliter interdicti. — Antea removebantur etiam omnes haeretici et schismatici necnon excommunicati excommunicatione majore.

loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi ». Cf. suprà, n. 779, coll. n. 780 s.

3. Circa *momentum* quo dispensationis rescriptum, sive in forma gratiosa sive in forma commissoria, incipit effectum habere ac impedimentum reipsa removeat, cf. infrà, n. 914[bis], coll. suprà, n. 740.

Paragraphus Secunda. *De executione dispensationis apostolicae in forma commissoria.*

Punctum I. Executor dispensationis.

863. Executio committitur, in foro externo, Ordinario oratorum vel loci ;

A. **Pro foro externo:** committitur executio *Ordinario oratorum,* vel simpliciter, uti in specimine, *Ordinario loci;* et hoc valet de executione dispensationis in forma commissoria, sive cum executore necessario sive cum executore voluntario.

Nomine *Ordinarii* veniunt illi quos suprà, sub n. 752, memoravimus; Ordinarius autem *oratorum* vel *loci* intelligitur ille qui litteras testimoniales dedit, vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, sive sit Ordinarius originis sive Ordinarius proprius, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum (1). Precibus igitur ab Ordinario Brugensi oblatis, vel per litteras testimoniales commendatis, rescriptum Romanum exequendum committitur eidem Ordinario Brugensi, proindeque potest executioni mandari ab Episcopo Brugensi aut a Vicario generali.

864. circa cujus muneris exercitium varia attendenda, in specie quod spectat :

Porro circa munus executoris prae oculis habeantur *normae juris* quae sequuntur:

1° Ordinarium, qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit, dispensationes exequi posse, « etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda est dispensatio, relicto illius dioeceseos domicilio aut quasi-domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt » (2).

facultatem alium sibi substituendi ;

2° Ordinarium, cui committitur dispensationis executio, posse, vi canonis 57, § 1, « *alium* (puta parochum) pro suo prudenti arbitrio *sibi substituere* », non modò quoad actus praeparatorios (3), sed et quoad ipsam rescripti executionem (4).

---

(1) Litterae Encycl. C. S. O., 20 Febr. 1888 (*Collectan.*, n. 1471). Cf. suprà, n. 480.
(2) Can. 1055, coll. litt. C. S. O. anni 1888. Cf. etiam n. 777.
(3) Ad actus praeparatorios spectat recognitio litterarum, auditio testium et signanter precum verificatio.
(4) Id aeque valet sive executor sit voluntarius sive necessarius (cf. Toso, o. c., ad can. 57, sub 1). — Ante Codicem, executor necessarius poterat quidem alium subdelegare *ad actus praeparatorios,* non vero ad ipsam dispensationis executionem.

Excipitur autem a/ si substitutio fuerit prohibita; b/ si substituti persona fuerit praefinita; c/ si — quod rarò contingit — electa fuerit industria personae: quo tamen casu executori licet alium committere ad actus praeparatorios (can. 57, § 2). Substitutus non potest iterum alium sibi substituere (can. 199, § 5).

De facto autem, solent Ordinarii, quemadmodum fit in dioecesi Brugensi, parocho committere actus praeparatorios, signanter verificationem precum; ipsi vero per se absolvunt, ubi opus est, sicut ipsi dispensant et prolem legitimant: remanet igitur tantum ut parochus, accepto fulminationis instrumento, oratoribus impertitam absolutionem et dispensationem *communicet,* praevie injunctis, nomine Ordinarii, poenitentia ac reliquis clausulis, si quae sint, ab Ordinario impositis.

3° Quod spectat *cessationem* muneris executoris:

864bis. cessationem muneris.

a/ *Non cessat* per executionem illegitimè anticipatam, contra statutum canonis 53 (cf. infrà, n. 879) (1); neque per errorem in executione admissum (can. 59, § 1, coll. n. 879 et 930); neque per revocationem ex parte concedentis, nisi fuerit revocatio ei, qui illud obtinuit, significata (can. 60, § 1); neque per renuntiationem ex parte executoris vel oratorum, nisi renuntiatio fuerit a concedente, saltem tacitè, acceptata (2); neque per mortem Episcopi executoris, nisi electa fuerit industria personae (3), qua excepta rariori hypothesi, munus executoris transit ad successorem defuncti Episcopi, ad Vicarium scil. capitularem et novum Episcopum ejusque Vicarium generalem (4); neque per vacationem S. Sedis, nisi aliud ex additis clausulis appareat (5), et excepto munere executoris voluntarii, re integra (6). Cf. can. 61, coll. dictis suprà, n. 177 (7).

(1) Cf. WERNZ-VIDAL, o. c., n. 445, nota 147.

(2) Can. 207, § 1, coll. can. 72. — Sic si oratores, auditis conditionibus explendis, dispensationi renuntiaverint, possunt, mutata voluntate, frui dispensatione, eaque posset in eorum favorem executioni mandari — in supposito quod S. Sedes renuntiationem non acceptaverit — etiam si alterutra pars interea aliud matrimonium inierat, exinceps legitimè solutum. Cf. VLAMING, o. c., n. 494.

A fortiori non cessat dispensationis rescriptum per non usum. Cf. can. 76 (coll. can. 62).

(3) De electa industria personae, cf. suprà, n. 771.

(4) Can. 58, coll. can. 368, § 2. — Notetur, in casu, successorem defuncti Episcopi exequi posse rescripta apostolica, sive executio fuerit incoepta sive non, attento tamen monito S. Poenitentiariae, 3 Apr. 1886 (*N. R. th.,* XIX, p. 48 ss.): juxta quod novus Ordinarius dispensationem exequendam ita suscipere debet, ac si Vicarius capitularis nihil in eo negotio jam fecisset, i. e., ac si res omninò jam integra esset.

(5) Ita si dicitur: « ad beneplacitum nostrum », « donec voluero », vel aliud quid simile. Cf. MAROTO, o. c., n. 289, sub g; DE MEESTER, o. c., n. 303.

(6) Attenta generalitate verborum can. 61, censemus rescriptum cum potestate dispensandi in forma commissoria cum executore voluntario cessare, re integra, etiam quando rescriptum datum est a SS. Congregationibus, vi facultatum habitualium. Licet enim hae facultates maneant, vacante S. Sede, perimitur tamen rescriptum, continens gratiam *faciendam,* sicuti, vi ejusdem can. 61, perimitur, vacante dioecesi, simile rescriptum, licet potestas Ordinarii maneat.

(7) *Ibidem,* loquentes de potestate delegata assistendi matrimonio, notavimus servari

b/ *Cessat* vero dictum executoris munus: expleto mandato, attenta tamen restrictione modò fàcta sub a/, ad normam can. 59, § 1; item per revocationem ex parte concedentis concessionario significatam (can. 60, § 1); per renuntiationem ex parte executoris vel oratorum, a concedente saltem tacitè acceptatam; per mortem Episcopi, ex industria personae electi, ac per vacationem S. Sedis, si agatur de rescripto cum executore voluntario, et res adhuc sit integra.

4° An et quousque dispensationis executio ab executore *denegari* possit, id determinat can. 54, § 1 et § 2, pro utraque hypothesi quod agatur de executore necessario, nudum ministerium exercente, vel de executore voluntario, ad normam dictorum suprà, n. 740.

Nimirum executor *voluntarius* pro arbitrio potest gratiam concedere vel denegare (1); executor vero *necessarius* illam denegare non potest nisi in triplici casu sequenti: a/ si manifeste patet rescriptum esse nullum; b/ si in eo apponuntur conditiones essentiales quas constat non impleri; c/ si impetrator adeo indignus videatur ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio (2).

5° Circa dispositionem canonis 53, determinantis quandonam incipere possit executor munere suo fungi, cf. infrà, n. 879.

B. **Pro foro interno:**

865. In foro interno, committitur confessario.

1° *Sacramentali:* executor instituitur *confessarius,* cui rescripti executio committitur, et quidem cum mandato exequendi, seu uti executori necessario; confessarius vel personaliter determinatur, cum nomine et praenomine, vel, quod plerumque contingit, indeterminate designatur, quatenus scil. rescriptum inscribitur *confessario* (3), *ex approbatis ab Ordinario loci ab eis electo* (vel *eligendo*). Porro executio committitur confessario, sive supplica fuerit directe ad S. Poenitentiariam transmissa, sive eam, mediante Ordinario, Romam direxerit confessarius (n. 841): hoc altero casu, Ordinarius rescriptum accipit sicut et supplicam misit, sed illud accipit cum onere ut ipsum clausum transmittat ad confessarium.

Ubi confessarius designatur *indeterminatè,* a poenitente scil.

---

potestatem in delegato, resoluto jure delegantis, etiam in casu delegationis ad casum particularem, modò res jam non sit integra aut agatur de delegatione cum mandato exequendi, quae delegatio aequiparatur rescripto dispensationis in forma commissoria, cum executore necessario.

(1) Sane aequum non esset absque justa causa gratiam denegare.

(2) In ultimo casu, « executor, intermissa executione, statim de ea re certiorem faciat rescribentem ».

(3) Debet ergo esse sacerdos jurisdictione munitus, nec valido jurisdictionis exercitio privatus, ad normam can. 2264; in periculo mortis, quilibet sacerdos jurisdictionem habet, eamque validè exercet, ad normam can. 2261, § 3.

eligendus, in arbitrio est poenitentis quemlibet adire confessarium, et quidem ita ut litterae electo confessario traditae, sed nondum executioni mandatae, ab oratore repeti possint et alteri confessario remitti exequendae, etiam si prior formiter recusaverit (1).

2° *Extrasacramentali:* si rescriptum in forma commissoria conceditur (suprà, n. 861), executor instituitur sive Ordinarius, sive parochus, aliusve sacerdos, qui supplicam transmisit.

Nota. Normae propositae sub n. 864[bis] circa *cessationem* muneris executoris dispensationis pro foro externo, hic quoque, proportione servata, suam applicationem habent, quod spectat executorem dispensationis pro foro interno, hoc attento quod, juxta dicta, confessarius sit semper habendus uti executor necessarius, quodque adeo ejus munus non cesset per vacationem S. Sedis, re etiam integra.

Etiam hic applicari potest norma can. 57, § 1, circa *facultatem substitutionis* (de qua n. 864), quatenus confessarius, etiam personaliter designatus, nisi appareret electus ex industria personae, possit alium confessarium sibi substituere, vi scil. can. 57, § 1, de quo modò suprà, n. 864, supposito utique praevio consensu poenitentis, ne scil. sigillum laedatur.

Punctum II. Modus exequendi.

I. Pro Foro externo.

866. Pro executione dispensationis apostolicae in foro externo :

Supponitur, juxta modò dicta, transmitti rescriptum Romanum ad Ordinarium, pro executione.

Executio autem importat *duo:* uti jam notavimus sub fine n. 740: 1° quaedam *praevia ad fulminationem:* verificationem nempe precum et clausularum, si quae sint, adimpletionem; dein 2° *ipsam fulminationem* dispensationis, simul cum prolis legitimatione, si casus ferat; de quibus successive agetur (2).

Generatim autem notetur quod, ad tramites can. 55, « executor procedere debet ad mandati normam, et, nisi conditiones essentiales

(1) Cf. Feye, De imp., n. 728, ubi addit: « sine justa causa ita variare laudandum non est, variari tamen potest, non solum quando prior electus moritur, vel aegritudine aliave causa impeditur, vel imperitus aut nimis rigidus reperitur, sed generatim, etiamsi litteras subreptitias vel obreptitias esse pronuntiaverit ». Cf. etiam Ferreres, *La Curia,* n. 873.

(2) Prae oculis habemus, juxta non semel jam dicta, executionem dispensationis apostolicae in forma commissoria, tam cum executore voluntario quam cum executore necessario, adeo ut fulminatio, de qua mox, intelligatur sensu proprio, quatenus scil. applicetur actui dispensationem in actu secundo elargiendi, tam ex parte executoris voluntarii quam ex parte executoris necessarii; hanc tamen alteram fulminationem, ex parte scil. executoris necessarii, strictissime dictam, prae caeteris intendimus, utpote frequentiorem. Cf. suprà, n. 740.

in litteris appositas impleverit ac substantialem procendendi formam servaverit, irrita est executio ».

867.

A. **Praevia ad fulminationem.**

1° praevia ad fulminationem :

1° *Verificatio precum.*

a/ *Necessitas verificationis.*

a/ regulariter verificandae sunt preces,

Regulariter ad valorem rescripti requiritur ut, *momento fulminationis* (1), *vera sint exposita,* speciatim quod attinet naturam impedimenti ac existentiam causae motivae, juxta accuratius exponenda sub cap. VI. Cf. can. 40 et 41 (2).

Exceptionaliter vero *non* postulatur, ad *valorem* rescripti exequendi, veritas *causae allegatae,* sicuti nec allegatio *omnium impedimentorum,* pro dispensatione super impedimentis *minoribus,* uti liquet ex suprà, sub n. 828 et 847, jam citata dispositione, quam post *Normas pecul.,* c. VII, art III, n. 21, inducit can. 1054 Codicis (3); item, vi can. 45, rescripta cum clausula *Motu proprio* valent, licet in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, modò vera existat causa finalis unica. Vidimus etiam suprà, sub n. 846 et 847, quomodo, ad tramites can. 1052, valori dispensationis super consanguinitate vel affinitate, etiam majoris gradus, non noceat error circa gradum, modò expressus sit gradus proximior, nec reticentia impedimenti multiplicis, modò omissio attingat unice impedimentum aequalis vel inferioris gradus; attendenda tandem est dispositio canonis 1050, quatenus non invalidatur rescriptum dispensationis apostolicae ob omissionem impedimenti occulti, super quo Ordinarius dispensare valet ex indulto, nec etiam ob omissionem impedimenti publici, quod innotuit post impetratum dispensationis apostolicae rescriptum. Cf. suprà, n. 847, et infrà, n. 919.

Jamvero, in quantum pro rescripti valore exigitur expositorum veritas, sponte sua requiritur ut executori de dicta expositorum veritate rite constet, ac proinde, nisi aliunde habeatur certitudo, *inquisitio* est facienda, antequam dispensatio executioni mandetur (4).

---

(1) Non obstat expositorum falsitas, momento dati rescripti in forma commissoria, modò vera evaserint exposita momento executionis. Cf. suprà, n. 740 et infrà, n. 914bis. Cf. CAPPELLO, o. c., n. 280, n. 4, ubi adducit exempla.

(2) Expositorum veritas uti conditio regulariter inseritur expressis verbis in tenore rescripti; etiam non expressa subintelligitur, ad normam can. 40, salvis exceptionibus statim enuntiandis.

(3) Rescripta dispensationis super impedimentis minoris gradus declarantur nulli obreptionis vel subreptionis vitio obnoxia; etiam in illis non inseritur, uti, sub n. 862, notavimus, clausula: « si vera sunt exposita », sicut inseritur in rescriptis dispensationis super impedimentis majoris gradus. Cf. infrà, n. 919.

(4) Ab illa inquisitione facienda non excusat universim diligens informatio facta antequam supplica fuerit ad S. Sedem transmissa: quae dicitur informatio praevia. Et sane, ut ratiocinatur FEYE, *De imp.,* n. 738, sub poena nullitatis, requiritur veritas circa exposita *in ipso rescripto,* idque momento fulminationis; « informatio autem

Equidem illa inquisitio non exigitur qua conditio pro *valida* rescripti executione, nec jam peculiari mandato praescribitur (1), est tamen medium ordinarium ad certitudinem acquirendam, si aliunde non jam datur. Unde non videtur probanda praxis indiscriminatim omittendi investigationem circa veritatem expositorum in accepto rescripto.

Profectò ratio est habenda restrictionis modò appositae: in quantum nimirum veritas precum ad valorem exigitur, attentis scil. temperamentis can. 1054, can 45, 1050 et 1052, de quibus modò.

b/ *Modus observandus.*

868. *cujus verificationis modus determinatur;*

α/ *Jure communi,* nulla, nisi peculiariter assignetur, praescribitur determinata ratio procedendi, et illa sufficit cognitio causae *summaria et extrajudicialis,* quae ejusmodi sit ut « judex delegatus, quoad veritatem expositorum, conscientiae suae satisfactum esse sentiat »; ita responsum S. Poenitentiariae 1 Julii 1859, collato ejusdem S. Tribunalis rescripto diei 5 Sept. 1899, in quo, ad quaestionem: « an, in verificandis impedimentis et causis matrimonialium dispensationum, facienda sit vel omittenda sit sponsorum interrogatio, et, si omittenda, an sufficiat interrogare super omnibus duos testes fide dignos », respondit: « rem pendere a prudenti arbitrio Ordinarii, perspectis peculiaribus cujusvis casus circumstantiis, quae secum ferunt necessitatem vel utilitatem etiam sponsos, praeter testes, interrogandi ». Cf. *R. th. fr.,* 1900, p. 88.

Porro verificatio, utpote actus praeparatorius, potest ab Ordinario executore, etiam si esset electa industria personae, alteri delegari, quemadmodum jam notavimus sub n. 864.

β/ *Jure dioecesano,* in dioecesi Brugensi, Ordinarius ad verificationem precum, in hoc foro externo, quando illam imponendam judicat, signanter

---

olim capta non probat omnia se *nunc* recte habere: potuit error irrepere, aliquid necessario exprimendum supervenire, aliae clausulae possunt esse additae in rescripto, etc. ». Cf. PLANCHARD, apud *N. R. th.,* XIX, p. 152, ubi plura affert exempla.

Etiam prior informatio, utpote utillissima, communiter est in usu et nonnunquam a jure dioecesano imponitur ut, in libello supplici ad Ordinarium directo, supplicam conficientes et transmittentes testentur causas allegatas veritate niti, nec praeter impedimenta canonica, quorum dispensatio petitur, ulla alia superesse; quod testimonium supponit *praeviam* inquisitionem.

(1) Ante annum 1885, in formulis Datariae et Cancellariae, executori committebatur dispensationis executio, « quatenus de praemissis te diligenter informes, et, *si per informationem eamdem* preces veritate niti repereris..., dispenses »; vel similis formula adhibebatur. Quo attento tenore, Auctores plurimi postulabant illam inquisitionem regulariter faciendam pro valore: de qua controversia videsis FEYE, *De imp.,* n. 738; THÉPHANY, o. c., n. 240; VAN DE BURGT, *Tr. de disp.* n. 69-71.

Deinceps mutatus est tenor, commissione facta « quatenus de praemissis te diligenter informes, et, si vera sint exposita... »; ita ut mandatum inquisitionis manserit sed jam nullatenus sub poena nullitatis. Cf. *Collat. Brug.,* t. V, p. 673 ss.; ZITELLI, *De dispens.,* p. 87; *N. R. th.,* XIX, p. 140 s. et 150 ss.; DURIEUX, o. c., p. 132 s.

Sub disciplina reformatae Curiae et Codicis, novae formulae non jam continent mandatum informationis, et unicè exigunt vel subintelligunt, juxta modò dicta, veritatem expositorum, sicuti jam solebat facere S. Poenitentiaria: « si vera sunt exposita », vel « si ita est ». Cf. can. 40 et 41.

in rescriptis super impedimento majori, regulariter subdelegat parochum, cui peculiaris in hac re processus imponitur sequendus. Nimirum ipsi mandatur ut meliori quo fieri potest modo, ac speciatim ipsos oratores et, si id expedire censeat, testes quosdam probos et idoneos interrogando, examen instituat, praesertim circa nonnullas quaestiones in adjecta schedula appositas (1); addita monitione ut idem parochus responsa ad petita veritate niti, mediante signo suo manuali, testari velit, eaque, simul cum adjuncto documento Romano, in quo concessa legitur dispensatio apostolica in forma commissiora, ad Rev^mum Dominum dirigere (2).

869.

b/ clausulae sunt adimplendae, fulminationi praeviae;

2° *Clausularum adimpletio.*

Sub praesenti disciplina Curiae reformatae: a/ pro impedimentis a *S. C. de sacram.* relaxandis, *regulariter* non inseruntur clausulae *speciales* observandae ante dispensationis fulminationem, quemadmodum olim a Dataria et S. Poenitentiaria inserebantur; sed, post brevem introductionem preces referentem, cum mentione impedimenti relaxandi, committitur munus Ordinario ut, *servatis canonicis praescriptionibus,* dispensationis gratiam elargiatur (3).

b/ Pro impedimentis, super quibus dispensat *S. Officium,* nempe pro mixta religione et disparitate cultus, dispensatio non conceditur nisi sub clausulis consuetis (n. 504 et 600, suprà).

Porro clausula generalis *de servandis canonicis praescriptionibus* afficit prae caeteris *fulminationis actum,* quatenus scil. scripto sit peragenda fulminatio et invocata auctoritate apostolica, necnon praemissa absolutione ad effectum (n. 876 ss.); attingere tamen videtur varias quoque clausulas de jure servandas *praevie ad fulminationem,* et in tenore rescripti non memoratas.

Hîc autem, sub littera scil. A, prae oculis habemus solas clausulas *fulminationi praevias.*

Circa quas clausulas, fulminationi praevias, attende sequentia:

870.

circa quas quaedam observanda:

a/ generatim;

Primo: generatim notetur quod clausulae illae praeviae, sive explicite memoratae in rescripti tenore, sive implicite contentae in formula generali, praeter cautelas exigendas in dispensatione super mixta religione et disparitate cultus, spectant imprimis poenitentiae juridicae injunctionem, absolutionem juridicam, scandali remotionem, necnon eleemosynae elargitionem.

Clausulae autem quae expressè non inseruntur, licet olim inseri solebant in simili casu, censentur non exigi *ad valorem,* nisi aliunde

---

(1) Hic sequitur elenchus quaestionum a parocho, pro opportunitate, proponendarum: 1° An in ipso rescripto erratum non sit in nominibus, praenominibus, aetate, domicilio, vel dioecesi oratorum; — aut in natura, gradu et numero impedimentorum? 2° an, praeter impedimenta in rescripto expressa, alia non fuerint in precibus reticita; et, quatenus affirmative, quaenam illa sint, et an reticita bona fide oratorum? 3° an alia impedimenta non supervenerint post missas preces? 4° an rationes pro obtinenda dispensatione allegatae in precibus, illaeque in rescripto enuntiatae, vere existant? 5° an mulier non fuerit rapta? 6° an status fortunae oratorum accurate fuerit expositus?

(2) Si contingat ab Ordinario non imponi verificationem, vel tempus deesse ut ante fulminationem facienda praescribatur, suppleat parochus, in quantum potest, ut de veritate precum constet antequam dispensationem oratoribus *communicet.* Cf. etiam infrà, n. 879.

(3) Cf. tenorem relatum sub n. 862.

constet eas ex jure communi pro valore requiri (1); ideo tamen non sunt ab executore negligendae (2). Clausulis vero *expresse injunctis* applicatur norma generalis quam ponit can. 39: « conditiones in rescriptis tunc tantùm essentiales pro eorumdem validitate censentur, cum per particulas *si, dummodo,* vel aliam ejusdem significationis exprimuntur » (3); particula aequivalens censetur *non aliter* aut *nisi,* non vero forma ablativi absoluti, adeo ut clausula sub hac forma inducta censeatur non imponi ad valorem, nisi aliunde, ex jure communi, imponatur pro valore servanda. Cf. infrà, n. 918, coll. suprà, n. 505 (4).

Secundò, quod spectat illas clausulas *singillatim:*

871.

a/ *Poenitentiae juridicae* (5) locus est — licet id nunc minus urgetur quam antea — ubi species impedimenti, puta criminis, vel natura causae (6) inductae peculiare delictum praesupponit apud oratores (7). Inseri autem solet sub forma ablativi absoluti: « imposita (seu injuncta) poenitentia salutari... ». *β/ speciatim : circa poenitentiam juridicam ;*

Quod spectat *quantitatem* poenitentiae: passim, si non determinatur in ipso rescripti tenore, determinanda relinquitur arbitrio executoris, servata tamen proportione gravitatis delicti, quatenus scil., pro gravitate delicti admissi, imponatur poenitentia vel *salutaris,* vel *gravis,* vel *gravis et diuturna,* vel *gravissima.*

Porro, juxta monitum R. Poenitentiariae, 8 Aprilis 1890, executor, « in praefinienda poenitentiae qualitate, gravitate, duratione etc., neque severitatis neque humanitatis limites excedat rationemque habeat conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc. eorum quibus poena irroganda injungitur ».

Ordinarius autem Brugensis, pro poenitentia *salutari,* imponere solet, per *quindenam,* recitationem quotidianam quinquies pater et ave; pro poenitentia *gravi* salutari, ut, per *quatuor hebdomadas,* quotidie recitent ter pater et ave, et semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; pro

(1) Cf. infrà, n. 874, in fine, specimen clausulae non expressae, ad valorem urgentis.

(2) Caeterum sunt clausulae quae, in adjunctis in quibus injungi solebant, quasi sponte sua petebant imponi vel et ab ipso jure naturae exiguntur, uti contingit cum remotione scandali, de qua cf. etiam tenorem can. 1043, coll. infrà, n. 873, coll. etiam n. 874, in fine.

(3) Circa regulas generales pro interpretanda necessitate ad valorem observandi clausulas rescripti dispensationis (vel etiam indulti), cf. WERNZ, o. c., n. 640; ZITELLI, *De dispens...*, p. 75; GENNARI-BOUDINHON, o. c., 1e Partie, consult. LXXV, GASPARRI, o. c., n. 364; DURIEUX, o. c., p. 122; CHELODI, o. c., n. 50.

(4) Ibidem notavimus ablativum absolutum, in tenore can. 1043, de praestandis consuetis cautelis et cautionibus in dispensando super mixta religione, cum moribundis, ita esse urgendum ut, ad normam juris communis, ipsum dispensationis valorem afficiat. — Cf. etiam infrà, n. 882, de conditione servanda, pro executione rescripti fori interni sacramentalis, circa audiendam confessionem sacramentalem.

(5) Dicitur poenitentia *juridica,* ut distinguatur a poenitentia *sacramentali:* haec injungitur in satisfactionem pro peccatis *coram Deo,* prior imponitur in satisfactionem pro culpa admissa *coram Ecclesia.*

(6) Notat tamen VLAMING, o. c., n. 486, in nota, quod formulae, quas prae manibus habet, « nullam praeseferunt distinctionem secundum diversam speciem causae ».

(7) Item, in dispensatione super mixta religione, si oratores praevie jam adierint ministrum haereticum.

poenitentia *gravi et diuturna,* ut hanc poenitentiam gravem instituant *per duos menses;* ubi additur clausula de confessione semel singulis mensibus instituenda, per tempus dispensantis arbitrio statuendum, praescribitur ut, per *quatuor* menses, semel de mense sacramentaliter confiteantur (1).

Attenta absentia particulae : *si, dummodò,* et attento quod aliunde ex jure communi non exigatur poenitentia ad dispensationis valorem, haberi potest tanquam *merè praeceptiva,* non modò poenitentiae adimpletio, sed et ipsa ejusdem injunctio. Cf. infrà, n. 918, coll. modò suprà, sub n. 870 (2).

872. absolutionem juridicam ;

b/ *Absolutioni juridicae* locus est ubi, attenta impedimenti dispensandi vel causae invocatae natura, admissum supponitur delictum censurae obnoxium (3).

Absolutio haec a censuris, *specialis* nuncupata et determinatas censuras afficiens, aufert censuram, super qua conceditur, *absolutè et simpliciter* (4). Formula autem absolutionis juridicae occurret infrà, sub n. 876.

---

(1) Passim severiores videntur Auctores in determinanda poenitentia, juxta varias formulas in rescripto adhibitas; et sic, juxta CAPPELLO, o. c., n. 287, sub 5°, poenitentia censetur « *gravis* et *diuturna,* si peragenda est (confessio et communio) per tres vel duos, aut, juxta nonnullos, per unum annum, singulis mensibus, vel per semestre singulis diebus (recitatio rosarii) ». Cf. etiam VLAMING, o. c., n. 486.

(2) Circa disciplinam ante Curiae reformationem servatam, cum variis dubiis circa necessitatem poenitentiae ad valorem, cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 40, coll. p. 382 s. et 554, necnon XI, p. 725; FEYE, o. c., n. 743, 744 et 752; ZITELLI, *De dispens.,* p. 81; PLANCHARD, *apud N. R. th.,* XIX, p. 623 et *Dispenses,* n. 490 et 218, 257; *Monitore eccles.,* 1901, p. 11 s.; *R. th. fr.,* 1901, p. 341. Quibus attentis, liquet valori dispensationis non nocuisse, quod oratores poenitentiam non acceptaverint, vel eam acceptaverint cum animo non adimplendi; imo probabiliter non requirebatur ad valorem ipsa poenitentiae *injunctio,* ubi in tenore inserebatur, saltem in dispensatione pro foro externo.

(3) Delictum censurae obnoxium hic attenditur imprimis illud de quo in can. 2319, § 1, quatenus sponsi matrimonium inire praesumpserint coram ministro acatholico, aut cum pacto de prole acatholicè educanda: qui obnoxii sunt excommunicationi Ordinario reservatae (suprà, n. 514); etiam illud de quo can. 2388, § 1, quatenus sponsi vel alteruter eorum, clericus in sacris constitutus vel regularis aut monialis post votum sollemne castitatis, matrimonium etiam civiliter tantùm inire praesumpserint: qui subsunt simul ac personae cum illis contrahere praesumentes excommunicationi S. Sedi simpliciter reservatae; item delictum de quo can. 2388, § 2, quatenus professi votorum simplicium perpetuorum, idem facere praesumentes, incurrunt excommunicationem Ordinario reservatam.

(4) *Olim,* ante reformatam Curiam, solebat absolutio praescribi, simul cum poenitentia juridica, quotiescumque delictum allegabatur sive in causa sive in impedimento: et quidem vel absolutio *a reatu* vel *a reatu et a censura,* prout delictum censebatur a censura liberum vel huic forsan obnoxium, eaque absolutio vel erat pro foro externo vel pro foro interno.

Porro absolutio *a reatu,* non quidem aufert ipsam maculam peccati seu peccatum in quantum est offensa Dei, sed efficit, si, uti hic, *in foro externo* datur, ut illud delictum jam ulterius non sit *coram Ecclesia* ratio quod in reum agat eumque puniat; si datur *in foro interno tantum,* efficit ut, si Ecclesia, propter delictum in foro externo manens inabsolutum, saeviat in reum, hic coram Deo et conscientia non debeat solvere poenas inflictas, nisi in quantum aliunde id exigat ordo publicus servandus. Absolutio *a censuris et a reatu, insuper* e medio tollit, simpliciter et non ad effectum tantum, censuras et poenas ab Ecclesia in delictum jam latas, quas forsan incurrerit absolvendus, easque aufert coram foro externo (adeoque coram utroque foro) vel coram foro interno tantum, juxta quod datur pro foro externo vel interno dumtaxat.

Delictum autem quod censetur censurae forsan obnoxium, habebatur in *fractione voti* castitatis in Religione emissi; item tale censebatur *incestus,* quia etsi, inde a Constit. *Apost Sedis,* jure communi, incestus jam non subest excommunicationi, praesumebatur tamen a jure particulari in illum latas esse poenas ecclesiasticas. Item *adulterium,* ob quod praesumebatur orator incurrisse forsan anathema, quod Tridentinum, Sess. 24,

Est absolutio valens in foro externo, seu pro utroque foro, uti saepe dicitur, cum absolutio valens in foro externo, eo ipso valeat in foro interno (suprà, n. 737). Non est confundenda haec absolutio juridica specialis cum absolutione *generali* dicta, vel *ad effectum,* seu *ad cautelam,* afficiente quaslibet censuras forte obstantes, easque auferente ad effectum dumtaxat consequendae dispensationis gratiae. Cf. infrà, n. 876 et n. 878.

Quod dictum est, sub n. 871, de poenitentia juridica, eam scil. non requiri ad valorem, seclusa particula: « si », vel « dummodo », aut alia aequivalenti, hoc etiam valet de absolutione juridica, non excepto casu (de quo suprà, n. 862) can. 2265, § 2, 2275, n. 3 et 2283, modò, in hoc casu, adhibeatur, in fulminationis actu, absolutio ad effectum, de qua sub n. 878.

c/ *Scandali remotio.*

873. scandali remotionem,

Antea, inde scil. ab anno 1885 (1), in rescriptis ob causas inhonestas, mos erat inseri: « *remoto, quatenus adsit, scandalo, praesertim per separationem, tempore sibi beneviso, si fieri potest* ».

Sub disciplina reformatae Curiae, ante Codicem, rarius occurrebat illa clausula, et, ubi inducebatur, uti pro crimine publico, simplicitur dici solebat: « dummodò nullum scandalum intercedat ».

Etiamnum, sub disciplina Codicis, nonnunquam inseritur dicta clausula, sive eodem ac modò tenore, sive sub forma ablativi absoluti (2); requiritur autem pro valore, ubi cum particula « dummodo » inducitur, non autem, ut videtur, ubi sub forma ablativi absoluti (suprà, n. 870 et infrà, n. 918) (3).

Quodsi non inseritur clausula, equidem opportune est observanda, ubi ei est locus, ad liceitatem (4).

Porro clausula censetur adimpleta, non tantùm in casu quo deficit omne scandalum, sed etiam ubi ante executionem fuerit efficaciter ablatum.

Quod nunc spectat *modum* scandalum removendi: relinquitur arbitrio Ordinarii rescriptum exequentis. Aptius autem medium

---

can. 2, minatur contra illum qui dixerit « licere christianis plures simul habere uxores et hoc nulla lege esse prohibitum ». Pariter matrimonium contrahentes *coram ministro haeretico qua tali* praesumebantur, ob in illo actu implicite contentam haeresi adhaesionem, excommunicationi subesse speciali modo in Constit. *Apostolicae Sedis* latae « in haereticos eorumque credentes ».

(1) Disciplina anno 1885 anterior indicatur apud *Collat. Brug.*, t. V, p. 679, s., coll. *Archiv f. k. Kirchenr.*, LXXVI, p. 122.

(2) Ita in rescripto dispensationis super mixta religione, infrà, n. 874. Item in can. 1043, ubi de potestate dispensandi cum moribundis.

(3) In indulto C. S. O. dispensandi super mixta religione et disparitate cultus (suprà, n. 770), manifestè inseritur clausula *ad solam liceitatem:* « quodsi partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut sandalum, si adsit, removeatur ». Contrà, pro valore inseritur in indulto S. C. de Sacr. (n. 770), sub 2°, a.

(4) Hanc assertionem confirmat insertio, modò memorata, clausulae in can. 1043. Cf. suprà, n. 870.

est, praesertim quando ortum est scandalum ex concubinatu vel matrimonio mere civili, in separatione sponsorum a toro et cohabitatione; expedit quoque ut dictum separationis medium adhibeatur, etiam quando separatio non determinate proponitur uti reparandi scandali medium; non est tamen modus ille necessario adhibendus, sed electio remedii arbitrio relinquitur Ordinarii (1).

Aliud remedium est in declaratione a nupturientibus facienda coram parocho et duobus testibus se dolere de delictis admissis, seque veniam implorare de illis necnon de scandalo exinde orto; suprà etiam, n. 762, modum removendi scandalum indicavimus, in casu dispensationis cum subdiaconis vel sollemniter professis: signanter « ut in loca se conferant ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur ».

Parochi nunc est, in libello supplici ad Ordinarium directo, indicare utrum scandalum adsit in casu, nisi — quod fieri praestat — illud efficaciter removendum curare potuerit; addat etiam quisnam reparationis modus ipsi aptior videatur, in specie utrum separatio sit possibilis. Quodsi separatio ab Ordinario executore imponatur, separatio est a parocho *nomine Ordinarii* oratoribus injungenda, etiam — quod nota — *ubi de facto separati vivunt* et separatim habitaturi praevidentur (2).

Nota. Olim, quando, in rescripto formae specialis, injungebatur poenitentia vel scandali remotio, solebant nonnulli Officiales, praeter pagellam inquisitionis pro verificatione precum, de qua suprà, mittere ad parochum folium adnexum, in quo, nomine suo, injungebant poenitentiam et scandali reparationem: simul onere imposito parocho inquirendi circa poenitentiae acceptationem, praesentiam scandali, separationis, vi injunctionis factae, executionem, vel alterius contra scandalum remedii applicationem (3).

---

(1) Resp. S. Poenitentiariae, 27 Apr. 1886, ad 5^{m}, et 12 Apr. 1889, apud *Collectan.*, n. 1496 et n. 1498. — Etiam in tenore rescripti, ante reformatam Curiam usurpari solito, et suprà relato, separatio quidem uti praeferenda proponebatur, sed non imponebatur absolutè.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, V, p. 682 s.

(3) En specimen hujusmodi folii:

Ego infrascriptus Vicarius generalis Officialis Rev^{mi} D^{ni}... oratoribus... juxta praescriptiones canonicas injungo:

I. Ut, si adsit scandalum et separatio fieri possit, separati vivant a thoro et cohabitatione. Quae quidem separatio, juxta responsum S. Poenitentiariae, de die 4 Februarii 1884, *injungenda est*, etiamsi constet oratores separatos habitare et usque ad diem matrimonii habitaturos.

II. Ut singuli oratores, pro poenitentia...

Velit igitur R. D. Pastor indicare:		RESPONSA.
1. An oratores poenitentiam acceptaverint?	1.	
2. Quatenus adsit scandalum:	2.	
A. *Si fieri possit separatio:*	A.	
a/ An oratoribus *separatio* MEO NOMINE *injuncta* fuerit?	*a/*	
b/ An oratores, VI INJUNCTIONIS MEAE, per tempus praescriptum, *revera* separati fuerint?	*b/*	

Similis formula adhiberi poterit nunc ab Ordinario si, pro variis adjunctis, imponendam judicet unam alteramve ex illis clausulis.

874. vel alia peculiariter injungenda.

d/ Clausulae peculiares, sub n. 504 et 590 propositae, imponuntur in rescripto dispensationis super *mixta religione* et *disparitate cultus,* et exigitur ut *Ordinarius moraliter certus sit easdem* (clausulas) *impletum iri* (1).

Nimirum servanda imponitur *cautela duplex:* ex parte scil. conjugis catholici, de amovendo ab altera parte perversionis periculo, et, ab utroque nupturiente, de universa prole catholicè educanda; de quibus cautelis servandis exigenda est cautio (2), et quidem ita ut moralis certitudo acquiratur Ordinario de futura cautelarum adimpletione: quae necessitas tum cautelarum, tum cautionis, tum dictae certitudinis, cum inducatur per formulam « dummodò », urgetur pro ipso dispensationis *valore.* Cf. suprà, n. 505 (3).

B. *Si fieri nequeat separatio,* an *aliter* et *quomodo* scandali reparationi provisum fuerit?... B.

Responsa suprascripta vera esse testor.

(1) En tenorem rescripti super *mixta religione* (in forma commissoria, cum executore *voluntario*):

Beatissime Pater,

Ordinarius (Brugen.) humiliter petit a Sanctitate Vestra dispensationem super impedimento mixtae religionis (et ad cautelam disparitatis cultus), ut catholica N. N. licite ac legitimè matrimonium contrahere possit cum acatholico N. N. (dubie baptizato).

Sequentes afferuntur causae: (cohabitatio et prolis jam natae legitimatio).

SS. D. N. D. Benedictus divina providentia Papa XV (per facultates R. P. D. Adsessori) S. Officii impertitas benignè remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii (Brugen.), qui, remoto opportunis modis scandalo, si adsit, et disposita parte catholica ad gratiam Dei recipiendam, dispensare valeat catholicam N. N. ab impedimento mixtae religionis (et ad cautelam disparitatis cultus, cum facultate declarandi legitimam prolem susceptam), ut licite et legitime matrimonium contrahere possit cum acatholico N. N., dummodò prius regulariter, ad praescriptum Cod. J. C., can. 1061, § 2, cautum omninò sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et *ipse R. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri,* scil.: ex parte conjugis acatholici, de amovendo a parte catholica perversionis periculo et ab utroque nupturiente, de universa prole utriusque sexus (nata et forsan nascitura) in catholicae religionis sanctitate omninò baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholicae obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem conjugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem Cod. J. C., can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, juxta can. 2319, § 1, n. 1°, stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063, § 2.

In reliquis, quod refertur ad publicationes, interrogationes de consensu et sacros ritus, serventur praescripta Cod. J. C., cann. 1026, 1102, 1109; et matrimonio celebrato, sive in proprio, sive in alieno territorio, Ordinarius invigilet ut conjuges promissiones factas fideliter impleant.

Denique in hoc sibi commisso munere explendo, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (Cod. J. C., can. 56).

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Nota. Quae intra parenthesim ponuntur sunt calamo conscripta, reliqua sunt typis impressa. — Similes clausulae inseruntur in tenore indulti, quod plures Ordinarii nunc accipiunt a C. S. O. (cf. suprà, n. 770).

(2) Non sufficit *cautelas* injungere; requiritur etiam *cautio,* signanter formalis promissio, ex parte nupturientium, de exequendis cautelis respectivis.

(3) Nota pro valore sufficere ut cautiones imponantur et praestentur, ita ut dispensatio equidem valeat, licet promissio forte facta fuerit fictè. Cf. Causam *Parisien.,*

Quod autem spectat clausulam de non adeundo acatholico ministro, jam vidimus, sub n. 507, illam non amplius esse urgendam uti conditionem, sed imponendam uti obligationem (1); quod idem valet, respectu partis catholicae, de clausula curandae conversionis partis acatholicae (2).

Dictas autem cautiones, scripto exaratas et a partibus subsignatas, Ordinarius exigat ipsi libello supplici adnectendas, una cum testimonio parochi de morali certitudine de illarum adimplemento (3); vel, accepto rescripto Romano, mittat Ordinarius schedulam, promissiones ab utraque respective parte faciendas continentem (4), quam scripto subsignandam curabit parochus, simul testans moralem haberi certitudinem de futuro cautionum adimplemento (5). Promissiones autem subsignentur in duplici exemplari:

---

26 nov. 1921, apud A. A. S., XIV, p. 515 s. Cf. suprà, n. 505 et 590. — Quod specat mitigationem quae in cautelis imponendis et cautione exigenda, a S. Sede nonnunquam sperare licet, cf. suprà, n. 508, n. 515 et n. 591. Cf. etiam, apud VROMANT, o. c., n. 68, indultum speciale, die 5 Apr. 1918, concessum Ordinariis sinensibus.

(1) Sunt dioeceses in quibus, in formula a parte saltem catholica, subscribenda, etiamnum inseritur promissio de non adeundo ministello. — Quodsi contingat oratores adiisse ministrum acatholicum jam ante dispensationis petitionem, id in supplica notetur, ad hoc ut pars catholica a censura absolvatur, poenitentia injuncta. Cf. suprà, n. 507, coll. n. 871 et 872, utrimque in nota.

(2) Hucusque in rescriptis concedebatur Ordinario dispensandi facultas, « dummodo formiter praestentur in Curia ab utroque sponso cautiones ab Ecclesia praescriptae, praesertim de amovendo a conjuge catholica(o) perversionis periculo, de conversione conjugis acatholici(ae) ab illa(o) pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda, dummodò ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem impletum iri, et dummodò neque ante neque post matrimonium coram parocho catholico initum partes adeant ministrum acatholicum ».

(3) Id, in dioecesi Brugensi, *praescribitur,* vi decr. Congr. Prosyn. anni 1922. Cf. suprà, n. 849, 505 et 590.

(4) En *formulam* duplicem in doecesi Brugensi a nupturientibus, in casu, respective subsignandam; supponitur autem sponsus acatholicus:

a/ Je soussigné..., domicilié à..., m'engage, par les présentes, à laisser baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui naîtront de mon futur mariage avec..., domiciliée à..., et à leur laisser, à eux et à ma future épouse, liberté pleine et entière de remplir tous les devoirs de la religion catholique.

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.

Fait en double à... le...

b/ Je soussignée..., domiciliée à..., m'engage, par les présentes, à faire baptiser et élever dans la religion catholique, apostolique et romaine, tous les enfants de l'un et de l'autre sexe, qui naîtront de mon futur mariage avec..., domicilié à...

En foi de quoi, j'ai signé le présent acte de ma propre main.

Fait en double à..., le...

In archidioecesi Westmonasteriensi sequentes formulae sunt in usu:

a/ pro parte *haëretica:* « I, the untersigned, do hereby solemnly promise and engage that i will not interfere with the religious belief of..., my future..., nor with... full and perfect liberty to fulfil all... duties as a catholic; and that i will allow all the children, of both sexes, who may be born of our marriage, to be baptized in the catholic Church, and to be carefully brought up in the knowledge and practice of the catholic Religion ».

b/ pro parte *catholica:* « I, the undersigned, do hereby solemnly promise and engage that all the children, of both sexes, who may be born of my marriage, shall be baptized in the catholic Church, and shall be carefully brought up in the knowledge and practice of the catholic Religion; and i also promise that (according to the instructions of the Holy See) my marriage in the catholic Church shall not be preceded nor followed by any other religious marriage ceremony ».

In nota autem additur: « Tertia promissio, de conversione compartis acatholicae pro viribus curanda, a parte catholica saltem viva voce fieri debet ».

(5) Hoc parochi testimonio, ex sua parte, acquirit Ordinarius moralem certitudinem

unum est in cancellaria episcopali conservandum, alterum vero tradendum partibus, in perennem assumptarum obligationum memoriam sedulò servandum.

e/ Clausula « *erogata ab eis aliqua eleemosyna,* juxta eorum vires judicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda » (1) nonnunquam inseritur in rescriptis S. C. de Sacr. pro foro externo, ubi dispensat *gratis*. Suprà, n. 858.

Est evidenter clausula *merè praeceptiva;* imo posset ab Ordinario, si hoc necessarium judicat, exceptionaliter remitti.

Addi posset clausula, passim non expressa, ad valorem observanda, de qua suprà, n. 633, quatenus scil. removendum sit periculum matrimonii ineundi cum consanguinea in linea recta: quod signanter practicum esse potest ubi dispensatur super publica honestate.

875. Jam non est pro valore procuranda dispensationis acceptatio nec praevia notitia.

Nota 1. Hucusque tanquam *probabiliorem* sententiam proponebant plerique Auctores (2), ad *valorem* dispensationis requiri ejusdem *acceptationem,* nisi hujus conditionis necessitas ab Ecclesia remitteretur, quemadmodum in casu sanationis in radice. Docebatur autem sufficere acceptationem a parte obnoxia impedimento absoluto, vel ab *alterutra* parte, si agitur de impedimento relativo, seu utrique nupturienti communi; sufficere etiam acceptationem *implicitam,* quae nempe continetur in hoc quod sciatur dispensationem esse concessam, vel petitam vel etiam petitum iri, et non contradicatur (3).

Atvero, juxta can. 37, tenenda est sententia quae negat acceptationis necessitatem pro valore, cum ibidem statuatur quod rescriptum, non tantum potest impetrari praeter assensum dispensandi (suprà, n. 842), sed quod « *valet ante ejus acceptationem,* nisi aliud ex appositis clausulis appareat »: quod sic intelligimus ut ad dispensationis valorem non requiratur ejusdem acceptatio, nequidem implicita, quatenus scil. valeat dispensatio, insciis partibus impetrata ac fulminata, etiam absque ulla fulminationis concessae com-

---

de cautionum adimplemento, et sic satisfit conditioni in rescripto insertae: « dummodo... ipse R. D. Ordinarius moraliter certus sit easdem (cautiones) impletum iri ».

(1) Eleemosyna ab Ordinario *taxanda,* i. e. quoad quantitatem determinanda, et *definienda,* designata scil. ejusdem destinatione.

(2) Ita SANCHEZ, o. c., l. VIII, disp. XXVI, n. 6, coll. 1. III, disp. XXXVII, cum AA. citatis; SALMANT., o. c., *De matr.,* c. XIV, n. 38; S. ALPH., o. c., l. VIII, n. 1145; GIOVINE, o. c., I, cons. 90, p. 147; CAILLAUD, o. c., n. 111, coll. n. 219 et 381; VAN DE BURGT, *De disp.,* n. 86 ss.; THÉPHANY, o. c., n. 442 ss.; FEYE, *De imp.,* n. 760; POMPEN, o. c., n. 96; GASPARRI, o. c., n. 398 et 414; WERNZ, o. c., n. 641; LEITNER, *Lehrb.,* p. 454 s.; PLANCHARD, *Dispenses,* n. 309; OJETTI, *Synopsis,* V° *Dispensatio,* n. 1824; DURIEUX, o. c., p. 135 s. Cf. Causam *Baltimoren.,* 30 Junii 1910, apud *A. A. S.,* II, p. 596 s., necnon Causam *Divionen.* 20 Jan. 1911, de qua suprà in nota ad n. 117, cum ll. cc.

(3) Attenta sufficientia acceptationis implicitae, practice non erat multùm curandum de acceptatione, post acceptum rescriptum, procuranda, nisi interdum pro dispensatione in foro interno, quando gratia petita fuit insciis partibus. In foro externo, et plerumque etiam in foro interno, dispensatio non petitur nisi scientibus aut certioratis oratoribus, adeoque dispensatio est jam ante factum implicite acceptata.

municatione (1); valet etiam matrimonium, post sic concessam dispensationem ineundum (2). Invalide tamen, ut videtur, concederetur dispensatio, si partes existerent scienter ac positive *invitae,* cum S. Sedes praesumatur non velle beneficia sua obtrudere. Cf. VLAMING, o. c., n. 472 (3).

Ulterius autem dispensatio validè concessa non cessat, ex parte eam impetrantis, nisi illi ante fulminationem renuntiaverit per renuntiationem dispensationis auctori intimatam et saltem tacitè acceptatam. Cf. infrà, n. 916, coll. suprà, n. 864[bis].

Executio clausularum potest fieri oretenus.

2. Executio clausularum, fulminationi praeviarum, si ipsis locus est, melius quidem et opportunius peragitur *scripto,* sed non debet in scriptis fieri: potest nempe *oretenus* fieri, inserta illius mentione in fulminationis instrumento; etiam, ubi dictae clausulae *scripto* injunguntur et executioni mandantur — quod praestat fieri — hinc inde, uti vidimus, peragitur hoc munus, saltem partim instrumento distincto a fulminationis documento, ea lege ut in fulminatione inseratur mentio illius executionis, in quantum jam est peracta. Cf. notam in fine n. 873.

B. **Fulminatio.**

876.
2° Fulminatio :

Nimirum Ordinarius, accepta notificatione circa veritatem precum necnon clausularum observationem, in quantum ei est locus, formiter et expressis verbis dispensat super impedimento, hujus naturam accuratè determinando, et expressam mentionem faciendo commissionis apostolicae (4), memorato etiam die concessi rescripti: in quo actu consistit *fulminatio* dispensationis, ipsum impedimentum auferens. Cf. n. 740.

Ulterius, si *legitimationis facultas* fuerit in documento Romano

---

(1) Utilitatem practicam habet nova haec disciplina in dispensationibus pro foro interno, signanter in illis quae in forma gratiosa conceduntur, uti solet fieri cum dispensationibus episcopalibus. Cf. infrà, n. 891.

(2) Equidem statuitur, in relato canone 37, dispensatum posse dispensationis gratia *non uti;* inde tamen non sequitur, ad dispensationis valorem, requiri ejusdem dispensationis notitiam, nec sequitur invalidari dispensationis usum ignoranter factum; simpliciter statuitur dispensationis usum non imponi. Cf., in eumdem sensum, VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome,* I, n. 125; CLAEYS BOUUAERT-SIMENON, o. c., n. 198.

(3) Supponitur *utraque* pars invita, quia, si una tantùm pars est invita, altera non, praesumi potest benigna Pontificis voluntas huic parti succurrendi.

(4) Can. 1057 coll. suprà, n. 785. — Haec dispositio can. 1057 directe spectare censetur dispensationem ex indulto concedendam ab Ordinario, videtur tamen applicanda etiam rescripti executioni.

Invocatio expressa auctoritatis apostolicae, si ad liceitatem requiritur, non videtur exigi *ad valorem;* ad valorem videtur sufficere quod exprimatur actus formiter dispensandi, ac determinetur impedimentum auferendum. Ita etiam VLAMING, o. c., II, n. 502; LEITNER, o. c., p. 303; favere quoque videntur GASPARRI, o. c., I, n. 397; FERRUGIA, o. c., n. 117. Imo, quod spectat determinationem impedimenti, probabiliter valere docet CAPPELLO, o. c., n. 288, sub 7, « dispensationem, si tacitè tantùm ea detur, ex. gr. si executor dicat *oratores matrimonium inire posse* »; quam sententiam non auderemus in praxim deducere.

inserta, in eodem actu decernit prolem conceptam esse legitimam. Cf. suprà, n. 786 et 849 (1).

En autem specimen formulae *fulminationis,* ab Ordinario Brugensi usurpari solitae:

Vicarius generalis....

Dilectis Nobis in Christo... salutem in Domino.

Ob causas Sanctae Sedi Apostolicae expositas et in examine veritate niti repertas, tanquam delegatus apostolicus, vi specialis facultatis a SS. DD..... Nobis concessae, vos a quibusvis sententiis, censuris poenisque ecclesiasticis, si quibus quomodolibet innodati sitis, ad effectum hujus dispensationis consequendae dumtaxat, absolventes et absolutos fore censentes (2), vobiscum dispensamus super impediment... in ordine ut... impediment... et constitutionibus, ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque non obstantibus, matrimonium in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, valide contrahere ac solemnizare et in eo postmodum libere et licite remanere possitis, dummodo tamen aliud, praeter express..., non obstet impedimentum canonicum (salva tamen dispositione can. 1052) (3) et mulier rapta non fuerit (4).

Prolem natam vel nascendam (non tamen in adulterio conceptam), eadem apostolica auctoritate, legitimam decernimus.

Datum Brugis, sub signo nostro, die... mensis... anni 19... (5).

---

(1) Proles scil. *spuria,* utpote quae non potest per subsequens matrimonium legitimari, legitimanda est auctoritate Pontificis: cujus nomine non potest Ordinarius, executioni dispensationis apostolicae commissus, legitimationis decretum ferre, nisi ad hoc acceperit specialem facultatem in ipso tenore rescripti. Cf. suprà, 786 et 849.

Porro olim, ante reformatam Curiam, solebat S. Sedes, etiam non postulata, hoc legitimandi mandatum inserere, idque ut plurimum ad abundantiam, uti notavimus *Collat. Brug.,* t. VI, p. 123. Contrà, sub praesenti disciplina, videtur amplius non inseri in rescriptis fori externi legitimandi facultas, nisi ubi explicitè postulatur in precibus: quam prolis legitimandae mentionem, positis ponendis, in precibus sedulò faciendam monuimus sub n. 849.

(2) Haec est formula *absolutionis ad effectum,* de qua sub n. 872 et n. 878. Quando autem Ordinarius censet locum esse dandae simul absolutioni juridicae (n. 872), potest eam dare simul cum absolutione ad effectum, in hanc vel similem formam: « Vos a sententiis censuris et poenis ecclesiasticis, si quibus quomodolibet innodati fueritis, ad effectum infrascriptae gratiae dumtaxat consequendae (hucusque absolutio ad effectum), ab incestus (quatenus intercesserit) et aliorum excessuum in supplica allegatorum reatibus, necnon a censuris et poenis ecclesiasticis inde forsan incursis, in utroque foro absolvimus (hîc absolutio juridica).

(3) Cf. suprà, n. 847 et 867.

(4) Circa hanc conditionem, cf. suprà, n. 653.

(5) Juvat etiam referre formulam fulminationis *super mixta religione,* exequentis dispensationem in forma commissoria cum executore voluntario (n. 874):

Vicarius generalis-Officialis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Gustavi Josephi Waffelaert, Episcopi Brugensis, omnibus et singulis hasce visuris salutem in Domino.

Auctoritate apostolica, a SS. DD. Benedicto Papa XV, die... Nobis delegata, justis gravibusque accedentibus causis, dispensamus cum N. N... ex... catholic... subdit... dioecesis nostrae, super impedimento *mixtae religionis...,* in ordine ut licite et legitime matrimonium contrahere possit cum N. N... coram parocho et duobus testibus, ad normam can. 1094, extra tamen ecclesiam, omissis bannorum proclamationibus, et absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu: siquidem praestitae sint cautiones ab Ecclesia praescriptae, signanter de amovendo a conjuge catholic... perversionis periculo, de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda.

Datum Brugis, die... mensis... anni 19...

Memor sit conjux catholic... obligationis qua tenetur conversionem compartis acatholicae prudenter curandi (can. 1062). Ulterius parochus moneat nupturientes, se ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum, uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire

Circa quam fulminationem, en quaedam utiliter *observanda:*

877. facienda est scripto,

1° Dispensationis fulminatio est facienda *scripto,* expressis nominibus et praenominibus oratorum, quibuscum est dispensandum, quia in foro externo debet posse probari dispensationem esse concessam. Caeterùm expressis verbis scripturam exigit can 56 (1).

878. praevie data absolutione a censuris ;

2° Dubitari posset utrum, etiam sub nova disciplina reformatae Curiae, danda sit, in fulminationis actu, *absolutio a censuris ad cautelam* (2).

Profectò danda est *ad valorem,* in casu cann. 2265, § 2, 2283 et 2275, n. 3, quando nempe agitur de excommunicatis (aut suspensis) per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, vel de interdictis personaliter, quippe qui nequeunt « gratiam ullam pontificiam validè consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat » (3). Extra vero hosce casus, cum, juxta can. 36, § 2, censura non noceat dispensationis valori, non est absolutio danda pro valore. Atvero inde non sequitur, uti nonnulli opinantur (4), illam absolutionem non requiri *ad liceitatem,* sicut pro liceitate est praemittenda absolutioni sacramentali a peccatis.

Equidem nunc, in novis formulis S. C. de sacramentis, jam non occurrit specialis mentio absolutionis ad effectum, quam hucusque concedebat ipsa S. Sedes, in rescriptis Datariae et S. Poenitentiariae pro foro externo (5); sed videtur contineri implicitè in generali formula de servandis canonicis praescriptionibus in fulminatione, de qua sub num. 869. Cui sententiae non parum favet can. 66,

---

non posse, ad mentem can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae, Ordinario reservatae, a parte catholica incurrendae, juxta can. 2319, § 1, n. 1. — Celebrato matrimonio, parochus invigilet ut conjuges promissiones factas fideliter impleant. Quodsi domicilium mutaverint, de munere isto invigilandi parochum novae residentiae eorum monere non omittat.

Rev. Dno Pastori...

(1) Haec formalitas *scripti* documenti non exigitur ad fulminationis *valorem,* juxta dicta ad n. 785 et documenta ibidem allata, cui asserto favere etiam videtur tenor can. 56, utpote qui videtur innuere solam scriptae formae *obligationem;* adeoque posset fulminatio valide fieri, ac etiam, urgenti de causa, licitè, oretenus aut telegraphicè. Quodsi fulminatio non fuerit facta scripto, conficiendus est exinceps actus authenticus fulminationis factae, ut de ea in foro externo constare possit; cf. etiam suprà, n. 857 et DURIEUX, o. c., p. 133 s.

(2) Absolutio a censuris *ad cautelam,* uti notatum sub n. 872, est illa quae adhibetur pro casu possibili quo dispensationi obstaret forte aliqua censura; non est absolutio nisi *ad effectum,* i. e. non aufert censuram *absolute* et *simpliciter,* sicuti absolutio juridica, sed *secundum quid* dumtaxat; unicè nempe efficit ut censura non obstet validae vel licitae consecutioni dispensationis, relictâ censura quoad reliqua. Cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 32; formulam autem ab Ordinario adhibitam videsis modò supra, sub n. 876, ubi inseritur formula absolutionis ad effectum necnon formula absolutionis juridicae.

(3) Cf. suprà, n. 862, ubi etiam excipitur casus quo quis a S. Sede plectitur poena vindicativa inhabilitatis ad gratias eclcesiasticas (can. 2291, § 9, coll. can. 2296, § 1).

(4) Ita FERRERES, *La Curia,* n. 235-237; VLAMING, o. c., n. 497; DE MEESTER, *Comp. jur. can.,* ed. 8a (DE BRABANDERE-VAN COILLIE), p. XXIV; DURIEUX, o. c., n. 200, ubi tamen addit: « il est cependant plus prudent de continuer à l'observer ».

(5) Anteriorem disciplinam expositam videsis apud *Collat. Brug.,* t. VI, p. 32-35; cf. etiam t. XII, p. 537 s., ubi tenor refertur rescripti antea in usu.

§ 3, ubi disponitur quod in facultate dispensandi includitur etiam potestas a poenis ecclesiasticis *absolvendi ad effectum* (1); et, in connexione cum inciso immediate praecedente, apparet hanc absolutionem pertinere ad ipsum dispensandi actum. Cf. suprà, n. 781 (2).

879. quaedam notanda.

3° Ad normam can. 53, « rescripti executor *invalidè* suo munere fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earumdem notitia ad eum fuerit *auctoritate rescribentis* transmissa ». Qua dispositione confirmatur decretum C. S. O. 14 Aug. 1892 (*Collectan.*, n. 2192), et resp. S. Poenit., 15 Jan. 1894 (*N. R. th.*, XXVI, p. 406 ss.), quatenus, ad fulminandam dispensationem in forma commissoria concessam, non sufficiat notitia telegraphica, nisi fuerit transmissa ex officio (3). Vidimus autem suprà, sub n. 864bis, quod munus executoris per hujusmodi illegitimam anticipationem non cesset, quodque adeo executor posset exinceps, accepta authentica rescripti notitia, dispensationem valide fulminare.

4° In memoriam revocatur norma can. 59, § 1, de qua suprà, n. 864bis, quatenus « executori fas est, si quoquo modo in rescriptorum executione erraverit, iterum eadem executioni mandare ». Cf. etiam infrà, n. 930.

5° Juxta responsum S. Poenitentiariae, 27 Junii 1885 (interpretatum apud *N. R. th.*, t. XIX, p. 57 ss.), quando evenit « ut, litteris apostolicae dispensationis nondum executioni datis, oratores, quorum favore expeditae sunt, ex errore contrahant in forma Tridentina », Ordinarius, re comperta, potest « valide easdem litteras apostolicas nihilominus exequi, ut partes iterum coram parocho et testibus se sistant et consensum renovent ». Cf. n. 930.

6° Si executor, dispensando super impedimento, omiserit prolem susceptam legitimam decernere, poterit postea huic muneri supplere, non tantum ipse sed etiam successor in officio (4).

---

(1) In can. 66 agitur de facultatibus habitualibus; sed in nota, remittitur ad can. 200, § 1, in quo eadem dispositio paragraphi 3^{iae} applicatur facultati dispensandi in casu particulari.

(2) In eumdem sensum scribit FERRUGIA, o. c., n. 117, sub 2.

(3) Juxta DURIEUX, o. c., (ed. 1913), p. 130, in nota, ad hoc sufficit — et in subsidium invocat auctoritatem secretarii S. Congr. de Sacr. — quod telegraphicum nuntium missum fuerit ab agente Romano; quod, fateor, indigeret confirmatione.

(4) Ratio est quia, uti docet PYRRHUS CORRADUS, *Praxis dispens.*, o. c., l. VIII, cap. II, n. 27, duplex distinguitur officium executori commissum: dispensandi nempe et legitimandi, ac proinde nihil obstat quominus unum sine altero peragatur. Quinimo, vi ejusdem distinctionis, potest executor legitimare susceptam prolem, etiam ubi dispensatio super impedimento executioni non potest mandari, puta ob mortem alterutrius oratorum; non valet tamen legitimationis decretum, quando oratores *voluntarie* a nuptiis recedunt, uti censet laudatus Auctor, *ibidem*, n. 33. Cf. etiam infrà, n. 930.

7° Officium *parochi,* respectu fulminatae dispensationis, ad hoc reducitur ut gratiam dispensationis fulminatae cum oratoribus *communicet,* utque, dum documentum Romanum, cum fulminationis notitia, conservatur in archivo episcopali, ipse in archivo pastorali conservandum curet instrumentum fulminationis, utque obtentae et executioni mandatae dispensationis mentionem faciat in registro matrimoniali, nisi agatur de impedimento infamante nec omninò noto.

8° Si contingat, ratione urgentis necessitatis, quod Ordinarius fulminandum censeat, quin suprà, sub n. 867 s., descriptam informationem praemittendam curaverit, dispensare potest, uti dicitur, *ex nunc pro tunc,* ita nempe ut tunc tantùm sit vim habitura dispensationis fulminatio, quum, informatione pro posse instituta, constiterit parocho de veritate precum. Eodem modo proceditur quando parochus interrogatorio ad ipsum misso non sufficienter responderit, aut quando deest attestatio circa unius alteriusve clausulae acceptationem, et ex alia parte, ob instans matrimonium, ulterius differri nequit dispensationis fulminatio: iterum scil. dispensat Ordinarius ex nunc pro tunc, simul monendo parochum ut defectui suppleat illicò, ita rursus ut fulminationis decretum non consequatur suum effectum, nisi inde a momento quo clausula fuerit impleta vel defectui fuerit suppletum.

9° Circa dispensationem, pro foro externo, super *voto castitatis,* cf. infrà, n. 889.

II. Pro Foro interno.

A. Quod spectat *forum internum* **sacramentale:**

880. Pro executione dispensationis Romanae in foro interno sacramentali:

Idem quoad substantiam processus est sequendus pro executione dispensationis Romanae in foro interno sacramentali, quam in foro externo, tum quod attinet praevia ad fulminationem, tum quod spectat fulminationem ipsam.

Confessarius scil., qui vel personaliter committitur, vel cui, ex poenitentis electione, executionis opus incumbit, accepto rescripto clauso, sive directe a S. Poenitentiaria sive per intermediam Officialitatem (1), procedet, post accuratam rescripti lectionem, ad verificationem precum, clausularum executionem, necnon ad dispensationis fulminationem.

(1) Quando scil. confessarius usus est intermedio Officialis *pro confectione supplicae* mittendae ad S. Sedem, rescriptum dirigitur ad Officialem, cum onere huic injuncto ut clausum rescriptum transmittat ad confessarium; quodsi confessarius propria industria supplicam confecit et ad Ordinarii ministerium recurrit pro sola transmissione postali, rescriptum directe transmittitur ad confessarium.

Haec autem omnia et singula opportunè peraguntur *in ipsa confessione,* imo ipsa fulminatio *debet* in actu confessionis fieri. Ad confessionem igitur debet vocari poenitens, monitione facta in confessione praecedente, vel ipsum post acceptum rescriptum invitando, praevie obtenta licentia de re confessionem spectante loquendi. Porro imprimis praemittenda sunt

1° **Praevia ad fulminationem :**

a/ *Verificatio expositorum.*

881.
1° praevia ad fulminationem :
a/ verificandae sunt preces ;

Inquisitio est facienda potissimum circa existentiam impedimenti, quale fuit in supplica et in rescripto Romano insertum, circa causam allatam, et varias conditiones quas induxit S. Poenitentiaria, pro diverso tenore rescripti, accuratissimè scrutandi, notatim de indole occulta impedimenti, de necessitate matrimonii ineundi ad vitanda varia pericula vel scandala et alia hujusmodi. Dicta verificatio instituitur per diligentem poenitentis interrogationem, ipsum graviter monendo de gravi obligatione veritatem aperiendi ac de gravibus exinde sequelis oriundis; cujus poenitentis testimonio credere potest confessarius, nisi scientia extrasacramentali contrarium noverit.

b/ *Clausularum adimpletio.*

882.
b/ adimplendae sunt clausulae praeviae,

Eaedem quam ante Curiae reformationem clausulae, et sub eadem forma, occurrunt in rescriptis *S. Poenitentiariae,* quemadmodum patet ex collatione speciminum, quorum unum apud *Collat. Brug.,* t. XII, p. 542, refertur, et alterum recens hisce adnectitur in nota (1).

(1) N. S. R. E. Cardinalis N., SS. DD. Nostri Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.

Dilecto in X° proprio latorum parocho, sive confessario ex approbatis ab Ordinario loci, per eos specialiter electo, salutem in D^no^. Ex parte viri et mulieris latorum praesentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipsi, aliàs vivente alio (a) latricis (oris) conjuge, se carnaliter cognoverunt, fidemque invicem sibi dederunt de matrimonio inter se contrahendo si dictae latricis (latoris) conjux praemoreretur, quo (qua) defuncto (a), neutro eorum in ejus mortem machinante, de dicto matrimonio contrahendo tractarunt. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, impedimentum criminis ex praemissis proveniens occultum remaneat, et ipsi justis et gravibus de causis ad hujusmodi matrimonium contrahendum urgeantur, ideo ad consulendum rebus suis et pro suae conscientiae quiete cupiunt a praemissis, de quibus plurimum dolent, per Sedem Apostolicam absolvi, secumque desuper dispensari; quare supplicarunt humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur qui apostolicae Poenitentiariae curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica Nobis concessa, discretioni tuae committimus, quatenus dictos latores, audita prius eorum sacramentali confessione, a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, si quas propter praemissa quomodolibet incurrerint quibusque actu innodati existant, adulterio cum fide data et excessibus hujusmodi, hac vice in forma Ecclesiae consueta absolvas: injuncta eis pro modo culpae gravi poenitentia salutari, et aliis quae de jure fuerint injungenda. Demum, dummodo impedimentum criminis ex praemissis proveniens occultum remaneat, et, nisi matrimonium inter latores contrahatur, periculum immineat vel scandalorum vel perseverantiae in peccato propter aliquam occasionem, quae judicio tuo nequeat ab ipsis sine magna difficultate aut gravi damno removeri, cum iisdem latoribus, quod, praemissis non obstantibus, dummodo aliud ipsis non obstet canonicum impedimentum, matrimonium inter se publice, ad normam Decreti « Ne temere », die 2 Aug. 1907 editi, contrahere et in eo postmodum remanere licite valeant,

Applicentur autem illis normae, sub n. 870, propositae ad determinandum utrum necne servandae sint pro valore. Porro praecipuae clausulae sunt:

α/ Excipienda confessio sacramentalis.

in specie quoad confessionem,

Dicitur enim in tenore: « *audita prius ejus (vel eorum) sacramentali confessione* ». Requiritur ergo, idque *ad valorem,* ut censemus (1), et sufficit confessionem institui *sacramentalem,* peractam scil. in ordine ad absolutionem sacramentalem (2): non autem opus est ut absolutio sacramentalis concedatur, ac ita validè fulminatur dispensatio quando absolutio a peccatis nulliter impertitur vel, ob indispositionem poenitentis, differenda censetur: quo tamen altero casu praestat, si aliunde nihil obstat, dispensationis fulminationem differre (3).

Confessarius directe ad hoc commissus vel a poenitente electus potest confessionem excipere *ubicumque,* vi Pontificiae auctoritatis, quotiescumque rescriptum personaliter designat confessarium, vel indeterminatè committitur confessario electo aut eligendo; non autem quando inscribitur confessario electo ex approbatis ab *Ordinario loci:* tunc enim non potest confessio excipi extra dioecesim Episcopi, a quo approbationem accepit confessarius.

883. remotionem occasionis peccandi,

β/ Remotio occasionis peccandi.

Haec clausula imponi solebat in dispensatione super *affinitate illicita:* ad cujus clausulae observationem sufficit occasionem, si est necessaria, reddere remotam, notando quod « potest confessarius dispensationem fulminare, si poenitens ita sincere promittit occasionem se deserturum esse, ut ad sacramentalem absolutionem

---

pari apostolica auctoritate misericorditer dispenses: prolem suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, exinde legitimam nunciando. In foro conscientiae, et in sacramentali confessione tantum, et non aliter, neque ullo alio modo; ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus eis suffragetur. Nullis super his datis litteris, sed praesentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae, statim per Te post executionem penitus laceratis. Datum Romae apud S. Petrum sub sigillo Officii Poenitentiariae, anno Domini...

Attentis facultatibus, de quibus suprà, n. 768, coll. n. 770 et 772, jam passim opus non est dispensatione *apostolica* super crimine absque machinatione, cum plerique Ordinarii dispensare jam valeant. Cf. infrà, n. 890, sub 2°.

(1) Confessionem audiendam pro exequenda dispensatione fori interni sacramentalis, *ad valorem* requiri opinamur, etiam ubi clausula inseritur sub forma simplici ablativi absoluti, absque additis: « tantùm », vel « non aliter »; censetur clausula ex jure communi ad valorem requisita. Cf. suprà, n. 870 et infrà, n. 918. Ita etiam CAPPELLO, o. c., n. 287; FERRUGIA, o. c., n. 121, sub 2; LEITNER, o. c., p. 371; WERNZ-VIDAL, o. c., n. 446, nota 154; aliter loquitur VLAMING, o. c., n. 498, coll. n. 476; DE MEESTER, o. c., I, n. 294.

(2) Accusatio peccatorum, sine ullo ordine ad absolutionem a peccatis, non est confessio sacramentalis, nec per eam clausulae fit satis.

(3) Ita responsum S. Poenitentiariae, quod exhibent CARRIÈRE, o. c., n. 1168, ac, post ipsum, ZITELLI, o. c., p. 87, ac FEYE, o. c., n. 750, ubi citatur responsum ejusdem S. Poenitentiariae, 19 Maii 1834. Cf. etiam resp. S. C. de P. F., 16 Jan. 1797, apud *Collectan.*, n. 1459.

accipiendam dispositus judicetur » (1). Non est observanda clausula *ad valorem*. Cf. infrà, n. 918.

γ/ Poenitentia injungenda.

884. *poenitentiam juridicam,*

Agitur de poenitentia *juridica* (distincta a poenitentia sacramentali), quae est imponenda, pro varia natura impedimenti et vario gradu culpae, salutaris vel gravis vel gravis et diuturna, vel gravissima; determinatio poenitentiae relinquitur discretioni confessarii, qui in hoc sese conformet normae quam sequitur Ordinarius. V. suprà, n. 871.

δ/ Absolutio juridica.

et absolutionem juridicam ;

Absolutio juridica, specialis nempe, danda est a reatu vel a reatu et censura, juxta tenorem rescripti, attentis dictis suprà, sub n. 872; videtur autem S. Poenitentiaria stylum Curiae in hoc servasse pro foro interno, quem ante Curiae reformationem usurpare solebat, juxta ibidem notata. Patet absolutionem valere pro solo foro interno.

Quae notavimus suprà, n. 871 et 872, de poenitentia et de absolutione juridica, positis ponendis, non requisitis ad executionis valorem, etiam hic applicantur.

885. *procuranda autem non est, ad valorem, dispensationis acceptatio ;*

Nota. Juxta dicta ad n. 875, sub disciplina Codicis, non est curandum de acceptatione dispensationis. Caeterum, cum hîc agatur de dispensatione in forma commissoria elargita, et cum ipso oratore praesente exequenda, vix potest executioni mandari nisi ipso conscio adeoque implicitè acceptante.

2° **Fulminatio.**

886. 2° *fulminatio.*

Postquam confessario constiterit de veritate illorum quae in rescripto et in supplica exponuntur, ac provisum fuerit poenitentiae juridicae acceptationi et remotioni occasionis peccandi, tutò procedi potest ad ipsam *fulminationem*.

Nimirum, praevie data absolutione ad effectum, necnon absolutione juridica a reatu, vel a reatu et censura, *viva voce* declaret confessarius sese super impedimento dispensare nomine et auctoritate Pontificia; dein prolem legitimet, si legitimationis mandatum inseratur; tandem sacramentaliter absolvat a peccatis, in quantum nihil obstat, poenitentia imposita sacramentali.

Formula absolutionis est eadem quae in *Rituali* praecedit absolutionem sacramentalem: *Dominus N. J. C...,* opportunè inserta mentione specialis delicti admissi: quae absolutio simul est *ad effectum* pro censuris indeterminatè omnibus, et absoluta relatè

(1) POMPEN, o. c., n. 87.

ad censuras ad quas specialis facultas est facta in rescripto. Immediatè connectitur decretum fulminationis et, ubi locus est, legitimationis, in hunc v. gr. modum:

« Dominus N. J. C. te absolvat et ego auctoritate Ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis et interdicti, signanter ab excessibus admissis, necnon a poenis et cénsuris quas ob praemissa forsan incurristi, in quantum possum et tu indiges.

Insuper, auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento criminis, ex adulterio et fide data provenientis, ut eo non obstante cum muliere quam ducere intendis, matrimonium publice, in forma can 1094, contrahere, consummare et in eo permanere valeas. Eadem auctoritate prolem (susceptam et) suscipiendam exinde legitimam fore nuntio et decerno. In nomine P. et F. et Sp. S. Amen » (1).

Tandem formulam dispensationis et legitimationis excipiet absolutio sacramentalis a peccatis: « Deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. et F. et Spir. S. — Passio Domini N. J. C. » (2).

887. Peculiariter observanda cum impedimento criminis ;

Nota 1. Dispensatio super *crimine,* in quo utraque pars est noxia et criminis conscia (3), executioni est mandanda respectu *utriusque* partis, non quidem ad valorem, pro quo sufficit dispensatio unius partis, sed *ad liceitatem.* Quo casu, en processum sequendum:

Ubi, sicut passim contingit, dispensatio concreditur confessario *indeterminato,* ab oratoribus scil. eligendo: tunc, si idem ab utraque parte eligatur confessarius, res nulli obnoxia est difficultati (4); si vero diversus eligatur (5), tunc, ad tramites invocati res-

(1) En formulam juxta stylum Curiae adhibendam: non exigitur tamen ejusdem stricta observatio sub poena nullitatis, juxta monitum ad n. 785, sed sufficit, ad fulminationis *valorem,* ut in formula rite determinetur impedimenti natura, et formiter dispensetur; auctoritas vi cujus dispensatur est quidem memoranda, sed id non censetur requiri ad valorem. Cf. suprà, n. 876, in nota.

(2) Licet plerique Auctores, uti FEYE, *De Imped.,* n. 757; GASPARRI, o. c., n. 401; THEOL. MECHL., o. c., n. 100, qu. 4, sub. I; POMPEN, o. c., n. 103; LEITNER, o. c., p. 312 s., moneant absolutionem sacramentalem, ubi ei locus est, esse praemittendam dispensationis fulminationi, potius standum videtur responso S. Poenit. diei 19 Maii 1834, quod affert ZITELLI, o. c., p. 88. Nimirum ad dubium: « Num dispensationes super impedimentis dirimentibus occultis in matrimoniis contractis significandae sunt statim post susceptam absolutionem, aut priusquam dispositiones praeviae ad absolutionem existant, atque absolutio suscipiatur... »; respondetur: « Dispensationes, de quibus in casu, manifestandas esse *ante absolutionem,* quas tamen confessarius concedere potest, etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam censeat ». Caeterum quod dispensatio detur ante vel post absolutionem sacramentalem, id non refert ad valorem.

(3) Ita, in casu criminis ex adulterio cum conjugicidio ex unius tantum parte, supponitur altera pars conjugicidii conscia. Cf. rescriptum, n. 906, in nota.

Contrà dispensatio super affinitate illicita sufficiebat exequenda cum sola parte rea. Quod etiam valebat pro casu quo altera pars erat conscia delicti a parte desponsata admissi; novimus etiam contigisse ut, dispensatione postulata nomine partis noxiae simul ac partis innocentis, delicti consciae, rescriptum fuerit concessum in gratiam solius partis reae. Cf. *Collat. Brug.,* VI, p. 680 s.

(4) Nihil etiam obstat quominus altera pars ad hoc adducatur (quin tamen cogatur) ut confessarium eligat prioris partis: quatenus scil. prioris partis confessarius huic suadeat ut complicem suam moneat de confessione in ordine ad dispensationem instituenda, eamque hortetur ut illam confessionem peragat coram eodem confessario.

(5) Juxta responsum S. Poenitentiariae, 15 Nov. 1748, quando rescriptum dirigitur confessario a latoribus eligendo, « necessarium tamen non est quod unus idemque

ponsi S. Poenit. anni 1748, « prior confessarius post dispensationem uni ad formam litterarum concessam, debet litteras S. Poenitentiariae (clausas) poenitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quae similiter easdem litteras secum exequi faciat per alium confessarium cujus erit in hujusmodi casu, confecto negotio, litteras lacerare » (1).

Ubi vero *determinatus* confessarius constituitur executor, hic solus potest erga utramque partem dispensationem exequi; adeoque, si alterutra pars illum confessarium adire recusat, adeunda est iterum S. Poenitentiaria, vel, si urgens detur aliqua causa, potest, cum salvus sit valor dispensationis cum una parte executioni mandatae, ab executione cum altera parte renuente abstineri.

2. Ubi, duplici instituto recursu, simul cum dispensatione super impedimento fori interni, convalidanda est pro foro conscientiae dispensatio nulliter concessa super impedimento fori externi, sufficit inserere, in fulminationis formula (n. 886) ante legitimationis declarationem; « Insuper eadem auctoritate convalido dispensationem in foro externo invalide concessam super impedimento... » *et alia notanda.*

Monetur, in ipso rescripti S. Poenitentiariae tenore, « quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur »; quod ex supra dictis abundè constat.

3. Praecipitur ut litterae, *post earum executionem,* saltem infra triduum, idque sub poena excommunicationis latae sententiae, *comburantur* vel *lacerentur.* Nihil tamen impedit quominus conservetur copia rescripti, omissa data et omni indicatione qua posset forsan innotescere poenitens in cujus gratiam fuit obtentum (2).

B. Quod spectat *forum internum* **extrasacramentale :**

888. Pro executione dispensationis fori interni extrasacramentalis.

Si exceptionaliter institutus est recursus *extrasacramentalis,* ab Ordinario, a parocho vel alio sacerdote (n. 841 et 865): exequenda est dispensatio extra confessionem, sive scripto documento, post

confessarius ab utroque eligatur ad eas litteras exequendas, sed potest unus confessarius ab uno ad id eligi, alter ab altero ». Integrum tenorem responsi exhibet COLLET, o. c., III, p. 285 s.

(1) « Quamvis impedimentum ejusmodi esse soleat, ut sublatum quoad unum maneat eo ipso sublatum quoad alterum, nihilominus mens S. Poenitentiariae est, ut erga utramque personam litterae executioni mandentur, sin minus ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum una dispensationem jam ablatum praesupponitur, saltem ad congruas poenitentias salutares utrique imponendas, quas non convenit ab uno tantùm exigi, ubi communis est culpa ». *Ibidem.*

(2) Apud *Lintzer Quartalschrift,* 1905, p. 382, refertur rescriptum S. Poenitentiariae, diei 29 Febr. 1904, in quo, ad quaestionem quousque conservari possint litterae dispensationis casu quo non redit poenitens cum quo executioni sunt mandandae, et utrum, postquam combustae sunt dictae litterae, adhuc executioni mandari valeant si poenitens exinde accedat; respondit: « Facultatem perseverare etiam combustis litteris, quas retinere tamen licet, remoto periculo amissionis, quamdiu probabile sit poenitentem compariturum ». Cf. *Collat. Brugen.,* t. XIX, p. 332 s.

usum dilacerando, sive viva voce, servata de caetero norma proposita pro executione rescripti in foro sacramentali.

Ad tramites autem can. 1047, nisi aliter ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensationis notitia transmittatur, cum secreta notificatione nominum oratorum, ad Curiam episcopalem, ut in secreto archivo adnotetur, et suffragari possit in foro externo, si impedimentum evaserit publicum. Cf. suprà, n. 738, 811 et 841.

889. Quid in dispensatione super voto castitatis.

Scholion (1). Jam rarius quam olim recursus instituendus est ad S. Sedem, pro impetranda dispensatione *super voto simplici castitatis*. Praeterquam enim quod Ordinarius potest, ex potestate ordinaria, dispensare pro utroque foro super voto non reservato (can. 1313), solet habere indultum S. C. de Sacr., vi cujus vidimus (n. 770) eum posse pro utroque pariter foro dispensare super voto reservato, etiam publico.

Quodsi exceptionaliter recurrendum contingat *ad S. Sedem,* ad S. Poenitentiariam scil. pro foro interno, ad S. C. de Religiosis pro foro externo, juvat prae oculis habere praxim S. Sedis, in hoc negotio hucusque servari solitam: quae praxis etiam utiliter attendetur ab Ordinario, super eodem voto dispensante, uti notabitur infrà, n. 892.

Jamvero a/ quando dispensatur *pro foro interno,* solet confessarius committi *ad dispensando-commutandum* potius quam ad dispensandum simpliciter (2), nec solet concedi gratia nisi *in ordine*

(1) Hoc scholion refertur non modò ad forum internum, sed etiam ad forum externum, de quo inde a n. 866.

(2) En tenorem rescripti S. Poenitentiariae: « Dilecto in Christo proprio latricis (latoris) parocho, sive confessario ex approbatis ab Ordinario loci, per eam specialiter electo, salutem in Domino. Ex parte latricis Nobis oblata petitio continebat, quod ipsa aliàs simpliciter et private vovit castitatem servare; cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta latrix continenter vivere posse diffidat, ideo, pro suae conscientiae quiete, cupit sibi votum praefatum, ad effectum licite matrimonium contrahendi, per Sedem Apostolicam commutari: quare humiliter supplicavit, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur; Nos igitur, qui Apostolicae Poenitentiariae curam gerimus, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica Nobis concessa, discretioni tuae committimus, quatenus, si est ita, dictam Latricem, audita prius ejus sacramentali confessione, a mutatione hujus propositi, si tibi sic expedire videatur, absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, cum poenitentia salutari; ipsique votum praefatum, ad hoc tantum ut matrimonium, servatis aliàs de jure servandis, contrahere, et in eo debitum conjugale exigere et reddere licite valeat, in sacramentalem confessionem semel quolibet mense, et in aliqua poenitentiae opera, per te injungenda, tamdiu duratura quamdiu commutationi praefatae locus erit, inter quae sint etiam aliqua pietatis, quae quotidie faciat ad eum finem ut ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animae saluti expedire judicaveris, pari apostolica auctoritate, dispensando commutes; in foro conscientiae, et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum, et non aliter, neque ullo alio modo; ita tamen ut si conjugi, cui matrimonio jungetur, supervivat, castitatem servet, utpote eodem voto, ut prius, obligata, et, si extra licitum matrimonii usum (quod absit) contra VI Decalogi praeceptum delinquat, aut mortuo conjuge, alteri absque nova dispensatione matrimonio jungatur, sciat se contra votum hujusmodi facere, et debitum conjugale exigere non posse absque nova commutatione: et ita illam moneas ». Cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 583 ss., ubi proponitur rescripti interpretatio.

ad matrimonium (1), idque in ordine ad matrimonium *praesens* dumtaxat: unde pars voto ligata tenetur, *ex virtute Religionis,* castitatem servare extra licitum usum hujus praesentis matrimonii, et absque iterata S. Sedis licentia novum matrimonium inire non potest. Cf. suprà, n. 490 et n. 570^{b1s}.

Pro commutatione-dispensando praescribat confessarius, juxta tenorem rescripti, confessionem semel quolibet mense instituendam, necnon menstruam quinque decadum rosarii recitationem, ac menstruam missae assistentiam die feriali, atque quotidianam mane inter surgendum ac vespere ante decubitum recitationem unius ave, ut pars vovens « ea adimplens meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur »: quae pietatis ac poenitentiae opera tamdiu duratura praescribuntur quamdiu commutationi locus erit.

b/ Recursu instituto *pro foro externo,* dispensatio datur exequenda Ordinario; conceditur autem sive in forma commissoria stricte dicta, cum executore necessario, sive in forma commissoria latè dicta, cum executore voluntario, executori tributa facultate pro arbitrio dispensandi in casu particulari, quemadmodum contingit in rescripto in nota relato (2); ex hujus autem tenore apparet dari facultatem dispensandi (non tantùm dispensandi commutando), idque absolutè, et non ad solum effectum matrimonii contrahendi.

Articulus 2^{s}. **De Dispensationibus episcopalibus concedendis et exequendis.**

Paragraphus Prima. *De concessione dispensationis episcopalis* (3).

890. Modus ab Ordinario adhibitus in dispensando:

Ordinarius, non secus ac S. Sedes, dispensat *ope rescripti,* idque sive ex indulto dispensat sive ex potestate ordinaria, sive pro foro interno dispensat sive pro foro externo: haec est saltem norma, a

(1) Cf. n. 770. Contingit tamen dispensationem concedi aliter quam in ordine ad matrimonium, uti eam concessam novimus in gratiam personae, quae ratione voti continuis scrupulis erat obnoxia.

(2) Exscribimus rescriptum, anno 1920 impetratum *pro foro externo,* concedens facultatem elargiendi dispensationem super votis simplicibus, in ordine ad contrahendum matrimonium: Beatissime Pater,

N. N..., vitae religiosae pertaesa, suum Institutum arbitrio reliquit et in saeculum rediit. Nunc facti poenitens, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provoluta, implorat dispensationem super votis simplicibus, quibus adhuc obstringitur. Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SS^{mo} D^{no} Nostro concessarum, S. C. Negotiis Relig. Sodalium praeposita, *audito voto Rev^{mi} Ordinarii Brugen., eidem* facultatem tribuit benigne *oratricem* dispensandi super votis simplicibus, ab ipsa in dicta *congregatione...* emissis.

Quae sublineantur sunt calamo inserta; reliqua typis impressa.

(3) Agitur, sub hac paragrapho prima, de actu episcopali, quo Ordinarius concedit dispensationem sive in forma gratiosa, sive in forma commissoria; actu autem episcopali absolvitur dispensatio in forma gratiosa, dum dispensatio in forma commissoria ulterius indiget executione: de hac autem in paragrapho altera.

qua nonnunquam receditur ut dispensetur oretenus aut telegraphice (cf. suprà, n. 741 et n. 749, coll. n. 861) (1).

In plerisque autem dioecesibus (in specie in dioecesi Brugensi), Ordinarius dispensat, uti jam praenotavimus sub n. 860, *in forma gratiosa,* tum pro foro interno quam pro foro externo, sive dispenset vi potestatis ordinariae, sive dispenset vi potestatis delegatae, sive recursus pro foro interno institutus fuerit sacramentalis sive extrasacramentalis. Dispensatio igitur pro foro interno sic concessa censetur concedi in foro interno *non sacramentali,* etiam ubi recursus institutus fuit a confessario, pro foro interno sacramentali, adeoque ipsi applicatur dispositio can. 1047, quatenus suffragari possit, positis ponendis, in foro externo, si contingat impedimentum postea fieri publicum (2).

Nonnulli vero Ordinarii solent dispensare *in forma commissoria,* pro foro interno, quando ad ipsos institutus est recursus sacramentalis. Cf. n. 893 (3). Ubi nunc Ordinarius dispensat *in forma commissoria,* pro foro scil. interno sacramentali, dispensationis rescriptum transmittit ad confessarium qui recursum instituit, ipsi munere concredito illud rescriptum exequendi et dispensationis gratiam oratori vel oratoribus applicandi: de qua executione infrà, sub paragrapho secunda. — Formula rescripti in forma commissoria proponitur *ibidem,* in nota ad n. 893.

Quibus praenotatis, en *processum* ab Ordinario sequendum, ubi dispensat **in forma gratiosa**, quemadmodum fit pro foro externo et pro foro interno, quando recursus instituitur extrasacramentalis, necnon etiam, pluribus in locis — in specie in dioecesi Brugensi — quando recursus fit a confessario:

pro foro externo ;

1° Si dispensat **in foro externo:**

Totum negotium absolvit Ordinarius per seipsum, excepta forsan precum verificatione (4): mentione scil. facta in dispensationis

(1) Nota quod, ubi dispensatur *oretenus* aut telegraphicè, opportunum est, et pro efficacia in foro externo necessarium, ut litterae postea conficiantur super dispensatione oraliter aut telegraphicè concessa. Cf. suprà, n. 741 et 749.

(2) Cf. suprà, n. 738, n. 811, n. 841, n. 888 et infrà, n. 892 et 897. — Ex hoc commendatur praxis sic dispensandi in forma gratiosa, potius quam in forma commissoria, etiam ubi recursus instituitur sacramentalis. Nec desunt alia commoda inde exsurgentia: nempe periculum minuitur invalidae fulminationis; insuper nonnunquam opportunum est quod nupturientes jam non sint ad sacramentalem confessionem instituendam cogendi, uti requireretur si in forma commissoria dispensaret Ordinarius, cum dispensationis fori interni executio a confessorio sit facienda in actu confessionis.

(3) Potest utique Episcopus dispensationes concedere *in forma commissoria,* alio ad executionem delegato, non exceptis dispensationibus quas impertitur vi indulti, idque in foro externo non secus ac in foro interno: quemadmodum abundè constat ex dictis sub n. 787, ubi vidimus facultates Episcopi etiam delegatas posse, attentis restrictionibus ibidem notatis, subdelegari et per alium exerceri. Dispensationes pro foro externo concederentur, in casu, exequendae parocho, huic applicatis, proportione servata, normis suprà, n. 864 et 864bis, propositis.

(4) Passim abstinet Ordinarius Brugensis a nova inquisitione imponenda, etiam ubi

instrumento auctoritatis ordinariae vel delegatae apostolicae (1), ac inserto canonis Codicis vel indulti tenore (prout dispensat ex potestate ordinaria vel delegata), prius absolvit ad cautelam (2), et, si locus sit, juridicam dat absolutionem cum poenitentia, varias clausulas injungit, ac tandem formiter declarat se dispensare et, ubi casus ferat, prolem legitimare; nomina autem et cognomina oratorum exprimuntur in dispensationis instrumento.

En, speciminis gratia, *formulam dispensationis gratiosae,* quae adhiberi solet ab Ordinario Brugensi:

Vicarius generalis-Officialis Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Gustavi-Josephi Waffelaert, Episcopi Brugensis.

Dilectis Nobis in Christo N. N..., dioecesis Brugensis, salutem in Domino.

Vi potestatis Nobis collatae canone 1045, § 1 (3), dispensandi « super omnibus et singulis impedimentis juris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio... quoties impedimentum detegatur, cum jam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur »; vos, qui in hujusmodi casu urgenti versamini, a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum praesentis gratiae dumtaxat consequendae, absolventes et absolutos fore censentes, ob causas animum nostrum moventes et dummodo vera sint exposita, vobiscum dispensamus super impediment..., ut matrimonium inter vos in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, licite et valide contrahere possitis; dummodo aliud non obstet impedimentum canonicum (salva tamen dispositione can. 1052), mulier rapta non fuerit, aut, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat. Prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam declaramus (4).

Datum Brugis, die... (5).

---

dispensat pro foro externo, et, salvis specialibus adjunctis, fidem adhibet testimonio parochi, in supplica testantis de veritate expositorum.

(1) Invocatio auctoritatis apostolicae censetur non requiri *ad valorem*. Cf. suprà, n. 876 et n. 886.

(2) Cf. suprà, n. 878, coll. n. 842.

(3) Si Ordinarius dispensat *in periculo mortis,* invocet can. 1043, hoc attento quod tunc dispensare potest cum *non subditis,* in dioecesi degentibus. Si dispensat ex potestate *delegata* (suprà, n. 770), expressè invocetur indultum acceptum (can. 1057), inserto etiam ejusdem tenore. Cf. n. 785.

(4) Juxta notata suprà, n. 849, coll. n. 786, hîc inseritur prolis legîtimatio pro memoria tantum, ut nempe authentice constet de legitimatione, ipso facto dispensationis super impedimento concessa. Idem valet pro formula fori interni subsequente.

(5) Ordinarius Brugensis, quando, pro foro externo dispensat super publico *criminis* impedimento, solet dispensationis instrumento adnectere *folium distinctum,* in quo poenitentiam injungat et scandali reparationem.

En autem formulam adhiberi solitam:

Reverende Domine Pastor,

Oratoribus, quibus adjuncta dispensatio conceditur, pro gravi poenitentia salutari injungimus ut singuli, per quatuor hebdomadas, quotidie recitent ter *pater* et *ave,* ac semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis, atque insuper, per quatuor menses, confessionem sacramentalem semel in mense instituant.

Sciant praeterea se ad reparandum scandalum grave ab ipsis datum teneri; modus autem illius reparationis sit v. g. veniam a Deo petere coram parocho et duobus testibus, vel alius judicio parochi determinandus.

Praesentibus comburendis. Veneranter signo

N. N.

pro foro interno ;

2° Si dispensat **in foro interno:**

Pari modo procedit Ordinarius sicut pro foro externo, suppressis nominibus et cognominibus oratorum, adhibitis scil. nominibus fictis. En autem *formulam* dispensationis super occulto crimine:

Vicarius generalis-Ofifcialis...

Vi facultatis a S. Sede die... ad quinquennium Nobis concessae, sequentis tenoris: « Dispensandi... » (1), tanquam delegatus apostolicus, tenore praesentium (re confecta, statim dilacerandarum), Titium et Bertham, subditos dioecesis Brugensis, acceptata poenitentia infra descripta, a sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, si quibus quomodolibet sint innodati, ad effectum hujus gratiae consequendae tantum, necnon a quibusvis reatibus ac censuris aut poenis, ob causas in precibus allatas aut alias forsan contractis, absolventes et absolutos fore censentes, cum eisdem dispensamus super impedimento occulto criminis, siquidem sit absque ulla machinatione, ut matrimonium valide et licite coram facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, inter se contrahere valeant, dummodo tamen nullum aliud obstet canonicum impedimentum, mulier rapta non sit, aut, si rapta sit, sub potestate raptoris non existat. Prolem susceptam sive suscipiendam exinde, non tamen in adulterio conceptam, legitimam declaramus.

Pro gravi autem poenitentia salutari injungimus ut uterque, per quatuor hebdomadas, quotidie recitet ter *pater* et *ave,* ac semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; statuimus insuper ut, per quatuor menses, confessionem sacramentalem semel in mense instituant.

pro foro interno simul et externo.

3° In **concursu** impedimenti *fori externi* cum impedimento *fori interni:*

Quando, ad normam dictorum sub n. 852 ss., recursus est institutus duplex, cum mentione impedimentorum utriusque fori in una supplica pro foro interno: Ordinarius dispensat super priori impedimento juxta formam propriam fori externi, super altero verò juxta formam foro interno convenientem, simul convalidando, in quantum opus, pro foro conscientiae dispensationem concessam in foro externo.

***

Quod spectat *officium parochi,* recurrentis in foro externo; *confessarii,* recurrentis in foro interno sacramentali; *parochi aliusve sacerdotis,* recursum instituentis in foro interno extrasacramentali:

Olim simile folium distinctum mittebatur ad parochum, quando dispensabat Ordinarius, pro foro externo, super publica affinitate illicita, vel etiam quando super honesto impedimento dispensabat ob causas inhonestas, ratione quarum, imponendas ducebat clausulas infamentes.

(1) Cf. tenorem indulti suprà, n. 768. — Quodsi Ordinarius dispenset ex potestate ordinaria, in casu urgenti, vi can. 1045, § 1, hunc canonem invocet, ejus tenore inserto, et mentionem faciat de casu urgenti in quo versantur Titius et Titia.

891. Munus parochi

a/ *Parochus,* accipiens dispensationem *pro foro externo,* eam oratoribus *communicet,* imponendo, *nomine Ordinarii,* poenitentiam, si detur, in dispensationis instrumento determinatam, necnon et alias, si quae sint, clausulas observandas curet (1).

Re confecta, documentum conservet sedulò in archivo, ac notet dispensationem obtentam in registro matrimoniali, juxta dicta sub n. 879.

et confessarii.

b/ *Confessarius,* recipiens documentum dispensationis *pro foro interno,* gratiam pariter *communicet* parti noxiae, cum qua directe fuit dispensatum, injunctis injungendis et in specie injuncta, si detur, poenitentia, *nomine Ordinarii.* Communicatione autem facta, statim dilacerentur vel comburantur litterae dispensationis.

Communicationem praestat fieri *in actu confessionis sacramentalis;* potest tamen fieri *extra confessionem,* hoc attento quod, si agatur de impedimento sola scientia sacramentali cognito, oportet ut confessarius ad hoc obtinuerit licentiam poenitentis.

c/ *Parochus* vel *alius sacerdos,* qui recursum instituit in foro interno *non sacramentali,* etiam pro officio habet dispensationem oratoribus vel oratori *communicandi,* idque *extra confessionem,* injunctis injungendis; re autem confecta, destruantur dispensationis litterae.

892. Varia notanda.

Nota 1. Dispensatio ab Ordinario in forma gratiosa concessa pro foro interno censetur concessa in foro interno *extrasacramentali,* etiam ubi recursus fuit institutus sacramentalis a confessario; adeoque applicari posset, uti modò notavimus sub n. 890, dispositio can. 1047, non tantùm ubi recursus institutus est extrasacramentalis, puta a parocho, sed etiam ubi recursus factus est sacramentalis, a confessario; ad hoc autem curandum est ut adnotetur dispensatio, expressis nominibus, in libro secreto Curiae episcopalis: quae adnotatio et notificatio non potest fieri, in casu recursus sacramentalis, nisi praevie obtenta licentia poenitentis de utendo scientia sacramentali.

2. Communicatio, de qua modò, concessae dispensationis censetur non requiri pro valore, nequidem in casu quo, insciis partibus, fuit petita et concessa. Cf. suprà, n. 875.

3. Ordinarius, quando dispensat super impedimento *minoris gradus,* non debet exigere ut afferatur causa stricte canonica, sive

(1) Jam non debet attendere parochus ad restrictionem quae in dioecesi Brugensi et in aliis dioecesibus vigebat, quatenus executio dispensationis, vi indulti pro foro externo, limitabatur ad limites dioeceseos; attendendum scil. erat utrum pars, cum qua Ordinarius directe dispensabat ex indulto, praesens fuerit in dioecesi, momento concessae gratiae. Cf. suprà, n. 776.

dispenset ex potestate ordinaria sive ex potestate delegata (n. 770). Cf. suprà, n. 812, coll. 828 et 867 (1).

4. Ubi Ordinarius dispensat, vi indulti C. S. O., super *mixta religione,* attendantur notata suprà, sub n. 874, attentis etiam clausulis in indulto insertis (2). Quodsi dispensat, vi indulti S. Poenitentiariae super *crimine,* vel super *voto castitatis,* vi can. 1313, aut vi indulti S. C. de Sacr., prae oculis habeantur quae suprà notata sunt sub n. 887 et 889.

Notetur dispensationem episcopalem *validè* concedi *cuicumque oratori,* solo excepto casu quo dispensatio conceditur ex potestate *delegata* et orator est excommunicatus, suspensus et personaliter interdictus, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Cf. suprà, n. 862 (3).

PARAGRAPHUS SECUNDA. *De executione dispensationis episcopalis.*

893. Dispensatio in forma commissoria.

In locis ubi Ordinarius, pro foro interno sacramentali, dispensat **in forma commissoria** (4), executio et fulminatio committitur *confessario* sive determinato, sive a poenitente electo vel eligendo, et quidem tanquam executori necessario; confessarius autem, pro executione et fulminatione, sequatur normas, sub n. 880 ss., pro-

(1) Can. 1054. — In tenore indulti dicitur: « justa et rationabili ex causa », dum, pro dispensatione super impedimento majore, postulatur gravis et urgens causa.

(2) Cf. tenorem ad calcem tractatus, coll. *N. R. th.*, 1923, p. 244 ss.

(3) Ubi Ordinarius dispensat ex potestate *ordinaria,* non censetur applicari dispositio inhabilitans, cum, attento tenore can. 2265, § 2, restringatur inhabilitas ad gratias *pontificias*.

(4) En specimen hujusmodi dispensationis in dioecesi Buscoducensi usurpari solitae, juxta POMPEN, o. c., n. 102:

« Wilhelmus van de Ven etc.....

R^do D^no... pro sequenti casu in confessarium electo, vel cuicumque sacerdoti in dioecesi Buscoducensi approbato a poenitente in confessarium eligendo, salutem in Domino.

Vi potestatis.....

Tibi per praesentes potestatem facimus et tribuimus quatenus, *si ita est,* uti in epistola tua d. d..... hisce annexa exponitur, dictos (oratores *aut* dictum oratorem *aut* dictam oratricem), audita prius (eorum *aut* ejus) sacramentali confessione, ac sublata occasione proxima, si qua adhuc existat cum dict... peccandi, a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incur....., incestu et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu gravi poenitentia salutari, ac confessione sacramentali peccatorum suorum singulis scil. mensibus, vel quovis bimestri, ut minimum semel, pro tempore ad arbitrium tuum peragenda. — Demum, dummodo impediment... praefat... occult... maneat aliudque canonicum non obstet impedimentum, et dummodo mulier rapta non fuerit, et, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, cum... super impediment... ut matrimonium cum... ut uterque inter se, praemissis non obstantibus, ritè et legitimè contrahere et in eo postmodum liberè et licitè manere valeant, ob causam vel causas expositas, scilicet....., misericorditer *dispenses*. Praeterea facultatem facimus prolem susceptam, si qua sit, dummodo concepta non fuerit ex adulterio, et suscipiendam exinde, legitimam declarandi.

Haec omnia in foro conscientiae et in ipso actu sacramentalis confessionis tantum et non aliter neque ullo alio modo peragantur, praesentibus quoque post executionem laceratis aut aliter destructis.

Datum Buscoduci... ».

positas circa executionem et fulminationem dispensationis apostolicae: hoc attento quod, in fulminationis formula, loco auctoritatis apostolicae delegatae, invocetur auctoritas episcopalis delegata, si Episcopus dispensaverit ex potestate ordinaria, aut auctoritas apostolica subdelegata, si Ordinarius dispensaverit ex potestate delegata; attendendum autem est etiam hîc opus esse legitimationis decreto, si legitimanda est proles, ad hoc obtenta facultate ab Ordinario (suprà, n. 786, 849 et 876) (1).

ARTICULUS 3^us. **De dispensationibus sacerdotalibus concedendis** (2).

894. Norma a sacerdote sequenda in dispensando:

Sacerdotes omnes, tum parochi, tum confessarii, tum simplices sacerdotes sciant sese, positis ponendis, potestatem habere dispensandi super impedimentis matrimonialibus, ac proinde se obligationem habere ut noverint quousque extendatur eorum potestas et intra quosnam limites exerceri valeat; quos limites descripsimus suprà, n. 791 ss.

Porro, casu occurrente, primum attendendum spectat determinationem *fori* in quo est dispensandum, juxta notata suprà, sub n. 830. Dein, quod attinet *processum:*

pro foro externo;

1° **In foro externo,** super impedimento nempe fori externi, dispensetur *scripto,* nisi tempus prorsus deficiat: quo casu oretenus dispensetur, ea lege ut instrumentum conficiatur postea, ad hoc ut de ablatione impedimenti constet in foro externo; de caetero procedat parochus (vel sacerdos, in casu can. 1098) juxta normam, n. 890 descriptam, pro dispensatione ab Ordinario elargienda in foro externo.

Nimirum, postquam, ubi opus est, provisum fuerit reparationi scandali, tunc parochus (vel simplex sacerdos), expressis etiam nomine et cognomine dispensandorum, a censuris absolvat nupturientes ad effectum, et, si locus sit, juridicam det absolutionem cum poenitentia, varias clausulas injungat, ac tandem formiter dispenset prolemque, ubi casus ferat, legitimam declaret (3); etiam curandum est, licet non pro valore, ut dispensatio saltem implicitè acceptetur. Tandem instrumentum dispensationis conservetur in archivo pastorali, dispensationis notitia communicetur Episcopo, et in libro matrimoniorum adnotetur (can. 1046, coll. suprà, n. 811).

(1) Ad normam dictorum sub n. 865, coll. n. 863, munus confessarii non extinguitur per vacationem dioecesis, sive Ordinarius in forma commissoria dispensaverit ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata.

(2) Uti notavimus suprà, n. 860, hîc non agitur nisi de dispensationis concessione, cum omnes dispensationes sint in forma gratiosa.

(3) Cf. hic notam ad n. 890, sub 1°.

En specimen *formulae,* pro parocho, in periculo mortis:

« N., parochus N., dioecesis Brugensis.

Dilectis nobis in Christo N. et N., parochianis meis (1), salutem in Domino.

Cum, tenore can. 1044, quilibet parochus (2), urgente periculo mortis, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, ubi loci Ordinarius adiri nequit, dispensare possit super impedimentis omnibus, etiam publicis, juris ecclesiastici, exceptis sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae, consummato matrimonio, cumque nobis constiterit periculum mortis imminere et tempus deesse ut habeatur Ordinarius loci ejusve delegatus; constito etiam de scandali remotione per malae vitae retractationem coram duobus testibus factam: vos a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, ad effectum praesentis gratiae consequendae, et in specie ab iis quas ob praemissa incurristis, absolventes et absolutos fore censentes, (parti moribundae obligationem injungentes recitandi semel actum contritionis, partem vero bene valentem condemnantes ut quotidiè per annum recitet contritionis actum); vobiscum, eadem invocata auctoritate, dispensamus super impedimento... ut, non obstante hoc impedimento, matrimonium inter vos in facie Ecclesiae validè et licitè contrahere valeatis. Prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam declaramus (3).

Datum N., die ... mensis ... anni ...

2° **In foro interno:**

895. pro foro interno ;

a/ *sacramentali,* puta super crimine occulto, vel super occulto voto, ad dispensandum procedat confessarius, in actu sacramentalis confessionis (n. 882): prius scil. providendo poenitentiae juridicae acceptationi, et, ubi locus est, occasionis remotioni, et deinde accedendo ad ipsum dispensationis actum. Nimirum ad hoc procedat *viva voce,* ad normam suprà descriptam, sub n. 886, ritè determinando naturam impedimenti dispensandi (4), invocata auctoritate qua procedat (5), adhibita formula ibidem descripta vel aequivalenti (6), prae oculis etiam habita nota inserta sub n. 890, ad 1^{m}, circa prolis legitimationem.

---

(1) Si sunt extranei, in parochia degentes, indicetur domicilium.

(2) Si dispensat sacerdos, in casu can. 1098, n. 2, pariter invocet can. 1044.

(3) Cf. dicta suprà, n. 890, sub 1°, in nota, coll. ll. cc.

(4) Insere determinationem impedimenti, v. gr. criminis absque machinatione, dicendo: ... super impedimento criminis, contracto per adulterium et promissionem (vel attentationem) matrimonii cum sponsa tua (sponso tuo), vel...

(5) In periculo mortis vel, extra mortis periculum, in casu urgente, invocetur can. 1044 vel respective can. 1045, § 3. Extra vero illos casus, invocetur potestas episcopalis ab Ordinario delegata super votis non reservatis, juxta proposita sub n. 798, vel potestas apostolica ab Ordinario forte subdelegata (n. 787) super crimine. — Juxta can. 1057 (suprà, n. 785), mentio exigitur facienda delegationis (aut subdelegationis) *apostolicae;* opportune autem applicatur eadem norma dispensationi concessae vi delegationis episcopalis. — Suprà, n. 876, 886 et n. 890, notavimus auctoritatis, vi cujus dispensatur, invocationem non exigi *ad valorem.*

(6) Si formulare prae manibus non habetur, ex improviso surgente necessitate dispensandi, ne formidet confessarius et sciat sufficere ut adhibeat elementa essentialia: determinando impedimentum et declarando se dispensare.

b/ *non sacramentali,* in quo foro dispensare potest, juxta notata suprà, n. 799, parochus, necnon sacerdos, in casu can. 1098, n. 2, tam in casu urgenti quam in periculo mortis: dispensetur sive *viva voce,* extra confessionem, sive *scripto* documento, post usum dilacerando, cum pseudo-nominibus, et aliis omissis quibus identitas innotescere posset. Cf. n. 888 et n. 890, ac formulam ibidem propositam.

896. pro foro externo simul et interno.

3° **In concursu** impedimenti *fori externi* cum impedimento *fori interni,* quando, ad normam dictorum sub n. 847, b, coll. n. 852 ss., super omnibus impedimentis, diversi etiam fori, dispensandum est simul (saltem si sub poena nullitatis): dispensetur super impedimento fori externi juxta modum descriptum sub 1°, et super impedimento fori interni juxta normam indicatam sub 2°, simul pro foro interno convalidando dispensationem nulliter datam super impedimento publico (1). Cf. n. 890, sub 3°, coll. n. 888.

897. Notanda.

Nota 1. Ubi a parocho vel a sacerdote (in casu can. 1098) dispensatum est *in foro interno non-sacramentali,* si qua suspicio datur quod occultum impedimentum posset evadere publicum, opportunum erit concessae dispensationis notitiam transmittere ad Curiam episcopalem, secretò notificatis nominibus, ad hoc ut, ad normam can. 1047, in secreto archivo inscribatur sicque suffragetur in foro externo. Cf. suprà, n. 738, 799, 911 et 841, coll. n. 888, 890 et 892.

2. Hic etiam in memoriam revocetur processus sequendus in dispensatione super impedimento *criminis* vel super voto castitatis, de quo sub n. 887 respective et n. 889.

898. Scholion circa matrimonium in extremis,

Scholion. Casus facilè practicus, pro sacerdote, est casus *moribundi,* seu casus matrimonii *in extremis.* Quo casu specialiter attendendum est ad praescripta *legis civilis;* et in specie, in locis in quibus viget lex anterioritatis obligatoriae matrimonii civilis, si reperiantur moribundi nondum esse civiliter juncti, curandum est ut praevie adimpleantur formalitates civiles sub n. 72 et 146 descriptae (2).

Nimirum 1° si mors quidem timetur brevi sequenda, non tamen ita instat ut periculum sit in mora, potest ad matrimonium civile breviori via procedi, impetrando, ubi ipsi locus est, quemadmodum in Belgio, dispensationem Procuratoris regii super publicationibus et dilatione legali. Cf. suprà, n. 72.

Nimirum dispensatio petatur per supplicam ad Procuratorem regium

(1) Pro dicta convalidatione sufficit inserere, in fulminationis formula sub n. 886 proposita, ante legitimationis declarationem, pauca, suprà, n. 888, relata.

(2) Quae hic notanda proponuntur, utilitatem habent pro quocumque matrimonio in extremis, etiam ubi opus non est dispensatione canonica vel ubi ab Episcopo dispensatur.

directam; est autem conficienda et subsignanda ab utroque vel alterutro nupturientium, vel etiam a tertia persona, puta parocho vel confessario (1). De jure recurrendum est *par requête sur timbre,* licet practice admittatur recursus *par requête sur papier libre.*

Ulterius conandum est ut libello supplici adnectatur *testimonium medici,* testantis alterutram partem in periculo mortis versari; cui tamen testimonio, in urgentiore necessitate, supplere potest attestatio personae fide dignae, v. gr. sacerdotis supplicam offerentis.

Instrumentum dispensationis praesentetur oportet officiali civili (officier de l'état civil), qui dicto documento, actui matrimoniali postea adnectendo, munitus, ad formalitates matrimonii civilis procedere *potest,* quamvis ex hoc capite non obligetur (2).

Matrimonium civile, in nostro casu occurrente, celebrari potest *in domo privata* futurorum conjugum, quemadmodum id semper licitum est dicendum quotiescumque alterutra pars ad aulam communalem (maison communale) tendere nequit (3).

Si autem 2° adeo urgens est casus ut tempus omnino deficiat ad formalitates civiles breviori etiam via adimplendas, aut si, ob impedimentum civile indispensabile, matrimonium civile celebrari nequit, inhaesitanter est ad matrimonium religiosum procedendum, quotiescumque moribundi salus hoc exigit; ut vitentur tamen poenalitates comminatae, opportune potest sacerdos, vi invocati can. 1044, dispensare super clandestinitatis impedimento: matrimonio assistendo sine testibus, vel permittendo ut matrimonium celebretur coram solis testibus. Cf. suprà, n. 460, 462, 761, 766 et 792.

ratione habita legis Belgicae anni 1909.

Caeterum nuper, die scil. 3 Aug. 1909, sancita est, *in Belgio,* lex, vi cujus jam non urgetur sanctio poenalis contra sacerdotem, qui moribundum ad matrimonium religiosum admiserit absque praevio matrimonio sic dicto civili, quando contingit « que tout retard apporté à la bénédiction nuptiale eût pu avoir pour effet de rendre le mariage religieux impossible ». Cf. suprà, n. 456, ubi, in nota, enumerantur aliae regiones in quibus similis exceptio et moderatio est inducta.

---

(1) En specimen libelli supplicis ab ipso sacerdote in favorem nupturientium oblati:

A Monsieur le Procureur du Roi à...

Le soussigné X (nom, prénom, profession, domicile du curé ou du confesseur), a l'honneur de vous exposer que le nommé A (nom, prénom, âge, lieu de naissance, domicile et résidence, qualité de majeur ou de mineur, filiation du futur époux) se propose de contracter mariage avec la nommée B (mêmes indications que pour le futur mari), devant l'officier de l'état civil de...; que les publications et l'affichage, prescrits par les art. 1 et 2 de la loi du 26 Décembre 1891, n'ont pas été faits; que d'autre part A (ou B) est en danger de mort ainsi qu'il conste du certificat médical ci-joint, et qu'il y a donc lieu de craindre, s'il fallait procéder aux formalités requises par les articles précités, que le mariage projeté ne pourrait être célébré;

que A et B ont vécu maritalement jusqu'à ce jour et ont le plus grand intérêt à se marier en vue de régulariser leur union, et (ajouter s'il y a lieu) de légitimer un enfant (ou plusieurs) qui leur est né;

Pour ces motifs le soussigné Vous prie, Monsieur le Procureur du Roi, aux termes de l'article 7 de la loi du 26 Décembre 1891, de les dispenser de toute publication et de tout délai. — Date et signature.

(2) Officialis civilis, uti ex ipsa dispensationis formula innotescit, a Procuratore regio non accipit mandatum sed permissionem; potest proinde operam suam denegare, salva tamen ratione reddenda de modo agendi.

(3) De hisce cf. *Collat. Brug.,* t. I, p. 102 ss., p. 132 ss.; ROLAND ET WOUTERS, o. c., praesertim n.684, 687, 773, et 775, quibus locis, inter alia, notatur ad hoc esse attendendum, casu quo matrimonium civile celebratur in domo privata, ut celebretur *publicè,* i. e. januis apertis: publicitas namque est formalitas pro valore requisita, attentis tamen notatis sub n. 146.

Hujus legis commentarium habes apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 99 ss. Ex quibus ibidem fusius propositis haec pauca notentur: imprimis *unica conditio* quae ad vitandas poenalites art. 267 C. P. requiritur et sufficit haec est, quod nempe mortis discrimen, in quo alterutra pars versatur, adeo urgeat ut meritò timeatur tempus deesse ad praemittendas formalitates civiles; attendendo ad illas formalitates non posse procedi nisi praeviè obtenta dispensatione super publicationibus et dilatione legali, de qua modò suprà, obtentis etiam, pro variis adjunctis, obitus prioris compartis authentica attestatione vel consensu parentum. Ulterius autem nulla praescribitur formalitas observanda nec ulla conditio adimplenda: in specie non exigitur ut, antequam matrimonium religiosum celebretur, constet, per medici attestationem, de urgenti mortis periculo; nec opus est ut, post factum, de peracta matrimonii religiosi celebratione certioretur procurator regius vel officialis civilis; nec tandem ulla adest obligatio ut, si moribundus supervixerit aut praeter spem convaluerit, civiliter etiam contrahat (1).

Disputatio Secunda.

De concessione et executione dispensationis in ordine ad matrimonium convalidandum.

899. Praenotandum.

Praenotandum. Hîc spectamus solam convalidationem matrimonii invalidi quae fiat *ope dispensationis;* suprà autem, sub n. 725 ss., actum est de convalidatione absque dispensatione.

Porro locus est convalidationi *ope dispensationis,* a/ quando nullitas matrimonii procedit ex impedimento stricte dicto (personam scil. inhabilitante), in supposito quod vel non sponte recedat, vel, si sponte recedat (puta disparitas cultus vel raptus), partes non sint utrimque bene dispositae circa consensus renovationem et agatur de impedimento juris ecclesiastici (2); b/ quando procedit ex defectu formae consensus, in supposito quod vel partes ambae non sint bene dispositae circa consensus renovationem, vel, supposita utriusque partis bona dispositione, agatur de convalidandis pluribus matrimoniis in aliquo loco invalide celebratis.

Aliàs convalidatio peragitur, uti suprà vidimus, n. 726, *absque dispensatione:* a/ quando nullitas oritur ex defectu consensus; b/ quando oritur ex praesentia impedimenti personam inhabilitantis, sponte recedentis, in supposito quod vel utraque pars sit benè disposita circa consensus renovationem, vel agatur de impedimento juris divini, sive naturalis sive positivi, puta de ligamine; c/ quando procedit ex defectu formae consensus, supposita bona utriusque

(1) Cf. Knoch, *Rev. eccl. de Liège,* 1910, p. 293 ss.; Standaert, *Collat. Gandav.,* IV, p. 67 ss. Hortandi tamen sunt conjuges catholici ut, ubi fieri potest, formalitates civiles adimplere non omittant.

(2) Can. 1139, § 2, coll. suprà, n. 736 et 726.

partis dispositione circa consensus renovationem, et exclusa hypothesi plurium matrimoniorum simul convalidandorum. Cf. suprà, n. 726, coll. n. 736.

Suprà etiam, n. 832, determinavimus, pro casu quo opus est convalidatione per dispensationem, quandonam recurrendum sit ad dispensationem simplicem, quandonam ad sanationem in radice, sive plenam sive semi-plenam.

ARTICULUS 1°. **De convalidando matrimonio per simplicem dispensationem.**

900. In convalidando matrimonio per simplicem dispensationem duo sunt actus.

Ex notione convalidationis **per simplicem dispensationem,** de qua sub n. 734, liquet in illa *duos* ritè distingui *actus: unum* scil. actum praevium, qui est in remotione impedimenti per dispensationem; *alterum* actum, consistentem in ipsa convalidatione matrimonii per novi consensus emissionem.

Prioris actus i. e. dispensationis executio describitur :

I. **Prior actus,** consistens **in relaxatione impedimenti,** sequitur leges et normas suprà descriptas pro dispensatione *concedenda* vel *exequenda* in ordine ad matrimonium contrahendum, sive in foro externo sive in foro interno.

Sufficit pro natura rei paululum mutare formulam concessionis aut fulminationis, sive dispensatio directè concedatur a parocho, confessario aut simplici sacerdote; sive ab Ordinario concedatur in forma gratiosa (uti solet fieri in dioecesi Brugensi), ex potestate ordinaria aut delegata; sive tandem fulminanda occurrat dispensatio apostolica in forma commissoria (1). Nimirum

901. a/ in foro externo :

A. Quando dispensandum est **in foro externo,** in casu scil. quo nullum est matrimonium ob impedimentum fori externi (n. 466):

sive dispenset sacerdos ;

1° Ubi *sacerdos,* dispensationem concedit, signanter in periculo mortis vel casu urgente, sic moderanda est formula, sub n. 894 descripta, ut sub fine habeatur:

.... Vobiscum... dispensamus super impedimento..., cum quo impedimento matrimonium nulliter contraxistis, ut, eo non obstante, denuò matrimonium inter vos, renovato consensu, in facie Ecclesiae, ad normam canonis 1094, licite ac validè contrahere, consummare et in eo permanere licitè valeatis... (2).

---

(1) Si pressius inhaerere vellemus ordini proposito sub disputatione prima, deberemus, in hoc et in sequenti articulo, successive agere de dispensatione apostolica, episcopali et sacerdotali, distinctè tractando de concessione et de executione dispensationis apostolicae et episcopalis. Atvero, cum vix non sufficiat in memoriam revocare et applicare normas, in dicta disputatione prima pro respectivis negotiis descriptas, non est urgenda dicta materiae distributio.

(2) Invocetur can. 1044 vel can. 1045, § 3, pro diversa hypothesi quod dispenset sacerdos in periculo mortis aut in casu urgente.

2° Ubi *Ordinarius* dispensat in forma gratiosa, hanc vel similem adhibeat formulam: *902. sive Ordinarius dispenset :*

Vicarius generalis.....

Vi potestatis... etc. (juxta tenorem relatum sub n. 890, usque ad verba: vobiscum dispensamus super impedimento....., inde a quibus verbis sic pergitur) « quocum matrimonium nulliter contraxistis, ut illo non obstante, denuò matrimonium, renovato consensu, inter vos, in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, licitè et validè contrahere, consummare et in eo postmodum remanere valeatis; dummodò... etc. ».

3° Ubi *S. Sedes* dispensat, quod, juxta suprà exposita, regulariter contingit, pro impedimentis majoris gradus, extra casum periculi mortis ac urgentis necessitatis, passim dispensat, uti vidimus suprà, in forma commissoria, executione commissa Ordinario. *903. sive S. Sedes dispenset ;*

Formula autem pro *fulminatione* ab Ordinario adhibenda, in hunc sensum redigi potest (coll. formula n. 876):

« Vicarius generalis....

Dilectis....

Ob causas S. Sedi Apost. expositas, et in examine veritate niti repertas, tanquam delegatus apostolicus, vi specialis facultatis, a SS. DD. concessae, vos a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, si quibus quomodolibet innodati fueritis, ad effectum infrascriptae gratiae dumtaxat consequendae (atque ab incestus, quatenus intercesserit, et aliorum excessuum reatibus, necnon a censuris et poenis ecclesiasticis inde forsan incursis) absolventes et absolutos fore censentes, vobiscum dispensamus super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis, quocum matrimonium nulliter contraxistis, ut illo non obstante denuò matrimonium, renovato consensu, inter vos, in facie Ecclesiae, ad normam can. 1094, licitè et validè contrahere, consummare et in eo postmodùm remanere valeatis, dummodò.... ».

B. Quando dispensandum est **in foro interno,** in casu scil. quo matrimonium nullum est ob impedimentum fori interni: *904. b/ in foro interno :*

1° Ubi *sacerdos* dispensat:

a/ in foro interno *sacramentali,* confessarius adhibeat formulam suprà, n. 886, coll. n. 895, sub a, propositam, in hunc modum moderandam ut nempe, post verba: « dispenso tecum super impedimento », facta accurata determinatione impedimenti, addatur: *sive dispenset confessarius, aut parochus vel simplex sacerdos ;*

« quocum matrimonium nulliter contraxisti, ut, eo non obstante, denuò matrimonium cum tuo (a) putato (a) conjuge, renovato consensu, contrahere, consummare ac in illo licitè permanere valeas. Insuper eadem... » etc.

Invocetur autem tenor can. 1044 vel 1045, pro diversa hypothesi, ad normam dictorum sub n. 895.

b/ in foro interno *extrasacramentali:* parochus scil. vel simplex

sacerdos, in casu can. 1098, qui dispensare valent in periculo mortis vel urgente necessitate, attendant dicta sub n. 895, ad b, mutatis mutandis juxta modò notata.

905. sive Ordinarius dispenset :

2° Ubi *Ordinarius* dispensat:

a/ si dispensat *in formâ gratiosa,* ad normam dictorum sub n. 890, sive utens potestate ordinaria (can. 1043 et 1045), sive potestate delegata, qua gaudere solet super crimine, usurpetur formula, n. 890, sub 2°, descripta, cum moderatione inducta ad modum moderationis propositae sub n. 904. En autem, speciminis gratia, formulam dispensationis super crimine, ex potestate delegata:

Vicarius generalis....

in forma gratiosa ;

Vi facultatis a Sede Apostolica, die.... ad quinquennium Nobis concessae et sequentis tenoris: « dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodò sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione et injuncta gravi et diuturna poenitentia salutari ». Nos, tanquam Sedis Apostolicae delegatus, Titium et Titiam, dioecesis Brugensis subditos, acceptata poenitentia nomine nostro injuncta et infrà descripta, a quibusvis sententiis, censuris ac poenis ecclesiasticis ad effectum praesentis gratiae consequendae tantùm, necnon a quibusvis reatibus ac censuris et poenis ob causas in precibus allatas aut alias forsan contractis, absolvimus et absolutos fore censemus, atque, modò vera sint exposita, cum eisdem dispensamus in foro conscientiae tantum super occulto impedimento criminis neutro machinante, ut, renovato secretò consensu, in matrimonio, in facie Ecclesiae jam contracto, remanere validè et licitè possint, dummodò nullum aliud obstet impedimentum canonicum. Prolem sive susceptam sive suscipiendam exinde, non tamen in adulterio conceptam, legitimam declaramus (1).

Pro poenitentia injungimus eisdem oratoribus, ut per quatuor hebdomadas quotidie recitent quinquies pater et ave ac semel actus fidei, spei, charitatis et contritionis; atque statuimus ut, per quatuor menses, semel singulo mense sacramentaliter confiteantur.

Praesentibus post executionem lacerandis.

Datum Brugis... ».

aut in forma commissoria;

b/ si dispensat *in forma commissoria* (cf. n. 893), adhibeatur formula ibidem proposita, cum moderatione modò dictis sub n. 904 conformi; confessarius autem, ad executionem commissus, observet monita, sub invocato n. 893 proposita, formulam fulminationis moderando ad normam dictorum sub n. 904.

906. sive S. Sedes dispenset.

3° Ubi *S. Sedes* dispensat:

a/ instituto recursu *sacramentali,* dispensat in forma commis-

(1) Cf. notam positam ad n. 890, sub 1°.

soria (1), executione rescripti, in actu confessionis peragenda, commissa *confessario,* qui ad hoc normas sequatur sub n. 880 ss. propositas, usurpata formula, sub n. 886 descripta et modò dictis sub n. 904 adaptanda.

b/ recursu instituto *extrasacramentali,* si dispensat S. Sedes, uti solet fieri, in forma commissoria (2), executio committitur facienda Ordinario, parocho vel alii sacerdoti, extra actum confessionis: quo casu locus est applicationi canonis 1047, quatenus sic concessa convalidatio suffragari possit, positis ponendis, in foro externo (3).

II. **Secundus actus** consistens in **renovatione consensus.**

907. Alter actus est in consensus renovatione.

Obtenta et fulminata dispensatione, procedendum est ad renovationem consensus, quemadmodum caeteroquin in ipsis dispensationis rescriptis praescribitur.

Porro ad consensus renovationem proceditur juxta normas suprà, n. 727, propositas, attentis notatis sub n. 728 et n. 729, ubi observatur necessitatem consensum renovandi, idque praevia nullitatis

(1) En specimen hujusmodi rescripti pontificii juxta GIOVINE, o. c., II, p. 270 s.

« Discreto viro confessori... salutem in Domino. Pro parte latricis praesentium Nobis oblata petitio continebat, quod ipsa, alias conjugata existens, a quodam viro carnaliter cognosci passa fuit, et ut matrimonium cum illo contrahere posset, suum maritum secreto veneno interfecit; et deindè cum dicto viro, praemissi homicidii inscio, matrimonium publicè in facie Ecclesiae contraxit, et successive consummavit. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, dicta latrix ob impedimentum ex praemissis proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeat absque Sedis Apostolicae dispensatione; ad evitanda scandala, quae, si divortium fieret, inter se et dictum virum verisimiliter exorirentur, ac pro suae conscientiae quiete cupit a praemissis, de quibus plurimum dolet, absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicavit humiliter... Nos igitur... discretioni tuae committimus, quatenus, si est ita, dictam latricem, audita prius ejus sacramentali confessione, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerit, adulterio, homicidio et excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesiae consueta, injuncta ei, pro modo culpae, gravi et longa, quae saltem per annum duret, poenitentia salutari, et orationibus, ac pro modo facultatum suarum eleemosynis, etiam ad celebrandum aliquem numerum missarum pro anima occisi, nec non frequentia sacramentalis confessionis peccatorum suorum, singulis scil. mensibus, ut minimum semel, et saepius, prout animae suae saluti expedire judicaveris. Quodque haeredibus occisi, necnon illis, quibus ille, dum viveret, subvenire forsan solebat, satisfaciat et subveniat in eo, in quo tenetur, cautè tamen, ne se prodat, et alia quae de jure fuerint injungenda. Demùm, dummodò impedimentum praefatum occultum sit, et plane ignoretur quod mors dicti viri inde secuta sit, et separatio inter oratricem et dictum virum fieri non possit absque scandalo, ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudque impedimentum canonicum non obstet, cum eadem latrice, ut, dicto viro de nullitate prioris consensus certiorato, sed ita cautè, ut latricis delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eodem, et uterque inter se de novo, secretò ad evitanda scandala, praemissis non obstantibus, contrahere et in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam, si qua sit (non tamen in adulterio conceptam) et suscipiendam exinde legitimam decernendo in foro conscientiae, et in actu sacramentalis confessionis tantùm, et non aliter, nec alio modo. Ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur, nullis super his testibus adhibitis, aut litteris datis, seu processibus confectis; sed praesentibus laceratis, quas sub poena excommunicationis lacerare tenearis, neque eas latori restituas: quod si restitueris, nihil ei praesentes litterae suffragentur.

Datum Romae etc... »

(2) Cf. suprà, n. 861 et II. cc., ubi notatur a S. Sede interdum pro foro interno extrasacramentali dispensari in forma gratiosa.

(3) Cf. n. 841, 865, 880, 888, 892, 895 et 904, coll. n. 738 et 811.

notitia, esse juris ecclesiastici dumtaxat, renovationem autem in forma juridica nonnunquam opportunè fieri secretò. Dictae scil. normae valent pro renovatione consensus, tam benè in convalidatione matrimonii cum dispensatione, quam in convalidatione absque dispensatione (n. 727).

908-910. Observandum.

Nota. Attentis normis, n. 727 propositis, apparet quod, in casu nullitatis occultae ac uni tantum parti notae, sufficiat (modò observata fuerit forma juridica) consensum renovari a sola parte nullitatis matrimonii conscia. Et ita jam removetur difficultas quae hucusque habebatur in praecedenti disciplina: juxta illam, etiam in casu nullitatis occultae et ab una parte ignoratae, requirebatur et in dispensationis rescriptis injungebatur renovatio consensus ab *utraque* parte; de nullitate proinde matrimonii certioranda erat pars insconscia (1), ratione tamen habita mitigationis ab ipsa S. Poenitentiaria propositae, quatenus, si haec certioratio absque gravi periculo fieri non posset, sufficeret renovare consensum juxta regulas a probatis auctoribus traditas (2).

ARTICULUS 2ª. **De convalidando matrimonio per sanationem in radice.**

911. Praenotandum.

Proprium est sanationis in radice ut, secus ac in casu dispensationis simplicis, non modò removeatur impedimentum, sed ipso facto convalidetur matrimonium, sponte sua convalescente priore consensu virtualiter perseverante. Unico igitur actu absolvitur totum negotium, nec requiritur consensus iteratio, nisi forte, uti sub n. 735 notavimus, in meram executionem clausulae rescripti.

912. Executio rescripti apostolici sanationis in radice :

Cum autem *a sola S. Sede* soleat obtineri sanatio in radice (can. 1141) (3), sufficiet attendere rescripta apostolica, tam pro foro externo quam pro foro interno.

---

(1) Formula antiqua habebat: « dicta muliere (vel viro) de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita cauté ut latoris delictum nunquam detegatur ». Vide rescriptum modò relatum.

(2) Varii modi proponebantur ab auctoribus pro opportunitate adhibendi: a/ suscitando *dubium* vel *suspicionem* de valore matrimonii, ut si dicat pars conscia alteri se angi circa valorem connubii et velle pro pace sua et tranquillitate conscientiae de novo consentire, dicendo: « en iterum te accipio in conjugem meum... numquid et tu idem facere velis? ». Quod si prudenter fieri nequeat,

b/ « compars cauté et prudenter inducatur ad novum consensum *conditionatum*, quin... dubium (directe) ingeratur de nullitate prioris consensus: v. gr. pars nullitatis conscia dicat: « Ita tibi addictus sum, ut si non essemus matrimonio juncti, vel illud ex aliqua causa foret nullum, nihilominus te acciperem in conjugem, imo de facto ita te accipio; numquid et tu similiter facis? ».

Si nec hoc medium judicatur adhibendum, ob gravissimas movendas suspiciones., aut ob timorem denegandi consensus, non manet nisi ut,

c/ *pars conscia sola consensum renovet* interne et externe, puta copulam exercendo animo conjugali: qui novus consensus conjunctus cum consensu alterius partis virtualiter perseverante, censeri potest sufficiens ad convalidandum matrimonium, quatenus scil. Ecclesia eousque relaxet suam legem, novum consensum ab utraque parte nullitatis conscia exigentem.

(3) Juxta can. 1141, sanatio in radice reservatur S. Sedi; exceptionaliter tamen conceditur, speciatim pro locis missionum, sed etiam aliàs, facultas sanandi in radice, juxta elenchum facultatum sub n. 770 propositum. Caeterum quae dicuntur de sanatione apostolica, applicantur, proportione servata, sanationi ab Ordinario faciendae.

A. In foro externo.

a/ pro foro externo;

1° Si *in forma gratiosa* conceditur sanatio (1), quod contingit fieri, acceptum rescriptum ab Ordinario transmittitur ad parochum, qui impetratam gratiam communicet cum parte conscia, et clausulas, si quae sint, imponat.

2° Si *in forma commissoria* conceditur (2), quod plerumque fit, signanter si clausulae speciales sunt injungendae, executioni man-

(1) En specimen rescripti *pro foro externo, in forma gratiosa:*

Beatissime Pater,

Ordinarius Brugen. humiliter postulat a S. V. sanationem in radice matrimonii initi (inter N. N. et N. N.).

Hoc enim matrimonium nullum est (ob defectum dispensationis ab impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis) et sine discrimine scandali aliusve mali nunc denuò legitimè iniri non potest.

Sacra Congregatio de disciplina sacramentorum, vigore facultatum a SS^mo D. N. (Pio) Papa (XI) sibi tributarum, attentis expositis, praefatum matrimonium, dummodò prior maritalis consensus perseveret, nullum (aliud) obstet canonicum impedimentum a quo S. Sedes non dispensat, in radice sanat ac revalidat et prolem jam susceptam legitimam nuntiat et declarat. Praesens autem rescriptum in Curia episcopali diligenter custodiatur quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate ac de prolis legitimitate constare possit, et ejusmodi sanationis gratiae fiat adnotatio in libro matrimoniorum, et, si casus ferat, in libro sub secreto servando.

Datum Romae ex aedibus ejusdem sacrae Congregationis die (19 Januarii) 192(5).

Juvat etiam addere specimen sanationis olim *a S. Poenitentiaria* impetratae:

« Beatissime Pater,

Gustavus-Josephus Waffelaert, Episcopus Brugensis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit sequentia: N. N. ex..... et N. N. ex....., dioecesis Brugensis subditi... contraxerunt matrimonium invalidum ob impedimentum clandestinitatis... Quum autem oratores bona fide egerint, et in omnimoda versentur bona fide circa valorem matrimonii, nec de ipsius nullitate, absque gravissimis incommodis, certiorari possint, supplex rogat Episcopus orator ut S. V. matrimonium eorum in radice sanare ac proles exinde natas vel nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus...

Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa apostolica auctoritate, praefatum matrimonium, sic, uti praefertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat. Praesentes autem litterae in Cancellaria Episcopali diligenter custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit.

Datum Romae ex S. Poenitentiaria, die 15 Novembris 1906 ».

(2) Specimen rescripti sanationis *pro foro externo, in forma commissoria:*

« Beatissime Pater,

N. N. catholica dioecesis Brugen., ad pedes Sanctitatis Vestrae humillimè provoluta, propriae conscientiae consulere cupiens, petit sanationem in radice sui matrimonii coram ministro haeretico contracti cum N. N. acatholico et dubiè baptizato, qui consensum matrimonialem coram parocho catholico renovare recusat.

Feria V, die... 191...

SSmus D. N. D. Pius Div. Prov. Papa X, in audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, attentis peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus et indubiis respiscentiae signis oratricis catholicae N. N., benigne remisit preces prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Ordinarii Brugen., qui, quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret, sanare valeat in radice matrimoninm initum ab ipsa catholica cum acatholico et dubiè baptizato N. N.

Ipse verò R. P. D. Ordinarius, in hoc sibi commisso munere explendo, declaret se agere nomine Sanctitatis Suae, et tanquam ab Apostolica Sede specialiter delegatum. Seriò autem moneat oratricem de gravissimo patrato scelere; salutares ei poenitentias imponat; a censenris eam absolvat, simulque declaret ob praesentem dispensationis gratiam, a se acceptatam, matrimonium fieri validum, legitimum et indissolubile jure divino, et prolem susceptam vel fortè suscipiendam legitimam habendam esse. Oratrici etiam gravissimè imponat et declaret obligationem, qua semper tenetur, procurandi pro viribus seduloque conversionem conjugis ad catholicam fidem, et prolis utriusque sexus tam natae quam nasciturae in catholica religione educationem.

Cum autem de matrimonii validitate in foro externo constare debeat, idem R. P. D. Ordinarius nomen cum consueta personali indicatione tam mulieris quam viri in

dandum est rescriptum ad tramites disciplinae supra expositae, sub n. 866 ss., coll. n. 903 (1).

913. b/ *pro foro interno.*

B. **In foro interno.**

1° Quando recursus institutus est *sacramentalis,* nempe a confessario: rescriptum apostolicum conceditur in forma commissoria (2) et committitur *confessario,* in actu sacramentalis confessionis exequendum, juxta normam sub n. 886 (coll. n. 904) propositam, moderata juxta subjectam materiam formula usurpanda:

« Auctoritate apostolica mihi specialiter delegata, matrimonium a te nulliter contractum ob impedimentum... cum tuo putato conjuge, in radice sano et convalido ».

2° Quando recursus institutus est *extrasacramentalis:* si sanatio conceditur in forma commissoria (3), executio committitur

---

regestis describi jubeat, simulque autographum documentum praesentis concessionis, communicationis, acceptationis, absolutionis et declarationum oratrici ut supra factarum, servetur in Curia Brugen., et exemplar authenticum eidem oratrici sedulò custodiendum tradatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Nota. Attento indulto C. S. O., Ordinario Brugensi concesso (suprà, n. 770), posset ipse matrimonium, de quo in casu, in radice sanare.

(1) En quomodo *fulminatum* fuerit relatum rescriptum sanationis in radice:

« Vicarius generalis-Officialis Illustrissimi ac Rever^mi Domini Gustavi-Josephi Waffelaert Episcopi Brugensis.

Nos, auctoritate apostolica et de speciali S. Sedis delegatione, per rescriptum diei... Nobis concessa, N. N. catholicam, dioecesis nostrae subditam, a censuris et reatibus quomodolibet incursis in utroque foro, in quantum indiget, absolvimus, ac matrimonium ab eadem initum cum acatholico dubiè baptizato N. N., quatenus utraque pars in consensu de praesenti perseveret, eadem auctoritate apostolica et de eadem S. Sedis speciali delegatione, in utroque foro convalidamus et in radice sanamus.

Porro seriò in Domino monemus praefatam oratricem de gravissimo patrato scelere, de quo eam sincere dolere confidimus, ac in poenitentiam salutarem injungimus ut quotidie, per quindecim dies, recitet quinquies Pater et Ave. Insuper declaramus matrimonium, ob praesentem dispensationis gratiam, ab oratrice acceptatam, fieri validum, legitimum et indissolubile jure divino, et prolem susceptam vel fortè suscipiendam legitimam habendam esse. Sciat etiam oratrix se gravissima teneri obligatione, quam hisce instanter urgendam volumus, procurandi pro viribus seduloque conversionem conjugis ad catholicam fidem, et prolis utriusque sexus tam natae quam nasciturae in catholica religione educationem ».

(2) En tenorem recentis rescripti *pro foro interno, in forma commissoria:*

« Sacra Poenitentiaria Tibi dilecto in Christo confessario, ex approbatis ab Ordinario loci per oratricem electo, facultatem concedit ipsam oratricem, si ita sit, audita prius ejus sacramentali confessione, a censuris et poenis ecclesiasticis, si quas ob praemissa quomodolibet incurrerit, incestus reatibus et excessibus hujusmodi aspostolica auctoritate hac vice absolvendi in forma Ecclesiae consueta, eidem, dummodò contracti matrimonii nullitas ex praemissis proveniens occulta omninò remaneat, nec aliud obstet canonicum impedimentum, attentis expositis, matrimonium hujusmodi, de speciali et expressa apostolica auctoritate in radice sanandi et convalidandi, prolem sive susceptam sive suscipiendam exindè legitimam enunciandi. Injuncta congrua poenitentia salutari aliisque injunctis de jure injungendis. Pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, ita ut hujusmodi gratia pro foro externo nullatenus ei suffragetur. Praesentibus, sub poena excommunicationis latae sententiae, statim per te post executionem combustis. Datum Romae in S. Poenitentiaria... ».

(3) Nonnunquam conceditur hujusmodi sanatio *in forma gratiosa.* En autem specimen talis rescripti, olim accepti:

« Beatissime Pater,

Titius et Titia, dioecesis Brugensis, praemissis, de more publicationibus, nulloque detecto impedimento, cum vero consensu qui adhuc perseverat, matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt et successive consummaverunt. Jamvero matrimonium istud nullum est ob impedimentum publicum... Impedimentum casu omninò fortuito innotuit parocho, qui rem, tacitis nominibus, Episcopo Brugensi exposuit, declaravitque putatos conjuges in omnimoda bona fide versari, eosque non sine gravissimis incommodis de

parocho vel alii sacerdoti extra confessionem exequenda (1).

914. Notanda practica, signanter circa convalidationem matrimonii mixti;

Nota 1. Quando convalidandum est *matrimonium mixtum* (sive strictè dictum sive latè dictum), invalidè celebratum, solent injungi, in rescripto tam sanationis in radice quam dispensationis simplicis, observandae cautelae suprà, n. 504 et 590, descriptae, ac simul conceditur vel concedenda mandatur absolutio a censuris in foro externo, quotiescumque partes adierint ministrum acatholicum qua talem. Attamen obtineri potest, si mala dispositio partis infidelis vel acatholicae ad id cogat, mitigatio sub n. 508 et 515 necnon n. 591 descripta, quatenus *a S. Sede* impetrari possit impedimenti relaxatio et matrimonii convalidatio, licet pars acatholica renuat cautiones praestare et sola ad hoc parata sit pars catholica; quae mitigatio eo magis sperari potest quod agatur hic de convalidatione matrimonii contracti (2).

2. Cum sacramentum suscipiatur momento quo matrimonium in radice sanatur, vel momento quo, extra casum sanationis in radice, novus consensus emittitur, curandum igitur est ut, in quantum prudenter fieri potest, partes illo momento versentur in statu gratiae.

914bis. circa momentum quo effectum habeat dispensatio;

Scholion 1. *De momento quo effectum suum sortiatur dispensatio, sive in ordine ad matrimonium contrahendum, sive in ordine ad matrimonium contractum convalidandum.*

Pro accuratiori determinatione transeunter dictorum suprà, n. 740, ubi de notione dispensationis in forma commissoria et in forma gratiosa, haec notasse juvabit:

1° Dispensatio concessa *in forma gratiosa,* i. e. sine interjecto executore, effectum habet a momento quo *datae sunt litterae,* si rescriptum fuit adhibitum (can. 38), vel quo *oretenus concessa* est gratia, si absque rescripto dispensatum est: quod rarò contingit.

---

matrimonii sui nullitate, quam nemo caeteroquin ex loci incolis suspicatur, posse moneri. Quum... supplex rogat Sanctitatem Vestram ut matrimonium putatorum conjugum, de quibus suprà, in radice sanare ac proles exinde natas ac nascituras legitimas declarare dignetur. Et Deus...

Sacra Poenitentiaria, de speciali et expressa auctoritate apostolica, praefatum matrimonium, sicuti praefertur, nulliter contractum, in radice sanat et convalidat, prolemque sive susceptam sive suscipiendam legitimam enuntiat. Praesentes autem litterae in Cancellaria episcopali, expressis nominibus et cognominibus praefatorum conjugum in calce earumdem, diligenter custodiantur ut, pro quocumque eventu, de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit ».

(1) Iterum locus esset applicationi can. 1047, juxta modò notata sub n. 906.

(2) Ita, in ipso tenore *indulti,* variis Ordinariis concessi, indulgetur facultas sanandi in radice matrimonium mixtum, etiam tunc quando consensus legitimè renovari nequit, quia pars acatholica cautiones praestare renuit.

Item, in tenore facultatum quae solent concedi Legatis Apostolicis, apud *Periodica,* XII, p. (129) s., relato, sola requiritur assumptio a parte fideli obligationum curandi pro viribus conversionem conjugis et educationis catholicae prolium. Cf. etiam tenorem rescripti Romani, de quo modò suprà, in nota.

Nimirum rescripto concessa dispensatio in forma gratiosa, effectum habet a momento (1) quo in Curia aut Cancellaria confectae sunt ac subsignatae litterae impetranti expediendae (2); diei autem subsignationis praesumitur correspondere dies qui in ipso rescripto inscribitur. Oretenus autem data dispensatio effectum habet momento quo declaratur concedi.

Et principium applicatur dispensationi cujuscumque fori, et applicatur non tantum dispensationi in ordine ad matrimonium contrahendum, sed et dispensationi in ordine ad matrimonium contractum convalidandum, idque sive per simplicem convalidationem sive per sanationem in radice: ipso scil. dicto momento relaxatur impedimentum, ac, si agitur de sanatione in radice, simul convalidatur matrimonium.

2° Dispensatio *in forma commissoria* (sive cum executore necessario sive cum executore voluntario) effectum habet a momento *executionis,* a momento scil. quo fulminationis decretum fuit ab executore subsignatum, vel quo actus executorios substantialiter adimplevit executor oralis (puta confessarius). Can. 38.

Nota. Per dispensationem in ordine ad matrimonium contrahendum, aufertur, descriptis respectivè momentis, impedimentum, et ablatum manet independenter a matrimonii celebratione (3).

Scholion II. *De inscriptione matrimonii convalidati in registro.*

915 necnon circa inscriptionem in registro.

1° Convalidatione facta sive *absque dispensatione,* sive *ope dispensationis simplicis,* per renovationem consensus *in forma can.* 1094:

Si *publicè* facta est consensus renovatio, inseratur convalidatio in consueto registro matrimoniali, sive per mentionem convalidationis factam ad marginem prioris inscriptionis, sive per integrum actum matrimonialem, prouti prius matrimonium fuerit olim in registro inscriptum vel non.

Si *secretò* iteratus est consensus, inseratur convalidatio, in modum matrimonii conscientiae, in registro secreto Cancellariae episcopalis, vel secretò conservetur mentio convalidationis.

---

(1) Momentum intelligitur, non dies, sed diei instans.

(2) In dispensationibus *per rescriptum* concessis (n. 749), distinguas oportet, praesertim quod spectat Curiam Romanam, momentum concessionis gratiae a momento confectionis litterarum seu rescripti. Concessio ipsa fit vel oretenus coram officialibus, quibus cura incumbit ut in scriptis redigatur, vel scripto, per signaturam supplicationum ad usum Curiae tantùm confectarum, quae quandoque *minuta* vocantur.

(3) Cf. suprà, n. 474, circa malitiam incestus non contractam ab habente copulam cum consanguineo vel affine, inter concessae dispensationis momentum et matrimonii celebrationem. — Etiam si sponsi matrimonio renuntient, ablatum manet impedimentum.

2° Si convalidationi provisum est *per sanationem in radice:*

Si nullitas matrimonii *non est publice nota,* sive obtenta fuerit sanatio in forma fori externi, sive in forma fori interni non-sacramentalis, ita ut suffragari posset in foro externo, secretò conservetur in Cancellaria episcopali documentum sanationis cum opportunis indicationibus. Cf. modò suprà, n. 913.

Ubi nullitas est *publicè nota:* inseratur convalidationis mentio marginalis in consueto registro matrimoniali, si matrimonium olim celebratum fuit in facie Ecclesiae et in registro inscriptum; secus inscribatur integer convalidationis actus in registro matrimoniali, ac in Cancellaria episcopali conservetur rescriptum sanationis, fulminationis et acceptationis, ac etiam exemplar authenticum parti bene dispositae tradatur cautè custodiendum.

Caput VI

DE VITIIS DISPENSATIONIS EORUMQUE SANATIONE.

§ 1. Vitia.

916. Praenotanda.

Praenotandum. Dispensatio matrimonialis varia ex parte vitiari potest: vel ex parte personae *concedentis,* ratione scil. defectus aut cessationis potestatis in ipsa (1); vel ex parte personae dispensationem *exequentis,* puta munus suum amittentis (2) aut ante executionem obeuntis; vel ex parte personae dispensationem *impetrantis,* ratione inhabilitatis (3), aut ratione renuntiationis Auctori dispensationis intimatae ab eoque acceptatae (4); vel ex parte *actus*

(1) Suprà, sub n. 750, 788 s. et 809 successive expositum est quomodo respective cesset potestas dispensandi in SS. Congregationibus Romanis, in Ordinario et in sacerdote.

Ad defectum potestatis in concedente etiam referuntur dispositiones can. 43 et can. 44, de quibus suprà, n. 749 sub n. 2° et 784bis. — Huc etiam *olim spectabat error in fortuna* oratorum, quatenus scil. divites exhibebantur uti pauperes vel quasi-pauperes, et sic a S. Poenitentiaria obtinebant dispensationem, ad quam competens erat sola Dataria. Nunc, sublato distincto recursu pro divitibus et pauperibus, error vel fraus in fortuna jam non potest dispensationem irritare, uti notavimus in nota, ad n. 751 et iterum n. 858.

Quomodo autem cessatio potestatis in concedente influat in *executionem* dispensationis in forma commissoria concessae, dictum est suprà, n. 864bis, 865 et 893.

(2) Circa cessationem muneris *exequentis* dispensationem in forma commissoria concessam, sive sit executor necessarius, sive sit executor voluntarius, actum est suprà, sub n. 864bis et 865, ubi successivè tractatur de rescriptis apostolicis in foro externo et in foro interno.

(3) Cf. suprà, n. 862, ubi determinavimus quinam censeantur inhabiles ad dispensationem pontificiam validè consequendam; ibidem additur quod ad tramites can. 46, « rescripta etiam *Motu proprio* (suprà, n. 741) concessa personae de jure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur..., non sustinentur nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur ».

(4) Cf. n. 875. Solus *non-usus* non importat renuntiationem; caeteroquin renuntiatione

concessionis, vel tandem ex parte *executionis,* quatenus scil. defectus vitiantes occurrant in actu concessionis vel in actu executionis: de quo duplici ultimo defectu vitiante paucis est agendum, ut determinetur quinam defectus in utroque actu occurrentes dispensationem vitient.

917. Vitia dispensationem irritantia

I. *Vitia ex parte* **actus concessionis.**

Potest defectus vitians, ex hac parte ortus, afficere vel *ipsam* dispensationis *concessionem,* in quantum sc. procedit a dispensationis Auctore, quomodocumque (sive oretenus sive scripto) peractam, quod agatur de dispensatione gratiosa aut de dispensatione in forma commissoria; vel afficere potest dispensationis scripto concessae *instrumentum.*

Jamvero quod spectat

ex parte ipsius concessionis:

A. Vitium afficiens **ipsam concessionem**:

Ex triplici defectu oriri potest: vel a/ ex non verificata aut non observata conditione seu clausula dispensationi apposita, sive expresse apponatur sive subintelligatur (1); b/ ex *subreptione,* quatenus scil. aliquid omittatur exprimendum; c/ ex *obreptione,* quatenus, scil. quid falsum exprimatur; non refert autem quod subreptio aut obreptio proveniat sive ex facto preces offerentis, sive ex facto dispensationis auctoris, sive ex facto mutationis supervenientis, puta quia novum supervenit impedimentum, vel quia causa cessavit existere.

Porro ad dijudicandum an et quousque tres enumerati defectus substantialiter vitient dispensationis concessionem, sequentes *normae* sunt attendendae, cum *exceptionibus* quae subnectentur.

1° *Normae:*

918. normae;

a/ Circa defectum *conditionis:* illae conditiones censentur *essentiales* ac substantialiter vitiantes, illaeque solae, quae « per particulas *si, dummodò,* vel aliam ejusdem significationis exprimuntur ». Can. 39, coll. suprà, n. 870.

Hujusmodi conditione deficiente, censetur Auctor dispensationis

---

non cessat dispensatio nisi in quantum fuerit Auctori intimata et ab hoc saltem tacitè acceptata.

Et ita si quis, dispensatione Romana obtenta, sed nondum fulminata super consanguinitate, mutato consilio, implicitè renuntiat gratiae concessae, ea non utendo et aliam mulierem absque dispensatione ducendo: posset postea, defuncta uxore, olim accepta dispensatio fulminari in ordine ad matrimonium cum priori sponsa consanguinea ineundum. Contrà si, valedicens priori sponsae consobrinae, aliam consobrinam duceret, nova impetrata dispensatione S. Sedis: tunc S. Sedes, novam concedendo dispensationem, renuntiationem prioris dispensationis acceptare censetur. Cf. POMPEN, o. c., n. 96; VLAMING, o. c., n. 494.

(1) Juxta can. 40, « in omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, con-

hanc non velle concedere. Talis conditio est: dummodo cautum sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis (in matrimonio mixto) — dummodo occultum sit.

Aequivalens particula esset: *non aliter, nisi.* Quod autem spectat *ablativum absolutum,* videtur non inducere conditionem seu clausulam essentialem (1), nisi haec conditio aliunde, ex jure communi, imponatur pro valore observanda (2).

b/ Circa *subreptionem:* non quaelibet omissio dispensationem vitiat, sed omnis et sola omissio elementi pro valore exprimendi, juxta stylum Curiae. Can. 42, § 1. — Ita dispensatio ex hoc capite vitiatur si omittitur impedimenti natura, species infima, gradus vel multiplicitas, juxta dicta sub n. 845 ss.

c/ Circa *obreptionem:* dispensationem vitiat si falsitas occurrit in iis quae ad substantiam pertinent, nominatim quae spectant identitatem oratorum, naturam, speciem infimam, gradum et numerum impedimentorum, nisi aliunde error corrigatur (3), necnon, idque praesertim, causam allegatam, quatenus scil. vitiatur dispensatio quando unica causa (quae semper est motiva) falsa est, vel, si plures sint, non saltem una eaque motiva vera est (4). Can. 42, § 2 (5).

Momentum autem attendendum pro vitio subreptionis et obreptionis — et item pro verificatione conditionum seu clausularum de quibus sub a/ — est, pro dispensatione gratiosa, momentum quo gratia conceditur, pro dispensatione vero in forma commissoria, momentum quo dispensatio fulminatur. Can. 41, coll. can. 38, coll. etiam suprà, n. 914[bis] (6).

---

ditio: *si preces veritate nitantur* »; sed hujus conditionis inobservatio confunditur cum obreptione et subreptione.

(1) Ita clausula « *remoto, si adsit, scandalo* » non habetur uti conditio essentialis, sed potius uti monitio pro liceitate attendenda. Item: « sublata occasione peccandi ». Cf. suprà, n. 867 ss., exposita circa varias clausulas servandas fulminationi praevias. Cf. hic *Diction. de droit canonique,* V° *Ablatif.*

(2) Ita suprà, n. 870, notavimus consuetas cautelas et cautiones pro matrimonio mixto esse pro valore servandas, etiam ubi sub forma ablativi absoluti injunguntur. Ibidem observavimus, coll. n. 874, clausulam non expressam posse ad valorem esse servandam, vi juris communis.

(3) Ita si, ubi dispensanda est consanguinitas in 2° gradu, dispensari dicatur consanguinitas in tertio gradu, sed addatur: « ex eo oriens quod oratores ex eodem avo descendunt ». Item cf. suprà, n. 847, circa errorem in exprimenda consanguinitatis multiplicitate.

(4) Si plures proinde causae motivae sunt, sufficit una vera sit; si omnes causae impulsivae sunt, nulla potest esse falsa, cum omnes simul pro una causa motiva computentur.

In dubio utrum causa falsò inducta motiva sit vel impulsiva, praesumitur impulsiva, applicato principio de quo sub n. 921.

(5) Jam non refert utrum subreptio aut obreptio mala vel bona fide irrepserit. *Ante Codicem,* norma proposita valebat tantum pro casu quo bona fide admissus fuerat error; contrà, quando mala fide allegabatur falsum aut malitiose reticebatur verum, rescriptum semper irritabatur, etiamsi vitium attigerat accidentalia tantùm. Cf. c. 20, X, I, 3, coll. *Collat. Brug.,* t. X, p. 562 et XIII, p. 96; *Collat. Gandav.,* 1920, p. 187.

(6) « Unde sequitur, executore interjecto, invalidum esse rescriptum, si preces, quae

919. exceptiones. 2° *Exceptiones:*

a/ Juxta can. 45, si in dispensationis concessione apponitur clausula: *Motu proprio* (suprà, n. 741), *valet* equidem dispensatio, licet « in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur ». Non est scil. locus vitio *subreptionis* (1), bene vero vitio *obreptionis,* Cf. suprà, n. 847, sub b/

b/ Juxta can. 1054, dispensatio collata super impedimentis *minoris gradus,* « nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur », adeoque *valet,* non tantum si non omnia impedimenta in supplica exprimantur, sed etiam si causa finalis unica in precibus invocata falsa fuerit.

Censetur hujusmodi dispensatio concessa *motu proprio* et ex *certa scientia,* ad normam dictorum, suprà, n. 828, coll. n. 847, 867 et 892.

c/ Etiam, ad tramites dictorum sub n. 783, coll. n. 847, b, potest, in casu can. 1050, unum impedimentum sine alio dispensari, adeoque seorsim in rescripto, salvo hujus valore, inseri, in concursu scil. impedimenti a S. Sede dispensandi cum impedimento super quo inferior, in specie Ordinarius, dispensare valet: modò agatur vel de impedimento super quo dispensat ex potestate ordinaria, extra periculum mortis et casum urgentem, vel de impedimento occulto super quo habet indultum (2), vel de impedimento publico super quo dispensare potest ex indulto, sed quod non innotuit nisi post impetratam dispensationem apostolicam.

d/ Juxta can. 1052, valori dispensationis super consanguinitate et affinitate non nocet quod error irrepserit circa gradum, modò gradus existens sit inferior, vel quod omissum fuerit aliud ejusdem speciei impedimentum in aequali vel inferiori gradu. Cf. n. 846 s.

920 Notanda **Nota** 1. Ex eo quod obreptio aut subreptio sit attendenda pro momento fulminatae vel respective in forma gratiosa concessae dispensationis (can. 41, coll. suprà, n. 914[bis] et n. 918), sequitur modus agendi in casu quo novum impedimentum innotescat post concessam aut fulminatam dispensationem. Nimirum

a/ si agitur de impedimento ante concessam vel respective ful-

---

cum porrigerentur erant verae, postea, circumstantiis mutatis, ante executionem falsae fiant, etiamsi probetur bona fides oratoris: haec namque nihil mutat; et, contra, esse validum, si preces, antea falsae, verae fiant tempore executionis ». Toso, o. c., ad can. 41, sub. 3. Quodsi causa, fulminationis momento existens, deinceps cessaverit, equidem valida maneret dispensatio concessa.

(1) Valeret proinde dispensatio etiamsi non essent omnia impedimenta exposita; non tamen dispensaretur, uti patet, impedimentum omissum.

(2) Posset igitur Ordinarius, vel etiam simplex confessarius, ab Ordinario subdelegatus aut Pagella munitus, super occulto impedimento criminis absque machinatione dispensare seorsim, si concurrat cum impedimento recursum Romanum exigente.

minatam dispensationem jam existente, sed nunc tantùm innotescente, dispensatio regulariter habenda est uti invalida, ob subreptionem, attenta lege de omnibus impedimentis simul dispensandis (1): excipiuntur autem casus in quibus, juxta dicta sub n. 847 et modò suprà, n. 919, non urgetur, sub poena nullitatis, illa lex de omnibus impedimentis simul exponendis et dispensandis.

b/ si agitur de novo contracto impedimento, post concessam respective vel executioni mandatam dispensationem superveniente, valida est et valida manet dispensatio, ac sufficit ut super hoc novo impedimento dispensetur.

921. in specie circa casum vitii dubii.

2. Si quaeratur quid sit faciendum *in dubio* circa vitium dispensationis, utrum scil. dispensatio possit fulminari, si dubium ante fulminationem exsurgat, vel utrum possit ad matrimonii celebrationem transiri, si dubium post fulminationem oriatur, respondetur: a/ ubi dubium est *juris,* puta si dubitetur utrum talis vel talis clausula constituat conditionem essentialem, posset applicari can. 15 et ulterius procedi; b/ ubi dubium est *facti,* puta si dubitetur de existentia causae sufficientis, posset tutò fulminari dispensatio, ex analogia cum dispositione can. 209, vi cujus Ecclesia in dubio supplet (2); posset etiam ad matrimonium procedi, stando valori actus. Practice tamen, si possit fieri, praestat recurrere ad S. Sedem (3).

922. Vitia ex parte concessionis instrumenti.

B. Quod spectat vitium afficiens **concessionis instrumentum**:

Notetur duplicem in ipso materiali instrumento defectum posse distingui: unum, qui externam rescripti speciem afficiat, puta si omittatur « nomen Pontificis rescribentis, aut si error in eo habeatur, aut rasura vel correctio reperiatur in loco substantiali » (4); alterum, quem constat procedere ex incuria amanuensis (5).

Jamvero neuter defectus vitium inducit, dispensationem irritans, nisi in quantum suspectam reddat rescripti authentiam (in casu prioris defectus) (6), vel in quantum dubium ingerat de identitate personae dispensandae vel de impedimento dispensando (in casu alterius defectus) (7).

---

(1) Ita si, dispensatione petita super consanguinitate, ante ejusdem concessionem vel fulminationem contrahitur a sponso vel sponsa publica honestas, per concubinatum publicum cum filia seu matre sponsae aut cum filio seu patre sponsi instauratum: dispensatio in casu esset invalida.

(2) Quamvis hîc non agitur de exercenda jurisdictione, huic tamen officii exercitio applicari posse videntur principia de suppletione Ecclesiae (cf. n. 790).

(3) Cf. *Collat. Brug.,* X, p. 565.

(4) DE MEESTER, o. c., I, n. 295.

(5) Ita v. gr., si in parte expositiva rite designatur impedimentum dispensandum, et aliud exprimitur in parte dispositiva, adeo ut manifestè appareat errorem fuisse in transcribendo.

(6) Cf. MAROTO, o. c., n. 284, p. 320.

(7) Can. 47, coll. suprà, n. 844, ubi notavimus olim severiorem viguisse disciplinam

923. Vitia ex parte executionis seu fulminationis

II. *Vitia ex parte* **executionis** *seu* **fulminationis.**

Quando concessa est dispensatio *in forma commissoria:* secluso, ut supponitur, vitio ex parte actus concessionis, de quo sub I, potest adhuc vitiari ob defectum admissum in *dispensationis fulminatione*, sive executor sit necessarius sive voluntarius.

Nimirum defectus hujusmodi vitiat dispensationem quotiescumque non observatur forma exequendi pro valore praescripta, sive attenta disciplina communi, sive attentis specialibus clausulis a dispensationis auctore executori pro valore forsan impositis. Cf. can. 55 et 203, § 2, coll. suprà notatis, n. 918, circa conditiones ut essentiales habendas.

Id in specie contingeret si dispensatio, in foro sacramentali exequenda, non fulminatur in actu sacramentalis confessionis. Item si executor omisit impedimentum indicare, et alia hujusmodi. Cf. suprà, n. 876 ss. et 886 ss. Patet vitiatae fulminationi eminenter aequivalere fulminationis omissionem, uti in casu de quo infrà, n. 930.

§ 2. Vitiorum sanatio.

I. **In priori hypothesi,** qua vitium est ex parte **actus concessionis:**

924. Si vitium est ex parte actus concessionis :

opus est nova dispensatione, aut litteris Perinde valere.

Nova dispensatione est opus vel convalidanda est dispensatio per litteras quae nuncupantur *Perinde valere.*

Per litteras *Perinde valere* convalidatur dispensatio antea data, et quidem ita ut per fictionem juris retrotrahi censeantur convalidationis effectus usque ad diem concessae dispensationis prioris (1). Per eas, si dispensatio in forma commissoria fuit concessa, committitur executori ut, negotium reassumens litterasque prius impetratas adhuc valere decernens, servata aliàs earum forma, dispensationem exequatur perinde ac si prius dispensationis rescriptum fuisset validum (2).

In sequentibus praesertim intendimus casum frequentiorem, quod nempe, omnibus attentis, invalida fuerit dispensatio ob omissum

---

circa errorem in nomine oratorum. Eadem severitas observabatur erga errorem in exscribendo impedimento. Cf. *Collat. Brug.*, X, p. 69 s., quo loco refertur factum accepti rescripti S. Poenitentiariae, omittentis, ut apparet, ex mero errore amanuensis, unum ex duobus impedimentis in supplica relatis; matrimonio equidem ob temporis angustias celebrato, et recursu deinceps instituto ad S. Sedem, matrimonium fuit declaratum irritum et in radice sanatum.

(1) Differt rescriptum *Perinde valere* a *decreto reformatorio*. Litterae scil. *Perinde valere* supponunt dispensationem vel dispensationis mandatum jam concessum, dum decretum reformatorium petitur super supplica expedita, cujus error attenditur antequam dispensationis rescriptum est concessum. Cf. Giovine, o. c., II, p. 195 ss., ubi proponit varias formulas ad petendum decretum reformatorium.

(2) Cf. Giovine, o. c., II, p. 194 ss.

in precibus impedimentum quod de novo innotuit (n. 920): quo casu regulariter conceditur *nova dispensatio* (1).

Quod autem spectat

A. **Forum** pro quo dispensatio illa nova (aut dispensationis convalidatio) est danda vel procuranda, attendantur normae sequentes:

925. Determinatur forum pro quo dispensandum.

a/ Ubi dispensatio vitiata fuit concessa *pro foro externo:* si innotescens vel superveniens impedimentum etiam est *fori externi,* danda est vel petenda est utriusque impedimenti (novi scil. et alterius dispensati) dispensatio *in foro externo;* si vero novum impedimentum est *fori interni,* super hoc est dispensandum *pro foro interno,* et pro hoc eodem foro convalidanda est dispensatio vitiata, utriusque impedimenti mentione facta in eadem supplica.

b/ Ubi dispensatio nulla fuit data *pro foro interno:* si novum impedimentum est *fori interni,* dispensatio est danda vel procuranda super utroque impedimento *in foro interno;* si vero impedimentum est *fori externi,* super hoc impedimento est dispensandum *in foro externo,* et convalidanda est *pro foro conscientiae* utraque dispensatio, tum illa scil. quae fuit prius concessa in foro interno, tum haec nova dispensatio in foro externo nulliter data; duplex proinde instituendus est recursus, unus pro foro externo, super novo impedimento publico, et alter pro foro interno, supplica oblata in qua utrumque impedimentum memoratur, et adhibitis cautelis suprà, n. 853, indicatis pro duplici recursu ad forum externum simul et ad forum internum.

c/ Ubi *simul* impetrata fuit dispensatio super impedimento occulto *in foro interno* et super impedimento publico *in foro externo:* si novum impedimentum est *occultum,* super hoc est dispensandum *in foro interno,* et pro eodem foro convalidanda est utraque dispensatio nulliter concessa in foro interno et externo, trium impedimentorum mentione facta in eadem supplica (2).

Quodsi novum impedimentum est *publicum:* dispensandum est *pro foro externo* super utroque impedimento publico; insuper convalidanda est *pro foro conscientiae* dispensatio fori externi super utroque impedimento publico, mentione facta in supplica trium impedimentorum, salvis cautelis adhibendis in duplici recursu ad forum internum et externum, de quibus sub b/.

---

(1) Nova dispensatio deberet esse dispensatio in ordine ad matrimonium convalidandum, si oratores interea temporis matrimonium attentaverint.

(2) Cf. apud *Collat. Brug.*, t. X, p. 70 s., casum similem et eodem modo solvendum; dispensatio fuerat impetrata pro foro externo super consanguinitatis impedimento, et, in foro interno, super affinitate occulta, absque mentione facta, in supplica pro foro interno, impedimenti publici.

926. An et quousque rescriptum vitiatum sanare valeat :

B. Quod spectat quaestionem **a quonam** dispensari possit:

Generatim loquendo, vitiatum dispensationis rescriptum convalidandum est ab illo cui competit tum dispensationem concedere super impedimento invalidè dispensato, tum etiam *cumulativè* dispensare super impedimento quod omissum fuit. Inde in specie:

S. Pontifex; 1° **S. Pontifex** potest sanare *omnes* dispensationes, quomodocumque fuerint vitiatae, modò novum impedimentum innotescens vel superveniens ejus potestatem non excedat nec a potestatis exercitio de facto excludatur. Sanationes autem concedit S. Pontifex per medias varias respective Congregationes, pro varia natura impedimenti et pro vario foro adeundo, juxta superius exposita.

927. Ordinarius; 2° **Episcopus** seu **Ordinarius.**

a/ Ordinarius dispensationes nulliter *a se* concessas sanare potest, si ad novum impedimentum forte detectum extenditur ejus potestas (n. 755-772), puta, si adest casus urgens, et impedimentum non excedit limites facultatis concessae in canone 1045.

b/ Dispensationes *a S. Sede* invalidè concessas sanare potest etiam Ordinarius, in periculo mortis vel casu urgente, intrà limites can. 1043 et 1045, § 1 et § 2, vel indulti quo gaudet (1): in quantum scil. ejus potestas extenditur ad impedimentum a S. Sede invalidè dispensatum, simul ac ad impedimentum de novo detectum aut superveniens.

928. sacerdos. 3° **Sacerdos.**

Potest dispensationes *a se,* vel *a S. Sede* vel *ab Ordinario* nulliter concessas, convalidare, in quantum ejus dispensandi potestas complectitur impedimentum invalidè dispensatum, simul ac impedimentum omissum (2); in specie potest dispensationem a S. Sede vel ab Ordinario invalidè elargitam convalidare, in periculo mortis vel in casu urgenti, attentis potestatis limitibus in can. 1044 et 1045, § 3, respective descriptis: deberet, in casu, juxta normas suprà propositas, dispensationem nulliter concessam prius convalidare et super novo impedimento dispensare.

929. Notanda circa recursum pro sanatione impetranda.

Nota. « In supplicatione super *Perinde valere,* exprimitur casus uti vere se habet, repetitis quoad substantiam omnibus quae in priori supplicatione fuerunt expressa, memorata quoque substantia prioris gratiae et praecise indicata causa nullitatis » (3).

---

(1) Suprà, n. 770 et n. 785bis notavimus casus urgentiam, quae ad usum potestatis can. 1045 requiritur, strictiorem esse quam urgentiam quae postulatur ad usum facultatis a S. C. de Sacram. delegatae.

(2) Potest etiam confessarius convalidare dispensationem super impedimento fori externi invalidè concessam, si nullitas est occulta, puta ob omissum impedimentum occultum, super quo dispensare valet confessarius.

(3) VLAMING, o. c., n. 510, ad 2^{m}. Cf. infrà formulas 19-22.

930. Quid in casu dispensationis vitiatae ex parte executionis aut fulminationis.

II. **In altera hypothesi,** qua vitium est ex parte **executionis** seu **fulminationis:**

Iteranda est simpliciter fulminatio invalide peracta.

Quod autem spectat quaestionem **a quonam** iteranda sit fulminatio, applicari potest norma, in can. 59, § 1, statuta: « executori fas est, si quoque modo in rescriptorum executione erraverit, iterum eadem executioni mandare » (1).

Potest proinde Ordinarius, ac potest parochus vel confessarius dispensationem in forma commissoria respective acceptam, et invalido modo executioni mandatam, iterum exequi ac fulminare (2). Cf. suprà, n. 864bis, et n. 879, sub 4°.

Posset etiam Ordinarius, juxta responsum S. Poenitentiariae, 27 Junii 1885 (de quo suprà, sub n. 879), omissam vel invalidè peractam dispensationis fulminationem iterare, postquam oratores jam matrimonium contrahere attentaverint. Etiam si dubium moveatur contra invocatam declarationem, utrum scil. etiamnum in vigore maneat necne, equidem posset, applicando principium, de quo sub n. 921, procedi. Videtur tamen, in casu, si omnis desit urgentia, tutius agere executor, iterum recurrendo ad dispensationis auctorem, pro norma agendi: est enim regula, universim admissa, facultatem dispensandi in ordine ad matrimonium contrahendum non suffragari ad dispensandum in ordine ad matrimonium contractum convalidandum (3).

DEO SINT LAUDES.

---

(1) Juxta jus anterius potius applicabatur regula juris: « delegatus, rescripto executioni dato, functus est munere suo ».

(2) Posset etiam executor, postquam, ad normam can. 54, § 1 (suprà, n. 740), executionem denegaverit, ob praetensum manifestum vitium, posset, inquam, exinceps, errore detecto, dispensationem exequi. — In memoriam revocatur notatum suprà, sub n. 879, ad 6^{m}, posse scil. executioni mandari legitimandi mandatum, si legitimatio in ipsius dispensationis fulminatione fuit omissa.

(3) Hujusmodi recursus fuit institutus in casu sequenti: dispensatione Romana in forma commissoria obtenta, et ab Ordinario transmisso ad parochum inquisitionis mandato, hic parochus ad matrimonii celebrationem processerat, non exspectata dispensationis fulminatione. Ad S. Sedem recursum instituit Ordinarius, supplicitur rogans ut Sanctitas sua « denuò in praefato impedimento affinitatis *prout in contractis* dispenset, quatenus illud matrimonium, renovato partium consensu, convalidare valeat ».

Porro rescriptum sequens accepit Ordinarius: « S. C. de discipl. sacramentorum committit Ordinario ut rescriptum dispensationis exequatur et inducat oratores ad renovandum consensum, saltem privatim, coram parocho et duobus testibus confidentibus, ut matrimonium ab oratoribus nulliter initum convalidetur. Ordinarius autem moneat parochum ut in posterum in explendo munere suo cautius procedat ».

ALLEGATUM I

§ 1. Formulae supplicarum pro dispensatione.

I. Pro foro externo.

A. In ordine ad matrimonium contrahendum.

1° *In recursu ad Ordinarium:*

1a a/ *super impedimento, in casu urgente* (de quo in can. 1045, § 1):

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Antonius N., aetatis 30 annorum, viduus, parochiae N., et Antonia N., aetatis 26 annorum, coelebs, parochiana mea, matrimonium inter se inire exoptant. Nunc vero, postquam omnia parata sunt ad nuptias et nupturientes ad alienam regionem sunt discessuri, adeo ut matrimonium, sine gravissimo incommodo, nequeat differri, usquedum a S. Sede impetrata fuerit dispensatio, innotuit impedimentum consanguinitatis, in secundo gradu aequali lineae collateralis, uti adnexum schema indicat (1). Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super eo impedimento, vi can. 1045, § 1, cum ipsis dispensare dignetur (2).

Causae sunt: 1° aetas oratricis superadulta (3); 2° orator viduus et quatuor prolibus minorennibus oneratus adjutorio uxoris indiget. Testor oratores, orthodoxae fidei cultores, esse pauperes.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus parochiae N.

Die... mensis... anni...

b/ *Super impedimento, extra casum urgentem:*

2a a/ super *consanguinitate:*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

N. N., aetatis... annorum, coelebs, paroeciae X, et N. N., aetatis 25 annorum, pariter coelebs, parochiana mea, matrimonium inter se inire cupiunt. Obstat vero impedimentum consanguinitatis in tertio gradu lineae collateralis aequalis, uti adnexum schema manifestat. Quare humillimè

(1) Adnectatur arbor genealogica.

(2) Etiam, in casu urgenti, dispensare posset Ordinarius Brugensis, vi indulti S. C. de Sacr. (n. 770); sed, uti notavimus sub n. 785bis, usurpetur potestas ordinaria, potius quam delegata. — Attende, juxta observata sub n. 770 et n. 784bis, strictius intelligendam esse casus urgentiam in can. 1045, § 1, quam in indulto S. C. de Sacr.

(3) Addendum est, vi ordinationis dioecesanae Brugensis, *extractum baptismale.*

supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super eo impedimento, vi indulti S. C. de Sacram., cum ipsis dispensare dignetur.

Causa est aetas superadulta.

Oratores hujusmodi sunt fortunae ut ambo simul possideant... in re et.. in spe.

β/ super *voto non reservato:* *3a*

N. N., aetatis 30 annorum, coelebs, parochiae X, olim, aetatis decimum octavum annum nondum adepta, votum castitatis privatim emisit. Nunc vero, ut conscientiae suae consulat, cupit matrimonium inire. Quare humillime supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super dicto voto, vi can. 1313, n. 1, cum ipsa dispensare dignetur (1).

Causa est: stimulis carnis exagitata, matrimonio indiget in remedium concupiscentiae.

Testor oratricem, orthodoxae fidei cultricem, esse pauperem.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus parochiae N.

Die... mensis... anni...

γ/ super *mixta religione:* *4a*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Laetitia N., Romano-catholica, 25 annorum, parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Francisco N., baptizato sed anglicanae haeresi addicto, et in errore hucusque pertinaci.

Quare humillimè supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super impedimento mixtae religionis (et, ad cautelam, super impedimento disparitatis cultus), vi indulti C. S. Officii, dispensare dignetur.

Causae sunt: 1° vani conatus ut oratrix matrimonio renuntiet; 2° fundata spes conversionis partis acatholicae; 3° periculum matrimonii civilis.

Huic libello supplici adnectuntur scripto exaratae et a partibus subsignatae cautiones, canone 1061 requisitae: ex parte scil. nupturientis acatholici, de amovendo a conjuge catholico perversionis periculo, et, ex parte utriusque nupturientis, de universa prole catholicè tantum baptizanda et educanda. Testor autem moralem haberi certitudinem de praefatarum cautionum implemento (2).

Pars catholica hujusmodi est fortunae ut possideat... in re et... in spe.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die.... mensis.... anni....

---

(1) Descriptum votum non reservatur S. Sedi, uti vidimus sub n. 767, adeoque ad illud extenditur Ordinarii potestas ordinaria, de qua in can. 1313. Caeterum in indulto S. C. de Sacr. conceditur facultas dispensandi in votis, de quibus can. 1058, adeoque in voto simplici castitatis *etiam reservato* (n. 770): pro quo proinde dispensando jam non est recurrendum ad S. Sedem, sed recurri potest ad Ordinarium, indulto fruentem. Quousque autem votum est non reservatum, dispenset Ordinarius, juxta modò notata ad formulam 1ᵐ, vi potestatis ordinariae canonis 1313, potius quam vi potestatis delegatae.

(2) Uti notatum est, sub n. 505, cautiones sunt, juxta jus particulare Brugense, exarandae in duplici exemplari: praeter illud scil. quod adnectendum est supplicae, alterum est partibus tradendum et ab hisce retinendum in perennem memoriam assumptarum obligationum.

5a 2° *In recursu ad S. Sedem:*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Josephus N., aetatis 35 annorum, viduus, parochiae Y, et Magdalena N., 30 annorum, vidua, parochiana mea, matrimonio inter se copulari cupiunt. Obstat vero impedimentum affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis, ex eo proveniens quod orator sit viduus ex sorore oratricis. Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super dicto impedimento dispensationem S. Sedis impetrare dignetur, necnòn prolis natae vel nascendae legitimationem (1).

Causae sunt: periculosa vitae conversatio; sponsus duabus prolibus minorennibus gravatus uxoris indiget adjutorio, et oratrix ad eas proles educandas idonea dicitur.

Testor oratores, orthodoxae fidei cultores, adeo pauperes ac miserabiles esse ut solo manuum labore vivant (2).

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die.... mensis.... anni....

B. In ordine ad matrimonium contractum convalidandum.

1° *In recursu ad Ordinarium.*

6a a/ *in casu urgente* (de quo in can. 1045, § 2):

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Bernardus N., parochiae N., 30 annorum, et Maria N., 23 annorum, parochiana mea, praemissis de more publicationibus antenuptialibus, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt et successive consummarunt. Innotuit vero impedimentum consanguinitatis in secundo gradu aequali collaterali, quemadmodum ex adnexo schemate liquet (3), non potest autem matrimonii convalidatio, absque gravis mali periculo, differri usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur, siquidem pseudo-conjuges nec separari possunt, per tempus recursui Romano necessarium,

---

(1) Nota legitimationis decretum stricto jure non esse petendum nisi ubi ea opus fore praevidetur, adeoque ejus mentionem posse omitti ubi proles praevidetur nascenda post dispensationis fulminationem, cum tunc legitimetur proles per subsequens matrimonium. Attamen, attentis notatis sub n. 849, etiam tunc consulitur legitimationem petere, pro casu scil. possibili quo matrimonium non contrahatur.

(2) Haec est supplica quasi-provisoria, qua accepta, Officialis conficiet supplicam propriè dictam, ad S. Sedem transmittendam, in hunc vel similem sensum:

Beatissime Pater,

Josephus N., ... annorum, viduus, et Magdalena N., coelebs, ... annorum, dioecesis Brugensis subditi, matrimonium inire confidentes, ad pedes S. V. humiliter provoluti, devotè implorant dispensationem super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis, ex eo proveniente quod orator sit viduus ex sorore oratricis.

Causae sunt.... uti suprà.

Gustavus-Josephus Waffelaert, Episcopus Brugensis, testatur oratores, dioeceseos Brugensis subditos, esse verè pauperes et miserabiles, ex sua industria et manuum labore viventes, ac nullius taxae esse capaces.

Nota. Quodsi oratores sunt quasi-pauperes vel divites, parochus in sua supplica determinat statum fortunae in re ac in spe, juxta *Form.* 2. Episcopus autem ex sua parte testatur coram S. Sede « oratores, orthodoxae fidei cultores, taxae... francorum in totum esse capaces ».

(3) Connectenda arbor geneologica.

nec, attenta nullitatis revelatione in parochia, simul cohabitare, absque gravi populi christiani offensione, queunt. De caetero parati sunt ambo renovare consensum in facie Ecclesiae.

Quare cupientes matrimonium convalidari, humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super praefato impedimento, vi can. 1045, § 2, dispensare (1) et prolem natam legitimam declarare dignetur (2).

Causae sunt: 1° matrimonium bona fide contractum; 2° formalitates civiles adimpletae; 3° proles legitimanda.

Testor oratores... (uti in *Form. 1*).

b/ *extra casum urgentem:* 7a

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

N. N., aetatis... annorum et N. N., aetatis... annorum, parochiani mei, praemissis de more publicationibus antenuptialibus, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt et successive consummarunt. Innotuit vero impedimentum affinitatis in secundo gradu lineae collateralis aequalis, ex eo proveniens quod vir viduus erat consobrinae germanae pseudo-uxoris suae, uti ex adnexo schemate apparet (3).

Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super praefato impedimento, vi indulti S. C. de Sacr., dispensare dignetur.

Causae sunt....

Oratores... uti in *Form.* 2.

2° *In recursu ad S. Sedem:*

a/ *per viam simplicis dispensationis:* 8a

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Fredericus N., aetatis 40 annorum, et Frederica N., aetatis 25 annorum, parochiani mei, praemissis de more publicationibus antenuptialibus, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt et successive consummaverunt; innotuit autem impedimentum affinitatis in primo gradu lineae collateralis, ex eo proveniens quod vir viduus duxerat sororem praesentis putatae uxoris, uti ex adnexo schemate liquet (3).

Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super memorato impedimento dispensationem S. Sedis impetrare dignetur.

Causae sunt....

Oratores... uti suprà, in *Form.* 2 (4).

b/ *per viam sanationis in radice:* 9a

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Franciscus N., aetatis 30 annorum, et Maria N., aetatis 28 annorum, parochiani mei, praemissis de more publicationibus, quin detectum fuerit impedimentum, matrimonium in facie Ecclesiae bona fide, cum vero ac sincero utriusque consensu, qui asseritur adhuc perseverare, contraxerunt, ac successivè consummarunt, prole inde suscepta.

---

(1) Idem hic observandum ac pro Form. 1ª, in nota (2): posset scil. etiam ab Ordinario dispensari, attenta casus urgentia, vi indulti; sed passim praeferenda potestas ordinaria delegatae.

(2) Proles quidem per ipsam dispensationem gratiosè concedendam legitimabitur (can. 1051); sed, juxta notata sub n. 849, opportunè inseritur, in dispensationis documento, legitimationis declaratio. Cfr. etiam Form. 5ª, modò suprà.

(3) Addendum est schema affinitatis.

(4) In reliquis formulis pro foro externo indicetur status fortunae oratorum vel notetur utrum sint pauperes vel non, ad normam dictorum sub n. 859, et juxta specimina proposita.

Obstat vero impedimentum publicum consanguinitatis in secundo aequali gradu collaterali, uti videre est in schemate adnexo (1).

Uterque contrahens a paucis diebus nullitatis matrimonii conscius existit, sed vir nullo modo ad renovandum consensum (per se vel per procuratorem) adduci potest.

Quare oratrix Maria N., ad consulendum conscientiae suae, ac conjugem gratiarum matrimonii participem reddere prolemque legitimare cupiens, humillimè supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae ut sanationem in radice praefati matrimonii a Sede Apostolica procurare dignetur.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die.... mensis.... anni....

II. Pro foro interno:

A. In ordine ad matrimonium contrahendum.

10a 1° *In recursu ad Ordinarium:*

a/ *super impedimento fori interni seorsim:*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, dioecesis Brugensis subditi (2). inter se matrimonialiter conjungi cupiunt. Obstat vero impedimentum criminis, ex adulterio cum fide data proveniens. Impedimentum est occultum nec timetur manifestandum.

Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut cum ipsis, vi indulti S. Poenitentiariae, dispensare dignetur (3).

Causae sunt 1° omnia ad nuptias parata; 2° scandala gravia vitanda.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., confessarius in N.

Die... mensis... anni... (4).

---

(1) Si ageretur de consanguinitate in tertio gradu, posset ipse Ordinarius, vi indulti S. C. de Sacr. (n. 770), sanationem in radice concedere, positis ponendis, juxta tenorem indulti, sub 4°, attento 1°.

(2) Restringitur usus indulti S. Poenitentiariae ad solos subditos, exclusis peregrinis (n. 774 s.). Ideo id opportune notatur.

(3) Posset etiam, in proposito casu, ab Ordinario pro foro interno dispensari, vi indulti S. C. de Sacr.; sed, uti notavimus sub n. 785bis, usurpanda est potestas delegata a S. Poenitentiaria accepta, potius quam potestas delegata a S. C. de Sacr.

(4) Si agatur de occulto voto *non reservato,* super quo Ordinarius valet dispensare, vi can. 1313, recurratur ad modum, sub form. 3ia descriptum, invocato dicto can. 1313, mutatis pro recursu in foro interno mutandis.

Si obstat occultum votum simplex castitatis *reservatum,* potest Ordinarius dispensare, vi indulti S. C. de Sacr., quod vidimus in utroque foro posse usurpari. — In hunc modum recurri posset:

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titia olim, decimum octavum aetatis annum adepta, votum simplex perpetuae castitatis (vel ingrediendi religionem approbatam) emisit. Jamverò prudenter judicatur statum conjugalem, cujus opportuna occasio sese offert, ipsi futurum esse magis salutarem.

Quare humillimè supplicat Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super praefato voto, vi indulti S. Congr. de Sacram., dispensare dignetur, ut matrimonium inire et debitum conjugale licite petere ac reddere valeat.

Causa est: 1° quod, nisi nubat, in certo periculo salutis versatur; 2° quod ad

b/ *in concursu cum impedimento fori externi:* 11a

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, volentes inter se matrimonialiter copulari, apostolicam dispensationem petierunt super impedimento consanguinitatis in secundo aequali gradu collaterali. Jamvero, pendente recursu, in confessione innotuit impedimentum, omninò occultum ac nullatenus manifestandum, criminis, cum machinatione, ex eo quod sponsi adulterium admiserint, quodque communi consilio et conspiratione mortem intulerint Titiae marito.

Quare, cum jam omnia sint parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur, humillimè deprecantur Illustrissimam Dominationem Vestram ut, revalidando dispensationem super memorato impedimento publico petitam, super isto quoque criminis impedimento, vi can. 1045, § 1, dispensare dignetur.

Causa est: scandala et gravissima mala praecavenda.

Cum omni venerationis sensu,

Die.... mensis.... anni....

N., confessarius in N.

2° *In recursu ad S. Sedem:*

a/ *si supplicae Romanae confectio committitur Ordinario:*

α/ *Super impedimento occulto seorsim existente:* 12a

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius viduus, dioecesis nostrae subditus, intendit matrimonium inire cum Titia. Obstat vero impedimentum criminis occultum, ex eo quod uterque sponsus inter se adulterium commiserint quodque Titius mortem suae uxori intulerit, intuitu matrimonii cum Titia ineundi.

Quare humillimè supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut super praefato impedimento dispensationem apostolicam procurare dignetur.

Causae sunt....

β/ *in concursu cum impedimento publico:* 13a

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia obnoxii sunt impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis, simul ac impedimento occulto criminis, ex eo quod uterque sponsus inter se adulterium commiserint, quodque sponsus Titius mortem suae uxori intulerit intuitu matrimonii cum Titia ineundi. Jamvero, recursu instituto pro foro externo, in ordine ad impetrandam dispensationem apostolicam super dicto affinitatis impedimento, recurrunt oratores, de praemissis dolentes, ad Illustrissimam Dominationem Vestram, humillimè rogantes ut super praefato occulto impedimento criminis dispensationem, simul ac dispensationis super affinitate nulliter concedendae convalidationem, a S. Sede impetrare dignetur.

Causae sunt....

---

negotia gerenda jam viro carere non potest; 3° quod, quum sit pauperrima, hoc matrimonio melius vitae sine egestate transigendae consulit.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., confessarius ecclesiae N.

Die... mensis... anni...

14a b/ *Si supplica conficitur ab ipso confessario:*

Eminentissime Domine,

Titius et Titia matrimonialiter ad invicem copulari cupiunt. Atvero contraxerunt impedimentum criminis, ex eo quod, vivente Titii uxore, adulterium inter se commiserint ac mutuo consilio in necem Titii uxoris conspiraverint eique mutua opera mortem intulerint. Cum autem praefatum impedimentum occultum sit, et, nisi oratores nuptias ineant, periculum immineret scandalorum, ad hujusmodi scandala evitanda et pro suae conscientiae quiete, vehementer exoptant per Sedem Apostolicam absolvi secumque dispensari super contracto impedimento criminis. Quare E. V. enixis precibus oratores supplicant ut sibi de opportuno remedio providere faveat.

Dignetur E. V. executionem dispensationis committere confessario ex approbatis ab oratoribus eligendo, atque rescriptum dirigere ad infrascriptum E. V. humilimum famulum N. N., in civitate... via... (1)

B. In ordine ad matrimonium contractum convalidandum:

1° *Pro recursu ad Ordinarium:*

15a a/ *in casu urgente:*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, morte, ex communi consilio et conspiratione, illata in uxorem legitimam oratoris, matrimonium inter se, praemissis de more publicationibus, in facie Ecclesiae contraxerunt ac successive consummarunt.

Cum autem dicti oratores, ob impedimentum, ex mortis machinatione, de qua plurimum dolent, proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeant absque dispensatione, cumque convalidatio, sine gravis incontinentiae periculo, differri nequeat, usquedum a S. Sede dispensatio impetretur, humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut super dicto impedimento, vi can. 1045, § 2, dispensare dignetur.

16a b/ *extra casum urgentem, super crimine absque machinatione* (2):

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, aliàs, adhuc vivente prima oratoris uxore, se carnaliter cognoverunt, fidemque sibi invicem dederunt de matrimonio inter se contrahendo si dicta uxor praemoreretur; qua deinde e vivis erepta, neutro tamen oratorum in ejus mortem machinante, matrimonium inter se, praemissis de more publicationibus, in facie Ecclesiae mala fide contraxerunt ac successive consummarunt.

Dum autem dicti oratores, ob impedimentum ex praemissis, de quibus plurimum dolent, proveniens, quod occultum est, in dicto matrimonio remanere nequeant absque dispensatione, pro suae conscientiae quiete,

(1) In concursu impedimenti occulti cum impedimento publico, conficiatur supplica ad normam formulae 11ae et 13ae.

(2) Supponitur confessario, impedimentum detegenti non fuisse subdelegatam facultatem dispensandi, nec posse sponsos, absque gravi incommodo, ad confessarium privilegiatum remitti. Cf. suprà, n. 768.

humillimè recurrunt ad Illustrissimam Dominationem Vestram, ut cum ipsis super memorato impedimento, vi indulti S. Poenitentariae, dispensare dignetur (1).

Causae sunt: gravissima scandala vitanda; periculum concubinatus.

Cum omni...

2° *In recursu ad S. Sedem:*

a/ *per viam simplicis dispensationis:* *17a*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Bertha, adhuc vivente prima oratoris uxore, se carnaliter cognoverunt, fideque sibi invicem data de matrimonio ineundo, si dicta uxor praemoreretur, intuitu matrimonii mortem intulerunt uxori Titii, effectu secuto; qua eadem Titii uxore e vivis erepta, praefati oratores matrimonium publicè ac praemissis publicationibus, in facie Ecclesiae contraxerunt ac successive consummarunt.

Quare, de praemissis, quae occulta manent nec manifestanda timentur, quamplurimum dolentes, humillimè rogant Illustrissimam Dominationem Vestram ut cum ipsis super memorato impedimento dispensationem apostolicam impetrare dignetur, ad hoc ut matrimonium sic nulliter initum convalidari valeat (2).

Causae sunt....

b/ *per viam sanationis in radice:* *18a*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia, cum vero et sincero Titiae consensu, qui asseritur adhuc perseverare, praemissis de more publicationibus, matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt ac successivè consummarunt. Jamverò hoc matrimonium invalidum est ob impedimentum (omnino occultum ac nullatenus manifestandum) criminis, ex adulterio cum machinatione mortis ex parte oratoris in personam suae propriae uxoris, effectu secuto.

Nunc vero, Titia oratrix, de praemissis quamplurimum dolens, pro suae conscientiae quiete matrimonium convalidare cupit, dum Titius pseudo-conjux impedimenti conscius consensum renovare renuit (3).

Quare, optans in gratiam Dei redire et numerosam sobolem legitimare, humillime deprecatur oratrix Illustrissimam Dominationem Vestram, ut sanationem in radice praefati matrimonii a Sede Apostolica impetrare dignetur.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., confessarius in N.

Die.... mensis.... anni....

---

(1) Hic locus etiam est observationi factae, ad calcem formulae 10ae, quatenus indulto S. Poenitentiariae uti debeat Ordinarius, potius quam indulto S. C. de Sacr.

(2) Mutentur, juxta specimen propositum in *Form. 14*, mutanda in casu quo ab ipso confessario conficitur supplica, Romam mittenda. Quod idem valet pro *Form. 18*.

(3) Hic etiam prae oculis habenda est observatio facta ad formulam 9m: si obstaret dumtaxat impedimentum criminis, absque machinatione, posset ipse Ordinarius, positis ponendis, pro foro interno sanationem in radice concedere, vi indulti S. C. de Sacr., sub 4°, coll. 1°.

§ 2. Formulae pro impetranda dispensationis sanatione.

I. Pro foro externo:

19a 1° *In recursu ad Ordinarium:*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Jacobus N., et Anna N., parochiani mei, in eo sunt ut nuptialiter copulentur, dispensatione S. Sedis ab Illustrissima Dominatione Vestra procurata et fulminata super impedimento consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis aequalis. Atvero bona fide reticitum est in instantia impedimentum affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis, uti videre est in schemate adnexo.

Quare, attenta casus urgentia, quatenus omnia parata sunt ad nuptias nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri potest usquedum a S. Sede sanatio obtineatur, humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut, vi can. 1045, § 1, sanationem obtentae dispensationis concedere dignetur simul cum dispensatione super noviter detecto affinitatis impedimento (1).

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die.... mensis.... anni....

20a 2° *In recursu ad S. Sedem:*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Sylvester N. et Lucia N., parochiani mei, in ordine ad matrimonium inter se contrahendum dispensationem apostolicam obtinuerunt super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis aequalis. Innotuit autem ipsos esse etiam consanguineos in secundo gradu lineae collateralis aequalis.

Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae ut concessae dispensationis sanationem et dispensationem super praefato consanguinitatis impedimento a S. Sede impetrare dignetur.

Causae sunt....

---

(1) Potest etiam Ordinarius dispensationem sanare in casu sequenti, attentis suprà propositis, ad n. 927, coll. n. 782 s.:

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Bernardus N., et Elisabeth N., parochiani mei, matrimonium inituri, dispensationem apostolicam obtinuerunt super consanguinitate in primo mixto cum secundo gradu lineae collateralis. Ast exinceps innotuit obstare impedimentum honestatis publicae, in primo lineae rectae gradu, ortum ex matrimonio olim invalidè inito ab oratore cum matre oratricis.

Urget autem necessitas matrimonium celebrandi, cum omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium absque gravis mali periculo differri potest. Quare humillime supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut, vi can. 1045, § 1, dispensationis sanationem simul ac dispensationem super publicae honestatis impedimento concedere dignetur.

Causae sunt:... etc.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die... mensis... anni...

II. **Pro foro interno:**

1° *In recursu ad Ordinarium:* *21a*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Titius et Titia dispensationem a S. Sede impetrarunt ab impedimento occulto criminis, ex adulterio et machinatione mortis a Titio contra virum Titiae. Innotuit autem adulterio accessisse non modò machinationem mortis ex parte Titii, sed etiam ex parte Titiae, adeo ut communi consilio et mutua opera mortem Titiae marito intulerint.

Quare Titius et Titia, de patrato crimine vehementer dolentes, supplicant Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut attenta casus urgentia, dispensationis sanationem simul ac dispensationem super noviter detecto impedimento, vi can. 1045, § 1, concedere dignetur.

Causae sunt...

2° *In recursu ad S. Sedem:* *22a*

Titius et Titia dispensationem obtinuerunt super affinitatis impedimento in primo gradu lineae collateralis aequalis. Innotuit autem etiam impedimentum criminis occultum ex eo quod Titius et Titia adulterium inter se admiserint, quodque Titius orator, intuitu matrimonii cum Titia, mortem intulerit uxori suae.

Quare humillime supplicant oratores, de crimine multum dolentes, Illustrissimae Dominationi Vestrae ut dispensationis sanationem simul cum dispensatione super noviter detecto criminis impedimento a S. Sede impetrare dignetur.

Causae sunt...

§ 3. Aliae formulae variae.

1° *Formula notitiae matrimonialis transmittendae* (1). *23a*

Rever. Domine Pastor,

Reverentiam vestram certiorem facio N. N., aetatis...., filium (filiam) N. N. et N. N., in parochia tua..., die..., mensis..., anni..., baptizatum (baptizatam), coram me infrascripto (vel R. D..., a me specialiter delegato) et duobus testibus N. N. et N. N., die..., mensis... 19..., legitimè contraxisse matrimonium cum N. N., filia (filio) N. N. Quod matrimonium dignetur Reverentia vestra in baptismi librum referre.

Responsum, si forte necessarium, ad me infrascriptum mittere digneris.

Veneranter subscribo,
N., parochus in N.

X..., die..., mensis..., anni... (sigillum parochiale).

2° *Formula ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagi* (2). *24a*

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Theresia, parochiana mea, nuptias ambit ineundas cum Leonardo, ex dioecesi N. oriundo, nunc autem incertas sedes habente nec ullibi domicilium vel quasi-domicilium retinente.

(1) Cf. n. 700.
(2) Cf. n. 129.

Diligenti facta inquisitione, nihil potui reperire quod sponsi libertati obstet nec parentes dissentiunt.

Quare Illustrissimae Dominationi Vestrae supplico, ut mihi quid facto opus sit significare dignetur.

Cum summae venerationis sensu subscribo,
N., parochus in N.

Die.... mensis.... anni....

25a 3° *Formula supplicae ad S. Sedem, pro impetranda dispensatione super matrimonio rato non consummato:*

Beatissime Pater,

N. N., filia N. et N., *dioecesis* N., in N. domicilium habens, annos nata..., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluta, quae sequuntur exponit: Die... oratrix, praemissis denuntiationibus a jure statutis ac ritu civili, matrimonium in parochiali ecclesia N., cum N. N., filio N. et N., e N. oriundo, ritè contraxit.

Mox experta est oratrix virum suum ita corpore esse constitutum ut impotens ad debitum conjugale reddendum haberi videatur. Propterea post... mensium (vel... hebdomadarum) cohabitationem ipsum dereliquit.

Ideo supplicat S. V. ut in casu apostolicam dispensationem super matrimonio rato et non consummato misericorditer concedat (nisi forte melius judicet ut processus coram Ordinario de nullitate matrimonii ob causam impotentiae instituatur).

Rationes autem ad suam petitionem fulciendam sunt: a/ quod intimè sibi persuasum est de matrimonii sui nullitate; b/ quod aliud matrimonium, opportunitate data, contrahere cupit.

26a 4° *Formula contractus sponsalitii* (n. 10):

N. N., zoon van..., ... jaar oud, woonachtig te..., en N. N., dochter van..., ... jaar oud, woonachtig te..., gaan bij dezen de wederzijdsche verplichting aan samen te trouwen op bekwamen tijd.

X..., den..., in..., 19... (1).

Handteekens der verloofden:....

Handteeken van E. H. Pastor..., of van twee getuigen...

N. B. Daar N. N. onbekwaam is (zijn) te schrijven, wordt dit getuigschrift door een bijgevoegde getuige onderteekend (2).

Handt.....

5° *Formula inscriptionis in registro:*

27a a/ *Formula ordinaria* (cf. n. 700):

« Anno Domini.... die.... mensis...., praeviis tribus bannis coram me infrascripto parocho de... (aut Rev. D^no^... specialiter a me delegato, matrimonium contraxerunt N. ex... filius N. et N. natus in... die... et N.

---

(1) Attendendum sedulò ut non omittatur *data*, utpote quae ad validitatem requiritur inserenda (n. 10); item quod spectat indicationem *loci*, ut appareat parochum subsignantem esse parochum loci: quod pariter ad validitatem postulatur.

(2) Si non stricte praecipitur, consulendum ut, si una tantum pars scribere non valet, altera subsignet simul cum teste suppletorio.

ex... filia N. et N., nata in... die... (1). Postea eis ex ritu s. matris Ecclesiae in missae celebratione benedictio est impertita (2).

Testes fuerunt... *Subscriptio parochi seu sacerdotis*
Dispensatum fuit... » *ac testium.*

b/ *Formula exceptionnalis* (cf. n. 701): *28a*

« Anno Domini... die... mensis... N. N., filius N. et N., natus in N. et habitans in N., aetatis... annorum, in imminenti mortis periculo constitutus, et consulere exoptans conscientiae (vel legitimationi prolis), prorsus deficiente tempore advocandi Ordinarium vel parochum loci, aut opportunam delegationem impetrandi, ad tramites can. 1098, § 2, coram N. N. sacerdote et duobus testibus N. N., matrimonium legitimè contraxit cum N., filia N... et N... etc. Et ego N., parochus N., subscripsi et testor rem ita se habere ».

(1) In Congreg. prosyn. Brugensi anni 1923, decretum est ut « in describendis matrimoniis deinceps inscribatur dies *nativitatis* conjugum, loco diei baptismi suscepti ».

(2) Circa hanc formulam observa:

Si benedictio nuptialis omissa fuit, puta ratione temporis feriati vel ratione secundarum nuptiarum ex parte sponsae, id notetur, addito omissionis motivo.

Si proles naturalis ante matrimonium nata fuerit ex neo-conjugatis, et, occasione matrimonii celebrationis, a sponso agnoscatur, ita ut per subsequens matrimonium legitimetur, id actui inseratur hisce verbis: « Insuper sponsus N. declaravit N., filium sponsae suae N., natum die..... mensis..... anni..... suam esse prolem, quam per matrimonium legitimare intendit ». Idem valet de legitimatione obtenta per rescriptum Pontificis.

ALLEGATUM II

CANONES CODICIS DE MATRIMONIO (1)

Notiones praeviae.

Can. 1012 (2).

§ 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos.

§ 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum.

Can. 1013 (3).

§ 1. Matrimonii finis primarius est procreatio atque educatio prolis secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae.

§ 2. Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas ac indissollubilitas, quae in matrimonio christiano peculiarem obtinent firmitatem ratione sacramenti.

Can. 1014 (4).

Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127.

Can. 1015 (5).

§ 1. Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum*, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro.

§ 2. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur.

§ 3. Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum, dicitur *legitimum*.

4. Matrimonium invalidum dicitur *putativum*, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

---

(1) Pro singulis canonibus remittimus, in nota, ad numeros marginales Tractatus, ita ut in illo studiosus lector reperire queat commentarium integri Tituli VII Codicis, *De matrimonio* inscripti, ordini adaptatum in dicto Titulo VII usurpato.

(2) 162-179.

(3) 83-86 et 296 ss., per totum caput tertium sectionis secundae, partis primae, libri secundi; 354, in nota; 367.

(4) 140; 156; 158, in nota; 237; 355, in notis; 472bis; 475; 539; 586; 587; 608; 719.

(5) 157; 158; 283.

CAN. 1016 (1).

Baptizatorum matrimonium regitur iure non solum divino, sed etiam canonico, salva competentia civilis potestatis circa mere civiles eiusdem matrimonii effectus.

CAN. 1017 (2).

§ 1. Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus.

§ 2. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet.

§ 3. At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si qua debeatur.

CAN. 1018 (3).

Parochus ne omittat populum prudenter erudire de matrimonii sacramento eiusque impedimentis.

CAPUT I.

De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus.

CAN. 1019 (4).

§ 1. Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere.

§ 2. In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

CAN. 1020 (5).

§ 1. Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet.

§ 2. Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier,praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat.

§ 3. Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare.

---

(1) 410 ss.; 421, in nota; 427; 434, in nota.
(2) 8-12; 24, in nota; 25; 26; 476.
(3) 690-695.
(4) 129, in nota; 134; 676; 678, in nota; 681; 687.
(5) 476; 676; 679-685; 687; 688; 702, in nota.

CAN. 1021 (1).

§ 1. Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

§ 2. Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo.

CAN. 1022 (2).

Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum.

CAN. 1023 (3).

§ 1. Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio.

§ 2. Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat.

§ 3. Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur.

CAN. 1024 (4).

Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat.

CAN. 1025 (5).

Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur.

CAN. 1026 (6).

Publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae.

CAN. 1027 (7).

Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loc Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare.

---

(1) 191; 678.
(2) 39bis; 40.
(3) 41-49; 677; 679; 686; 687.
(4) 50-55.
(5) 57.
(6) 56; 58; 62; 510; 874, in nota.
(7) 67-70.

CAN. 1028 (1).

§ 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare.

§ 2. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest.

CAN. 1029 (2).

Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum, qui matrimonio assistere debet.

CAN. 1030 (3).

§. 1. Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione.

§ 2. Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur.

CAN. 1031 (4).

§ 1. Exorto dubio de exsistentia alicuius impedimenti:

1° Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes;

2° Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes;

3° Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit.

§ 2. Detecto impedimento certo:

1° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Poenitentiariam;

2° Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat.

§ 3. Demum si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat.

---

(1) 63; 64; 767.
(2) 60bis; 679.
(3) 53; 60bis; 687bis.
(4) 59; 60bis; 472; 679; 686; 687.

CAN. 1032 (1).

Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit.

CAN. 1033 (2).

Ne omittat parochus, secundum diversam personarum conditionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant.

CAN. 1034 (3).

Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario.

CAPUT II

De impedimentis in genere.

CAN. 1035 (4).

Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur.

CAN. 1036 (5).

§ 1. Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur.

§ 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur.

§ 3. Quanquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum.

CAN. 1037 (6).

Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum.

CAN. 1038 (7).

§ 1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat.

§ 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis.

(1) 129.
(2) 134; 192; 193; 694; 695.
(3) 28; 476; 518; 681.
(4) 467; 728.
(5) 438bis, in nota; 463; 464; 467; 669, in nota.
(6) 465, 629, in nota.
(7) 419; 420; 426-430; 437bis, in nota; 569; 745.

CAN. 1039 (1).

§ 1. Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante.

§ 2. Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest.

CAN. 1040 (2).

Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item nec in iisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit.

CAN. 1041 (3).

Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis existentibus contraria reprobatur.

CAN. 1042 (4).

§ 1. Impedimenta alia sunt *gradus minoris*, alia *maioris*.

§ 2. Impedimenta gradus minoris sunt:

1° Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis;

2° Affinitas in secundo gradu lineae collateralis;

3° Publica honestas in secundo gradu;

4° Cognatio spiritualis;

5° Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.

§ 3. Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia.

CAN. 1043 (5).

Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus.

CAN. 1044 (6).

In eisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1043 et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi

(1) 429, in nota; 476; 487; 518, in nota; 569.
(2) 419; 420; 429, in nota; 732, in nota; 735; 745.
(3) 199, in nota; 432; 585; 770; 780.
(4) 464, 465, in nota; 617, in nota; 770.
(5) 505; 508, in nota; 578, in nota; 591; 607, in nota; 617; 622; 653, in nota; 670, in nota; 715, in nota; 753; 755; 757-762; 764; 769, in nota; 774, in nota; 775; 783; 784; 785bis; 870, in nota; 873, in nota; 905; 927.
(6) 62; 135; 578, in nota; 608; 792; 793, in nota; 794; 795; 799-803; 805-808; 811; 838; 894; 898; 904; 928.

facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can. 1098, n. 2, assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum.

CAN. 1045 (1).

§ 1. Possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur.

§ 2. Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii jam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem.

§ 3. In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti.

CAN. 1046 (2).

Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum.

CAN. 1047 (3).

Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali.

CAN. 1048 (4).

Si petitio dispensationis ad Sanctam Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur, nisi ad normam can. 204, § 2.

CAN. 1049 (5).

§ 1. In matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui gaudet indulto generali dispensandi super certo quodam impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse praescribatur, super eo dispensare, etiamsi idem impedimentum multiplex sit.

§ 2. Qui habet indultum generale dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispen-

(1) 135, in nota; 231; 508; 578, in nota; 591; 608; 670; 715, in nota; 716; 723; 753; 755; 763-766; 769, in nota; 770; 775; 783; 784; 785bis; 792-795; 799-803; 805-808; 927; 928.

(2) 793, in nota; 811; 894.

(3) 738; 771; 811; 830; 841; 851; 888; 890; 892; 897; 906; 913, in nota.

(4) 784.

(5) 761, in nota; 779, in nota; 780.

sare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus.

CAN. 1050 (1).

Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet; si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit.

CAN. 1051 (2).

Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega.

CAN. 1052 (3).

Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu.

CAN. 1053 (4).

Data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3.

CAN. 1054 (5).

Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit.

CAN. 1055 (6).

Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequatur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore executioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio aut quasi-domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt.

(1) 783; 847; 853bis; 867; 919.
(2) 291; 591; 759, in nota; 786; 849.
(3) 603; 846; 847; 867; 919.
(4) 331ter; 565; 591; 670; 741.
(5) 464; 465, in nota; 783; 812; 828, in nota; 847; 867; 892, in nota; 919.
(6) 777; 862, in nota.

CAN. 1056 (1).

Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum Cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas a Sancta Sede expresse eis data fuerit; et si exegerint, tenenter ad restitutionem.

CAN. 1057 (2).

Qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant.

CAPUT III

De impedimentis impedientibus.

CAN. 1058 (3).

§ 1. Matrimonium impedit votum simplex virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum.

§ 2. Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit.

CAN. 1059 (4).

In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est.

CAN. 1060 (5).

Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur.

CAN. 1061 (6).

§ 1. Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi:

1° Urgeant iustae ac graves causae;

2° Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda;

3° Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento.

§ 2. Cautiones regulariter in scriptis exigantur.

(1) 858; 859.
(2) 785; 876, in nota; 895, in nota.
(3) 229, in nota; 465, in nota; 489-490; 767; 770.
(4) 426; 491-499.
(5) 140, in nota; 500-517.
(6) 140, in nota; 465, in nota; 503-506; 770; 874, in nota.

CAN. 1062 (1).

Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi.

CAN. 1063 (2).

§ 1. Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum.

§ 2. Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario.

§ 3. Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia.

CAN. 1064 (3).

Ordinarii aliique animarum pastores:

1° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant;

2° Si eas impedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur;

3° Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant;

4° Assistentes matrimonio servent praescriptum can. 1102.

CAN. 1065 (4).

§ 1. Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt.

§ 2. Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis.

CAN. 1066 (5).

Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium.

---

(1) 140, in nota; 507; 770.
(2) 507; 770; 874, in nota.
(3) 509-513; 770.
(4) 196; 476.
(5) 192, in nota; 193, in nota; 195; 476; 688.

Caput IV

De impedimentis dirimentibus.

Can. 1067 (1).

§ 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt.

§ 2. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet.

Can. 1068 (2).

§ 1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso naturae iure dirimit.

§ 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum.

§ 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit.

Can. 1069 (3).

§ 1. Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quanquam non consummati, salvo privilegio fidei.

§ 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

Can. 1070 (4).

§ 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa.

§ 2. Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam.

Can. 1071 (5).

Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060-1064 praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus.

Can. 1072 (6).

Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti.

---

(1) 522ter, in nota; 544-549.
(2) 472; 550-562.
(3) 302; 472, in nota; 563-567.
(4) 333; 342; 355; 430; 472, in nota; 475; 583-593; 702, in nota.
(5) 589-591.
(6) 571-582.

CAN. 1073 (1).

Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi.

CAN. 1074 (2).

§ 1. Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium.

§ 2. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libera constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat.

§ 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet.

CAN. 1075 (3).

Valide contrahere nequeunt matrimonium:

1° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt;

2° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit;

3° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt.

CAN. 1076 (4).

§ 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales.

§ 2. In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur.

§ 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis.

CAN. 1077 (5).

§ 1. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive.

§ 2. Affinitatis impedimentum multiplicatur:

1° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit;

2° Iterato successive matrimonio cum consanguinea coniugis defuncti.

CAN. 1078 (6).

Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido sive

(1) 568-570bis; 578-580; 582.
(2) 646-656.
(3) 12, in nota; 157, in nota; 657-673.
(4) 472, in nota; 594-612; 618; 622, in nota; 633; 761, in nota; 770.
(5) 613-625; 630, in nota.
(6) 25; 26; 626-636.

consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa.

CAN. 1079 (1).

Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768.

CAN. 1080 (2).

Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere.

CAPUT V

De consensu matrimoniali.

CAN. 1081 (3).

§ 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus; qui nulla humana potestate suppleri valet.

§ 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

CAN. 1082 (4).

§ 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

§ 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur.

CAN. 1083 (5).

§ 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium.

§ 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum:

1° Si error qualitatis redundet in errorem personae;

2° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta.

CAN. 1084 (6).

Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem.

CAN. 1085 (7).

Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit.

---

(1) 637-644.
(2) 491-499; 645.
(3) 75-83; 94-95; 100-102; 158; 216; 828, in nota.
(4) 100; 158; 522ter; 527.
(5) 523-532.
(6) 528-529.
(7) 470.

CAN. 1086 (1).

§ 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.

§ 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

CAN. 1087 (2).

§ 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

§ 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert.

CAN. 1088 (3).

§ 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem.

§ 2. Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint.

CAN. 1089 (4).

§ 1. Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus.

§ 2. Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.

§ 3. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint.

§ 4. Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi.

CAN. 1090 (5).

Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest.

CAN. 1091 (6).

Matrimonio per procuratorem vel per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

---

(1) 100; 155; 156, in nota; 529; 533.
(2) 534-542.
(3) 102; 124; 129; 197, in nota.
(4) 124.
(5) 124.
(6) 124; 129.

CAN. 1092 (1).

Conditio semel apposita et non revocata:

1° Si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur;

2° Si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum;

3° Si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit;

4° Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest exsistit vel non.

CAN. 1093 (2).

Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.

CAPUT VI

De forma celebrationis matrimonii.

CAN. 1094 (3).

Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099.

CAN. 1095 (4).

§ 1. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:

1° A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi officii, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati;

2° Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt;

3° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

§ 2. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat.

CAN. 1096 (5).

§ 1. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est.

§ 2. Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

(1) 19, in nota; 151-156; 472bis, in nota.
(2) 736, in nota.
(3) 106 ss.; 114, in nota; 123; 158; 727; 729; 764, in nota; 848.
(4) 108-115; 122; 124; 500; 510; 511, in nota.
(5) 114-117 120; 129; 795.

CAN. 1097 (1).

§ 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt:

1° Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris;

2° Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

3° Habita, si conditiones deficiant de quibus n. 2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset.

§ 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda.

§ 3. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolumenta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat.

CAN. 1098 (2).

Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096:

1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam;

2° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

CAN. 1099 (3).

§ 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur:

1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt;

2° Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant;

3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis.

§ 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenenter ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.

(1) 48; 60bis; 114, in nota; 125-127; 129; 145; 197; 679.

(2) 62, in nota; 130-138; 159; 160; 469, in nota; 625; 673; 701; 766; 795; 803; 808; 811; 894; 897.

(3) 11, in nota; 124; 140-143; 197, in nota; 430; 500; 586, in nota; 591; 597.

CAN. 1100 (1).

Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti.

CAN. 1101 (2).

§ 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato.

§ 2. Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere.

CAN. 1102 (3).

§ 1. In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3.

§ 2. Sed omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere.

CAN. 1103 (4).

§ 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2. Praeterea, ad normam can. 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur.

§ 3. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur.

CAPUT VII

De matrimonio conscientiae.

CAN. 1104 (5).

Nonnisi ex gravissima et urgentissima causa et ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario Generali sine speciali mandato, permitti potest ut *matrimonium conscientiae* ineatur, idest matrimonium celebretur omissis denuntiationibus et secreto, ad normam canonum qui sequuntur.

(1) 197, in nota.
(2) 198.
(3) 196; 198; 874 in nota.
(4) 134; 136, in nota; 160, in nota; 700; 701.
(5) 62; 64, in nota; 160.

CAN. 1105 (1).

Permissio celebrationis matrimonii conscientiae secumfert promissionem et gravem obligationem secreti servandi ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii ejusque successorum, et etiam alterius coniugis, altero non consentiente divulgationi.

CAN. 1106 (2).

Huius promissionis obligatio ex parte Ordinarii non extenditur ad casum quo vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat, vel parentes non curent filios ex tali matrimonio susceptos baptizari aut eos baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant, vel christianam filiorum educationem negligant.

CAN. 1107 (3).

Matrimonium conscientiae non est adnotandum in consueto matrimoniorum ac baptizatorum libro, sed in peculiari libro servando in secreto Curiae archivo de quo in can. 379.

CAPUT VIII

De tempore et loco celebrationis matrimonii.

CAN. 1108 (4).

§ 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest.

§ 2. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive.

§ 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

CAN. 1109 (5).

§ 1. Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit.

§ 2. Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis sive seminarii sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis.

§ 3. Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur, quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102, § 2.

---

(1) 160.
(2) 160.
(3) 160; 701.
(4) 198; 199.
(5) 200; 510; 874, in nota.

Caput IX

De matrimonii effectibus.

Can. 1110 (1).

Ex valido matrimonio enascitur inter conjuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum; matrimonium praeterea christianum coniugibus non ponentibus obicem gratiam confert.

Can. 1111 (2).

Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae.

Can. 1112 (3).

Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti.

Can. 1113 (4).

Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.

Can. 1114 (5).

Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti.

Can. 1115 (6).

§ 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis.

Can. 1116 (7).

Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis.

Can. 1117 (8).

Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos

(1) 180; 186; 187; 279, in nota.
(2) 215-224; 279, in nota.
(3) 279.
(4) 272-275; 279, in nota.
(5) 281-286.
(6) 282.
(7) 287-291.
(8) 291.

quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

CAPUT X

De separatione conjugum.

ART. 1[s]. *De dissolutione vinculi.*

CAN. 1118 (1).

Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

CAN. 1119 (2).

Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita.

CAN. 1120 (3).

§ 1. Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino.

§ 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus.

CAN. 1121 (4).

§ 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare:

1° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere;

2° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

§ 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit.

CAN. 1122 (5).

§ 1. Interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa.

§ 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa, valent, imo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo.

(1) 333; 356-370.
(2) 328-340.
(3) 341-355.
(4) 349-353.
(5) 350; 352, in nota.

CAN. 1123 (1).

Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam.

CAN. 2114 (2).

Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris.

CAN. 1125 (3).

Ea quae matrimonium respiciunt in Constitutionibus Pauli III *Altitudo,* 1 Iun. 1537; S. Pii V *Romani Pontificis,* 2 Aug. 1571; Gregorii XIII *Populis,* 25 Ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur.

CAN. 1126 (4).

Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit.

CAN. 1127 (5).

In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris.

ART. 2^s^. *De separatione tori, mensae et habitationis.*

CAN. 1128 (6).

Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset.

CAN. 1129 (7).

§ 1. Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit.

§ 2. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit.

(1) 347; 353; 353^bis^; 353^ter^.
(2) 348; 353^ter^.
(3) 353; 353^ter^.
(4) 344; 353^ter^.
(5) 343; 355; 472^bis^; 587; 608; 719.
(6) 249.
(7) 221, in nota; 252-255; 259, in nota; 260.

CAN. 1130 (1).

Conjux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit.

CAN. 1131 (2).

§ 1. Si alter coniux sectae acatholicae nomen dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora.

§ 2. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore.

CAN. 1132 (3).

Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorem bono, salva semper eorundem catholica educatione, aliud decreverit.

CAPUT XI

De matrimonii convalidatione.

ART. 1[s]. *De convalidatione simplici.*

CAN. 1133 (4).

§ 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia.

§ 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit.

CAN. 1134 (5).

Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse.

CAN. 1135 (6).

§ 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta.

---

(1) 259, in nota; 260.
(2) 252; 256-260.
(3) 140, in nota; 265.
(4) 153; 464, in nota; 728; 734; 764, in nota; 768.
(5) 530; 727; 728, in nota; 734; 768.
(6) 727; 764, in nota; 768; 832.

§ 2. Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto.

§ 3. Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret.

CAN. 1136 (1).

§ 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret.

§ 2. Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat.

§ 3. Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus.

CAN. 1137 (2).

Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma.

ART. 2^s^. *De sanatione in radice.*

CAN. 1138 (3).

§ 1. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum.

§ 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur.

§ 3. Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia.

CAN. 1139 (4).

§ 1. Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret.

§ 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti.

CAN. 1140 (5).

§ 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus postea fuerit revocatus.

---

(1) 464, in nota; 530; 727.
(2) 727; 764, in nota.
(3) 70, in nota; 723, in nota; 735; 736.
(4) 470, in nota; 736; 770; 899, in nota.
(5) 735; 736; 770.

§ 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus.

CAN. 1141 (1).

Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede.

CAPUT XII

De secundis nuptiis.

CAN. 1142 (2).

Licet casta viduitas honorabilior sit, secundae tamen et ulteriores nuptiae validae et licitae sunt, firmo praescripto can. 1069, § 2.

CAN. 1143 (3).

Mulier cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere.

(1) 761; 770; 780; 835; 912.
(2) 300-302.
(3) 198, in nota.

ALLEGATUM III

FACULTATES MATRIMONIALES.

I. **Pro Ordinariis Europae.**

A. Indultum *S. Congr. de Sacramentis.*

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SSmo D. N. Benedicto Papa XV sibi tributarum, attentis expositis, Ordinario Oratori infrascriptas ad..... communicat facultates, quibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam can 1057:

1° Dispensandi iusta et rationabili ex causa super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in can. 1042 recensentur, necnon super impedimentis impedientibus de quibus in can. 1058, ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2° Dispensandi ex gravi urgentique causa, quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur super impedimentis maioris gradus infra recensitis:

a) consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur,

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu,

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo,

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3° Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4° Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in praesenti folio prae oculis habeantur quae in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis praefatis concedendis dispensationibus, ut nupturientes qui pares solvendo inveniantur aequam oblationem iuxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis. Idem autem Ordinarius quovis anno, a data praesentium computando, referat ad hanc Sacram Congrega-

tionem de numero et specie dispensationum quas vigore praesentis indulti Ipse fuerit elargitus et summam oblationum transmittat, salvo praescripto can. 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

B. Indultum *S. Congr. S. Officii.*

SSmus D. N. D. *Pius* divina providentia Papa XI, *per facultates R. P. D. Commissario* S. Officii impertitas, R. P. D. Ordinario ..... facultatem benigne concedere dignatus est:

1° Dispensandi, iustis gravibusque accedentibus causis, cum subditis etiam extra territorium aut non subditis intra limites proprii territorii, super impedimento mixtae religionis, et, si casus ferat, etiam supra disparitate cultus, ad cautelam; quatenus ante nuptias pars acatholica ad veram religionem adduci aut catholica ab ipsis nuptiis absterreri nequiverit, dummodo prius regulariter, ad praescriptum *Cod. I. C.* can. 1061, § 2, cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia requisitis, et *Ipse R. P. D. Ordinarius moraliter certus si easdem impletum iri,* scilicet: ex parte nupturientis acatholici, de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et ab utroque contrahente, de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda; declarata insuper parti catholica obligatione, qua tenetur, prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Nupturientes autem moneantur se, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, ministrum quoque acatholicum ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum adire non posse, ad mentem *Cod. I. C.*, can. 1063, § 1, sub poena excommunicationis latae sententiae Ordinario reservatae a parte catholica incurrendae, iuxta can. 2319 § 1, n. 1°, — stricte caeteroquin servatis quae de parochi in casu agendi ratione statuta sunt in can. 1063, § 2.

Quod si partes actu in concubinatu vivant, provideatur opportunis modis ut scandalum, si adsit, removeatur et pars catholica ad gratiam Dei recipiendam rite disponatur, *praevia eius absolutione ab excommunicatione contracta, si forte matrimonium attentatum fuerit coram ministro acatholico, eique impositis congruis poenitentiis salutaribus.*

II° Sanandi in radice matrimonia attentata coram officiali civili vel ministro acatholico a suis subditis, etiam extra territorium, aut non subditis, intra limites proprii teritorii, cum impedimento mixtae religionis aut disparitatis cultus, dummodo consensus in utroque coniuge perseveret, isque legitime renovari non possit, sive quia pars acatholica de invaliditate matrimonii moneri nequeat sine periculo gravis damni aut incommodi a catholico coniuge subeundi; sive quia pars acatholica ad renovandum coram Ecclesia matrimonialem consensum, aut ad cautiones praestandas, ad praescriptum *Cod. I. C.*, can. 1061, § 2, ullo modo induci nequeat; dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum dirimens, super quo ipse dispensandi aut sanandi facultate non polleat.

Ipse autem R. P. D. Ordinarius serio moneat partem catholicam de

gravissimo patrato scelere, salutares ei poenitentias imponat, et si casus ferat, eum ab excommunicatione absolvat iuxta *Cod. I. C.*, can. 2319, § 1°, n. 1°, simulque declaret ob sanationis gratiam a se acceptatam, matrimonium effectum esse validum, legitimum et indissolubile iure divino et prolem forte susceptam vel suscipiendam legitimam esse; eique insuper gravibus verbis in mentem revocet obligationem, qua semper tenetur, pro viribus tutandi baptismum et educationem universae prolis utriusque sexus, tam forte natae quam forsitan nasciturae, in catholicae religionis sanctitate et prudenter curandi conversionem coniugis ad fidem catholicam.

Cum autem de matrimonii validitate et prolis legitimatione in foro externo constare debeat, R. P. D. Ordinarius mandet in singulis vicibus documentum sanationis cum attestatione peractae executionis diligenter custodiatur in curia locali, nec non curet, nisi pro sua prudentia aliter iudicaverit, ut in libro baptizatorum paroeciae, ubi pars catholica baptismum recepit, transcribatur notitia sanationis matrimonii, de quo actum est, cum adnotatione diei et anni.

In singulis autem praefatis sive dispensationibus sive sanationibus concedendis, R. P. D. Ordinarius expressam faciat mentionem apostolicae delegationis (*Cod. I, C.*, can. 1057); et quod attinet ad facultatum sanandi in radice, mens est eiusdem S. Congregationis ut Ipse nonnisi parochos, singulis vicibus, subdelegare possit.

Praesentibus valituris *usque ad annum proximae relationis dioecesanae*, quo tempore elapso, referatur sive dispensationum sive sanationum concessarum numerus supremae S. Congregationi S. Officii.

Taxa exquiri solita pro qualibet dispensatione — quamque R. P. D. Ordinarius exiget, nisi pro casuum diversitate sit moderanda aut dispensanda ob paupertatem oratorum aliasve iustas causas — est 15 fr.

R. P. D. Ordinarius in fine cuiuslibet anni directe mittet ad hanc supremam S. Congregationem quas taxas ipse reapse exegerit, detracta vero quinta parte, quam pro sui suaeque dioecesis necessitatibus retinere poterit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

C. Indultum *S. Poenitentiariae.*

Tibi Dilecto in Christo Ordinario infrascriptas communicamus facultates tum absolvendi a censuris, tum dispensandi, *ad quinquennium* duraturas, quibus pro foro conscientiae, etiam extra sacramentalem confessionem et etiam extra dioecesim, quatenus vel ipse vel subditus vel uterque extra dioecesim fueritis, pro grege tibi commisso, ex speciali Sedis apostolicae auctoritate tibi delegata, uti valeas; quasque intra fines dioecesis tantum Canonico Poenitentiario necnon Vicariis Foraneis (1), pro foro pariter conscientiae at in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si tibi placuerit, aliis vero confessariis, cum ad te in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impetiri possis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a te specia-

(1) In Congregatione prosyn. anni 1923, declaravit Episcopus Brugensis se hasce facultates Canonico Poenitentiario et Vicariis Foraneis seu Decanis subdelegare, « quatenus eis uti valeant, ad diem usque 15 Septembris 1927, intra fines dioeceseos et in actu sacramentalis confessionis dumtaxat »; cf. n. 231 et n. 798.

liter subdelegandis, per tempus arbitrio tuo statuendum, illas communicare iudicabis:...

VII. Dispensandi ad petendum debitum coniugale cum transgressore voti castitatis perfectae et perpetuae, privatim post completum XVIII aetatis annum emissi, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, huiusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si coniugi supervixerit.

VIII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Item dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo pariter sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

Mens autem nostra est ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus Te uti contingat, (absolutiones seu) dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae.

II. **Pro Nuntiis et Internuntiis ac Delegatis Apostolicis.**

29. Dispensandi ab impedimentis impedientibus de quibus in cap. III, tit. VII, lib. III Codicis, servatis ad unguem regulis ibidem positis, praesertim quod ad dispensationes ob mixtam religionem, et docta, quotannis ante Pascha, S. Congr. S. Officii de numero aliisque adiunctis dispensationum, quae anno praecedenti circa mixtam religionem datae sunt.

30. Dispensandi pro . . . . vicibus ex gravi causa ab omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium, iuris tamen ecclesiastici, sive publicis sive occultis, sive minoris sive maioris gradus, iis tamen exceptis quae ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, ex ordine sacro et sollemni professione religiosa proveniunt.

Quod vero ad impedimentum dirimens disparitatis cultus, fas non sit dispensationem concedere nisi servatis iis quae in canonibus 1060-1064 praescripta sunt, et quod ad matrimonia cum hebraeis vel mahumedanis, dummodo constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae, absit periculum circumcisionis prolis, et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

Nupturientes aliquam oblationem, si fieri potest, iuxta vires persolvant, quam ipse Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus transmittet ad S. Congregationem S. Officii, si agatur de impedimento disparitatis cultus, aut ad S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, si agatur de aliis impedimentis.

31. Sanandi in radice pro . . . . . , vicibus matrimonia nulla ob impedimentum dirimens, de quo in numero 30, quando moraliter impossibilis est renovatio consensus modo ordinario, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu. Rescriptum vero huiusmodi sanationis in Curia Episcopali diligenter custodiatur, quo omni tempore et eventu de matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare possit.

Sed si matrimonium fuerit nullum ob defectum formae, danda non erit sanatio, nisi in casu quo altera pars renuat renovare consensum iuxta formam, aut, si id ab ea exigatur, grave immineat alteri parti malum vel periculum.

Quod si matrimonium fuerit nullum ob non servatam formam in casu mixtae religionis aut disparitatis cultus, et pars acatholica induci non possit ad renovandum consensum iuxta leges Ecclesiae, danda non erit sanatio in radice, nisi assumptis a parte fideli obligationibus curandi pro viribus conversionem coniugis et educationem prolis in fide catholica, concessa eidem absolutione a censuris, si coram acatholico matrimonium attentaverit, ipsaque monita de gravi patrato scelere.

III. **Pro Ordinariis Missionum.**

21. Dispensandi, canonicis existentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* sive minoris sive maioris gradus (can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici: exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio.

Concedendo tamen has dispensationes, Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis conditionibus ab Ecclesia praescriptis: videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda; monita parte catholica de obligatione, qua tenetur, conversionem coniugis acatholici prudenter curandi; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumedanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

22. *Sanandi in radice,* iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 21, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.

23. *Sanandi* pariter *in radice matrimonia mixta* attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico (1).

(1) Tenor reliquarum facultatum matrimonialium quae sub n. 24-27 inseruntur, refertur in textu, suprà, ad n. 353.

INDEX RERUM ALPHABETICUS (1)

A

Absolutio ad cautelam seu **ad effectum** a censuris, quid importet, 872, 878 in nota; utrum concedenda ab Ordinario et confessario exequente dispensationem, 878, 886; utrum ad valorem, 878; formula ab Ordinario adhibita, 876; a confessario, 886.

Absolutio juridica a censuris: clausula observanda in executione dispensationis apostolicae fori externi, 872; formula illius absolutionis, 876; absolutio juridica fori interni, 884; formula, 886; utrum absolutio juridica exigatur ad valorem dispensationis, 872, 878. — Absolutio a censuris contractis per matrimonium celebratum coram ministro acatholico, pro quonam foro concedenda, 514.

Acatholici utrum subjaceant decreto *Ne temere* aut novo Codici, 140 ss.; quinam sint, 140; quinam veniant hoc nomine in materia mixtae religionis, 140, 500.

Acceptatio delegationis pro assistentia matrimonii, quousque requiratur, 117; — acceptatio dispensationis ad ejus valorem jam non requiritur, 875.

Accusare matrimonium ne contrahatur, seu denuntiare impedimentum quis possit aut debeat, 67 ss., 703; cuinam id competat postquam jam est contractum, ad obtinendam ejus nullitatis declarationem, 703; jus accusandi matrimonium ex capite metus, 540, 703 in nota; oppositio judiciaria contra matrimonium ineundum, 71, 703; lex civilis in materia oppositionis, 72, 488, 521 in nota.

Actus interni conjugum, quomodo dijudicandi, 214.

Actus non consummati sive mutui sive solitarii, quousque liceant conjugibus, 211 ss.

Adjutorium mutuum, quodnam sibi debeant conjuges, 269; est matrimonii finis secundarius tantum, 83.

Adoptio, quid, 491; quousque ex ea oriatur impedimentum cognationis legalis, v. *Cognatio legalis.*

Adulterium non est causa dissolvendi vinculum conjugale, 357 ss., v. *Indissolubilitas.* Quousque tollat jus petendi debitum, 221, 231; quousque sit causa separationis a tecto, 255. Adulterium subsequens, non vero antecedens conversionem ad fidem, justum praebet parti infideli motivum discedendi; unde in casu adulterii subsequentis non datur locus privilegio Paulino, 347 in nota. — Adulterium quale requiratur ad impedimentum criminis, 658. Adulterinae proles, quaenam sint, 285; an possint legaliter agnosci coram lege civili, 277; obligationes parentum erga ipsas juxta legem civilem, 278; v. *Obligationes.* A legitimationis beneficio excipitur passim proles adulterina, 786.

Advocatus, quousque ipsi liceat exquirere separationem corporum coram foro civili, 390; defendere vinculum matrimoniale contra actorem divortium civile exquirentem, 392; sustinere causam conjugis divortium civile sollicitantis, 404.

Aetas, utrum sufficiat aut requiratur aetas septennalis ad contrahenda sponsalia, 15, 16. — Aetas quousque irritet matrimonium, 544; qualis aetas requiratur, 544; convalidandum est matrimonium per novum consensum, 545; hoc impedimentum non afficit infideles directe, 547; super eo potest dispensari, 547; anterior disciplina, 548; legislatio civilis Belgica, 549.

Aetas *feminae superadulta,* causa dispensationis, 818.

Affinitas: notio, 613; est effectus vinculi conjugalis, 280; ejus fundamentum, 613; affinitas non parit affinitatem, 613; species affinitatis, 614; norma gradus computandi, 615; dirimit matrimonium inter affines in linea recta in indefinitum, in linea collaterali usque ad 2^{m} inclusive gradum, 616; an ipsa affinitas latius extendatur quam affinitatis impedimentum, 616. — Est impedimentum juris mere ecclesiastici, 617; causae multiplicitatis impedimenti, 618; mutationes per Codicem inductae circa affinitatis naturam, et causas multiplicitatis, 619; et circa extensionem impedimenti, 620; sub anteriori disciplina quaenam copula erat habenda ut forni-

(1) In hoc indice designantur numeri marginales.

caria, affinitatem illicitam inducens, 619 in nota. Infideles non subsunt impedimento nisi indirecte, 621; affinitas in infidelitate contracta jam non est impedimentum respectu matrimonii post baptismum ineundi, 438bis. — Poenalitates, 623. Disciplina antiqua coram lege Mosaica et in jure Romano, 623; coram jure canonico, cum variis generibus affinitatis, 624; legislatio civilis, 625. — In affinitate potest ab Ecclesia universim dispensari, 622; quamvis raro dispensetur in linea recta, matrimonio consummato, 622; ante novum Codicem quousque in linea recta affinitatis illegitimae, 622 in nota. — Abrogata est per novum Codicem disciplina circa affinitatem illicitam supervenientem, 233, 614 in nota; jus antiquum, 233 in nota. — Examen a parocho faciendum circa affinitatem, 680.

Ageneseos tempus, quid sit, 245.

Agnatio, quid, 595, 280 in nota, 295 in nota.

Agnitio legalis prolium, 277, v. *Proles.*

Albigensium doctrina circa honestatem matrimonii, 89 in nota.

Alexander III, magister Rolandus, quid docuerit de dissolubilitate matrimonii et de potestate Ecclesiae circa ipsam, 98, 332; ejus sententia circa elementum constitutivum contractus matrimonialis, 98; ejus opinio de cognatione spirituali, 644 in nota.

Amentia, impedimentum ad sponsalia ineunda, 15; quaenam constituat impedimentum dirimens matrimonii, 522bis.

Amor mutuus et adjutorium, qualia requirantur inter conjuges, 269, 270; quid circa hoc statuat jus nostrum civile, 271.

Anaphrodisia, quid, 550 in nota.

Angustia loci, causa dispensationis, 817.

Annulus. Benedictio annuli nuptialis quomodo antiquitus fieret, 202; annulus sponsalitius, 22 in nota.

Anterioritas, v. *Matrimonium civile.*

Aphrodisia, quid, 550 in nota.

Apostasia, causa separationis a tecto, 256.

Arbor genealogica, v. *Consanguinitas.*

Appellatio, quandonam, a quonam, et ad quemnam fieri debeat in causis matrimonialibus, 710.

Arrhae mutuo datae a sponsis, 22, 201.

Assistentia *celebrationi sponsalium et matrimonii,* v. *Formalitates, Ordinarius, parochus, sacerdos, testis.*

Assistentia passiva in casu matrimonii mixti, 511; v. *Mixta religio.*

Auctor dispensationis, in sponsalibus, 32; in bannis, 63; dispensationis matrimonialis, 745 ss.; v. *Dispensatio.*

B

Banna, significatio vocis, 40 in nota; v. *Proclamationes.*

Baptisma utriusque partis reddit matrimonium infidelium sacramentum, 178; non autem baptisma unius partis, 179. Baptismatis efficacia in ordine ad varia impedimenta ubi agitur de matrimonio celebrando post conversionem, 438bis; v. etiam varia impedimenta.

Quid in casu baptismatis dubii, in ordine ad contractum matrimonium, 587; quid in ordine ad contrahendum, 588; insistendum a parocho in necessitate conferendi illud in casu necessitatis, 694; v. *Casus apostoli, cognatio spiritualis, disparitas cultus.*

Beilager: Caeremonia matrimonii medii aevi, 98 in nota.

Benedictio sollemnis nuptialis, in quonam consistat, 198; quandonam et quomodo elargienda, 198; de licentia Ordinarii dari potest etiam tempore clauso, 198. — Benedictionis nuptialis usus antiquus, 201 ss.

Benedictio *panis et vini,* 204; *thalami et tori nuptialis,* 204.

Billuart, ejus sententia circa essentiam sacramenti matrimonii, 174.

Bimestre olim conjugibus concessum ad deliberandum de ingressu in religionem, abrogatum per novum Codicem, 224.

Bona fides. In casu matrimonii nulliter contracti quid efficiat quoad legitimitatem prolis, 283. — Bona fides in matrimonio invalide contracto, an exprimenda in supplica pro convalidatione matrimonii, 848; bona vel mala fides in errore admisso in supplica jam non refert, 918 in nota.

Bona matrimonii, 370.

Bonum pacis, causa dispensandi, 822.

Brauttüren, Ehetüren, 202.

Buchkinder, 292.

C

Caeremoniae sacramenti matrimonii: ritus hodierni, tum juris communis, tum juris dioecesani Brugensis, 197 ss.; sensus benedictionis sacerdotalis in nuptiis, 185; ritus antiqui, 201 ss. — Ritus matrimoniales quales apud Romanos olim adhiberentur, 205. — Ordinarius permittere potest caeremonias

in matrimonio apostatae vel notoriè adscripti sectae vetitae, 196; quousque quaedam permitti possint in matrimonio mixto, 510; v. *Tempus, locus.*

Canonicus Poenitentiarius *Brugensis,* qualis ipsius potestas dispensandi super impedimentis matrimonii, 798, v. etiam *Addenda et corrigenda;* super voto reservato castitatis in ordine ad petendum debitum, 231, 798.

Capitulum et Vicarius capitularis, Sede vacante veniunt sub nomine Ordinarii, 772; quanam gaudeat potestate dispensandi in impedimentis, 789; quid in executione rescripti apostolici, 863.

Capellanus militum in ordine ad assistendum matrimonio, 107 in nota, 108 in nota.

Captura. Matrimonium per capturam non probatur exstitisse antiquitus quasi stadium universale, 81.

Castrati, 550 in nota.

Castratio viri vel mulieris an sit licita, 558.

Casus Apostoli. Fundamentum scripturisictum, 341; spectat matrimonium inter duos infideles valide initum, 342, 343; et importat dissolutionem vinculi, 344, 353[ter], 563; conditiones quibus applicatur, 345: 1/ ut una pars baptizetur, 345; 2/ ut altera discedat, 346 ss.; 3/ ut de discessu constet per interpellationem, 349; hujus interpellationis objectum, 349; tempus, 349; forma, 350; necessitas, 351, 352; dispensabilitas, 353; effectus dispensationis, 353[bis]. — In re dubia privilegium gaudet favore juris, 355. Notitia historica, 255[bis].

Casus perplexus, notio, 716, 837; in praesenti disciplina vix adhuc ei locus est, 838; quomodo solvendus, 839.

Catechismus, species cognationis spiritualis, olim inducebat impedimentum matrimonii, 476, 644.

Catholicus, quis intelligatur in ordine ad legem clandestinitatis, 140; quis in materia mixtae religionis, 140, 500.

Causa dispensationis matrimonialis, qualis requiratur, 812; ejus necessitas etiam in praesenti disciplina, 812; variae species, 813 ss.; quomodo determinanda causae sufficientia, 816; in specie enumerantur praecipuae causae canonicae, 817 ss.; quid dispensatio « sine causa », « ex certis rationabilibus causis », ex certis specialibus rationabilibus causis, 828; quid valeant causae non canonicae, 828; variae enumerantur, 828; causae inhonestae absque necessitate non memorandae, 828, 848. — De influxu erroris circa causas dispensandi, 812, 918.

Causae matrimoniales, quibusnam competant, 702; v. *Processus, Ecclesia, Princeps civilis.*

Censura, utrum impediat matrimonii assistentiam, 109; matrimonii celebrationem, 195; dispensationis gratiam, 862, 878; v. *absolutio.*

Cessatio. Quomodo cesset potestas delegata in ordine ad assistentiam matrimonii, 117; an cessent facultates Congregationum, Sede vacante, 750; quomodo cesset potestas dispensandi Ordinarii, 788; sacerdotis non-Ordinarii, sc. parochi, confessarii, superioris religiosi, 809; quomodo cessatio potestatis in concedente influat in *executionem* dispensationis in forma commissoria concessae, 864[bis], 865, 893 in nota.

Civilistae, eorum doctrina circa naturam matrimonii christiani, ejusque regimen, 426; civilistica doctrina quomodo faverit introductioni matrimonii civilis in Gallia, 451.

Clandestinitas, variae significationes, 159; impedimentum clandestinitatis inductum a Concilio Tridentino vi decreti *Tametsi,* moderatum a decreto *Ne temere,* et novissime per novum Codicem, 104 ss.; afficit formalitates observandas in consensu matrimoniali; v. *Formalitates.* — Quinam subjiciantur legi clandestinitatis: v. *Formalitates.* Sanctiones legis novae, 145; dispositiones legis civilis, 145; jus antiquum apud Hebraeos, Romanos, Germanos, 147. — De convalidatione matrimonii clandestine initi, 726, 832. De probatione matrimonii in foro Ecclesiae, 149; in foro civili, 150.

Clausulae dispensationis apostolicae in foro externo explendae, 869 ss.; in foro interno, 882 ss.; v. *Dispensatio-executio.*

Clausum, v. *Tempus clausum.*

Coarctata. Probatio non consummationis ex coarctata, 331[bis] in nota.

Codex novus, de ejus vi non retroactiva, 11, 475; quomodo judicanda matrimonia ante vel post ejus promulgationem contracta, 475; de ejus promulgatione, 139; de ejus introductione ac divisione ejusque relatione ad jus anterius, vide in fronte Tractatus, p. XI ss.

Coelibatus, quibusnam suadendus, 699; v. *Lex coelibatus.*

Cognatio. *Cognatio carnalis* seu naturalis, v. *Consanguinitas;* distinctio inter cognationem et agnationem, 595.

Cognatio legalis, notio et variae species, 491; disciplina anterior, 492; sub jure novo cognatio legalis inducit impedimentum dirimens vel impediens, juxta naturam impedimenti civilis moderni, 493, 645; in Belgio et Gallia inducit impedimentum mere impediens, 494 ss.; extensio impedimenti, 497; disciplina vigens in aliis regionibus, 499, 645. Impedimentum cognationis legalis est impedimentum formaliter canonicum, Ecclesiae dispensatione auferendum, 498. — Infideles indirecte subjacent impedimento canonico, directe impedimento civili, 498; cognatio legalis in infidelitate contracta constituit impedimentum respectu matrimonii post baptismum ineundi, 438[bis], 498.

Cognatio spiritualis, notio, 637; qua ratione multiplicetur; 637, 641; extensio impedimenti: oritur ex baptismo, inter ministrum et susceptores ex una parte, et baptizatum ex altera parte, 638; est juris mere ecclesiastici, 638; conditiones a jure statutae ex parte sacramenti, 639; ex parte suscipientis et susceptionis, 640; quid speciatim attendendum in susceptione per procuratorem, 640; infideles ne indirecte quidem ipsi sunt obnoxii, 642. — Super illo Ecclesia dispensat, 643. Examen parochi circa ipsum, 680. Evolutio historica hujus impedimenti, 644; quid olim effecerit matrimonio superveniens cognatio spiritualis, 234, 641.

Cohabitatio, importat consortium tecti et tori 249; v. *Separatio.* — Cohabitatio est causa dispensandi, 823.

Communio sponsis suadenda, 193.

Componenda, quid; ejus discrimen cum taxa, 857.

Concilium generale. Ipsi competit plenum et independens regimen in matrimonia fidelium, 429.

Concubina, variae significationes, 147 in nota, 306 in nota.

Concubinatus. Quid in Jure Romano sub hoc nomine venerit, 147 in nota; causa dispensandi, 827. Matrimonium civile, qua tale et in se spectatum, concubinatus dicendus est, 461 in nota.

Conditio, adnexa consensui sponsalitio vel matrimoniali, v. *Consensus.*

Conditio servilis: qualis error circa conditionem servilem irritet matrimonium, 526; est impedimentum juris mere ecclesiastici, 530; quomodo defectui consensus ex capite hujus erroris provideatur, 530.

Conferentia Hagae-Comitum, quid statuerit circa matrimonia alienigenarum quod spectat habilitatem nupturientium, 481, 482; et formam contractus, 146 in nota, 483; quid in negotio divortii civilis, 381.

Confessarius. Ejus munus in causa sponsalium, 39; modus agendi confessarii quando in confessione detegit impedimentum de quo monere non potest poenitentem, 70; ejus munus circa onanistas: sc. officium interrogandi, 241, 697; monendi et docendi, 242 ss., 696; medendi, 245; absolutionem denegandi, 245; an ipsi liceat docere vel suadere copulam dimidiatam, 245. Munus confessarii erga conjuges separationem a tecto meditantes, 262; erga jam separatos, *ibidem;* circa separationem tori, 267. Modus agendi cum conjugibus sollicitationem divortii meditantibus, 403; divortio jam separatis, sine novo matrimonio civili, 407; cum novo matrimonio civili, 408; modus agendi circa impedimentum mixtae religionis ante matrimonium, 509; post matrimonium, 513 ss.; in casu impotentiae dubiae vel certae, 558; circa impedimentum criminis, 667, 689. — Examen nupturientium ab ipso instituendum, 689; instructio danda ab ipso circa usum matrimonii: cum sponsis, 696; cum nuptis praesertim anxiis, 697, 698; circa electionem status conjugalis, 699. — Munus confessarii in casu impedimenti ante matrimonium detecti: si certo obstat impedimentum irremovibile impediens vel dirimens, 716; si certo obstat impedimentum removibile, 70, 717; si probabiliter dubitatur obesse impedimentum impediens vel dirimens, 718. Ejus munus in casu matrimonii invalide contracti: quale remedium eligendum, 721 ss.; et quomodo applicandum, 724; in specie quod spectat remedium convalidationis sine dispensatione, 725 ss.; v. *Convalidatio;* applicatio ad matrimonia ante Pentecosten anni 1918 invalide inita ob impedimentum dirimens per novum Codicem abrogatum, 730; modus agendi cum poenitente dubitante, vel conscio de nullitate sui matrimonii, 723; ejus munus in casu detecti impedimenti *dispensatione auferendi,* 829. — Potestas in dioecesi Brugensi concessa super voto castitatis in ordine ad debitum conjugale, 231. — Potestas confessarii dispensandi a jure concessa, 794; quid possit ex potestate ab homine concessa, 231, 797, 798; natura potestatis confessarii, an sc. sit ordinaria vel delegata, 799; pro quo-

nam foro censeatur concessa utraque ejus potestas, 800; erga quosnam dispensare possit, 802, 804; principia circa interpretationem et exercitium ejus potestatis; v. *Sacerdos.* — A confessario instituendus est recursus pro dispensatione obtinenda pro foro interno sacramentali, 841, 842; quaenam tunc ab ipso praestanda, 843, 851 ss.; est executor dispensationis apostolicae in foro interno sacramentali, 865; processus pro executione sequendus, 880 ss.; peculiariter attendenda ubi agitur de impedimento criminis, 887, 897; et de dispensatione super voto castitatis, 889, 897; munus confessarii excipientis dispensationem episcopalem in forma gratiosa concessam, 891; processus pro executione dispensationis episcopalis in forma commissoria pro foro interno, 893. — Munus confessarii in casu perplexo, 839; v. *Confessio; dispensatio.*

Confessio sacramentalis praevia ad matrimonium non requiritur vi juris divini, nec vi juris ecclesiastici communis, nec vi juris dioecesani Brugensis, 192, 193; ex hoc ultimo capite suadetur quidem at non stricte praecipitur, 193; accessus ad confessionem sufficit ut permittatur assistentia matrimonio publici peccatoris, 195; confessio praemittenda fulminationi dispensationis fori interni, 882.

Confirmatio, quousque requiratur ad licitam susceptionem matrimonii, 191, 687bis in nota.

Congregationes Romanae. Earum competentia in causis matrimonialibus, 429. Determinatur earum potestas dispensandi in impedimentis matrimonii, 747 ss.; immutationes recenter inductae, 751; quid de facultatibus Congregationum, Sede vacante, 750; notandum quoad ferias, 750, 836.

Consanguinitas, effectus vinculi conjugalis, 280; notio, 594; variae species, 595; quid sit stipes, linea, gradus, 596; norma gradus computandi, 597; nomina consanguineorum in variis lineis et gradibus, 597, in nota; diversitas computandi inter Ecclesiam Latinam et Graecam, 597, 611 in nota; computatio graduum quomodo fieret apud Germanos, 611; norma describendi consanguinitatem multiplicem, 598; variae applicationes, 599 ss.; practice coram Ecclesia ipsa consanguinitas sese non latius extendit quam consanguinitatis impedimentum, 474, 598 in nota; modus arborem genealogicam conficiendi, 603; inserenda in libello supplici, 603, 846; gradus et linea inserenda, 846. — In Ecclesia Latina *ex jure ecclesiastico* dirimit matrimonium usque ad 3^{m} gradum lineae collateralis, 604; et in omni gradu lineae rectae, 605; rationes legis irritantis, 606; quid in Ecclesia Graeca, 604 in nota; ex *jure* vero *naturae* probabiliter in omni gradu lineae rectae et in primo gradu lineae collateralis, 607. Infideles quousque subjiciantur huic impedimento, 608; consanguinitatis probatio, 609; quousque Ecclesia dispenset super illo impedimento, 608. Mutationes a Codice inductae, 609. — Poenalitates, 610; evolutio historica hujus impedimenti, 611; lex Mosaica quid statuerit circa impedimentum consanguinitatis, 611; quid jus Romanum, 611; legislatio nostra civilis, 612. — Examen parochi circa hoc impedimentum, 680, v. *Stipes, linea, gradus.*

Consensus. *Consensus sponsalitius.* Consensus necessitas et qualitates, 5; in specie ejus legitimitas, 5; formalitates ejus, 6, 7, 8, 9, v. *Formalitates;* de consensu conditionato, 19.

Consensus matrimonialis. Consensus de praesenti constituit matrimonium, 94, 95; refutatur copulatheoria, 96; olim consensus matrimonialis, positis ponendis, inducebat inter impuberes sponsalia, 13. — Consensus *requisitae qualitates,* 100 ss.— De *defectibus* ejus, 102bis. — Consensus *formalitates,* v. *Formalitates.* — Consensus *conditionatus,* quid, 151; variae species conditionum 152; effectus juridici appositionem variarum illarum conditionum subsequentes, 153 ss.; praxis tribunalium ecclesiasticorum, 156; an possibile sit inire matrimonium cum pacto vel voto etiam mutuo castitatis, 156; an renovandus consensus in casu consensus conditionati, impleta conditione, 153; quid de *liceitate* consensus conditionati, 156. — Circa renovationem consensus in convalidatione matrimonii sive ope dispensationis simplicis, sive absque dispensatione, v. *Convalidatio, renovatio consensus.* Consensus fictus, v. *Fictio, simulatio.* Vitia consensus, v. *amentia, defectus usus rationis, error, ignorantia, fictio, simulatio, vis, metus, raptus.*

Consensus nuptialis, quomodo antiquitus emittebatur, 201 ss.; exquirebatur et excipiebatur, 202.

Consensus parentum, v. *Dissensus.*

Conservatio illustris familiae, vel conservatio bonorum in familia, causa

dispensandi, 827.
Consortium mensae, 251.
Consortium tecti, 249.
Consortium tori, quid importet, 250.
Consummatum matrimonium, quid sit, 157; quomodo probetur consummationem defuisse, 331 ss., v. *Coarctata, indissolubilitas.*
Contractus matrimonialis. Notio, 75, 76; ipsius origo tum naturalis tum divina, 77, 78; est proinde contractus naturalis et simul sacer, 79; inter christianos nequit non esse sacramentum, 171 ss.; inter infideles subjacet principi civili, 433 ss., v. *Matrimonium.*
Contubernium, juxta jus matrimoniale Romanum, 147 in nota.
Contumelia Creatoris, v. *Casus apostoli.*
Convalidatio matrimonii nullius procurari potest sine dispensatione, vel ope dispensationis simplicis, vel sanationis in radice, 725; quandonam sit locus convalidationi sine dispensatione, 726; quonam processu, 727 ss., v. *Renovatio consensus.* Applicatio ad matrimonia ante Pentecosten anni 1918 invalide inita, 730; convalidatio ope dispensationis, v. *Dispensatio, sanatio in radice.* — Convalidatio matrimonii mixti invalide contracti, 515; convalidatio matrimonii invalidi ob impedimentum disparitatis cultus, 591. — *Convalidatio matrimonii,* causa dispensandi, 824.
Convalidatio dispensationis, v. *Error, dispensatio.*
Copula: notio, 206 in nota; copula ante matrimonium habita quasnam obligationes inducat, 13, 20, 21, 26; copula conjugalis neque constituit matrimonium neque ad ipsum, consensu initiatum, perficiendum requiritur, 94 ss.; copula sponsalibus superveniens jam non inducit matrimonium praesumptum, 20, 21, 158 in nota; qualis requiratur in usu matrimonii, 207 ss.; copula dimidiata an aliquando doceri vel suaderi possit, 239, 245; impotentia superveniens respectu usus matrimonii, 238bis. Copula de se apta generationi, quid, 208, 550. — Est causa dispensandi, 823; copula incestuosa olim inserenda in supplica, 850; v. *Debitum conjugale, copulatheoria, sponsalia.*
Copulatheoria exponitur et refutatur, 20 in nota, 96; quousque manserit in theoria protestantica, 98 in nota; hujus theoriae connexio cum doctrina de potestate R. Pontificis dissolvendi matrimonium, 332.
Coronatio sponsorum, 204.
Couvade, 80 in nota.
Crimen. Notio et species, 657; est impedimentum mere ecclesiasticum, 657; oritur 1/ ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, 658 ss.; 2/ ex solo conjugicidio, 662, 663; 3/ ex adulterio cum conjugicidio, 664 ss.; quomodo multiplicetur, 666. — Ipsi subsunt ignorantes, 668; non autem directe infideles, 669; quousque crimen, ab infidelibus contractum, non evadat impedimentum pro matrimonio post baptismum contrahendo, 438bis, 669; crimina impedientia matrimonium, juxta jus antiquum, cum quacumque persona, 476, 671. — Examen parochi circa ipsum, 667, 680, 683; examen confessarii, 667, 689; super ipso dispensari potest, 670; raro dispensatur ubi accedit publica machinatio mortis, 670; quousque potestate delegata possunt dispensare Ordinarii, 768, 770; specialiter observanda a confessario in executione dispensationis apostolicae super hoc impedimento, 887, 897. — Notitia historica, 671; poenalitates, 672; legislatio civilis, 673.
Cura prolium juxta jus naturae, 272 ss.; ac jus civile, 276 ss.; v. *Educatio prolis.*
Concursus impedimenti publici cum occulto: quomodo in eo obtinenda dispensatio, 852; quomodo parcendum famae, 853; v. *Dispensatio.*

D

Data, apponenda in instrumento sponsalitio, 10; attendenda in verificatione causae, 914bis, 918.
Dataria. Ab ipsa ablata facultas dispensandi super impedimentis, 751.
Decretum tametsi, v. *Clandestinitas.*
Debilitas uxoris, quousque sufficiat ad copulam denegandam, 235.
Debitum conjugale, ejus legitimitas, 207 ss.; qualis copula sit objective legitima, 207 ss., 210; quid ut sit etiam subjective legitima, 209, 210; quale jus et qualis obligatio ad ipsum petendum et reddendum sit penes conjuges, 215 ss.; distinctio inter jus utendi matrimonio et juris exercitium, 219; principia quae moderantur exercitium juris utendi matrimonii, 219 ss.; quousque exercitium actuale juris ad copulam possit auferri vel suspendi in conjugibus, 220 ss.; vel fieri illicitum, 225 ss.; quid in specie de voto castitatis, 229 ss.; et de aliis votis, 232; causae ob quas conveniat a copula abstinere, 226, 236. — Quibusnam adsit facultas

dispensandi ad petendum debitum illicitum ratione voti castitatis, 231. — Pleno jure petitum, quousque debitum conjugale possit ab altera parte denegari, 235, 236; quousque matrimonio dubie valido uti liceat, 237, 238; in specie in dubio circa existentiam anterioris vinculi, 238; v. *Onanismus, finis, copula, usus conjugii.*

Decanus Brugensis. Quousque ipsi indulgeatur facultas dispensandi ad petendum debitum conjugale, 231; qualis ipsius potestas dispensandi super impedimentis matrimonii, 231, 798; potest concedere licentiam assistendi matrimonio vagorum, v. *Addenda et corrigenda;* potest permittere benedictionem nuptialem sollemnem, tempore clauso, 798 in nota; potest provisorie permittere separationem a toro et cohabitatione, 261; ejus facultas dispensandi super bannis, 63, 798, 804; in quantum poterat hucusque dispensare in die intermedio, 60bis in nota.

Defectus innotescens, an causa dissolutionis sponsalium, 34; an teneantur sponsi sibi mutuo manifestare defectus occultos, 35, 36.

Defectus *usus rationis* substantialiter vitiat consensum matrimonialem 522bis.

Defensor vinculi. Ejus partes in Ordinarii authentica declaratione nullitatis matrimonii, 702; in processu de nullitate matrimonii, 707, ss.

Deficientia aut incompetentia dotis, causa dispensationis matrimonialis, 819.

Delegata potestas, quid, 753; distinctio a potestate ordinaria, *ibid.;* delegatio ad universalitatem causarum matrimonialium, quid importet, 119 in nota; conditiones pro valore delegationis ad assistendum matrimonio, 115 ss.; quomodo ad tramites novi Codicis extinguatur potestas delegata, 117; v. *Cessatio;* delegatio distinguitur a licentia, 114 in nota, 127; delegatio accepta quousque includat facultatem subdelegandi in ordine ad assistendum matrimonio, 119; quousque in materia dispensationis potestas delegata Ordinarii ab ipso possit subdelegari, 787; an etiam potestas delegata sacerdoti non-Ordinario, 808.

Delegati Apostolici: facultates dispensandi ipsis concessae, 770ter.

Denuntiationes, v. *Proclamationes, accusare.*

Desponsatio per solidum et denarium, 82.

Disparitas cultus. Notio, 583; matrimonium dirimit ex jure ecclesiastico, per consuetudinem introducto, nunc formali legis textu sanccito, 584, 585; restrictio in novo jure adducta, 586. Quid in casu baptismi dubii respectu matrimonii contracti, 587; quid respectu matrimonii contrahendi, 588; super hoc impedimento dispensari potest, 589; salvis cautelis et cautionibus consuetis et causa, 590, 591; clausulae speciales ubi dispensatur super ipso, 874; normae pro assistentia parochi, 590; officium parochi post matrimonium contractum, 591; v. *Mixta religio.* Dispensatio super disparitate cultus secum non fert dispensationem super clandestinitate, 142; nec jam super aliis impedimentis a quibus exempta existebat pars infidelis, 591. Disciplina antiqua circa hoc impedimentum, 592; jus civile, 593.

Dispensatio in sponsalibus, v. *Sponsalia;* dispensatio in bannis, v. *Proclamationes;* dispensatio super interpellationibus, v. *Casus apostoli.*

Dispensatio matrimonialis. Notio, 732; historica evolutio, 743, 744; variae species, 733 ss.; dispensatio in ordine ad matrimonium contrahendum, vel in ordine ad matrimonium contractum convalidandum, 733; quid convalidatio simplex, 734; quid sanatio in radice, 735; v. *Sanatio;* dispensatio pro foro externo et interno cum respectivo effectu juridico, 737, 738; notanda circa varias potestates dispensandi pro foro externo, vel interno, vel utroque, 739; v. *Forum;* quid dispensatio apostolica, episcopalis, sacerdotalis, 740; quid dispensatio in forma gratiosa et commissoria cum executore necessario vel voluntario, 470; quid de dispensatione in forma ordinaria vel in forma nobilium et de dispensatione in forma pauperum, 740, 751 in nota, 916 in nota; executio dispensationis in forma commissoria dicitur fulminatio, 740; notanda circa modum dispensandi, 741; et circa dispensationis usum et interpretationem, 742. — Auctor dispensationis matrimonialis, 745 ss.; v. *Romanus Pontifex, Congregationes, Ordinarius, parochus, confessarius, sacerdos, superior religionis.* — Causae dispensandi, 812 ss.; v. *Causa dispensationis.*

Petitio dispensationis: in ordine ad matrimonium contrahendum, pro quonam foro dispensatio sit petenda, 830; in ordine ad matrimonium convalidan-

dum, utrum sit petenda convalidatio simplex, utrum sanatio in radice, 832; pro quonam foro sit petenda dispensatio, 833; quó instituendus sit recursus pro matrimonio contrahendo, 834; pro matrimonio convalidando, 835; a quonam recursus sit instituendus pro dispensatione apostolica, 840, 841; pro dispensatione episcopali, 842; de ipso recursu instituendo, 843 ss.; circa inserenda in supplica, v. *Supplica.* — Expensae et taxationes, v. *Taxae.*

Concessio et executio dispensationis. 1/ *In ordine ad matrimonium contrahendum:* a/ *dispensatio apostolica:* in quanam forma concedatur, 861; quibusnam concedi possit, 862; rescripta dispensationis sunt stricte interpretanda, 862; ejus executio pro *foro externo* committitur Ordinario oratorum vel loci, 863; quousque possit sibi alium substituere, 864; quomodo cesset munus executoris, 864[bis]; executio pro *foro interno sacramentali* committitur confessario, 865; cuinam pro foro interno *extrasacramentali,* 865; quomodo cesset munus executoris pro foro interno, 865; quid circa facultatem substitutionis, 865. *Modus exequendi* dispensationem apostolicam pro *foro externo:* α/ de verificatione precum, 867, 868; β/ de clausulis adimplendis, 869 ss.; in specie de poenitentia juridica, 871; de absolutione juridica, 872; de remotione scandali, 873; de eroganda eleemosyna, 874; de clausulis peculiaribus in dispensatione super mixta religione et disparitate cultus, 874; quaenam clausulae exigantur ad valorem, 870 (v. etiam in specie singulas clausulas); an acceptatio vel praevia notitia dispensationis requirantur ad ejus valorem, 875; an executio peragenda sit *scripto,* 875; γ/ de fulminatione, 876 ss.; v. *Fulminatio.* Modus exequendi dispensationem apostolicam pro *foro interno,* 880 ss.; praestanda ante fulminationem: verificatio expositorum, 881; executio clausularum, 882 ss.; in specie circa confessionem sacramentalem, 882; circa remotionem occasionis peccandi, 883; circa poenitentiam injungendam, 884; circa absolutionem juridicam, 884; an procuranda dispensationis acceptatio, 885; fulminatio, 886, 888; v. *Fulminatio.* Peculiariter observanda pro impedimento criminis, 887; et in dispensatione super voto castitatis pro foro interno vel pro foro externo, 889; executio dispensationis pro foro interno non-sacramentali, 888. — b/ *Dispensatio episcopalis:* modus ab Ordinario adhibitus in dispensando, 890. — Processus sequendus in dispensatione in forma gratiosa: si dispensat in foro externo, 890; si dispensat in foro interno, 890; in concursu impedimenti fori externi cum impedimento fori interni 890; officium parochi, confessarii, aliusve sacerdotis, 891. Dispensatio ab Ordinario in forma gratiosa concessa pro foro interno semper censetur concessa pro foro interno extrasacramentali, 892; varia notanda circa dispensationem episcopalem, 892. Dispensatio episcopalis in forma commissoria, 890, 893. — c/ *Dispensationes sacerdotales:* norma sequenda pro foro externo, 894; pro foro interno sacramentali vel non-sacramentali, 895, 897; pro foro externo simul et interno, 896; notanda pro casu matrimonii in extremis cum moribundo, 898.

2/ *Concessio et executio dispensationis in ordine ad matrimonium convalidandum,* 899 ss.: a/ in convalidatione per simplicem dispensationem, quomodo exequenda sit dispensatio super impedimento *pro foro externo,* dum dispensat sacerdos, 901; vel Ordinarius, 902; vel S. Sedes, 903; quomodo *pro foro interno,* dum dispensat sacerdos in foro sacramentali vel extrasacramentali, 904; vel Ordinarius, 905; vel S. Sedes, 906; quomodo renovandus consensus, 907 s. b/ In convalidatione per sanationem in radice, quomodo exequendum rescriptum apostolicum sanationis pro foro externo, 912; pro foro interno, etiam non-sacramentali, 913. Notanda practica, signanter circa convalidationem matrimonii mixti, 914; circa momentum quo effectum suum habeat dispensatio, 914[bis].

Vitia dispensationis: undenam oriri possint, 916. Vitia ex parte ipsius concessionis, 917 ss.; in specie notanda circa casum vitii dubii, 921. Vitia ex parte concessionis instrumenti, 922; ex parte executionis seu fulminationis, 923. Si est vitium ex parte actus concessionis, opus est nova dispensatione aut litteris *Perinde valere,* 924; determinatur forum pro quo dispensandum, 925; a quonam dispensari possit, 926; in specie an et quousque vitiatum rescriptum sanare valeat S. Pontifex, 926; Episcopus seu Ordinarius, 927; sacerdos, 928; notanda circa

recursum pro sanatione impetranda, 920. Vitia ex parte executionis seu fulminationis, quomodo et a quonam sananda, 930.

Dispensatio in variis impedimentis, v. singula impedimenta.

Dispensatio per viam telegraphicam, v. *Telegraphica via.*

Dissensus parentum jam non est impedimentum canonicum, 518; disciplina canonica praesens, 518; ratio habenda impedimenti civilis, 518; oppositio parentum contra matrimonium minorennium est causa interdicti Ecclesiae, 486; a parocho inquirendum circa dissensum parentum ubi agitur de minorennibus, 681. — Notitia historica circa dissensum parentum, 519; quid circa ipsum legislatio civilis, 520 ss. — Dissensus parentum circa sponsalia, 28.

Dissollubilitas, v. *Indissolubilitas.*

Distinctio familiae, v. *Familiae distinctio.*

Divites, quinam sint, et quaenam ab ipsis taxa solvenda pro dispensationibus, 857, 858.

Divortium, quam nocivum, 314; habetur divortium stricte dictum *a vinculo*, v. *Indissolubilitas*, et divortium late dictum, seu separatio a *toro et cohabitatione*, v. *Separatio.*

Divortium civile. Notitia historica ipsius in jure Romano, 371; in jure Germanico antiquo, 372; ante perturbationem Gallicam, 373; ante introductionem Codicis Napoleonis, 374, 375; inde ab illo codice condito usque ad separationem Belgii a Gallia, 376, 377; inde ab hac separatione usque ad nostra tempora, in Gallia, 378, in Belgio, 379; regimen vigens in aliis regionibus, 380; norma specialis regulans in negotio divortii mutuas relationes statuum adhaerentium conventioni Hagae Comitum, 381. Causae divortii juxta dispositiones Codicis Belgici, 382; formalitates, 383; effectus, 384. — Lex civilis in materia separationis corporum: causae, formalitates, effectus, 385. Lex civilis divortium permittens est iniqua tum generatim spectata, a/ in se, 386; b/ in sequelis, 387; tum in variis dispositionibus suis, in specie quoad causas divortii, 388; et quoad regimen separationis corporum, 389. Quousque tolerari valeant: a/ sollicitatio separationis corporum, 390; b/ sollicitatio divortii a matrimonio merè civiliter existenti, 391; c/ defensio vinculi matrimonialis contra actorem solutionem exquirentem, 392; d/ pronuntiatio divortii civilis a vinculo canonice valido, 393 ss.; quid de sollicitatione divortii civilis a/ ex parte conjugis, 401 ss.; b/ quid ex parte advocati, 404; quid ex parte syndici conjungentis personas divortio civili disjunctas, 406; proponitur modus agendi parochi et confessarii cum conjugibus sollicitationem divortii meditantibus, 403; divortio jam separatis, sine novo matrimonio civili, 407; cum novo matrimonio civili, 408; v. *Indissolubilitas, separatio.*

Domicilium facti, quid sit et quomodo acquiratur, 45; domicilium juris, 46; quomodo amittantur, 46; quasi-domicilium, quid et quomodo acquiratur et amittatur, 47; domicilium vel quasi-domicilium paroeciale, dioecesanum, quid, 45, 46, 47; quid *mensilis commoratio*, 127. — Ad licitam (non jam validam) celebrationem matrimonii requiritur et sufficit praesentia parochi domicilii, quasi-domicilii, vel mensilis commorationis, 125; notanda circa assistentiam parochi mensilis commorationis, 127.

Dotis defectus vel incompetentia, causa dispensandi, 819.

Droit de cuissage, 80 in nota.

Droit de jambage, 80 in nota.

Dubium. Quousque uti liceat matrimonio dubio, 237; quid de impedimento dubio, et quousque cum illo liceat matrimonium inire, 471, 472; quomodo dijudicandum matrimonium quod reperitur dubie validum, 472[bis]; dubium baptisma in ordine ad matrimonium, v. *Disparitas cultus.*

E

Ebrietas viri, quousque uxorem a reddendo debito excuset, 235.

Ecclesia. Ecclesiae jus in sponsalium regimen, 37, 38, 465; Ecclesiae soli competit regimen matrimonii duorum fidelium, 411 ss.; quid importet illud regimen, 416 ss.; limites intra quos impedimenta condi possint ab Ecclesia, 421; in specie quousque ab Ecclesia statui possit impedimentum absolutum et perpetuum, 422 ss.; compendiosa descriptio regiminis Ecclesiae in matrimonium christianum, 425; de competentia Ecclesiae circa ea quae cum vinculo matrimoniali accidentaliter tantum sunt connexa, np. quae mere civilis sunt indolis, vel mixti foris, 425. Potestas Ecclesiae interpretandi jus divinum, 426. Subjectum activum illius regiminis Ecclesiae, 429; subjectum

passivum, 430, 431; forma qua excercetur hoc regimen, 432. — Ecclesiae etiam exclusive competit regimen matrimonii inter fidelem et infidelem, 438. — Jus Ecclesiae in matrimonia inter duos infideles, 437bis. An et quousque Ecclesia suo regimine matrimoniali attingere valeat infideles, 438bis. — Stadia per quae haec potestas regendi matrimonium successive transivit, 445 ss. Influxus Ecclesiae in leges civiles in ordine ad firmandam indissolubilitatem, 359, 371 ss.; v. *Regimen*. — Potestas Ecclesiae in ordine ad dissolvendum matrimonium infidelium, 354. Potest Ecclesia etiam dissolvere matrimonium quod non sit ratum et consummatum; potest dissolvere etiam sponsalia; v. *Romanus Pontifex*. — Circa ejus potestatem dispensandi super impedimentis, v. *Dispensatio*.

Ecclesiae vetitum, v. *Vetitum*.

Educatio prolis, jus et obligatio, 272. — Quid importet educatio corporis 273; animae, 274; in specie quid de instructione sexuali, 274 in nota; educatio est officium utriusque parentis, 275; ipsis competit vero potestas in filios, 275; obligantur etiam parentes naturales, 275; Poena a novo Codice lata contra parentes liberos suos acatholice educantes, 275. — Dispositiones juris civilis circa proles legitime natas vel legitimatas, 276; circa illegitime natas et non legitimatas, 277, 278; quaenam proles possint coram lege civili legaliter agnosci, 277. — Educatio sequitur ad factum generationis, 75; intimum, individuum et stabile consortium viri et mulieris requirit, 77, 320.

Electio *perfectioris vitae* quousque sit causa dissolutionis sponsalium, 32; jam non est causa separationis a tecto, 258. Electio *status conjugalis*, quibusnam suadendum, 699.

Eleemosyna, clausula dispensationis, 874.

Eleemosynarius militum, v. *Capellanus militum*.

Emptio. Matrimonium per emptionem non probatur olim viguisse quasi stadium universale, 82.

Epikeia: quousque parochus possit epikeiam facere si testimonium bannorum tempestive non fuerit acceptum, 60bis in nota; quousque in casu urgenti possit, omissis bannis, ex epikeia matrimonio assistere, 62; an et quousque ob impossibilitatem lex irritans juris ecclesiastici qua talis cesset ex epikeia, 469; quousque impedimentum impediens cessare possit ex epikeia, 716; quousque etiam impedimentum dirimens, 469, 716; applicatio ad casum perplexum, 716 in nota, 839; distinctio dispensationis ab epikeia, 732 in nota.

Episcopus, quanam potestate gaudeat circa sponsalia, 37, 38; quanam in regimen matrimonii fidelium, 429; quandonam dispensare possit super interpellatione in Casu apostoli, 353; — v. *Ordinarius*.

Epistola. Matrimonium per epistolam contractum jam non valet, 124.

Error. Notio et species, 523. Error *facti* circa idenditatem personae constituit impedimentum dirimens, 524; non autem error circa qualitatem personae, 525; nisi exceptionaliter et per accidens, 526. Error *juris* circa objectum substantiale matrimonialis contractus irritat matrimonium, 527; non autem error circa proprietatem matrimonii, modo sit error simplex, 528, 529. Error est impedimentum juris naturae, excepta dispositione circa conditionem servilem, 530; quomodo matrimonium ex errore nulliter contractum sit convalidandum, 530. — Jus antiquum, 531; dispositiones juris civilis, 532. — V. *Conditio servilis, Supplica, vitia dispensationis*.

Eunuchi, 550 in nota.

Evolutionistarum theoria circa originem matrimonii exponitur et refutatur, 80 ss.

Examen circa statum liberum a parocho vel confessario instituendum v. *Confessarius, parochus*. — Examen circa non consummationem matrimonii, 331 ss.; 558.

Excellentia meritorum, causa dispensandi, 827.

Excommunicatio, v. *Censura*.

Executio dispensationis, v. *Dispensatio-executio*.

Executor dispensationis, v. *Confessarius, Ordinarius loci, parochus, sacerdos, dispensatio-executio*.

Expensae solvendae occasione dispensationis, v. *Taxae*.

Experimentum *triennale*, 558.

F

Facultates dispensandi, v. *Romanus Pontifex, Congregationes, Ordinarius loci, parochus, confessarius, sacerdos, superior religionis*.

Fallectomia, 550; v. *Vasectomia*.

Familiae distinctae constitutio, effectus vinculi conjugalis, 279; Jus Romanum

ac Germanicum antiquum in hac materia, 279 in nota; ac etiam 295, pro jure Romano. — Familiae qualitas an exprimenda in supplica, 849.

Familiaritas nimia, causa dispensandi, 823.

Feriatum tempus, v. *Tempus feriatum.*

Fictio, quomodo vitiet consensum matrimonialem, 533.

Fides seu fidelitas conjugalis, bonum matrimonii, 370; v. *Bona fides.*

Finis. Finis *operis primarius* matrimonii est generatio et educatio prolis, 83; fines operis *secundarii* dumtaxat sunt mutuum adjutorium et solatium, necnon sedatio concupiscentiae, 83; finis *operantis* in contrahendo matrimonio conformandus est fini operis primario saltem *negative,* 85, 86; finis operis sensu proprio unicus copulae est propagatio speciei, 208; finis proprius copulae non est sedatio concupiscentiae, 208.

Finis operantis in conjugii usu qualis debeat esse ad honestatem actus, 209; ad perfectionem actus, *ibidem.*

Fluxus menstruus, quid sit, 226; utrum reddat copulam illicitam, *ibid.*

Foecondatio artificialis, quid sit, quaenam illicita, 560.

Fores Ecclesiae, celebratio matrimonii ad fores Ecclesiae, usus antiquus, 202.

Forma commissoria. Dispensatio in —, 740.

Forma gratiosa. Dispensatio in —, 740.

Formalitates *ad sponsalium celebrationem,* ex natura rei nullae exiguntur, 6; neque olim ex jure ecclesiastico communi pro sponsalibus fidelium, 7; in variis ritualibus praescribebantur tamen, ad licitam celebrationem, quaedam sollemnitates observandae, 7 in nota; in nostris regionibus sponsalia infidelium soli juri naturae subsunt, 7 in nota; formalitates requisitae pro valore inde a decreto *Ne temere* ac novo Codice, 8 ss.; decreti et Codicis extensio, 11; haec disciplina novi Codicis non habet vim retroactivam, 11.

Formalitates ad consensum matrimonialem ex natura rei nullae requiruntur, 103; ex jure positivo variae sunt observandae, 104. Exponuntur formalitates ex jure canonico observandae ante Conc. Trid., post Conc. Trid., 104; post decretum *Ne temere,* 105; sub novo Codice, 106. Sub praesenti disciplina formalitates requisitae pro *valore:* 1° ex parte assistentiae Ordinarii vel parochi, 107 ss.; 2° ex parte assistentiae sacerdotis delegati, 114 ss.; conditiones pro valore *delegationis,* 115 ss.; conditiones pro valore *assistentiae* delegati, 122, v. *delegata potestas;* 3° ex parte assistentiae testium, 123, v. *Testis;* 4° ex capite praesentiae nupturientium, 124; quid de matrimonio per procuratorem, 124, v. *Procurator;* quid de matrimonio per epistolam vel nuntium, 124. — Formalitates requisitae pro *liceitate:* 1° ex parte assistentiae Ordinarii vel parochi, 125 ss.; 2° sacerdotis delegati, 125, 127; 3° testium, 125; modi quo sponsi exprimere debeant consensum, 129; quid speciale in matrimonio per procuratorem, 129. Quaedam cautelae praeviae servandae: ante celebrationem matrimonii debet parocho prius constare de statu libero sponsorum, 129; et pro vagis prius requiritur de norma licentia Ordinarii, 129. — Indicatur duplex casus exceptus: si sine gravi incommodo haberi vel adiri nequeat parochus vel sacerdos delegatus, *validum* est matrimonium contractum coram solis testibus: a/ in periculo mortis; b/ secluso periculo mortis, si praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam, 130 ss.; modus celebrandi matrimonium coram solis testibus, 134; pro *liceitate* celebretur, simul ac coram testibus, coram alio sacerdote si quis praesto sit, 133. Peculiaris applicatio pro casu quo civile matrimonium praemitti nequeat, 135 ss., 462, 625 in nota. — Discrepantia inter jus antiquum et novum, 128.

Extensio legis: se extendit ad omnia loca, 139; afficit omnes baptizatos catholicos latinos, 140; quinam intelligantur catholici, 140, 500; quinam catholici orientales, 140; quinam acatholici, 140; quid de dubie baptizatis, 140; non datur exemptionis communicatio, 141; applicationes et normae, 142; derogatio inducta circa quasdam personas in Ecclesia catholica latina baptizatas, 143; exceptio in favorem Germaniae et Hungariae abrogata, 143; alia plane erat extensio legis Tridentinae, 144; sanctiones legis novae, 145. v. *Clandestinitas.* Quod spectat *caeremonias* pro celebratione *sacramenti* matrimonii, v. *Caeremoniae, procurator.* — Formalitates juris civilis circa consensum matrimonialem, 135, 146, 455, 459, 478, 898. — Jus antiquum Judaicum, Romanum, Germanorum circa formalitates consensus matrimonialis, 147.

Formalitates processus matrimonia-

lis, v. *Processus*. — Formalitates observandae in dispensando, v. *Dispensatio*.

Formula: formula contractus sponsalitii, v. *ad calcem;* formula antiqua juxta *Pastorale Mechlin.* anni 1649, 7 in nota; formula schedularum a parochis ad invicem mittendarum quoad proclamationes bannorum in casu quo sponsi ad diversam parochiam pertinent, 51 in nota, 60[bis] in nota; specimen formulae antiquae anni 1268, 60[bis] in nota; formula proclamationis bannorum veteris Ritualis *Lemovicensis*, 56 in nota; formula ad dispensandum in petitione debiti, post votum castitatis emissum, 231, in nota; formula rescripti Romani quo delegatur Ordinarius ad instruendam causam non-consummationis matrimonii, 331 in nota; formula juramenti suppletorii, 687 in nota; formula dispensationis apostolicae in forma commissoria, 862; formula rescripti in forma speciali ante Codicem a S. C. de Sacr. usitata, 862 in nota; formula absolutionis ad effectum et juridicae, 876 in nota; tenor folii quod ab Officiali Brugensi adjungebatur pagellae inquisitionis pro verificatione precum dum in rescripto formae specialis injungebatur poenitentia et scandali remotio, 873 in nota; formula folii quod Officialis Brugensis mittebat ad parochum simul cum pagella inquisitionis pro verificatione precum, 873 in nota; tenor rescripti super mixta religione, 874 in nota; formula a nupturientibus subsignanda in matrimonio mixto, 874 in nota; formula fulminationis dispensationis apostolicae ab Ordinario Brugensi usurpata, 876; formula fulminationis, vel potius dispensationis super mixta religione, 876 in nota; formula rescripti S. Poenit. pro foro interno, 882 in nota; formula absolutionis a censuris et fulminationis pro dispensatione apostolica in foro interno, 886; tenor rescripti dispensationis pro foro exetrno et pro foro interno super voto simplici castitatis, 889 in nota; formula dispensationis episcopalis pro foro externo, 890; pro foro interno, 890; formula dispensationis episcopalis in forma commissaria, 893 in nota; formula dispensationis sacerdotalis pro foro externo in mortis periculo, 894; et pro foro interno, 895; specimen libelli supplicis a sacerdote in favorem nupturientium oblati procuratori regis pro matrimonio in extremis, 898 in nota; variae formulae pro convalidando matrimonio, 900 ss.; formula rescripti sanationis in radice pro foro externo in forma gratiosa, 912 in nota; in forma commissoria, simul cum formula *fulminationis* ejusdem rescripti, *ibidem;* pro foro interno in forma commissoria, 913 in nota; pro foro interno non sacramentali in forma gratiosa; *ibidem;* formulae inscriptionis matrimonii in registro, formula notitiae matrimonialis transmittendae, formula ad petendam licentiam celebrandi matrimonium vagi, variae formulae supplicarum pro dispensatione, v. *ad calcem libri*.

Fornicatio inter personas impedimento obnoxias, utrum specialem malitiam habeat, 473; quid post dispensationem, 474; fornicatio sponsi cum tertia persona, an et quantum sit peccatum injustitiae, 27.

Fors-mariage, 531 in nota.

Fortuna, v. *Pauperes*.

Forum externum, internum. Impedimentum fori interni et externi, 466; dispensatio fori externi et interni (sacramentalis vel extrasacramentalis) cum respectivo effectu juridico, 737, 738; facultas dispensandi pro foro interno, externo, utroque foro, 739.

Fructuositas sacramenti, v. *Sacramentum matrimonii*.

Fulminatio dispensationis apostolicae pro foro externo quomodo facienda, 876; specimen formulae, *ibidem;* an scripto facienda, 877; an praevie danda sit absolutio a censuris ad cautelam, 878; quaedam specialiter notanda circa fulminationem, 879; quid sit dispensare *ex nunc pro tunc*, 879; fulminatio dispensationis apostolicae pro foro interno sacramentali quomodo facienda, 886; in specie quod spectat dispensationem super crimine, 887; notandum circa comburendas litteras, 887. — V. *Dispensatio*.

G

Gallicana theoria, quomodo faverit introductioni matrimonii civilis in Gallia, 451.

Gratia, quaenam et quousque conferatur per sacramentum matrimonii, 187.

Gratianus, propugnator copulatheoriae; ejusdem argumenta, 97.

Genealogia, v. *Consanguinitas*.

Gnosticorum doctrina circa honestatem matrimonii, 89 in nota.

Gradus, 596. Norma computandi gradus consanguinitatis, 597; norma decriben-

di consanguinitatem multiplicem, 598. Norma computandi gradus affinitatis, 615 s.; et describendi affinitatem multiplicem, 618; v. *Consanguinitas, affinitas, supplica.*

H

Habitatio fraterna, in casu matrimonii nullius, *722, 724.*
Haeresis, causa separationis a tecto, *256.*
Haeretici, utrum subjiciantur regimini Ecclesiae in re matrimoniali, 430; in specie impedimento clandestinitatis, 430, 140.
Hammourabi, ejus leges, 82, 612 in nota, 625 in nota, 629 in nota, 673 in nota.
Hermaphroditae, quinam apparentes, veri, 559; quousque ad matrimonium admitti possint, *ibid.*
Hincmarus Rhemensis. Ejus doctrina circa naturam matrimonii, 96.
Hypospadia, 551 in nota.
Hysterotomia, 550 in nota.

I

Ignari in re religiosa edocendi sunt a parocho; quod si renuant non est locus eos respuendi a matrimonio, 688.
Ignorantia, an et qualis vitiat consensum matrimonialem, 322[ter]; non excusat ab impedimentis dirimentibus, etiam criminis, 469.
Illegitimi coram jure ecclesiastico, quinam sint, 285; variae species: a/ *naturales,* b/ *spurii,* sive adulterini sive sacrilegi, sive incestuosi, sive nefarii, *ibid.* — Illegitimi naturales legitimantur per subsequens matrimonium inter parentes naturales, 287 ss.; spurii legitimari possunt per rescriptum Pontificis, 291; quaenam proles censeantur illegitimae in foro civili, 293; dispositiones civiles in casu dissensus parentum respectu matrimonii prolium illegitimarum, 522; v. *Legitimatio.*
Impedimentum. Notio, 463; variae species, 464 ss.; impedimenta sunt stricte interpretanda, 467; notandum circa sic dictum impedimentum *superveniens* matrimonio, 467; notitia historica, 467; enumerantur impedimenta canonica impedientia, 476; dirimentia, 477; juris civilis Belgici, 478 ss.; impedimenta alia removibilia, 714; alia irremovibilia, 715. — Potestas statuendi impedimenta, quibusnam competat, v. *Ecclesia, Princeps civilis.* Notandum circa impedimenta civilia dirimentia obstantia matrimonio infidelium, 437.

Impedimentum matrimonii quousque causa dissolutionis sponsalium, 32; obligatio revelandi impedimenta, 67 ss.; quousque liceat inire matrimonium cum dubio circa existentiam impedimenti impedientis, 471, 718; dirimentis, 472, 718; an valeat matrimonium initum a reputante adesse impedimentum dirimens, 470; quousque excuset ab impedimento ignorantia vel impossibilitas, 469. — Impedimento detecto ante matrimonium quid agendum, 714 ss.; in specie si est impedimentum irremovibile, 716; si impedimentum est removibile, 717; si probabiliter tantum obstat impedimentum, 718. Impedimento dirimente detecto post contractum matrimonium, quid agendum, 719 ss., v. *Convalidatio.*
Impotentia, quid, 550; species impotentiae, 551; qualis impotentia irritet matrimonium, 552, 553; attendendum esse solum defectum aptitudinis ad copulam de se et ex parte actus generationi idoneam, tum speculative probabile est, tum practice tutum, 554, 555; refelluntur objectiones, 556; steriles quousque impotentes, 557. Modus agendi confessarii et parochi, 558; quid in casu impotentiae dubiae ante contractum matrimonium, 472, 558, 718; matrimonio contracto, 558, 719; quid de liceitate operationis castrantis, 558[bis]. Antiqua disciplina circa impotentiam, 561; legislatio civilis, 562; v. *Hermaphroditae, foecundatio artificialis.* — Gravis injustitiae reus est conjux qui se reddit ad copulam impotentem, 217; quid de impotentia superveniente matrimonio relate ad usum matrimonii, 208[bis].
Impubertas, v. *Pubertas.*
Incestus, olim impedimentum prohibens, 610 in nota, 476 in nota; obligationes parentum juxta legem civilem erga proles incestuosas, 278; v. *Obligationes;* circa clausulam absolutionis et poenitentiae olim praescriptae in casu incestus, 872 in nota; v. *Copula.*
Indignitas ratione peccati, quid efficiat quoad assistentiam matrimonii, 194 s.; ratione censurae, 195.
Indissolubilitas matrimonii. Dissolubilitas arbitraria est contra jus naturae primarium, 310; restricta vero contra jus naturae secundarium, 311, 312; dispensatio concedi potest a Deo, non autem ab auctoritate mere humana, 313; lex naturalis prohibens dissolutionem matrimonii est lex irritativa, 314; contra objectiones indissolubilitas vindicatur, 315 ss.; matrimonium est

jure positivo divino indissolubile juxta primaevam institutionem, 324; indissolubile etiam juxta legem evangelicam, 325; locus est derogationi legis, 326; derogationes: per libellum repudii, 327; per potestatem R. Pontificis, 328 ss.; v. *Romanus Pontifex;* per professionem religiosam, 334; v. *Professio religiosa;* in casu apostoli, 341; v. *Casus Apostoli.* Utrum posset Ecclesia alias causas dissolutionis inducere, 340. — Ratum consummatum est absolute indissolubile, 357; probatur 1° ex doctrina Ecclesiae ejusque modo agendi in variis causis, signanter Lotharii, Philippi-Augusti, Henrici VIII, 358, 359; 2° ex doctrina SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum, 360; vindicatur a difficultate orta a/ ex Mt. V, 32 et XIX, 9, 361 ss.; b/ ex doctrina Ecclesiae, 365; c/ ex testimoniis Patrum et Doctorum, 366. Influxus Ecclesiae in leges civiles in ordine ad indissolubilitatem matrimonii firmandam, 359, 371 ss., 445. Disciplina ecclesiae orientalis schismaticae, 368; et protestanticae, 369. — V. *Regimen matrimonii, divortium civile, separatio.*

Indultum dispensandi, v. *Ordinarius, dispensatio.*

Industria personae, quid, 753.

Infamia mulieris, causa dispensandi, 823.

Infideles. Infidelium matrimonium fit sacramentum per utriusque partis baptismum, 178; qua ratione id explicetur, 178; non autem per unius partis baptismum, 179. — Infideles ex Christi institutione ad monogamiam adstringuntur, 308. — An et quousque infideles subsint regimini matrimoniali Ecclesiae, 431, 437[bis], 438[bis]. Matrimonium infidelium dissolvere potest Ecclesia, 328 ss., 333, 355; in dijudicando valore matrimonii in infidelitate contracti recursus habeatur ad S. Sedem, 437; v. *Casus Apostoli. Ecclesia, Princeps civilis, Romanus Pontifex.*

Ingressus Religionis, v. *Votum.*

Inscriptio, v. *Registrum.*

Inspectio corporalis, probatio non consummationis, 331[bis].

Instructio, v. *Confessarius, Parochus.*

Interdictum, v. *Vetitum.*

Interpellatio in casu Apostoli, v. *Casus Apostoli.*

J

Josephsehe, 156 in nota.

Judex civilis, quousque ipsi licita sit pronuntiatio separationis corporum, 390; divortii civilis, 393 ss.

Judiciaria oppositio contra matrimonium ineundum, 71.

Junctio manuum seu dextarum, usus antiquus, 202.

Juramentum, quid efficiat adnexum sponsalibus, 18. — Juramentum ad probationem matrimonii, 149. — Juramentum *suppletorium,* 687; formula juramenti suppletorii, *ibidem.*

Jus naturale primarium et secundarum, quid, et quousque in eo dispensari possit, 297ss., 313, 326.

Jus primae noctis, 80.

K

Kirchgang, 201, 226.

L

Legitimi, quinam censeantur coram foro ecclesiastico, 281 ss.; quid importet legitimitas, 286; legitimi, quinam in foro civili, 293; quinam in jure Romano, 295; dispositiones civiles in casu dissensus parentum respectu matrimonii prolium legitimarum, 520, 521.

Legitimatio prolis. Ejus effectus in foro ecclesiastico, 291; ejus efficacia in foro civili, 291 in nota. Legitimatio per subsequens matrimonium, 287 ss.; per dispensationem super impedimento dirimente ex potestate ordinaria vel ex potestate delegata per indultum generale ab Ordinario vel sacerdote non-Ordinario, 786, 807; per rescriptum Pontificis in dispensatione apostolica, 291, 849, 876, 879; speciatim in sanatione in radice, 735. — Jus Romanum quoad legitimationem prolis, 295; a quonam tempore et quousque fuerit adoptatum ab Ecclesia, 295. — Ritus antiqui, 292; legitimatio in foro civili, 294. — Legitimatio prolis, causa dispensandi, 823

Leviratus, 623.

Lex coelibatus: quodnam sit principium et fundamentum obligationis coelibatus in Ecclesia Latina, 574; rationes ob quas coelibatus inductus fuerit, *ibid.;* disciplina in Ecclesia Orientali, 575.

Libellus repudii, 327.

Libellus Supplex, v. *Supplica.*

Liber parochialis, v. *Registrum.*

Ligamen, jure naturae dirimit matrimonium, 563; eo soluto non licet tamen illico ad novas nuptias transire, 564; in eo dispensare potest R. P. si matrimonium non sit ratum simul et consummatum, 746. — Quid de usu matrimonii dubie validi ob dubium circa

existentiam anterioris vinculi, 237, 238. — Poenae contra violantes hoc impedimentum, 566; legislatio civilis, 567. — Quomodo constet parocho de libertate status, 676 ss.

Linea, quid, 596.

Lites super successione, causa dispensandi, 820.

Locus, quis intelligatur in ordine ad parochum vel Ordinarium loci, 108; locus in quo celebrandum matrimonium, 200; v. *Angustia loci.*

Luther, v. *Protestantes.*

M

Maleficium in matrimonio, 192 in nota; an olim habitum fuerit ut causa impotentiae, 551 in nota.

Mallum, 75 in nota, 82.

Malthus, ejus theoria, 239.

Mantellatus, mantelkind, 292.

Manusehe, v. *Matrimonium in manu.*

Manuum junctio, quomodo observaretur inter antiquos ritus matrimonii, 202.

Mariage au désert, 451 in nota.

Mariage par surprise ou à la Gaulmine, 113, 451 in nota.

Maternitas, recherche de la maternité, 277 in nota.

Matriarcatus, quid, et utrum sit vestigium stadii promiscuitatis, 80.

Matrimonium. Notio etymologica, aliae denominationes cum earum notione etymologica, 75 in nota; notio realis contractus matrimonialis, 75, 76; matrimonium originem ducit a natura, 77; et a jure positivo divino, 78; quo sensu sit contractus sacer et religiosus, 79; refutatur theoria evolutionistica circa matrimonii originem, 80 ss. — Finis matrimonii primarius et secundarius, 83; quid ex hac doctrina sequatur, 84 ss.; v. *Finis.* — Matrimonium in se honestum et sacrum, 87 ss.; virginitati tamen postponendum, 90, 91; refelluntur objectiones, 92; matrimonium de se ordinatur ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia, 88; quousque matrimonium sit in praecepto, 93.

Ad contractum matrimonialem requiritur consensus, isque sufficit, 94 s.; in specie non requiritur copula: v. *Copulatheoria;* circa proprietates et formalitates consensus matrimonialis, v. *Consensus, formalitates.*

Matrimonium inter baptizatos est sacramentum, v. *Sacramentum matrimonii.* — Bona matrimonii, 370. — Regimen matrimonii, v. *Ecclesia, Princeps civilis.* — Matrimonium invalide contractum est causa dispensandi, 824; matrimonium dubie validum, quomodo dijudicandum, 472bis; in casu matrimonii nulliter contracti, quomodo agendum, 719 ss.

Variae species matrimonii: matrimonium ratum, legitimum, consummatum, 157; matrimonium validum vel invalidum, et hoc vel putativum vel attentatum vel speciem gerens matrimonii, 158; matrimonium canonicum et civile, 158bis; matrimonium clandestinum, 159; matrimonium conscientiae, 160; matrimonium morganaticum, 161.

Matrimonium civile, quid sit, 449; species matrimonii civilis, 449. Fata matrimonii civilis in Gallia, 450; causa et circumstantiae ejus introductioni faventes, 451; formula transitionis, quatenus lex abstrahat a caractere sacramentali, 452; circumstantiae in quibus fuit introductum, 453. Regimen vigens in aliis regionibus, et speciatim in Anglia et Austria, 454. Legislatio Belgica circa ipsum, 455; in specie circa anterioritatem ipsius, 456. Crisis ipsius: matrimonium civile damnandum in sui institutione, 457; et in clausula anterioritatis, 458; quomodo medendum infaustis sequelis, 459; in specie anterioritati ejus, 135, 460, 766. Matrimonium civile qua tale est pseudomatrimonium, 461; periculum matrimonii civilis, et praesertim caeremoniae civiles adimpletae sunt causa dispensationis, 826. Matrimonium civile ex intentione contrahentium initum ut verum matrimonium, pro *exemptis* a lege clandestinitatis est validum matrimonium, 461; pro *non exemptis* est invalidum, nec ipsi ab Ecclesia agnoscitur species matrimonii, 158, 461, 702; sed venit sub nomine matrimonii contracti cujus est mentio facienda in supplica pro dispensatione, 461, 848; et potest in radice sanari, 461, 733, 736 in nota. Matrimonium civile inducit publicam honestatem, saltem qua concubinatus notorius, 629. Conclusiones practicae quoad dijudicandum matrimonium civile, 461; tum circa varias tolerantias Ecclesiae, 462. Poenae ab Ecclesia statutae contra catholicos civiliter tantum junctos et maritaliter viventes, 461. Quid matrimonium civile inexistens, annulabile, 478 in nota. — Syndicum posse civiliter conjungere personam divortio civili separatam, est sententia saltem extrinsece probabilis, 406.

Matrimonium confarreatum, 147, 205, 371.
Matrimonium in extremis, v. *Moribundus.*
Matrimonium in manu, vel sine manu, 82 in nota, 147, 279 in nota, 280 in nota; quotuplici forma in manu contraheretur, 147. Effectus matrimonii in manu vel sine manu in ordine ad familiam distinctam constituendam, 279 in nota; dissolubilitas matrimonii cum manu, sine manu, 371.
Matrimonium juris gentium seu injustum, 147 in nota.
Matrimonium per emptionem, 82.
Matrimonium per raptum, 81.
Matrimonium praesumptum, 20, 158; matrimonium praesumptum in jure Romano et in jure civili Sueciae et Scotiae, 20 in nota.
Matth. V„ 32, XIX, 9, exponitur sensus et refutatur objectio contra indissolubilitatem matrimonii, 361 ss.
Matrina, v. *Cognatio spiritualis.*
Medicus, officium ejus ubi agitur de onanismo, 248; officium ejus ubi agitur de impedimentis matrimonii vel de defectibus corporalibus graviter nocivis, 68.
Melchior Canus, quid docuerit circa constitutiva sacramenti matrimonii, 173, 176; circa ministrum sacramenti matrimonii, 184.
Mensae consortium, 251.
Mensilis commoratio in loco, quid, 127; v. *Domicilium.*
Metus, notio, 534; an, qualis, et quo jure irritet consensum et matrimonium, 535 ss. Dubia est subjectio infidelium, necnon potestas Ecclesiae dispensandi, sed in eo numquam dispensatur, 539; quomodo convalidandum matrimonium ex capite metus invalide initum, *ibid.;* cuinam competat jus accusandi matrimonium ex capite metus, 540. Poenae contra metum incutientes, 541; fata impedimenti, 541; statuta legis civilis Belgicae, 542.
Minister sacramenti matrimonii sunt ipsi contrahentes, 182; conditiones requisitae ad ministerii exercitium validum et licitum, 183; quid peculiariter attendendum quoad *intentionem* in matrimonio per procuratorem, 183 in nota; quid docuerit Melchior Canus circa ministrum sacramenti matrimonii, 184.
Missa pro sponso et sponsa, quandonam sit omittenda, 197; quid antiquitus observabatur sub Missa pro sponso et sponsa, 203; nunquam conceditur in matrimonio mixto, 510.
Mixta Religio. Mixtum matrimonium, quid, 500; validum est, 501; sed graviter illicitum, 502; nisi dispensetur, 503; praevie injunctis opportunis cautelis, 504; et cautionibus, 505; ac supposita causa proportionata, 506; cautelae, cautiones, et moralis certitudo de cautionum adimplemento penes dispensantem urgentur sub poena nullitatis, 505, 870; etiam in articulo mortis, 505; jus particulare Brugense, 505; nova disciplina Codicis circa obligationem curandi conversionem partis acatholicae et prohibitionem adeundi ministrum haereticum, 507; jus pristinum, *ibid.* in nota; exceptionalis quaedam mitigatio in normis, 508, 515, 591, 914. Officium parochi ante matrimonium, 509; in ipsa celebratione matrimonii cum dispensatione initi, 510; quo sensu ejus assistentia est passiva, 511, 111 in nota; quid de matrimonio sine dispensatione inito, 512; quid de bannis proclamandis, 58, 66, 510; officium parochi post matrimonium contractum 1°/ *licite,* 513; 2°/ *illicite:* si fuit validum, 514; si fuit invalidum, 515. De officio confessarii 509, 513 ss. Poenalitates, 517; notanda circa absolutionem a censuris contractis, 514; notitio historica, 516. — Matrimonia mixta obnoxia manent legi clandestinatis etiam post obtentam dispensationem, 142, 515 in nota; clausulae speciales ubi dispensatur super ipso, 874; notanda circa convalidationem matrimonii mixti, 914. — Periculum matrimonii mixti, causa dispensandi, 825.
Milites, coram quo contrahant matrimonium, 108 in nota.
Monogamia, v. *Polygamia.*
Morbi contagiosi periculum proximum, causa denegandi debitum conjugale, 235.
Morganaticum matrimonium, quid, 161, cautelae adhibendae, *ibid.*
Morgengabe, 80 in nota, 82 in nota, 161.
Moribundus. De exceptione pro moribundo in lege assistentiae, 130 ss.; circa novam dispositionem legis Belgicae anni 1909 in favorem matrimonii in extremis, 456, 460; modus procedendi sacerdotis in matrimonio in extremis, praesertim ratione habita legis civilis, 898; et in specie legis Belgicae anni 1909, *ibid.* — Quousque cum moribundo dispensare valeat Ordinarius, 757 ss.; parochus, 792; confessarius, 794; simplex sacerdos, 795; superior religionis clericalis, 796.

Mundium, 82.
Munera inter sponsos mutuo data, 22.
Mutatio superveniens, an causa dissolutionis sponsalium, 34.

N

Naturales filii, quid, 285; legitimantur per subsequens matrimonium inter parentes naturales initum, 287 ss.; quid de putative naturalibus, de facto tamen spuriis, 288; obligationes parentum erga proles naturales, 275; ex lege civili, 277, 278; v. *Legitimatio.*
Nefarii filii, quid, 285.
Neo-Malthusianismus, 239.
Ne temere. Promulgatio hujus decreti, 139 in nota; formalitates ab ipso praescriptae pro sponsalibus, 8; pro matrimonio, 105; extensio decreti, 11, 139 ss.; hoc decretum non habebat vim retroactivam, 11 in nota; abrogata per novum Codicem duplex derogatio a Decreto admissa, 143.
Nicolai I rescriptum ad consulta Bulgarorum quoad ritus sponsales et nuptiales, 204.
Nullitas matrimonii. Varii modi ipsi medendi, 720 ss.; a quonam accusanda nullitas matrimonii, 403, 703, v. *accusare;* de nullitatis declaratione, 724.
Nuntii, *internuntii,* facultates dispensandi ipsis concessae, 770[ter].
Nuptiae, notio etymologica, 75.
Nuytz. Ejus sententia circa distinctionem inter sacramentum et contractum, 172.

O

Obligationes parentum erga proles, v. *Educatio.*
Obreptio, vitium dispensationis, 918.
Occultum impedimentum, sive natura, sive facto, 465; v. *Dispensatio.*
Officialis civilis, an possit civiliter conjungere personas civili divortio separatas, 406.
Onanismus, notio, 239; variae species ejusdem, *ibid.;* in quonam consistat essentialis ipsius inordinatio, 240; quantum noceat conjugibus, 240; sequelae lugendae, 240; officium confessarii: interrogare, 241; monere et docere onanistas, 242, necnon conjugem materialiter cooperantem, 243, 244; mederi, 245; officium Status, 247; officium medici, 248; officium parochi, 241 in nota, 692, 695. — Invalidum matrimonium contractum sub conditione suspensiva onanistice utendi conjugio, 155; v. *Confessarius.*
Oophorectomia, 239 in nota, 550, 555, 557; v. *Vasectomia.*
Oppositio contra matrimonium ineundum, 71, 488; lex civilis in hac materia, 73, 488, 521 in nota; v. *Dissensus parentum, accusare matrimonium.*
Ordinarius, quis, 107, 752 in nota.
Ordinarius loci, quis veniat hoc nomine, 107, 752, 772; quisnam in ordine ad sponsalia, 8, 10; quisnam in ordine ad dispensationem in bannis, 63; potest publicationibus bannorum affixiones substituere, 57; quousque possit publicationes permittere in ordine ad matrimonia mixtae religionis et disparis cultus, 58. — Quisnam in ordine ad assistendum matrimonio, 108, 125. — Ordinarii potestas, tum ordinaria, tum delegata, dispensandi in ordine ad petendum debitum, 231. — Ordinarius loci quousque ferre possit vetitum nubendi, 487; quandonam et quousque possit absque processu juridico declarare nullitatem matrimonii, 702; quisnam Ordinarius sit judex competens in processu matrimoniali et quousque, 704.
Potestas dispensandi. Ordinarii potestas ordinaria propria vel vicaria, quid, 753; quid ejus potestas delegata, 753. Ex potestate ordinaria propria nihil valet, 754. Objectum potestatis *ordinariae vicariae:* 1/ super impedimentis *dubiis,* 756; 2/ super impedimentis *certis,* a/ in periculo mortis, 757 ss.; extenditur potestas ad periclitantes non aegrotos et non concubinarios, 758; non requiritur casus urgens, 760; supponitur ratio consulendi conscientiae, aut legitimandi prolem, 759; servandae sunt cautelae, 762; b/ extra periculum mortis, *α/* in casu urgenti, 763, 764; determinatur casus urgens, 765; applicatio specialis pro casu difficultatis oriundae ex anterioritate obligatoria matrimonii civilis, 766; *β/* extra casum urgentem, dispensare potest super bannis et super votis non reservatis, 767; quaenam sint illa vota, 767. Objectum potestatis *delegatae:* pro foro interno, 768; pro foro externo, 769 ss. — Determinatur natura potestatis Ordinario concessae tum ordinariae, tum delegatae (seu pro quonam foro valeat), 772, 780. — Subjectum activum potestatis Ordinarii, seu ille cui competit haec potestas, 772; subjectum passivum, seu cum quibusnam personis dispensare possit, 773 ss.; quid si Ordinarius est tantum executor dispensationis, 777; notan-

dum circa dispensandos reges et principes, 778. — Principia moderantia interpretationem potestatis dispensandi Ordinarii, 779 ss.: potestas ordinaria late interpretanda, 779; potestas delegata, quaenam late, quaenam stricte interpretanda, 779; quid importet interpretatio lata, 780; quid stricta, 781. — Principia circa exercitium potestatis, 782 ss.: norma servanda in concursu impedimenti a S. Sede dispensandi cum impedimento episcopali, 782, 783; quid si dispensatio fuit a S. Sede petita praetermisso Ordinario, 784; quid si gratia ab uno Ordinario fuit denegata et ab alio impetrata, 784bis; quousque teneatur Ordinarius servare stylum curiae, 785; quomodo agendum in concursu potestatis duplicis, 785bis; quousque dispensando super impedimento dirimente etiam concedatur legitimatio prolis, 786. — Principia circa Ordinarii potestatem delegandi et subdelegandi, 787. — Quomodo cesset potestas Ordinarii, 788, 789; notanda circa suppletionem potestatis ab Ecclesia et circa usum potestatis suppletae, 790. — Ordinarius qua *Executor* dispensationis apostolicae pro foro externo in ordine ad matrimonium contrahendum, 863 ss.; in ordine ad matrimonium convalidandum, 903; v. *Dispensatio-executio.* — Concessio et executio dispensationis episcopalis, 890 ss., 902; v. *Dispensatio episcopalis.* — An et quousque sanare valeat Ordinarius rescriptum vitiatum, 927. V. *Episcopus.*

Ordinarii Missionum, facultas dispensandi ipsis concessa, 770bis.

Ordo, quousque in Ecclesia Latina dirimat matrimonium, 571, 572; utrum Ecclesia vim irritativam immediate adnexerit ipsi ordinationi, an vero voto in Ordinis susceptione emisso, 573; v. *Coelibatus;* disciplina Ecclesiae Graecae, 575. — Ordinis susceptio non dissolvit matrimonium contractum, 337; effectus Ordinis circa *usum* matrimonii praevie contracti, 576. — Super eo dispensari potest, 578; dispensat Romanus Pontifex, raro in Presbyteratu, et nunquam in Episcopatu, 578. — Poenalitates latae in matrimonium attentantes, 579. Evolam de se aptam generationi, 550.

Organa, quousque requirantur ad copulam de se aptam generationi, 550.

Orientales non subjacent decreto *Ne temere,* nec novo Codici pro disciplina sponsalium, 11, et formalitatibus consensus matrimonialis, 140 ss.; disciplina Orientalium circa impedimentum Ordinis et coelibatum, 575, 576.

Orientales schismatici: eorum doctrina circa divortium, 368.

Ovariotomia, 239 in nota; an inducat impotentiam, 550, 555, 557.

P

Pacis acceptio, usus antiquus, 203.

Paranymphus, quid, 202.

Parentes, v. *Educatio, Dissensus parentum.*

Parochus, quis in ordine ad sponsalia, 10; quid valeat circa sponsalia, 37. — Quis intelligatur sub nomine parochi in ordine ad assistendum matrimonio, 107. — Parochus qualis requiratur ut *valide* assistat consensui matrimoniali, 108 ss.; utrum valide assistat parochus putativus, 109; parochi personales in ordine ad assistendum matrimonio, 108 in nota; qualis, ut *licite* assistat, 125; ne assistat matrimonio nisi prius constiterit de statu libero contrahentium, 129; et ubi agitur de vagis, obtinuerit licentiam Ordinarii, 129; quousque et quomodo assistere possit matrimonio a/ peccatoris occulti, 194; b/ peccatoris publici, et notorie censurati, 195; c/ apostatae vel notorie adscripti sectae vetitae, 196; disciplina mitigata, 196 in nota. — Parochus non est minister sacramenti, sed testis auctorizabilis, 182; sensus benedictionis ipsius, 185.

Officium parochi circa sponsos, 675 ss.: a parocho instituendum est *examen* de statu libero sponsorum, 676; inquisitionis media sunt, a/ banna, 677; b/ testimonium baptismi, 678; c/ investigatio directa parochi, 679; quae investigatio importat interrogationem sponsorum circa impedimenta dirimentia, 680; et impedientia, 681; et etiam fori civilis, 682; interrogandi sunt seorsim et caute, 683; alia investigationis media in specialibus adjunctis, 684 ss.; notatim pro viduis, 685; notanda circa juramentum suppletorium, 687; et circa documenta procuranda, 687bis; dubio manente circa existentiam impedimenti, parochus ne assistat matrimonio, inconsulto Ordinario, 686; a parocho inquirendum est circa instructionem sponsorum, 688; quomodo cum ignaris agendum *ibidem;* quousque ab ipso etiam inquirendum circa susceptionem confirmationis, 191 in nota, 687 in nota. Munus

instruendi sponsos ac conjuges, 689; instructio publica, 690 ss.; instructio privata, 694 s.; monitio contra onanismum, 692, 695. — Quanam potestate gaudeat in regimen matrimonii, 429; quousque possit ferre vetitum, 487. — Munus parochi in casu impedimenti dubii vel certi ante matrimonium detecti aut denuntiati, 714 ss., 829; ejus munus in casu matrimonii invalide contracti, 719 ss.; v. *Confessarius*. Munus parochi in casu separationis a tecto a conjugibus instituendae vel jam institutae, 261, 262; quomodo agat cum conjugibus divortio separatis, 407, 408; in casu dissensus parentum matrimonio filiorum, 518, 681. — Officium ipsius circa matrimonium mixtum, v. *Mixta religio*; quomodo agat in casu impotentiae dubiae vel certae, 558; circa impedimentum criminis, 667, 680, 683. — Parochi potestas dispensandi: quid possit ex potestate a jure concessa in periculo mortis, 792; quid extra periculum mortis, 793; quid possit ex potestate ab homine concessa, 797, 798; de natura ejus potestatis dispensandi, an sit ordinaria vel delegata, 799; pro quonam foro sit ejus potestas dispensandi, 800; cum quibusnam dispensare possit, 801, 804; quoad principia circa interpretationem et exercitium ejus potestatis dispensandi, v. *Sacerdos*. Munus parocho commissum circa actus praeparatorios in executione dispensationis apostolicae pro foro externo, 864; ejus officium respectu fulminatae dispensationis, 879; munus parochi excipientis dispensationem episcopalem, 891; munus ipsius describendi matrimonia in registro, 700; v. *Registrum*.

Paternitas; recherche de la paternité, 277 in nota, 656.

Patrinus, v. *Cognatio spiritualis*.

Pauperes, quinam sint ,et quaenam ab ipsis taxa solvenda pro dispensationibus, 857, 858; an sub nova disciplina adhuc sit attendenda pro recursu Romano distinctio inter pauperes et divites, 740, 751 in nota, 858, 916 in nota.

Paupertas viduae, causa dispensandi, 821.

Peccator, quousque possit parochus matrimonio ejus assistere, 194 ss.; v. *Parochus*.

Periculum grave animae vel corporis, causa separationis a tecto, 257.

Periculum matrimonii mixti, incestuosi concubinatus, matrimonii civilis, causae dispensandi, 825, 826.

Perinde valere, 924; pro formula, *vide inter formulas in fine libri*.

Petrus Lombardus, impugnans copulatheoriam, 98.

Physiologicae leges, nihil faciunt contra honestatem virginitatis, 92; notae physiologicae circa procreationem, 206 in nota.

Poena adjuncta contractui sponsalitio, an obliget resilientem, 23.

Poenae civiles comminatae sacerdoti assistenti matrimonio religioso, ante celebratum matrimonium civile, 456 in nota; quomodo vitari possint, 135 ss., 460, 766; v. *moribundus*.

Poenitentia juridica, clausula dispensationis Apostolicae fori externi, 871; fori interni, 884; quanta imponenda, 871; utrum requiratur ad valorem dispensationis, 871.

Poenitentia publica, olim impedimentum matrimonii, 476. Quousque olim extiterit impedimentum cognationis spiritualis inter Poenitentiae ministrum et poenitentem, 644.

Poenitentiaria, v. *Congregationes Romanae*.

Poenitentiarius, v. *Canonicus Poenitentiarius*.

Polyandria, 303; v. *Polygamia*.

Polygamia successiva numquam fuit prohibita, nec jure divino, 300; nec jure ecclesiastico communi, 302; licet fuerit minus probata uti status imperfectus, 301. Polygamia simultanea est contra jus naturae, ea nempe lege ut *polyandria* simultanea sit contra jus naturae primarium, 303; *polygynia* vero contra jus naturae secundarium, 304; haec polygynia simultanea jure positivo divino fuit ab initio prohibita, 305; dispensatio fuit concessa in antiqua lege, directe Judaeis, indirecte etiam gentilibus, 306; quae dispensatio a Christo fuit sublata, 307; etiam pro infidelibus, 308. — Polygami, quanam ratione uti possint privilegio Apostolii, 353. — Poenalitates ecclesiasticae et civiles, 166, 567.

Polyginia, v. *Polygamia*.

Porrensis operatio, 550 in nota.

Portae nuptiales, quid, 202.

Praegnantia, quousque reddat copulam illicitam, 226, 236; praegnantia, causa dispensandi, 823.

Praegustatio panis et vini, quid, 204.

Praesumptum matrimonium, quid, 158; matrimonium praesumptum inducebatur, sub jure antiquo, non sub novo, per copulam supervenientem sponsalibus, 20, 21.

Praesumpta Sponsalia, vix adhuc illis est locus, 13.

Pretium nuptiale, 82.

Princeps civilis. Ipsi qua tali non competit regimen matrimonii duorum fidelium, 411, 412, 413, nec matrimonii inter fidelem et infidelem, 438; in specie excluditur a potestate statuendi, abrogandi, aut mutandi impedimenta, 420, 438; quaenam jura et quaenam officia ipsi competant circa matrimonia fidelium, 427, 428. Principi civili qua tali competit regimen matrimonii duorum infidelium 433 ss.; quid importet illud regimen, 436; ipsi competit regimen sponsalium duorum infidelium, eaque potest dissolvere, 37, 436 in nota; ipsi nulla competit potestas dissolvendi vinculum conjugale, 313, 326, 436; non potest status civilis steriles reddere cives quosdam, 439, 440; v. *Regimen matrimonii, Vasectomia.*

Privilegium fidei, v. *Casus Apostoli.*

Probatio matrimonii, modus probandi matrimonium in foro ecclesiastico, 149; ac in foro civili, 150.

Procatio cum tertia persona, an causa dissolutionis sponsalium, 32.

Processus matrimonialis: quandonam et quousque requiratur processus *juridicus,* 702, 702bis; quomodo juxta jus canonicum instaurandus, 703 ss.: 1° quinam sint habiles ad matrimonium accusandum, 703; 2° quisnam sit judex competens, 704, 705, 706; 3° procedura: in constituendo tribunali, 707; in actis conficiendis, 708; in processus conclusione et sententia ferenda, 709; in appellatione facienda, 710. — Notanda circa jus et officium Signaturae Apostolicae et circa conflictum inter forum externum et internum, 711; utrum formalitates observandae pro valore, 712; statisticae, 712.

Proclamationes Bannorum: Lex circa proclamationes, 40; prae caeteris urget nupturientium parochum proprium, 41; obligationis gravitas, 42; sanctio olim adnexa, 42 in nota. In quanam *parochia* faciendae, 43, 44, 49; quid in anteriori jure circa banna proclamanda extra proprii parochi parochiam, 49 in nota; quid in jure particulari Brugensi, *ibidem;* quid speciale notandum si sponsi sint diversae parochiae, 51. — In quonam aedificio faciendae, 50; quoties, 52; quandonam, 54, 55; quanam sub forma, 56; usus antiquus, 56 in nota; quomodo per affixiones, 57; quondonam et quoties iterandae, 53; quandonam differendae vel interrumpendae, 59; notandum circa matrimonia mixtae religionis vel disparis cultus proclamanda, 58, 66; praerequisita ante admissionem ad nuptias post proclamationes bannorum, 60bis; tempus intermedium, 60bis; taxa, 60. Causae a proclamationibus deobligantes, 61 ss.; a quonam et quibusnam ponendis dispensatur super illis, 63, 64; quisnam parochus petere debet dispensationem, 63; mulcta pro dispensatione solvenda, 63 in nota. Partes parochi circa proclamationes bannorum quando ab utroque sponso idem parochus adeatur, 65; quando diversus adeatur, 51, 66. Statuta legis civilis circa publicationes antenuptiales, 72; circa oppositiones, 73, 488. V. *revelatio, oppositio, accusare matrimonium.*

Procurator: procurator in baptismo non incurrit cognationem spiritualem, 640 in nota. — Matrimonium per procuratorem: conditiones servandae ad valorem juxta novum Codicem, 124; et ad liceitatem, 129; procurator non est minister sacramenti matrimonii, 182; in matrimonio per procuratorem nulla specialis caeremonia requiritur, 197. — Procurator in sponsalibus, 10 in nota. — Procurator regius dispensare potest in publicationibus civilibus et dilatione legali, 72, 898.

Professio religiosa sollemnis, ad exclusionem voti simplicis et ordinis, dissolvit matrimonium ratum non consummatum, 334 ss.; idque jure mere ecclesiastico, 338; quid de matrimonio consummato quod non sit ratum et consummatum, 339. v. *Votum.*

Proles: jus et obligatio eam educandi, v. *Educatio;* quoad proles legitimas vel illegitimas, v. *Educatio, illegitimi, legitimi, legitimatio.* — Proles, bonum matrimonii, 370.

Promiscuitas non probatur fuisse stadium initiale rei matrimonialis, 80.

Promissio matrimonii unilateralis nisi in debita forma emittatur, per se et ratione sui, nullam obligationem inducit sive in foro conscientiae, sive in foro externo, 9, 26; per accidens tamen et aliunde potest aliquam obligationem inducere, 26; quid valebat ante novi Codicis disciplinam, 2, 9 in nota; pro forma canonica quaenam formalitates requirantur, 10; quaenam obligationes oriantur ex promissione unilaterali facta in forma canonica, 24.

Prophylaxia anticonceptionalis, 239 in nota, 247.

Protestantes: Lutheri doctrina circa honestatem matrimonii, 89 in nota; quousque servaverint protestantes vestigium copulatheoriae, 98 in nota; eorum doctrina circa sacramentalitatem matrimonii, 162; circa separationem a toro et cohabitatione, 252; circa polygamiam, 308 in nota; circa divortium a vinculo ejusque causas, 369; circa regimen matrimonii, 426, 442, 444; a qua doctrina non parum deflectitur in praxi, 443.

Protestantismus, quomodo fuerit causa et occasio favens introductionis matrimonii civilis in Gallia, 451.

Pubertas duplex: physiologica et legalis, 548; in anteriori disciplina defectus utriusque pubertatis constituebat impedimentum dirimens matrimonii, 548; quid de sponsalibus impuberum, 17, 34 in nota. Olim, positis ponendis, matrimonium impuberum inducebat sponsalia, 13. v. *Aetas.*

Publica honestas. Notio, 626; undenam nomen suum traxerit, 629 in nota; conformitas cum Jure Romano, 629 in nota; oritur ex matrimonio invalido, 627; vel ex concubinatu publico, 628, 629; qua ratione inducatur per matrimonium civile, 629; species publicae honestatis, 630; quomodo determinetur, 630; qua ratione multiplicetur, 630 in nota; extensio impedimenti, 631; est juris mere ecclesiastici, 632; ei non subsunt infideles nisi indirecte, 632; utrum publica honestas in infidelitate contracta constituat impedimentum in ordine ad matrimonium post baptismum ineundum, 438bis, 632; afficit solum matrimonium *contrahendum*, 632; ratio juridica ob quam est inductum illud impedimentum, 632; quousque in eo dispensetur, 632, 633; quid si publicae honestati succedat validum matrimonium, 633. Mutationes a novo Codice inductae a/ in ipsa notione et natura P. H., 629; b/ in extensione impedimenti, 634. Notitia historica, 635. Legislatio civilis, 636.

Publicationes, v. *Proclamationes.*

Puerperium, quousque reddat copulam illicitam, 226, 236.

Putativum matrimonium, quid, 158; sufficit ad legitimitatem prolium, 283.

Q

Quasi-domicilium, v. *Domicilium.*

Quasi-parochia, quid sit, 45.

Quasi-parochus, in ordine ad assistendum matrimonio, 107.

Quasi-pauperes, quinam sint, taxa ab ipsis solvenda pro dispensationibus, 857, 858; v. *Pauperes.*

R

Raptus. Notio et divisio, 646; distinguitur a violenta retentione mulieris, 646; raptus dirimit matrimonium si est raptus violentiae factus intuitu matrimonii, 647 ss.; et quamdiu mulier rapta in potestate raptoris manserit, 650; pariter dirimit matrimonium violenta retentio mulieris facta intuitu matrimonii, 651. Impedimentum raptus est juris mere ecclesiastici, et non afficit infideles nisi indirecte, 652; est dispensabile, sed raro super eo dispensatur, 653; poenae latae in raptores, 654; antiqua disciplina, 655; jus civile, 656.

Ratum matrimonium, quid, 157.

Ratum et consummatum matrimonium, quid sit, 157; ejus absoluta indissolubilitas, 333, 356, 357.

Rectores piorum locorum in ordine ad assistentiam matrimonii, 108 in nota.

Regimen matrimonii, quid importet, 409; est in manu auctoritatis socialis, 410; cuinam auctoritati subjiciatur, v. *Ecclesia, Princeps, civile, matrimonium civile.* Stadia per quae Ecclesia successive pervenit ad regimen matrimonii fidelium, 445; successiva ingerentia status civilis, 446 ss.

Registrum. Inscriptio in registro *matrimoniali,* cuinam competat regulariter, 700; quid et qua formula inscribendum, 700, 879; cuinam competat exceptionaliter, 701; notanda circa matrimonia conscientiae, 160, 701, 915; inscriptio matrimonii *convalidati,* 915; inscriptio facienda casu quo parochus vel sacerdos dispensaverit pro foro externo, 811; inscriptio facienda in archivo secreto in casu dispensationis pro foro interno non-sacramentali, 738, 811, 888, 892, 897. An etiam inscribendus contractus sponsalitius, 701. — In registro *baptismali* procuranda inscriptio matrimonii, 700; quid inscribendum, *ibid.;* quomodo indicandae proles illegitimae ex adulterio, 282 in nota; inscriptio prolis legitimatae, 290.

Reipus, 82 in nota.

Religio mixta, v. *Mixta religio.*

Renovatio consensus, in convalidatione absque dispensatione, 725 ss.; in convalidatione ope dispensationis simplicis, 907 ss.; varii modi ad renovandum consensum olim ab auctoribus propo-

siti, quando in rescriptis injungebatur renovatio consensus ab *utraque* parte, 910 in nota; quo pacto in sanatione in radice aliquando praescribatur renovatio consensus, 735 in nota, 911.

Revalidatio matrimonii, v. *Convalidatio.*

Revelatio impedimenti matrimonii quousque obligat, 67 ss.; ad quid teneatur qui a revelatione excusatur, 70; v. *Accusare matrimonium, oppositio.*

Reviviscentia sacramenti matrimonii infructuose suscepti, 187.

Ritus matrimoniales, v. *Caeremoniae.*

Romanus Pontifex. Ejus potestas quoad regimen sponsalium et matrimonii, v. *Ecclesia.* — Romanus Pontifex gaudet potestate dissolvendi quodcumque matrimonium non consummatum, 328; illa est vera potestas, sed ministerialis tantum, dissolvendi ipsum vinculum, 329; et requirit justam causam, 330; ac plenam probationem de non consummatione, 331; regulae observandae pro probatione non consummationis, 331; historica evolutio hujus potestatis, 332. — Romanus Pontifex probabilius gaudet potestate dissolvendi matrimonium consummatum excepto rato et consummato; 333, 354, 355; utrum posset inducere alias causas dissolutionis matrimonii praeter professionem sollemnem, 340; gaudet etiam potestate dissolvendi sponsalia, 32. — Dispensare potest super interpellatione in casu Apostoli, 353. — Quanam facultate gaudeat inducendi vetitum, 487. — Causae ipsi reservatae in processu matrimoniali, 705. — Determinatur potestas ipsius dispensandi super impedimentis, 746; sanare potest omnes dispensationes vitiatas, 926; quandonam ad ipsum sit recurrendum pro dispensatione, 834 ss. v. *Dispensatio, Ecclesia.*

Rota S., quaenam potestas ipsi competat in matrimonia fidelium, 429; in processu matrimoniali, 706.

S

Sacerdos, potest delegari pro assistentia matrimonii, 114; v. *Formalitates, delegata potestas;* non pro signatura instrumenti sponsalitii, 10; circa praesentiam sacerdotis non delegati pro licita celebratione matrimonii in duplici casu excepto in lege assistentiae, 133. Simplex sacerdos quousque et cum quibus dispensare possit, 795, 803; pro quonam foro, 800; an ejus potestas sit ordinaria vel delegata, 799. — Principia circa interpretationem et exercitium potestatis dispensandi sacerdotis non-Ordinarii, sc. parochi, confessarii, simplicis sacerdotis, superioris religionis clericalis exemptae: principia interpretationis: haec potestas est late interpretanda, 805; principia circa exercitium potestatis, 806; principia circa concursum impedimentorum, stylum curiae et legitimationem prolis, 807; circa potestatem delegandi vel subdelegandi, 808; circa cessationem potestatis, 809; circa usum potestatis dubiae, 810; concessa dispensatio pro foro externo debet notificari Ordinario, et inscribi in libro matrimoniorum, 811; concessa pro foro interno non-sacramentali adnotetur in libro secreto in curia episcopali asservando, 811. — Processus sequendus in dispensando in ordine ad matrimonium contrahendum pro foro externo, 894; pro foro interno, 895; pro foro interno simul et externo, 896; in specie attendenda pro impedimento criminis et voti non reservati castitatis, 897. In convalidando matrimonio, modus relaxandi impedimentum pro foro externo, 901; pro foro interno, 904; modus renovandi consensum, 907, 908-910; quousque sanare possit vitium dispensationis, 928, 930, v. *Dispensatio.*

Sacramentum matrimonii. Matrimonium inter baptizatos esse sacramentum probatur: dogmatice, 162; historice: argumento praescriptionis, 163; directe per testimonia et documenta, 164 ss.; ratio congruentiae, 168. Tempus institutionis, 170. — Sacramentum matrimonii esse ipsum contractum inter christianos probatur ex elevatione contractus in sacramentum, 171; et contra varios errores vindicatur, 172, 173, 174; objectio, 175; matrimonium infidelium per horum baptismum fit sacramentum, 178; non tamen per baptismum alterutrius, 179. — Sacramenti matrimonii definitio, 180; materia et forma, 181. — Sacramenti matrimonii quodnam sit subjectum capax, 188; qualis dispositio requiratur ad valorem, 189; ad fructuositatem, 190; ad licceitatem sacramenti, 191. — Effectus sacramenti sunt a/ res et sacramentum i. e. vinculum conjugale, 186; b/gratia specialis, 187; v. *Caeremoniae, minister.*

Sacramentum, bonum matrimonii, 370.

Sacrilegi filii, quid, 285; excipiuntur a beneficio legitimationis, 786.

Sanatio in radice, quid importet, 735;

quid sanatio in radice minus plena, 736; quo pacto in sanatione in radice aliquando praescribatur renovatio consensus, 735 in nota, 911; quandonam sanatio concedi possit, 736; quandonam ad illam recurrendum in ordine ad matrimonium convalidandum, 832; modus exequendi rescriptum apostolicum sanationis in radice pro foro externo, 912; pro foro interno, 913; notanda quaedam practica, 914; inscriptio in registro quomodo facienda, 915. — Sanatio in radice reservatur soli Apostolicae Sedi, 761; specialis tamen concessio facta Ordinariis, 770. — Matrimonium gerens speciem matrimonii facilius sanatur in radice, 158 in nota; sanatio in radice respectu matrimonii civilis, 158 in nota, 461, 733 in nota; sanatio in radice est medium convalidandi matrimonium mixtum invalide contractum, 515. — Evolutio historica circa sanationem in radice, 744.

Sanchez, respuenda ejus theoria circa matrimonium praesumptum ex copula sponsalibus succedens, 20 in nota.

Scandalum. Remotio scandali, causa dispensandi, 827; clausula dispensationis, 873; quousque sub disciplina Codicis adhuc servanda, *ibid.*

Schola Bononiensis, v. *Gratianus.*

Schola Parisiensis, v. *Petrus Lombardus.*

Schismaticae Ecclesiae doctrina circa divortium, 368.

Sedatio concupiscentiae, v. *Finis.*

Separatio a tecto seu a cohabitatione. Doctrina Ecclesiae circa ipsius honestatem, 252, 253; ejusque causas, 254; causae ipsius, sc. adulterium, 255; apostasia vel haeresis, 256; periculum grave animae vel corporis, 257; educatio acatholica prolium, 257; vita criminosa et ignominiosa, 257; *non jam* electio vitae perfectioris, 258, 266; suntque vel causae de se perpetuae (adulterium) vel de se temporaneae, 259; obligationes partis innoxiae, 259; separatio etiam ubi licita non raro ex charitate vitanda, 259. — Cautela adhibenda de adeundo judice ecclesiastico, attento jure communi, 260; attento jure particulari Brugensi, 261; norma practica, 262; partes parochi in hoc negotio, 262. — Quid de conjuge a comparte derelicto, 263; quid judicandum de absentia unius conjugis, 264; quid de cura prolium, 265; olim servanda cautela circa amplexum status perfectioris, 266. — Separatio a toro et cohabitatione, quid circa ipsam lex civilis, 268, 385; dijudicatur legitimitas hujus legis, 386 ss. — Sollicitatio separationis coram foro civili, positis ponendis, toleratur, 390.

Separatio a toro, quousque sit licita, 267; quandonam instituenda ob impedimentum impotentiae, 267, 558; v. *Separatio a tecto.*

Septima manus, 331bis.

Simulatio, quomodo vitiet consensum matrimonialem, 533.

Sollemnitates *nuptiales,* in quonam consistant et quandonam vetantur, 198; v. *Caeremoniae.*

Sollemnizatio matrimonii, quid, 201.

Solidum et denarium (desponsatio per), 82.

Spadones, 550 in nota.

Speciem gerens matrimonium, quid, 158.

Spillemagen, 595.

Sponsi contrahentes matrimonium sunt sacramenti ministri, 182; v. *Minister.* — Sponsi cum tertia persona fornicantes injustitiae reatum contrahunt, 27; quousque debeant sibi mutuo manifestare defectus occultos, 35, 36.

Sponsalia. Notio etymologica, 2; notio realis, 2; sponsa sperata, pacta, 2 in nota. Variae species sponsalium, 3; convenientia et usus antiquus 4; jus romanum, germanicum, usus medii aevi ac moderni, 14, 201; constituuntur mutuo consensu de futuro, 5; consensus necessitas et qualitates, 5; formalitates: coram jure naturae, 2, 6; coram jure positivo Ecclesiae, 7 ss., v. *Formalitates.* Sponsalia praesumpta, hisce vix adhuc locus sub disciplina Decreti *Ne temere,* ac novi Codicis, 13; olim, positis ponendis, matrimonium impuberum inducebat sponsalia, 13; sponsalia a parentibus inducta, 6 in nota, 13; sponsalia per copulam inducta, 13; obligationes ex copula orientes, 26 in nota. — Sponsalium *subjectum,* 15; quid de non septennibus, 16; quid de sponsalibus impuberum, 17. *Adjuncta* sponsalium: quid efficiat adjectum juramentum, 18; quid efficiat conditio apposita, 19; quid efficiat copula superveniens, 13, 20, 21, 26, 158 in nota; quid circa copulam sponsalibus supervenientem statuerit antiqua disciplina, *ibid;* quandonam sint restituenda munera sponsalitia, arrhae, 22; an obliget poena statuta contra resilientem juste vel injuste,

22, 23. — *Effectus* sponsalium: sine debita forma initorum, 12, 26 sub 3°; cum debita forma, coram jure naturali et conscientia, 12, 24; coram Ecclesia et in foro externo, 12, 25 s.; quid de sponsalibus ante novam disciplinam contractis, 26; anterior disciplina, 25 in nota; actio in reparationem damnorum est mixti fori, 25; quid circa reparationem damnorum statuat jus nostrum civile, 25 in nota. Quomodo peccet sponsus cum tertia persona fornicando, 27. Sponsalium *impedimenta:* quaenam reddant sponsalia illicita, 28; quaenam irritent sponsalia, 29, 30; possent valide, sed suspensive, contrahi sponsalia cum impedimento matrimonii sub conditione obtinendi dispensationem, 30. — Sponsalium *dissolutio:* quid sponsalia soluta, solubilia, 31; causae dissolutionis, 32; *olim* injungebatur a S. Pontifice aequa compensatio, 32 in nota. Causae *dissolubilitatis*, 33, 34; signanter mutatio superveniens, vel defectus innotescens, 34; an etiam tactus impudici, 34; quid si una pars modo inopinato ditior evadat, vel altioris conditionis, vel si ei proponantur sponsalia praestantiora, 34 in nota; impubertas jam non est causa dissolubilitatis, 34 in nota. — Quousque sponsi teneantur sibi mutuo manifestare occultos defectus, 35, 36. — *Regimen* sponsalium inter christianos initorum competit soli Ecclesiae, 37; determinatur objectum circa quod versatur regimen, 38; regimen sponsalium inter duos infideles competit Principi civili, 37. — Munus confessarii in causa sponsalium, 39. v. *Promissio.*

Spurii filii, quid, 285; non legitimantur per subsequens matrimonium, sed possunt legitimari er Rescriptum Pontificis, 291; v. *Naturales, legitimatio.*

Status civilis, v. *Princeps civilis, matrimonium civile.*

Status liber, quid importet, 676; de eo constare debet parocho antequam ad matrimonium procedat, 129, 676; quomodo probandus status liber, 676; v. *Parochus, examen.*

Sterilitas, steriles quaenam sint et an habiles sint ad matrimonium, 557; v. *Impotentia.*

Sterilizatio, v. *Vasectomia.*

Stipes, quid, 596.

Stylus curiae, quousque ab Ordinario dispensante sit servandus, 785; quousque a sacerdote non-Ordinario, 807; v. *Supplica.*

Subdelegatio: quousque juxta jus novum ei detur locus in ordine ad assistendum matrimonio, 119; quousque in materia dispensationis, 787, 808; v *Delegata potestas.*

Subreptio, vitium dispensationis, 918.

Superior religionis clericalis exemptae, ejus potestas restituendi licentiam petendi debitum, 231; quousque et cum quibus possit dispensare, 796, 803; natura ejus potestatis, 799; pro quonam foro censeatur concessa, 800; v. *Sacerdos.*

Suppletio Ecclesiae, quandonam ipsi detur locus in assistentia matrimonii, 109, 118; in materia dispensationis, 772, 790, 810, 921.

Supplica, quaenam inserenda in ea pro recursu in foro externo, 844 ss.; quid in specie circa raptum, 653; quaenam inserenda pro foro interno sacramentali vel extrasacramentali, 851; in concursu utriusque fori, 852, 853, 853bis; quomodo in hoc casu parcendum sigillo et famae, 852, 853; quousque error in insertis in supplica irritet rescriptum dispensationis, 844 ss., 851. Confectio supplicae in recursu ad Ordinarium, 843, 854; confectio supplicae in recursu ad S. Sedem, 855; in specie dum pro foro interno ab ipso confessario est conficienda, *ibid.;* an valori dispensationis noceat quod inserta dioc cesis domicilii nupturientium mutata sit ante Rescripti Romani executionem, 777, 864. De supplica per viam telegraphicam, v. *Telegraphica via.*

Syllabi propositio 67, in quonam sensu sit damnata, 323.

Syndicus. Liceitas ejus interventus in re matrimoniali, in specie circa divortium, v. *Divortium civile.*

Syphilis, causa denegandi debitum conjugale, 235; potest esse causa prohibendi matrimonium etiam sub poena nullitatis, 423.

T

Tametsi. Modus promulgationis hujus decreti, 139 in nota; quaenam fuerit extensio hujus legis tridentinae, 144; v. *Clandestinitas.*

Taxae solvendae pro dispensationibus: notiones, 857; normae servandae in dispensationibus apostolicis, 858; episcopalibus, 859; taxa solvenda pro proclamationibus bannorum, 60.

Telegraphica vel **telephonica via:** pro statuenda casus urgentia in ordine ad dispensationem non est ratio habenda

possibilitatis recurrendi via telegraphica vel telephonica, 765 in nota, 792 in nota; an recursus pro dispensatione obtinenda institui possit ope telegraphi vel telephonii, 843, 890; praescriptum speciale pro dioecesi Brugensi, 843 in nota; notandum tamen pro casu perplexo, 839; an ad exequendam vel fulminandam dispensationem sufficiat telegraphica notitia ejus concessionis, 879; notandum pro casu quo telegraphice dispensetur, 890 in nota.

Tecti consortium, 249; v. *Separatio.*

Tempus. Temporis lapsus an causa dissolutionis sponsalium, 32. — Tempus sacrum copulam non reddit illicitam, 227. Tempus ageneseos, 245. — Tempus celebrationis matrimonii; coram jure communi quolibet anni tempore contrahi potest, 199. — *Tempus clausum,* 199; per illud jure communi prohibentur solae sollemnitates nuptiarum, non ipse contractus matrimonialis, 199; ratio prohibitionis, *ibid.;* quid circa illas sollemnitates permittere possint Ordinarii, *ibid.;* an in jure particulari servari liceat prohibitio vetans ipsum contractum matrimonialem, 199 in nota.

Testis. Quaenam testium interventio requiratur in celebratione sponsalium, 10; in celebratione matrimonii, 123, 125, 133, 134; quinam valide et licite adhiberi possint, quinam removendi, 123, 125; quodnam officium testium quoad inscriptionem in registro, 134, 701; testes adhibendi in verificatione precum, 868; in examine juridico de statu libero nupturientium, 686; in negotio non-consummationis, 331bis; in processu matrimoniali, 708; v. *Formalitates, examen.*

Testimonium septimae manus, 331bis

Thalami nuptialis benedictio, 204.

Tori consortium, 250; v. *Separatio.*

Tribunal, v. *Processus.*

Triennale experimentum in materia impotentiae, 558.

U

Unitas *vinculi conjugalis,* 296 ss.; v. *Polygamia.*

Usus conjugii, quomodo a parocho circa ipsum publice instruendum, 693, quomodo privatim, 695; quomodo a confessario, 696 ss.; v. *Debitum conjugale, copula, pollutio, actus non consummati.* — Quousque valeat matrimonium contractum sub conditione eo non utendi, 155, 156.

Usus rationis defectus vitiat consensum matrimonialem, 522bis.

V

Vagi, quinam, 48, 125, 126, 129; proclamatio bannorum pro vagis, 44, 48. — Coram quonam licite matrimonium contrahant, 125, 126; parocho requiritur licentia Ordinarii, 129.

Vaginismus, quid sit et an inducat impotentiam, 550, 551 in nota.

Vasectomia: Notio, 239 in nota, 439; rejicitur jus Status subditos sterilizandi ope vasectomiae, 439, 440; bibliographia circa hanc questionem, 439 in nota; quousque possit vasectomia privata auctoritate admitti, 441; an inducat impotentiam, 550, 551 in nota, 555, 557.

Velatio nuptialis, quaenam antiquitus fieret, 203. — Virgines velatae et non velatae, 580 in nota.

Verificatio precum in exequenda dispensatione apostolica, pro foro externo: ejus necessitas, 867; modus observandus, 868; pro foro interno, 881; in dispensationibus episcopalibus, 890, 893.

Vetitum Ecclesiae, quid, 486; potestas Romani Pontificis, Ordinarii, parochi, 487; discrimen inter jus civile Belgicum et jus canonicum quod spectat oppositionem legaliter factam, 488.

Vicarius capitularis, v. *Capitulum, Ordinarius.*

Vicarius generalis, venit sub nomine Ordinarii, 107, 752, 772; cessat ejus potestas moriente aut dimittente officium Episcopo, 788.

Vicarius paroecialis, quis sit in ordine ad assistendum matrimonio, 107.

Vidua filiis gravata, causa dispensandi, 821; investigatio specialis a parocho facienda ubi agitur de matrimonio vidui vel viduae cujus compars in alieno loco obiisse fertur, 685.

Vinculum conjugale, quid sit, 76, 186, 206; quibusnam constet, 206. — Effectus ipsius: constitutio familiae distinctae, 279; participatio uxoris in statu mariti, 279; peculiaris propinquitas, 280; legitimitas prolium, 281; v. *Legitimi.* — Vinculi proprietates, *v. Indissolubilitas, unitas.*

Virginitas, prout est virtus, secundum se praestantior prae statu conjugali, 90, 91; vindicatur thesis a variis objectionibus, 92.

Vis, v. *Metus.*

Vitia dispensationis, 916 ss.; eorumque

sanatio, 924 ss.; v. *Error, Dispensatio.*
Vittae caeremonia, 203.
Votum. Distinctio inter votum sollemne et votum simplex, 335, 568; quaenam sint vota reservata, quaenam non reservata, 231 in nota, 767; quid votum privatum vel publicum, 767 in nota, 231 in nota.

Matrimonium contrahendum *dirimit* votum sollemne castitatis emissum in religione stricte dicta, necnon votum simplex a Scholasticis Soc. Jesu emissum, 229 in nota, 568, 569; non vero votum in saeculo emissum ab uxore viri ad Ordines promoti, 579; votum matrimonium dirimens constituit impedimentum juris ecclesiastici, 569; notanda circa dispensationem super impedimento voti, 570[b1a]; processus de nullitate matrimonii ex capite voti opportunè defertur ad S. Sedem, etiam pro prima instantia, 578. — Poenalitates, 579; evolutio historica hujus impedimenti, 580; lex civilis, 582. — Solum votum sollemne *dissolvit* matrimonium quodcumque non consummatum, 334 ss., 576; matrimonium dissolvit momento ipsius professionis sollemniter factae, 337; quae efficacia voti sollemnis est juris ecclesiastici tantum, 338; utrum etiam dissolvat matrimonium consummatum quod non sit ratum et consummatum, 339.

Matrimonium *prohibent* varia vota, np.: coelibatus, virginitatis, amplectendi statum religiosum, suscipiendi ordines sacros, necnon votum simplex castitatis, 489, 229 in nota; objectum variorum illorum votorum, 232, in nota; cessante prohibitione juris naturalis-divini, non ideo cessare videtur prohibitio juris ecclesiastici, 489; quomodo cesset vel suspendatur impedimentum, 490; in specie, quomodo cesset aut suspendatur ipsum votum sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, *ibid.* Poenalitates, 490.

Utrum matrimonium valide iniri possit cum voto etiam mutuo accepto castitatis, 156; quousque conjuges durante conjugio possint valide votum castitatis emittere, 230, 258; olim servanda cautela circa amplexum status perfectioris, 230, 258, 266.

Effectus voti circa *usum matrimonii:* votum *castitatis* ante matrimonium emissum, et non dispensatum, quid, contracto matrimonio, efficiat circa usum matrimonii, 229; quid efficiat votum matrimonio succedens, 230; quid votum castitatis mutuo consensu emissum, 220; quousque possit obligatio voventis ab altera parte suspendi, 230; an possit maritus votum uxoris irritare, 230; quid de aliis votis vitae perfectioris si, ipsis spretis, matrimonium est illicite initum, 232.

Dispensatio super voto. Super eo universim dispensat Rom. Pontifex, 746; S. Congregatio negotiis religiosorum sodalium praeposita, 748. Ordinarius dispensare potest super omni voto a/ in casu impedimenti dubii, 755; b/ in periculo mortis, 757; c/ extra periculum mortis, in casu urgenti, 763; super votis *non reservatis* etiam extra periculum mortis et casum urgentem, 767. Quousque super votis dispensare possit parochus, 792, 793; confessarius, 794, 798; simplex sacerdos, 795; superior religiosus, 796. — In specie circa potestatem restituendi licentiam petendi debitum ex voto castitatis amissam: quousque eam restituere possit Ordinarius, 231, 767; superior religiosus, 231, 796; simplex sacerdos, 231; confessarius in doecesi Brugensi, 231 in nota, 798; formula ab ipso adhibenda, 231 in nota. — Specialiter attendenda in executione dispensationis apostolicae super voto simplici castitatis pro foro interno et externo, 889; vel in concessione dispensationis sacerdotalis, 897. — Respectu *sponsalium,* votum, perfectioris vitae ab utroque sponso emissum dissolvit sponsalia, 32; ab una parte emissum reddit sponsalia solubilia, 33.

Z

Zweerdmagen, 595.

265.51
Sm39
Smet, A. de
De sponsalibus
et matrimonio
114292

265.51
Sm39
114292